8.44.D.14



VERITATES PRACTICÆ,

EX VITA DOMINI IESV, SANCTORVMQVE GESTIS, IN SINGVLOS ANNI DIES.

LEGENDÆ, CONSIDERANDÆ, PRÆDICANDÆ.

OPVS QVADRIPERTITVM.

PARS QVARTA, PARS AVTVMNALIS.

A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad Aduentum.

Authore P. IVLIANO HAYNEVFVE, Societatis IESV Sacerdote.

ROTHOMAGI,

Sumptibus RICHARDI LALLEMANT, Illustrissimi Archiepiscopi & Collegij Societatis IESV Typographi.

M. DC. LIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBATIONE DOCTORVM.

Priuilegium Regis, Appobatio Doctorum, & Facultas Superiorum habentur in prima parte, post Præfationem.

INDEX VERITATVM
IN SINGVLOS DIES, QVARTÆ PARTIS.

Sic

Sic peccator perdendus est, vt peccatum, non peccator pereat.

Homo peccator sic est perdendus, vt non homo sed peccator perdatur. 207.

Accusantis lingua velut nouacula: nisi sit illi tanta suæ linguæ cura, quanta est suæ manus Curanti vulnus, Tortorem agit non Medicum. 208.

Non est bona Seueritas, nisi cum esset mala Suauitas. 209.

Nemo bene alium arguit qui non est paratus argui, &c. 210.

Vix alius est malus minùs excusabilis quàm qui malè accusat alium. 211.

Major perspicuitas in alienis, major in suis cæcitas: Et major in suis cæcitas major perspicuitas in alienis. *Ibid.*

Si Iustus est prior accusator sui, quantò magis injustus? 213.

Non multum distat in vitio, vel decipere posse vel decipi Christianum. 214.

Fer. 3. Ego sum Lux mundi.

Qui mundi lucem Christum confiteris, & Mundum potius quàm Christum sequeris, palpas in meridie. 216.

Fer. 4. Neque me scitis, neque Patrem meum.

Quidquid de Christo se scire dicant Impij & mundani, Christum nescire dicendi sunt. 220.

Fer. 5. In peccato vestro moriemini.

Illud mundanis præcipuè tremendum est verbum, *In peccato vestro moriemini.* 228.

Fer. 6. Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.

Vnde est in seruo peccati, seruitus suauior, inde est in seipsa durior. 238.

Sabbato. Et vos inhonorastis me.

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes comparentur, plus no-

Hac Hebdomada quæ diuersa occurrunt ad Vnum illud tendunt de quo Dominus apud Martham.

FER.2. *Porrò vnum est necessarium.*

Veritas Veritatum his contenta Christi verbis. 474.

FER.3. *Stulti! nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit?*

Quò quis in exteriori colendo homine videtur esse sapientior, eò est stultior si non magis interiorem colat. 480.

FER.4. *Homo, quis me constituit Iudicem aut diuisorem inter vos?*

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. 486.

FER.5. *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, &c.*

Non solum auarus est qui cupit aliena, sed qui cupidius seruat sua; Seruat autem cupidiùs qui sibi soli seruat. 492.

FER.6. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

Non auertes periculum nisi aduertas diligentius. 501.

SABBATO. *De ficu infructuosa, & de muliere incuruata.*

Mens incuruata, mens infructuosa. 506.

DOMINICA 24. *Nisi sit vltima.*

Repetenda est Consideratio ex 1. parte, pro numero Dominicarum quæ supersunt ex celebrandis post Epiphaniam; consulendumque Directorium.

Hac Hebdomada, concurrunt quæ sequuntur in Euangelica serie, ad hunc finem, vt nos totos Christo dedamus.

FER.2. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*

Sicut nullis cæna est nisi vocatis, sic nulli vocantur à Domino nisi ad cœnam.

Quo

Cum videritis abominationem desolationis, &c.

Quidquid abominandum desolatæ ciuitati acciderit, nulla tam grauis abominatio desolationis, quàm lethale peccatum. 713.

Qui legit, intelligat.

Qui quod legit, intelligere negligit, negligentiæ suæ pœnas legit. 715.

Tunc parebit Signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes, &c.

Quàm apertè parebit signum Crucis in Iudicio, tam apertè patebit cur plangant iudicandi. 722.

Nemo magis confundetur quam qui peccat ne confundatur. 726.

Ab arbore fici discite parabolam.

Non tantum quod sit Iudicium ab arbore fici discendum est, sed quod sit valdè tremendum. 728.

Cælum & terra transibunt; Verba autem mea non transibunt.

Humana verba quàm sunt incerta, tam certa sunt & timenda Diuina. 732.

Hac Hebdomada, quod superest considerandum ex verbis & factis Domini, ad Eius vsque passionem, totum refertur ad Vigilantiam in nobis excitandam.

FER. 2. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*

Si sola solùm Ratio, vel si solus Christus sufficeret, quantò magis simul Christus & Ratio? 738.

FER. 3. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.*

Qui non est semper paratus, numquam est paratus. 743.

Fer.4. Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret, &c.

Qui non obseruat furem, obseruatur à fure & capitur.
Sicut à fure, sic à fine vitæ timendum est.
Vel omni hora vigilandum, vel nulla vigilatur. 751.

Fer.5. Parabola de decem Virginibus.

Perpetuata est quædam mentis Virginitas, perpetua Vigilantia. 756.

Fer.6. Parabola de Talentis.

Temperamenti regendi parata Ratio, parata ratio est reddendi Deo talenti. 761.

Sabbato. Separabit eos ab inuicem sicut Pastor segregat oues ab hædis.

Qui nunc Pastorem tuum non agnoscis Christum, tunc te Christus suam non agnoscet ouem. 729.

Et statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

Qui nũc à dextris volũt statui, tũc à sinistris statuẽtur. 769.
Qui nunc primi esse volunt, tunc erunt infimi.

Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni, &c.

Dum te à dando excusas, magis accusas. 772.

Et ibunt hi in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.

Quod ageres iudicatus si posses, hoc ipsum debes agere iudicandus. 773.
Si rectè affectus esses, quo affectu esses vel in æternam vitam vel in æternum supplicium, hoc ipso dare gauderes, vel non dare timeres quod dandum est. 774.

Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time

ERRATA QVARTÆ PARTIS.

Pagina.	*Linea.*	*Erratum.*	*Correctio.*
24	17	rationabilis	rationabilius
82	12	ſuperborum	reproborum
117	1	affectos	affecto
123	20	facias	faciat
154	22	dicit	dici
287	36	quin ſic	quin ſit
295	10	quia ſit	quia ſic
	11	quia ſit	quia ſic
354	7	quantum	quantumcumq;
447	9	reddat	reddant
494	29	forte	fore
495	18	amari	auari
	24	animi	anni

DOMINICA

Digitized by Google

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

DE ADOLESCENTE, FILIO VIDVÆ, SVSCITATO IN CIVITATE NAIM.

Cùm appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Luc. 7.

VERITAS PRACTICA.

Qui non est semper paratus mori, vix vnquam paratus est.

RATIO, & declaratio huius Veritatis, atque aliarum quæ spectant mortem, habetur infrà in hac parte, hebdomada vltima.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Adolescenti frequentiùs Mors cogitanda quàm Seni.

RATIO EST, Quia cùm sint rationes quædam cogitandæ mortis, Illi frequentius mors est cogitanda, cui magis hæ competunt rationes.

Sed adolescenti magis quàm seni hæ competunt rationes cogitandæ mortis.

Ergo adolescenti frequentiùs mors cogitanda quàm seni. Quod vix tamen sibi persuadent Adolescentes.

DEFVNCTVS hic filius Viduæ qui efferebatur, cùm esset adolescens, vt patet ex nomine quo Dominus eum suscitaturus compellauit, luculentum huic ætati datur exemplar suæ spectandæ fragilitatis, suæ ordinandæ vitæ, suæ cogitandæ mortis,
Ecclesi. 7. suæ procurandæ salutis. Omni quidem ætati dictum est: *Memorare nouissima tua*: Sed cùm sint quædam huius frequentandæ memoriæ rationes, illi præcipuè dictum esse credendum est, cui magis hæ competunt rationes. At certe cogitanti attentius, nulli magis videntur competere quàm Adolescentibus, vnde quantum illis incumbat crebram hanc & frequentem vsurpare memoriam, facillimum erit concludere.

Totus itaque differendi ordo, atque ipse totus Discursus in eo vertitur, vt propositis rationibus cogitandæ mortis, quàm potius Adolescenti conueniant, exponatur. Cùm sint autem multæ rationes quæ proponi possint, tres potissimum seliguntur, quæ cùm sint etiam satis perspicuæ, satis eas fuerit vel breuiter indicare.

PRIMA est, vt vitæ præsentis æstimatio minuatur, & amor temperetur. Certum est quod sicut nimis hæc præsens vita ducitur, & nimis inde homo abducitur à recto viuendi tramite, sic si mortis frequentior haberetur memoria, cessaret illud omne quod in vita colenda est nimium, & majus bene viuendi studium quàm viuendi sentiretur.
Iac. 4. *Quæ est vita vestra?* inquit sanctus Iacobus: *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*: quasi diceret, quid est illud quod tanti facitis? si frequentius cogitaretis quid sit, non ita duceretis.

At quinam ex omni ætate pluris ducunt vitam, aut ne pluris ducant, quinã mortis memoria magis contineri possunt? Non sane pueri qui nec vitæ nec mortis cogitandæ capaces sunt, neque item senes qui tot vitæ fallaciis eruditi, sapiũt, vel serius dãno suo, vel bene actæ vitæ fructu tranquille potiuntur: Adolescentes vero qui media florent ætate, sicut spe toti viuunt, ita quod viuunt plurimi faciunt & vehementer appetunt, nam spes tantùm bonorum est, vnde si spem illis præcidas longioris vitæ, simul abscindes quidquid inhæret cordi tenacius, & illi se tanto magis temperabunt in amando, quando quod amant, minus sperabunt. Quid est autem aptius ad illam vitæ spem excidendam, quàm frequens

Digitized by Google

mortis memoria, quæ dum animo repræsentat quod futurum est, sic animum à præsentibus auocat, vt non tam vitæ, quàm mortis statum induat? Hoc est quod Sapiens Ecclesiastes, ironice iuuenem ipsum alloquens, serio tamen & grauiter admonebat: *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Quasi diceret, nolo, adolescens, aliter auocare te à tuis cupiditatibus quàm recordatione mortis & iudicij: Certò enim mihi constat, quod si cogitaueris te moriturum & iudicandum, facile te continebis, & contemnes quod nimis æstimas. Vnde sic pergit Sapiens: *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, non mihi placent.* Id est, si quando velis mundum contemnere, & illo mundi contemptu placere Deo, ne tempus illud expectes quo per ætatem senescentem mundus ipse arescit & displicet, nihil enim adeo magnum est & laudabile sic arescentem mundum despicere: Sed cùm in ipso juuentutis æstu magis feruet amor rerum præsentium, tunc æstum mitiga, tunc feruentem compone animum, tunc quidquid auidius retines, projice; & dignum Creatori tuo munus offeres. Eccl. 11. ibid.

SECVNDA ratio cogitandæ mortis est, cùm ex ipso rerum humanarum affectu periculum peccandi est & illecebra cupiditatis explendæ. Nam si se saltem contineret animus citra omnem culpam: in illa mundi qua trahitur voluptate, sibi quidem honorem suum detraheret sic se abjiciendo ad hæc citeriora & infima: *Sed tamen minor esset querela*, vt ait Sapiens: at cum se inde in offensam Diuini Numinis, & animæ suæ perniciem projicit, tunc certe coërcendus & reuocandus est: Tunc certe nouissima memoret, vt non peccet, nihil enim potentius ad comprimendam libidinem, & auocandum peccatum, quàm ista nouissimorum memoria. Quod in ipsis mundi exordiis Deus satis aperte indicauit, cùm Adamum hac vna ratione deterruit à violando præcepto: *In quocumque die comederis, morte morieris.* Neque prius Tentator persuaserit fructum vetitum comedendum, nisi postquam intentatum illum mortis metum his excussit verbis: *Nequaquam morte* Sap. 13. Gen. 2. Ibid. 3.

moriemini. Tanta vis est cogitatæ mortis, vt dum aderit, peccatum
Eccles. 7. abest: & dum aberit, peccatum adsit. *Et in æternum non peccabis.* Qua de sententia fusius in 2. parte, In die Cinerum.

Iam vero licet omnis ætas ad peccandum sit procliuis, quis tamen dubitet procliuitatem illam longe esse periculosiorem in
Ad Nepot. Ep. 2. adolescentia; *Quæ*, vt ait sanctus Hieronymus, *multa corporis bella sustinet, & inter incentiua vitiorum & carnis titillationes quasi ignis in lignis viridibus suffocatur.* Quod paulo fusius prosequitur sanctus Au-
Ser. 116. de Temp. gustinus: *Si ergo*, inquit, *puerilis & senilis ætas non est à tentationibus libera, quarum altera, id est puerilis, nondum benè ingreditur, altera iam egreditur istam vitam; & altera paulo ante non erat, altera paulo post non erit: quid sentiendum est de flagrantia iuuenilis ætatis, quæ vtriusque in medio constituta, & ab infirmitate pueritiæ iam recessit, & nondum ad torporem senectutis accessit? Hæc pluribus atque majoribus tentationum tempestatibus quatitur: hæc fluctuum crebriore impetu sæculi inundantis operitur. Præsumit viribus, formæ dignitate iactatur, pompa rerum temporalium præfulgere aut exoptat, aut gaudet.* Nonne huic ergo præcipue insonandum quod Triumphantibus olim ne se nimis efferrent, suggerebatur, Memento te mortalem esse. Sic enim vt ait sanctus
L. de Ioseph. c. 10. Ambrosius, *Adolescentes magis metu quam ratione reuocantur à vitio.*

TERTIA denique ratio memorandæ crebrò mortis est, ne ad eam imparati accedamus; nihil enim in morte magis timendum est quàm imparatus animus; & nulli minus instructi sunt & parati quàm adolescentes qui se, naturali stante rerum statu, remotiores vident ab interitu; Et nisi virtute ac industria consequantur quod natura refugit & abhorret, vix vmquam tutò & securè diem suum extremum agent. Quamobrem in prouerbiis sic
Pr. 5. adolescentem Sapiens admonebat: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas, Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam?* Et nonnullis interiectis, *Ipse morietur quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Quasi diceret, si obeundæ mortis disciplinam accepisset, sic mortuus esset quasi non mortuus, quia mortis amaritudinem & alia damna non sensisset: Nunc vero qui nec vitæ nec mortis

disciplina se instrui voluit, quasi nondum esset tempus, sic sibi stulte palpat de longiori vita, & hac deceptus stultitia, quo non putat tempore, quo nescit loco, & modo, miserè morietur. O timendam adolescenti mortem, quam ne timeret cogitare noluit, ne sibi videretur mori, dum viueret! Sic enim dum sibi viuere videbitur, morte improuisa rapietur, & ex iis erit *qui quærent mortem & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*, quia mortem ipsi à se fugarunt dum viuerent. *Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes.* Mente scilicet dum hic viuunt, ne morientes illuc descendant. Apoc. 9. Ps. 54.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, Dixit illi: Noli flere.

VERITAS PRACTICA.

Qui nimis suos deflet & diligit, non satis diligit.

Ratio declarata est in secunda parte, feria tertia majoris hebdomadæ, vbi quæ de nimia dilectione inter viuos dicuntur, huc apte referri possunt.

Noli flere.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Non certius in spem itur, quàm contra spem.

RATIO *huius etiam Veritatis exponitur in 3. parte, Feria tertia hebdomadæ septimæ post octauam Pentecostes, vbi hoc idem Euangelium occurrit considerandum, & de spe retinenda in deploratis rebus agitur.*

Adolescens, tibi dico, surge.

VERITAS PRACTICA.

Quam Christo debet anima subiectionem, debet ita in corpore reddere, ac extra corpus.

Declaratur hæc Veritas in 3. parte, Feria sexta hebdomadæ nonæ.

Et resedit qui erat mortuus.

VERITAS PRACTICA.

Sicut à peccato, sic à peccati reliquiis resurgendum.

RATIO EST, Quia sic est à peccato resurgendum, vt quantum quidem possis cum Gratia, tantum coneris, ne recidas. Sed nisi à peccati reliquiis sicut à peccato resurgas, non tantum conaberis, quantum potes cum Gratia, ne recidas. Ergo sicut à peccato, sic à peccati reliquiis resurgendum. Quod quia nondum tractatum est, paulo est attentius expendendum.

I. PVNCTVM.

QVOD dicitur resedisse in loculo Adolescens, reuocatus à morte ad vitam, neque inde exiuisse nisi postquam eductus fuit à Christo Domino qui eum Matri reddidit, figura quædam est & imago Peccatoris, à peccato quidem resurgentis, sed tamen in peccati reliquiis velut in loculo residentis: à quibus nisi se sinat retrahi, vix dicetur resurrexisse, aut quantocyus recidet. Quod cum sit frequentissimum & perniciosissimum, certe omni modo cauendum est, ac proinde diligenter ponderanda Veritas, *Quod sicut ab ipso peccato, sic à peccati reliquiis plane resurgendum.*

Sic enim resurgendum est à peccato, vt quantùm quidem possis cum Diuina Gratia, tantum coneris ne recidas. *Si reuerteris*

Ier. 4.

Israel, ait Dominus, ad me conuertere: si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis. Quasi diceret, sic serio redeundum, sicut ego intelligo; sic autem intelligo tibi esse redeundum, vt eò prorsus non reuertaris vnde conuerteris, ac propterea simul atque conuerteris, aufer id omne quod te in lapsum posset inducere. Hoc est alioquin quod vehementius queritur & exprobrat suis, per alium Prophetam: *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Id est, misericordia qua volo in vos vti, vos à peccatis vestris reuocando, tam parum diuturna est quàm ros ille matutinus qui statim exsiccatur, quia vos statim in peccata reciditis; Vnde & Christus Dominus sanato Paralytico: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* *SOSPITANTIS Domini verba sunt,* inquit sanctus Cyprianus, *& docentis, curantis, ac pariter monentis dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius quibus sanatus fuerat mancipato grauius comminatur, quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cùm nec dum nosses disciplinam Dei.* Sanctus item Bernardus: *Si dixerit mihi IESVS, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos quos lauerám, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit?* Sic passim Scripturæ omnes, Sanctique ad vnum Patres quod Petrus Blesensis de hoc agens argumento, paucis ita refert: *Propositum pœnitentiæ, perseuerentia comitetur. Quid enim omnia prædicta proderunt pœnitenti, si ad vomitum reuertatur? Verbum Sapientis est, Vnus ædificans, & vnus destruens quid est nisi labor? Ita & qui baptisatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid profuit ei lauatio? Verbum Augustini est: Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius: sic lugens & peccans, veniam non meretur: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Gregorius: qui admissa plangunt nec tamen deserunt, se inaniter mundant, & nequiter inquinant: Idcirco se lachrymis lauant vt mundi ad sordes redeant.*

Osee 6. *Ioan. 5.* *L. de discipl. & habitu Virg.* *Serm. 3. in Cant.* *De Confess. Sacram.* *Eccles. 34.* *ibid. 30.* *3 P. Past. adm. 31.*

Denique non aliter definitur Contritio quàm *dolor animi ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Neque aliter Attritio valere dicitur, *nisi voluntatem peccandi excludat:* Expressa sunt Tridentini verba, quæ Tu quidem non negas vera, sed an vere te illis conformes quando Confessionem instituis, & ipse *Sess. 14. c. 4.*

tecum recogita, & plange quàm crebri sint lapsus tui. *Quàm vilis*
Ier. 2. *facta es nimis, iterans vias tuas! CANIS reuersus ad suum vomitum:*
Pr. 26. *& sus lota in volutabro luti.* Confundere, humiliare, & pete lumen
2. Pet. 2. vt agnoscas vnde sint tui lapsus.

II. PVNCTVM.

SED *nisi à peccati reliquiis sicut à peccato resurgas, non tantum conaberis quantum potes cum Gratia, ne recidas.*

Ecce hinc vnde lapsus, vnde recidiua, & malorum seges omnium. Et vero hic procedendum ordinatè. Primo de peccati reliquiis expressus est articulus Diui Thomæ, qui ait *eas esse dispositiones quasdam remanentes in anima post remissionem culpæ mortalis, quæ quidem dispositiones quia causatæ sunt ex præcedentibus peccati actibus, tanto grauiores aut leuiores sunt, quanto peccati actus fuerunt vel crebriores vel vehementiores, ex parte conuersionis inordinatæ ad obiectum peccati.* Tam rari aut tam parum acres potuerunt esse aliquando in quibusdam peccatoribus peccati actus, vt vix vllas tales dispositiones & reliquias reliquerint, quando præcipuè non peccarunt ex libidine seu deprauata Concupiscentia. Tanta etiam esse potuit cuiuspiam peccatoris Conuersio, vt cum remissa culpa simul & pœnæ omnes & reliquiæ sublatæ fuerint; sed si ordinarium spectemus peccandi & resurgendi à peccato statum, sicut pene omnes non aliter peccant quàm ex inordinato ad creaturas affectu, ita nec aliter resurgunt, quàm cum illis dispositionibus & reliquiis remanentibus ex tali prauo affectu: non quod affectus peccati remaneat in conuerso peccatore, non enim conuersus esset, si affectus peccati resideret: sed affectu etiam deposito, remanent debilitatæ potentiæ naturales quæ sunt dispositiones ad lapsum, nisi diligenter caueatur.

3 p. q. 86. a. 5.

Atque hinc quod deinde considerandum venit, patet euidentissimè quod nisi resurgas ab his reliquiis, non id efficis, non id conaris quod debes cum Gratia, ne recidas: nam vltrò retines recidendi causam. Aliud est enim eas habere naturaliter & aliud voluntariè. Nam licet remaneant naturaliter seu ex naturali causa quam vidimus esse præteritum peccati actum, non tamen ita præcisè nocent si contrà obnitatur firma & constans voluntas: sed si desit hæc voluntas, & nisi diligenter vigiles ad roborandam cum

Gratia

Digitized by Google

Gratia mentem & vires, tunc voluntariæ dicuntur illæ reliquiæ, saltem indirectè & negatiuè quatenus non vis & non efficis quod ex tua parte requiritur ad illas vel paulatim auferendas vel generose continendas; ne te inducant in lapsum. *Auferes malum de medio tui.* Nihil crebrius in Scripturis, & in vno duntaxat Deuteronomio sexies iteratur: Vbi non peccatum modò sed peccati causæ, radices, & fomenta damnantur; Vnde & Sapiens: *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini, & minue offendicula*, Id est, causas peccati quæ sunt velut lapides offensionis. Deut. 13. Eccles. 17.

Adde quod, cùm resurgentem à peccato, expulsi acrius inuadant hostes, vt est in parabola de immundo spiritu qui *septem alios se nequiores assumit vt reuertatur in domum suam*, tunc profectò nisi pœnitens reliquiis illis exuendis vacet, & se opportuna instruat armatura, ansas aduersario subministrabit quibus impetatur, elidatur, & in casum ruat: *Si athleta es*, inquit sanctus Chrysostomus, *nudum in certamen te descendere oportet: Si miles, armatum ad pugnam consistere necesse est.* Et post pauca: *propterea & nudum esse oportet, vt nullam Diabolo nobiscum luctanti ansam præbeamus: & vndique armari, vt nusquam lethalem plagam accipiamus.* Luc. 11. Hom. 3. ad pop.

Sic denique conspirandum cum Gratia quæ sæpe quidem, si acquiesceres, simul ac culpam tollit, auferret etiam quidquid residuum esse potest; at vero semper in id tendit & laborat vt saltem velis & possis pedetentim te his omnino exuere. *Et consurgam super eos dicit Dominus, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.* Tu quid dices nisi simul collabores & conitaris? Nonne saltem agnosces te quantum debes non præstare, nec conari, ne recidas? Is. 14.

III. PVNCTVM.

SICVT igitur à peccato, sic à peccati reliquiis resurgendum; Cùm sit ita resurgendum vt quantum in te est, nolis recidere, & quantum potes cum Gratia, plane coneris ne recidas: Non id autem plane conari diceteris nisi simul resurgeres ab his reliquiis quæ te disponunt ad lapsum. Eò enim se conatus debet prouehere vt vel eas omnino exuas, vel donec exuantur sic teipsum in diuina potentia robores & confortes, *ne vnquam obdormias, & dicat inimicus* Ps. 12.

Ephes. 5. *tuus: prævalui aduersus eum.* Hinc fortasse bis dictum: *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Primo quidem à peccati culpa surgitur, deinde à peccati consequentibus pœnis, velut à mortuis; quia sic integra restauratur vita, quia vix alioquin viues nisi exurgas, cum pene statim sis moriturus propter illam disponentem peccati causam quæ remanet in anima, nisi deponatur. Ezech. 3. *Ponam offendiculum coram eo, & ipse morietur, in peccato suo morietur.* Tunc vero sic exurgentem à mortuis Christus illuminat, id est, nouis in dies illustrat & accendit luminibus, vt à purgante via procedens in eam quæ illuminatiua dicitur, ad Beatam illam vnionem admittatur, quæ est osculum oris à sponsa desideratum, si tamen prius pedes & manus fuerit osculata, vt præclare sanctus Bernardus & aptè ad rem nostram: Serm. 3. in Cant. *Qui dedit voluntatem pænitendi, opus est,* inquit, *vt addat & continendi virtutem, ne iterem pænitenda, faciamque nouissima mea pejora prioribus. Væ enim mihi etiam pænitenti, si statim subtraxerit manum sine quo nihil possum facere: nihil inquam quia nec pænitere nec continere. Audio proinde quod consulit Sapiens: Verbum, inquit, in oratione ne iteres. Paueo & quod Iudex intentat arbori non facienti fructum bonum. Fateor pro huiusmodi non sum omnino contentus priori gratia qua iam malorum sum pænitens, nisi & secundam accepero, vt videlicet dignos faciam pænitentiæ fructus, & deinceps non reuertar ad vomitum. Hoc ergo restat mihi petendum & accipiendum quàm præsumam altiora & sacratiora contingere.*

Et post pauca: *Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris! per manum tibi transitus sit: Illa prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat? Dando vnde præsumas. Quid istud? Decor continentiæ, & veri pænitentiæ fructus quæ sunt opera pietatis. Hæc te de stercore erigent, in spem audendi potiora.* Et nonnullis interiectis: *hæc via, hic ordo. Primo ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos: Secundo manum quærimus subleuantis & roborantis genua dissoluta.* Quasi diceret, manum quærimus quæ residentem in loculo iam suscitatum educat, & pristinæ reddat libertati. Quod non fit plenius, quàm vel sanando illam debilitatem peccati superstitem, vel dando nobis continentiam qua retineamus illos motus propendentes in peccatum, & multis virtutum frequentatis actibus, oppositorum tandem habitus vitiorum exuamus.

O quàm facilius peccatum admittitur quàm dimittitur! ô quantùm illa præsertim peccata cauenda sunt quæ ex prauo affectu

committuntur, vnde illæ peccati supersunt reliquiæ! O quam multi falluntur qui dum peccata confessi sunt, nihil sibi vltra cauendum putant! Quàm longe Sapiens sapientius: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; Et paulò antè: *Synagogæ superborum non erit sanitas, frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.* Nempe illi qui se minus huic Veritati reddunt dociles, putantque se satis probe intelligere quæ ad animi sui spectant statum; hi sunt vere superbi, & horum synagoga est superborum, id est, ingens multitudo; & huic synagogæ superborum non erit sanitas, non erit perfecta pœnitentia, non diuturna, non firma, non sana; quia frutex seu semen peccati restat & radicatur in illis, dum se non continent, & non intelligunt quantum inde sibi obsint: tantóque magis sibi obsunt, quantò minus intelligunt.

Ecclesi. 5. Ib. 3.

Vide in 1. parte, Dominica 4. Aduentus. Et in 2. parte, Dominica Pascha.



HAC HEBDOMADA, venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi vbi suos interrogat quid de se sentiant homines, quidue ipsi discipuli: quos inter Petrus Diuinitatem eius confessus: prædicitur fore Caput Ecclesiæ. Atque inde cæpit Dominus docere suos quoniam oportet Christum pati & mori, quod nondum intelligens Petrus dehortatur Eum à morte. At vero is à Christo increpatur, multaque de Cruce ferenda subjiciuntur monita. Tum paulo post transfiguratur Dominus, Dæmoniacum sanat, & statere inuento in ore piscis soluit didrachma. Ex Matthæi decimo sexto & decimo septimo Capite. Marci octauo & nono. Lucæ nono.

In quibus quod ad mores & virtutum praxim maximè spectat, considerantur humana Iudicia plurimùm à Diuinis dissidere: atque vt Diuina humanis præferantur, proponendæ Veritates potissimùm suadent.

FERIA SECVNDA.

INTERROGAT DOMINVS SVOS, QVID DE SE SENTIANT HOMINES.

Quem dicunt homines esse filium hominis? Matth. 16.

VERITAS PRACTICA.

Humana de nobis iudicia sic sunt humanè audienda, vt non tamen humanitùs audiantur.

SENSVS ET RATIO EST, quod humanitùs audire humana iudicia, est audire illa secundum sensum humanum, qui cùm ordinariè sit inordinatus in his quæ spectant nostram famam; si sic audiuntur, nihil aliud ex illis refertur quam vanitas & afflictio spiritus, prout scilicet fauent nostræ famæ vel nocent. Nam si quid honorificum auditur, statim ex humano sensu insolescimus, quæ est Vanitas maxima: Si quid vero dedecorosum audiatur, tunc ex eodem sensu nimis abjicimur, quæ est afflictio spiritus valde importuna.

Sed humana de nobis iudicia sic sunt audienda, non vt inde talis vanitas, & afflictio spiritus referantur, quin potiùs vt his purgetur animus vitiis, & oppositis Virtutibus exornetur.

Ergo sic humane & benignè sunt audienda vt non humanitùs audiantur, non secundum illum humanum sensum, non ex amore proprio male ordinato; sed ex amore Veritatis, quo fit vt si quid in fauorem audiatur, tota laus Deo, à quo est totum bonum referatur: Si quid verò aduersetur, quantum in vnoquoque est, cum Gratia Dei caueatur. *Caue tibi*, ait Sapiens, *& attende diligenter auditui tuo: quoniam cum subuersione tua ambulas*; nisi scilicet tibi attente caueas ab humano sensu, qui nimis inde effertur naturali gaudio vel tristitia: Vnde & sapienter addit: *Audiens vero illa quasi in somnis vide, & vigilabis*. Id est, noctu & diu, seorsim & in quiete, diligenter audita expende vt ex his Veritatem elicias, & inuigiles cunctis actibus tuis, sic cognitæ Veritati conformandis. Vel sic fortè aptiùs, quasi in somnis vide, Id est, quidquid audieris dextrum vel sinistrum, ne auditis magis crede ex humano & peruerso sensu, quàm ipsis somniis: Vnde sicut nec lætari nec contristari debes ex somniis, sic neque ex auditis: sed vigilabis, sed attendes, & prospicies, vt ex omnibus sapienter proficias potiùs quam deficias.

Eccles. 13.

Quò etiam spectat illud quod paulo post idem Sapiens subjicit:

Amicum salutare non confundar : à facie illius non me abscondam : & si mala mihi euenerint per illum , sustinebo. Omnis qui audiet , cauebit se ab eo. Quod & Dominus vno verbo : *Cauete autem ab hominibus.* Numquam magis mouetur humanus sensus in alterutrum humanorum affectuum gaudij vel tristitiæ , quàm cum inter homines agitur : & nihil est periculosius ad salutem quàm sic humanis moueri affectibus , quando præsertim de nobis agitur. *Videte itaque , quomodo cautè ambuletis , non quasi insipientes , sed vt Sapientes :* Non quasi humanis rapti sensibus , sed vt rationabiles & Christiani , Virtute omnia metientes , & de visis atque auditis vera discernentes à falsis , & à caducis æterna. Ibid. 22. Matth. 10. Ephes. 5.

Vide in 3. parte. Die 21. Iunij.

QVAM SINT DIVERSI HOMINVM DE CHRISTO SENSVS.

At illi dixerunt : Alij Ioannem Baptistam , alij autem Eliam , alij verò Ieremiam , aut vnum ex Prophetis. Matth. 16.

VERITAS PRACTICA.

Nisi se quisquis aptè Christo conformet , sibi Christum ineptè conformabit.

RATIO EST, Quia nisi se quisque Christo conformet , se videbit oppositum Christo, & Christum sibi : nempe in ea saltem parte in qua non est Christo conformis.

Sed ne quis oppositum se Christo videat , vel Christum sibi : sibi potius Christum conformabit. Nimis enim durum est Christiano , Christum suum Regem , suum Ducem , suum Pastorem & Iudicem sibi esse oppositum. Nam sicut si Christus pro nobis , quis contra nos ? Sic si Christus contra nos , quis pro nobis ? *A facie iræ tuæ non est pax ossibus meis !* Quàm sit autem id ineptum , imo & impium , tum per se patet , tùm euidenter declarat ista in Psalmis Domini vehemens exprobratio : Ps. 37.

Ps. 49. *Existimasti inique quod ero tui similis*, quasi diceret, vt interpretatur S. Augustinus, *parum est, quia mala facta tua placent tibi, placere putas & mihi. Deum quia non pateris vltorem, vis habere participem: & tamquam corruptum iudicem, prædæ socium vis habere. Suspicatus es iniquitatem, quòd ero tibi similis, dum non vis tu mihi esse similis.*

Nisi ergo se quisque Christo conformet, sic inique sibi Christum conformabit. Et sicut è Iudæis alij pro suo quisque sensu & affectu dicebant Christum esse Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam: sic vnusquisque dicet eum esse mitem vel seuerum in peccatores, siue circa quædam peccata, prout quisque de his peccatis sentiet. Sic amans impuritatis & osor auaritiæ, mitem Eum in impuros, & in auaros seuerum dicet. Contra verò auarus iustitiam eius in impuros exacuet, & quoties de suo vitio verba fieri audiet, Bonitatem Dei, & mansuetudinem boni Iesu prædicabit. Sic mundus eum non cognouit, quia sic mundus de illo diuersè iudicat prout diuersè afficitur. Sic ipse Dominus apud Prophetam conqueritur, *In dolo renuerunt scire me.*

Ier. 9. Verè enim nesciunt Christum qui sic pro suo sensu de illo iudicant. Renuerunt autem scire, quia cum possent, noluerunt. In dolo denique renuerunt, quia sic dolosè & fraudulenter sibi de Christo palpant, quasi non aliud iudicent & exoptent quàm quod Ipse sentit: quasi non aliud scire de illo possent, quàm quod sciunt. *Neque me scitis*, inquit, *neque Patrem meum.* Vnde & dilectus Discipulus: *In hoc scimus quoniam cognouimus Eum, si mandata eius obseruemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc Veritas non est.* Et paulo post: *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*, Id est Christo non conformis sed oppositus. Is autem soluit Iesum qui quæ in illo vel ex illo sunt, siue credenda siue facienda, non ita iudicat & recipit sicut reuera sunt, sed sicut ipse fingit, & sibi opposita quæque soluit ad suum sensum.

Ioan 8. 1. Ioan. 2. Ibid. 4.

Et hoc quidem Deus permittit in pœnam praui affectus quem Christo subjicere noluerunt, sic in eo magis deprauantur vt credant nihil esse mali, nihil periculi, nihil contra Euangelium, nihil contra Christum. *Ideo*, inquit Apostolus, *mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio qui non crediderunt Veritati, sed consenserunt iniquitati.* Nonne hoc pauendum? Sed quibus, & in quo, & an ex illis sis, nonne est quod expendas accuratè? Si quæ

2. Thess. 2.

proponuntur de illo Veritates, attentius reuolueres, non ita forte ab illo dissentires, nam non ita Christus exhibetur qui vni palpet vitio & carpat aliud. *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est Veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Non est palpare vitio sic deponere veterem hominem, quo nempe deposito, marcescit omne vitium. Sed tam pauci sunt qui sic deponant & non aliquid sibi dolosè reseruent vt *beatus sit ille vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* Ephes. 4. Ps 31.

Vide in 2. parte Dom. Sexagesimæ, vbi hæc Veritas exponitur:

Nisi Verbum Dei te conuertat, tu peruertes Verbum Dei.

Et Dominicam 3. Quadragesimæ, ad hæc Christi verba: *Qui non est mecum, contra me est.* Necnon infrà in hac parte, Feria 4. Hebdom. 19.

DE CONFESSIONE PETRI;

Tu es Christus filius Dei viui. Matth. 16.

VERITAS PRACTICA.

Nisi diligenter aduertas, ore facta confessio, factis à te negatur.

RATIO EST, *Quia tunc ore facta Confessio factis negatur, si facta sint opposita Confessioni.*

Sed nisi diligenter aduertas, facta tua, tuæ sunt opposita Confessioni.

Ergo & ore facta Confessio factis à te negatur; Quod certe est potens motiuum aduertendi diligenter.

CVM Dominus dixisset suis: *Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi,*

quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Et dabo tibi claues regni Cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Tunc Petrum, inquit sanctus Chrysostomus, *vniuerso terrarum orbi Christus præposuit*; Et sanctus Augustinus: *Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Quæ postquam tantillùm expenderis: Tu ipse hoc profitere quod sanctus Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui.* Hære diutius in illa extendenda fide ad omnes qui Christum spectant, articulos; Pete vt adaugeat illam in te atque in cunctis, fidem. Ingemisce quod sit tam rara fides, vt præ cæteris infidelibus, aut Hæreticis, aut Schismaticis, pauci sint Christiani; quin ex illis

Tit. 1. paucis, *Multi sunt qui*, vt ait Apostolus, *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et quod denique modo est tibi dolentius deplorandum, Tu qui hæc legis, Tu qui de Christo tam præclare sentis; & alios forte doces: Tu tamen nisi diligenter aduertas, ore tuo iam factam Confessionem, factis ipse tuis negas & peruertis.

Nam si facta tua sint opposita tuæ Confessioni, nonne ipsa negatur Confessio? nonne sic est intelligendus Apostolus à quo defluxit hæc Veritas? Nonne sunt expressa eius ad Titum verba: *Factis autem negant?* Quid est negare factis concessa, nisi oppositum aliquid & repugnans facere, sicut qui se verbo retractaret, aut qui mentiretur, aut qui quouis modo sibi contradiceret, secumque pugnaret? Nonne sic dicitur mendacium esse non tantum cordis & oris, sed etiam operis, quando videlicet ori contradicit opus, vt cum peccatrix anima se conuersam ait quia confessa est peccatum suum, quod tamen non deposuit, vel quod repetiit; vel omnino non esse conuersa dicitur, vel conuersa in mendacio:

Ier. 3. *Non est reuersa ad me præuaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.* Sic Diuus Augustinus: *Deprehenderis & detegeris*

Tract. de Symbolo ad Catech. *Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris.* Nempe hinc agnosceris non is esse quem profiteris, quia quod aliud agis, negat quod aliud profiteris.

At verò nisi diligenter aduertas, hoc est quod modo tibi opponitur, hoc est quod agis, agendo aliud quàm confiteris: Facta tua, tuæ sunt opposita Confessioni: Confiteris Christum esse filium

Dei

Dei viui, qui veritatem tam vere loquitur vt non possit mentiri. Nonne id profiteris? agnoscis etiam ipsum dixisse, *Beatos pauperes spiritu: Væ vobis Diuitibus: Quod hominibus altum est, abominationem esse apud Deum: Thesaurizandum sibi in cælo & non in terra.* Nonne hoc confiteris? Iam vero vide facta opposita, vide vias tuas, quorsùm labores & vbi magis thesaurizes? An in cœlo, vel in terra? Nonne natura compellente & nisi cum Gratia vigiles, magis moueris in terram quam in cœlum? Nonne vel sæpius actu & opere magis laboras in acquirendis diuitiis, honoribus, & cæteris huius mundi bonis, quàm in his exuendis & contemnendis? Cur porro nisi quia tu actu & opere, siue vt vocant practicè, tu pluris æstimas abundantiam quàm inopiam, honorem quàm contemptum, prospera & commoda huius vitæ quam incommoda & aduersa? Nisi enim sic pluris æstimares, non magis propterea laborares, & satageres, sicut magis laboras & satagis. *Matth. 5. Luc. 6. ibid. 16.*

At vero sic facto & opere pluris æstimare quod Christus minoris ducit, nonne est factum opponere suæ confessioni, nonne est facto negare quod ore confiteris? Ore confiteris quod Christus dixit, & confiteris tam verum esse quàm Ille est verax qui dixit: Et tamen facto ac opere Tu quæ sunt alta hominibus quæris; Tu quæ sunt terræ, thesaurizas: Tu quæ Christi sententia condemnantur, tam longe aliis præfers quam bonum malo; Tu te beatum putas si condemnata possides, & contrà miserum nisi possideas! Quid est hoc, & quale istud factum nisi factum oppositum tuæ Confessioni qua ore dicis quod Christus dicit? *Quasi qui studium quoddam haberes contraria in omnibus gerere quàm ille mandauit,* Ipsa sunt verba sancti Chrysostomi supra iam audita, vbi quæ ad hanc spectant Veritatem fusius etiam explanantur. *Lib. 1. de Comp. c. 1.*

Vide in die Natalis: In die Transfigurationis Domini: & alibi verbo *Christus. Fides.*

Ad conformandam vero plenius & Christo, & fidei vitam, cogita te partem & membrum illius Ecclesiæ quæ à Christo ædificatur super Petrum. Cogita te velut lapidem in manu ædificantis à quo debet tundi, secari, expoliri & collocari suo in loco; nihil autem aliud esse istas tunsiones, pressuras & sectiones quam incómoda huius vitæ, quæ si refugis, fugis ædificari, fugis in tuo collocari loco, fugis tuæ salutis media. *Ecce est locus apud me, & stabis supra Petram,* dicebat Dominus. *Et ipsi tamquam lapides viui supera-* *Exodi 33.*

Hebr. 10. *dificamini*. Vide in die Dedicationis in 1. parte. *Si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.*

FERIA TERTIA.

SENSVS HVMANI ET DIVINI CIRCA POENAS CONTRARII.

AD HAEC CHRISTI DOMINI VERBA:

Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Matth. 16.

VERITAS PRACTICA.

Qui melius de pœnis sentiunt, minus hi pœnas sentiunt.

RATIO EST, Quia hi minus pœnas sentiunt qui minorem habent animi cum pœnis repugnantiam.

Sed qui melius de pœnis sentiunt, minorem habent cum eis animi repugnantium.

Ergo & eas minus sentiunt. Quod quidem non est ita considerandum, vt mitigentur pœnæ, quàm vt æquo ferantur animo.

I. PVNCTVM.

EXPENDENDA sunt accuratè quæ à sacro Euangelista referuntur; *Exinde cæpit Iesus ostendere discipulis suis quia oportet eum ire Ierosolymam & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus cæpit increpare illum dicens, Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro. Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.*

Quæ postrema Domini Verba singulariter sunt expendenda. Mirum enim esse potest, vel quomodo Petrus quem paulo ante Dominus tam illustri beatitudinis & potestatis nomine insigniuit, tantum hic errauerit vt Satanas diceretur: vel quomodo sic vocetur, si non ita errauerit. Certe sanctus Hilarius non ad Petrum sed ad ipsum Satanam verba Christi conuertit. Alij vero sancti Patres atque Interpretes non dubitant Petro esse dicta, nec Petrũ errauisse, seu non grauiter, nec in materia fidei; Humanus quidam & repentinus fuit affectus quo in Christum ferebatur, & quo noluisset ipsum pati quæ dicebat se passurum, nec dum sciens id ita esse ratum. At verò Dominus vt ostenderet præposterum esse hunc affectum, & se habere potius aduersarium & inimicum eum qui se à patiendo deterrere vellet, quàm amicum: sic acerbius increpauit Petrum, & inflicto Satanæ nomine, Id est, aduersarij, reuocare hominem voluit ab ea mente qua putabat, nimis alienum esse à Filio Dei, sic pati & mori. Quasi diceret Dominus: Non sunt ista Petre tibi à Patre meo reuelata, sicut cũ paulò ante confessus es me esse Filium Dei: sed à carne & sanguine tibi suggeruntur, imo & ab ipso Satana qui nec me pro hominibus, nec homines pro me pati vellet: Vnde fit vt qui me auertunt à patiendo, mihi velut alij Satanæ contradicant & aduersentur: & quicumque de pœnis subeundis sic malè sentiet, vt non nisi eas exerceretur, discat hunc esse prauum affectum & mihi plane oppositum. Dicet is quidem, humanum illud esse sic de pœnis sentire; At contrà Ego pronuntio sensum illum humanum esse deprauatum, ac proinde corrigendum, Diuinoque iudicio conformandum, quod tam diuersum est ab humano quàm lux à tenebris, & à malo bonum. Neque propterea cuiquam metuendum ne augeantur pœnæ, seu pœnarum sensus, quin potius inde multum diminuetur. *Nam qui de pœnis melius sentiunt, hi sunt qui pœnas minus sentiunt,* nec minus tamen meriti sibi suisque comparant.

Hæc est vtilissima Veritas modo exponenda & in vsum ac praxim deducenda. Ratio eius quæ affertur, ipso sensu percipitur. Hi nempe minus pœnas sentiunt qui minorem cum eis habent animi repugnantiam. Totum enim aut certe grauius pœnæ malum & pondus est in repugnantia naturæ seu animi cum illa pœna. Quot enim videmus qui pœnas vltro suscipiunt grauissimas, & alias leuiores refugiunt? Quia scilicet magis repugnant istæ leuiores

Ecclesi. 25. quam aliæ grauiores. Hinc forte Sapiens, *omnis plaga tristitia cordis est*, Id est, tristitiâ sic vexari cor humanum, quasi omnis est plaga: Vel potius, sic omnem plagam & pœnam esse in tristitia & repugnantia quadam animi, vt si non esset illa tristitia vel repugnantia, non esset pœna. Quod & confirmat paulo post, dicens, *Ibid. 38.* *Tristitia cordis flectit ceruicem, in abductione permanet tristitia, & substantia inopis secundum cor eius*, quasi diceret: quando quid repugnat homini sic ad se attrahit & inflectit hominem, vt hoc vnum tamquam malum suum ducat, & quamdiu sic se miserum quis putabit, tamdiu affligetur: neque magis aut minus affligetur quàm prout se miserum credet.

Serm. de Resur. Hinc aptè sanctus Bernardus: *Etiam nunc cum frigus aut famem aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas, quæ si voluntariè sustinemus, ipsa iam voluntas communis est cum Deo*; Et minus proinde patimur quia tunc pati volumus. Sic & sanctus Anselmus: *L. de concepto Virginali c. 4.* *Nihil est alicui pœna nisi quod est contra voluntatem, & nulla res pœnam sentit nisi quæ habet voluntatem.* Id est, inclinationem naturalem sensibilem cui quod repugnat, pœna est.

O quantum errant qui de pœnis tamquam de malis conqueruntur. Nam si vellent eas, mala non essent; & quod eas nolint, sunt ipsi potius sibi mali, quàm sint malæ pœnæ.

II. PVNCTVM.

SED *qui melius de pœnis sentiunt, minorem habent animi cum eis repugnantiam.*

Tota enim repugnantia prouenit ex appetitu sensitiuo naturali: naturalis autem iste appetitus subjicitur rationali seu voluntati quando ei rationabiliter & discrete voluntas imperat, imperat vero rationabiliter quando Ratio ei demonstrat quam sint vtiles & rationabiles pœnæ: quæ demonstratio quanto est euidentior, tanto tum melius de pœnis sentimus & iudicamus, & tanto minorem circa illas tùm habemus repugnantiam, quia sublata est causa repugnantiæ quæ manabat ex imaginatione naturali, qua pœnæ tamquam malæ primo naturæ impetu apprehenduntur. Correcta est illa imaginatio seu opinio per Rationem quæ voluntati demonstrauit non ita esse malas vt sentiuntur, *Sic enim*, vt ait *1. 2 q. 17. a. 7* sanctus Thomas, *apprehensio imaginationis cum sit particularis, regu-*

latur ab apprehensione Rationis quæ est vniuersalis, sicut virtus actiua particularis, à virtute actiua vniuersali. Neque aliter Appetitus subiacet aut actu subditur Rationi quam prout Ratio proponit & applicat Vniuersales quasdam rationes quibus retinetur æstimatiua virtus, vt loquitur sanctus Doctor, qua retenta, homo iudicans secundum superiorem sui partem quæ dicitur vis cogitatiua rationalis, sic sibi attrahit & subjicit appetitum vt non belluino more, sed humano seu rationabili moueatur, *sic mitigatur ira aut timor, aut aliquid huiusmodi vel etiam instigatur.* Verba sunt Diui Thomæ. *In aliis enim animalibus statim ad appetitum concupiscibilis & irascibilis sequitur motus, sicut ouis timens lupum, statim fugit, quia non est in eis superior appetitus qui repugnet; Sed homo si videlicet velit, non statim mouetur secundum appetitum, sed expectatur imperium voluntatis quæ est appetitus superior, & quæ mouere ac imperare debet secundum rationes & considerationes illas vniuersales de quibus ante dictum est.* 1 p. q 81. a 3

Et hæc quidem de homine, quatenus homo est & à belluis ratione distinguitur qua sensus inferiores corriguntur: sed quia sæpe accidit, vt ipsa humana Ratio considerationes sibi proponat nimis naturales & humanas, secundum quas pœnæ videri possunt mala & damna, tunc recurritur ad superiorem Rationem seu ad superiores Considerationes quàm sint humanæ, ciuiles & temporales: dicunturque illæ, cœlestes, æternæ & Diuinæ, *Quibus conspiciendis & consulendis intendit homo*, non vt homo tantum, sed vt fidelis & Christianus, *& ex iis accipit regulas agendorum*, vt sæpe dictum est ex sanctis Augustino & Thoma. Tùm vero tam præclarè de pœnis sentit, quam de ipso Euangelio, quam de ipso cœlo & de ipso Christo qui totus est in pœnis celebrandis; & quò præclarius ac melius sentit, tanto minorem profectò cum eis habet repugnantiam, quia vt dictum est, appetitus sequitur apprehensiuam facultatem quæ quantum est illustrata de pœnarum bono, tantum omnis cessat repugnantia.

O bona Crux quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti! Videsne quam rectè Is de Cruce sentiat, qui hæc dixit: & quam proinde non vt tu inuitè & repugnanter, sed lætè pœnas adeat!

III. PVNCTVM.

QVI melius igitur de pœnis sentiunt, minus hi pœnas sentiunt, Quia minus eas malum æstimant, imo bonum esse iudicant, ac proinde eas amant; aut certe si vt graues carni sentiunt, minus sentiunt illam grauitatem quæ valde mitigatur & dulcescit ex iudicio quod habent de earum vtilitate & valore. 2. Cor. 4. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Sic agricola quantumcumque laboret, vix laborem sentit dum messem cogitat. *Non enim præsentia respicit*, inquit sanctus Chrysostomus, *sed futura spectat*; Hom. 4 ad Pop. ant. *non marcescentia semina sed vernantes spicas: non grauem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem. Itidem & nos, non præsentem spectemus tribulationem aut dolorem, sed orientem ex ipsa vtilitatem, ex ipsa nascentem fructum.*

L. 1 de vero iudicio & Prou. Dei. Sic præclarè Saluianus de Religiosis quorum vita in pœnis tota est, sed pœnæ totæ in gaudio quia eas volunt, quia eas magni faciunt, quia de his præclarè sentiunt. *Nulli, vt opinor*, inquit, *beatiores sunt, quàm qui ex scientia sua, atque voto agunt: Humiles sunt religiosi, hoc volunt: Pauperes sunt, pauperie delectantur: Inhonorati sunt, honorem respuunt. Lugent, lugere gestiunt; Infirmi sunt, infirmitate lætantur.* Velles tu quidem sic lætari pœnis aut certe non contristari; Sed de illarum pretio quid sentis, quid cogitas? Non dubitabis forte in aliis, siue vt vocant speculatiue, pretiosas illas ducere & prædicare, sed reipsa quando quid tibi sufferendum occurrit, an illud pretiosum ducis? Si affirmas, certe lætaberis sufferendo, nam pretiosis delectamur: si negas te id pretiosum habere, ne mireris te non posse hinc delectari, quia delectamur tantùm bono, neque vmquam pœnis vllus oblectari potest nisi vt bonæ sunt: neque quam bonæ sint, æstimabit, nisi diu multumque de his cogitet: Vel fide agat, sic credendo quia Deus dixit, quia sic Ipse sentit & iudicat.

Hoc est in quo deficis, hoc est quod minus cogitas, & quod minus tibi persuasum habes: Vnde tot gemitus, tot querelæ si quid vel leue pateris. Nescis pretium huius pœnæ, quod si scires non

gemeres, & quod scires si attenderes Christi Verbis & Factis. *Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet.* Is. 51. Lex scilicet patiendi, & manifestum iudicium de pœnarum pretio, in quo qui acquiescent quietè viuent. Aut si patienter viuunt quietè morientur.

Vide in 1. parte. Dominica 4. Aduentus. Et infrà in hac parte, Fer. 5. & 6. Hebdom. 22. de suaui iugo Christi.

FERIA QVARTA.

DE ABNEGATIONE ET CRVCE FERENDA.

Tunc Iesus dixit Discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Matth. 16.

VERITAS PRACTICA.

Nihil est in Abnegatione rationabilius, quàm quod in illa videtur minus rationabile.

RATIO EST, *Quia nihil est in vnaquaque Virtute rationabilius quam id quo Virtus ipsa perficitur.*

Sed quod in Abnegatione videtur minus rationabile, hoc ipsum est quo Virtus illa perficitur.

Ergo nihil est in Abnegatione rationabilius quàm quod in illa videtur minus rationabile; Sicque omnis cessat excusatio Virtutis exercendæ.

I. PVNCTVM.

CVM ex humano sensu Petrus, Christo futuram suam passionem denuntianti restitisset, opportune Dominus ansam inde accepit edicendi generatim vt quisquis se volet sequi, semetipsum, id est, sensum illum humanum abnegaret, & Crucem ferret, tolerando scilicet laborem illum qui esset vnicuique necessarius sibi abnegando vel conformandæ suæ cum Diuina voluntati, vt alibi fuse est à nobis explicatum cùm ostenderetur hac celeberrima Domini sententia Summam Euangelicæ contineri Doctrinæ.

L. 1. de ordine, Disc. 9 In Exercitiis, duodecima Veritate.

De Cruce item ferenda particulares habentur Veritates in 2. parte, infra hebdomadam Passionis Domini. Et quæ passim de fide ac obedientia referuntur non incommodè possent Abnegationi competere. Quibus omnibus dictis & dicendis cum sui Amatores objiciant repugnantiam non modo sensus sed & Rationis quæ videtur non parùm impeti per abnegationis praxim, idcirco visa est satis apta quæ modo perpenderetur Veritas, *Quod nihil est in Abnegatione rationabilis quàm quod in illa videtur minus rationabile.* Sic enim facile reuincetur omnis illa quæ ad humanæ rationis defensionem obtenditur excusatio, cùm non modo nihil contra rationem in se abnegando fieri dicitur, vt potius tum vel maxime Ratio sua in dignitate conseruetur, cùm minùs coli putatur.

In 3. parte Fer. 6. infra Octauam Corporis Christi.

Sic porro breuiter ac euidenter res in apertum deducitur. Nihil est in vnaquaque virtute rationabilius quam id quo virtus ipsa perficitur, seu quàm id quod est perfectior Virtutis actus. Nam cum Virtus & Ratio sic ex æquo procedant vt quò est virtus perfectior, sit etiam magis perfecta Ratio: profecto inde est consequens, vt qui est supremus virtutis alicuius gradus, sit etiam supremus perfectæ in illo genere Rationis status: ac proinde nihil sit in illa Virtute rationabilius quam quod in illa est superius & perfectius. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*, inquit Apostolus, Vnde & pergit: *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli,* Quasi diceret, Crescente mecum ratione creuit simul & Virtus: Virtute autem perfecta & consummata, sic simul Ratio perfecta & consummata fuit, vt quod esset

1. Cor. 13.

imperfectum

imperfectum, plane desineret: Sic Christus Dominus ætate simul crescebat, & gratia, & sapientia: Id est, tanto perfectiores edebat Virtutum gradus, quanto erat ætate prouectior; & quanto perfectiores apparebant illi Virtutum gradus, tanto & vis Rationis eius apparebat perfectior. Luc. 2.

Sic præclare Virtus vniuersim à Clemente Alexandrino definitur, *concinna & congrua animi affectio quæ per totam vitam rationi subjicitur*: Id est, quæ sic conuenit cum ratione, vt qua proportione, quo passu & gradu procedit vna, procedit & alia. Vide supra in 2. parte, in Festo sanctorum Philippi & Iacobi, ad hæc Domini Verba: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me*. Deberet nempe Virtus respondere tempori & ætati, tempus autem siue ætatem deceret Virtute perfici. 1. Pædag. c. 13.

II. PVNCTVM.

SED quod in abnegatione videtur minus rationabile, hoc ipsum est quo Virtus illa perficitur.

Abnegatio enim, prout hîc sumitur, Virtus est seu Virtutis instrumentum & pars illa qua quidquid in nobis rectæ Rationi, Virtuti & Gratiæ se opponit, abnegatur, repellitur, & ita mortificatur, vt cesset oppositio. Dicitur autem abnegari, vt interpretatur Diuus Chrysostomus, *quasi non agnosceretur nostrum esse illud quod se opponit gratiæ*, quasi renuntiaretur illi quantum ad hoc quo se opponit: sicut si alius esset qui nihil ad nos spectaret. Cum autem multa occurrant sic abneganda, tum imprimis ipsa inferior Ratio quæ ex humanis discursibus & motiuis tota consistit; hæc inquam sæpe Fidei, Charitati, Obedientiæ, Pietati, cæterisque virtutibus se opponit, proponendo difficultates, detrimenta bonorum, famæ & sanitatis, ac sexcenta obstacula quorum consideratione quidquid ex virtutibus agendum est, non videtur æquum, & rationi consonum; Contrà nempe obsistit ratio cõmoditatis, ratio rei domesticæ, ratio voluptatis, ratio famæ captandæ & similium naturæ se spectantis consiliorum ac finium, quæ sunt omnia prorsus abneganda vt virtutes exerceantur. *Omnis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, inquit Dominus & Magister. Hom 56. in Matth. Luc. 14.

At verò parùm rationabile tùm quibusdam videtur sic se abnegare, sic sibi renuntiare. Nam si de vitandis duntaxat vitiis agere-

tur, libenter cederent, libenter sibi temperarent; sed de re honesta res est, agitur de honore, de promouenda familia, seu de repellenda injuria & cauendis detrimentis; quid iustius & rationabilius quam in his ius suum prosequi? Quid minus rationabile quàm in his abnegari & constringi ne quod rationi repugnat, expugnetur? Hoc est omnino quod in abnegatione videtur minus rationabile; atque hoc ipsum est quo ipsa Virtus abnegationis dicitur perfici. Nam quò altiùs procedat non habet: tunc autem perfici & consummari Virtus dicenda est ex parte saltem obiecti quando totam eius implet latitudinem, & qua præsertim parte obiectum illud sublime est & excelsum. Sic perfecta Fortitudo est in suo genere quando vita exponitur pro fine laudabili & probato, sicut in martyrio. Sic Humilitas perfecta est quando ad infimum quò descendere potest, descendit. Sic Magnificentia, mansuetudo, cæteræque prorsus Virtutes, sicut habent suos definitos agendi terminos, & certos perfectionis gradus, ita tum demum perfectæ censentur quando illos attingunt; Vnde Apostolus, *vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Iam vero quodnam est summum Abnegationis nisi vt quæ in nobis est summa pars, abnegetur? quænam autem in nobis est illa pars, nisi ratio, nisi voluntas & intellectus? ac proinde intellectu abnegato quid restat ad perfectionem Abnegationis quæ summum attigit, quò potest progredi? Hoc est proprie abnegare semetipsum, hoc est proprie seipsum tradere, hoc est proprie perfectionem Euangelicam consequi. Sic præclare sanctus Gregorius: *Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est, relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet; valde autem multum est, abnegare quod est.*

Ephes. 3.

Hom. 32. in Euang.

Atque hinc, sicut in cæteris votis quæ ad perfectionem vitæ nuncupantur, Obedientia principatum tenet, ita in ipsis obedientiæ gradibus simplicitas & indiscreta quædam discretio, sublimius eminent; quia dum rationem & intellectum Deo sic subjiciunt, totum illi hominem tradunt. O fœlicem traditionem qua nunquam homo magis est suus quam dùm minus est suus?

III. PVNCTVM.

NIHIL *est igitur in Abnegatione rationabilius, quàm quod in illa videtur minus rationabile*; Nihil quippe est in illa Virtute perfectius quàm minus illud rationabile sua in praxi considerandum, nempe in proprij mactatione Iudicij, quod est holocausti genus excellentissimum: ac proinde nihil rationabilius cùm in vna virtute, perfectum & rationabile sic ex æquo procedant, vt quantum deest vni, tantum & alteri: nec eorum subsistat alterutrum, nisi simul ac indiuisim vtrumque consistat.

Sicut modo geniti Infantes, rationabile sine dolo, lac concupiscite. 1. Pet. 2.
Quid minus rationabile quam modò genitus infans? Sed quid magis rationabile quam homo propter Deum sic voluntarie genitus infans? Quid minus rationabile quàm percutienti maxillam præbere alteram? quàm detrahenti pallium, dare & tunicam? quàm nihil cuiquam recusare, & se beatiorem dando quam accipiendo reputare? At quid rationabilius quàm Christo ita consulenti credere? quàm Christum ita facientem sequi? quàm Christo spectante & remunerante hoc opus sic operari? Quid minus rationabile quàm quod credidit Abraham de suo mactando filio? quid magis rationabile quam quod credidit loquenti Deo? Quid minus rationabile quàm quod vnus imperitæ linguæ Moses persuadeat Pharaoni vt dimittat vniuersum Israëlem? quid rationabilius quàm quod homo Diuina confortatus potentia possit illud quod permittit Deus? Quid minus rationabile quàm quod piscatores ad vnius hominis vocem, sua omnia deserant, & se futuros hominum piscatores credant? sed quid rationabilius quam sic eò vocantem Christum sequi? Percurre quotquot occurrent in Euangelio dicta, quotquot in Christo & in sanctis facta, & aduertes in singulis nihil esse majus quam quod minus apparet; nihil esse suauius, quam quod putatur asperius; & nihil esse rationabilius quàm quod videtur minus rationabile. Sic est stulta Dei Sapientia, sic est infans maturitas, sic semper incipiens prouectio, sic indiscreta discretio, sic simplex prudentia & ouilis fortitudo. Ne vnum separes ab alio si quod eorum voles, nam simplicitas sine prudentia, rusticitas est: & prudentia sine simplicitate, malitia.

Sic infantia Christiana nisi esset rationabilis, in culpa esset: & humana rationabilitas, nisi esset infans, non esset Christiana. Sic aliis Christus est ruina & aliis resurrectio; sic aliis scandalum, & aliis honor; sic aliis odor mortis, & aliis odor vitæ, prout videlicet quod in Christi cultu apparet minus rationabile minusque acceptandum, acceptatur aut rejicitur, prout se quisque sic abnegat vt non putet se magis rationabile Deo præstare posse obsequium quàm cum se velut hostiam mactet, rationem immolando fidei, obedientiæ, pietati, cæterisque virtutibus, quantum illæ quidem exigunt vt in suis actibus humana Diuinæ cedat Ratio.

Luc. 2. 1. Pet. 2. 2. Cor. 2. Rom. 12.

Vide quantum in hoc desis: quantum tibi sæpe arroges & præsumas, iudicando de Diuinis quasi humana essent; & humana ponderando quasi si essent Diuina. Non sic Apostolus: Non sic Apostolici quique Viri de quibus ait: *In carne ambulantes non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

2. Cor. 10.

Vide Verbo. *Abnegatio, Infantia, Fides, Obedientia.*

FERIA QVINTA.

DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI.

Domine, bonum est nos hic esse; Si vis, faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17.

VERITAS PRACTICA.

Si nec in ipso cœlesti gustu sistendum est, longe minus in sensuali.

RATIO EST, Quia idcirco non est sistendum in cœlesti gustu ne nos à Christo seuocet.

Sed gustus sensualis nos longe magis à Christo seuocat.
Ergo longe minus in eo sistendum est : in quo tamen adhuc hæres pertinacius.

I. PVNCTVM.

TRANSFIGVRATI Christi Domini mysterium coniungens cum præcedentibus eius Verbis, sanctus Ioannes Chrysostomus : *Quoniam*, inquit, *multa de periculis, multa de passione sua multa de morte, & de cæde Discipulorum loquutus est Dominus, & aspera complura atque ardua eis iniunxit, & illa quidem in præsenti vita, & iam imminebant; bona verò in spe & expectatione erant, vt puta quia seruarent animam suam si perderent eam, quia in gloria Patris sui venturus sit, & præmia redditurus : Vt visu etiam certiores faceret, & ostenderet quidnam sit illa Gloria cum qua venturus est, quantum capere poterant, in hac præsenti vita illis ostendit, ne aut sua aut Domini morte doleant, & maxime Petrus.* Hom. 57. in Matth.

Postquam itaque sex dies completi fuerunt ab iis quæ proximè considerata sunt, *Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem Fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum. Domine, bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Addit sanctus Marcus, *non enim sciebat quid diceret*, nam certe si sciuisset non dixisset. Adeo erat raptus dulcedine spiritualis gustus quem sentiebat vt voluisset illic semper manere cum Christo & cum aliis qui tum aderant, quod profectò erat intempestiuum & inordinatum. Marci 9.

Sic multi decipiuntur suauitate illius affectus quem plerumque percipiunt in orando, legendo vel aliis piis exercitiis quasi tùm verè deuoti essent & non aliter. *Non est huic affectioni tenacius inhærendum*, vt ait aptè Gerson & alij Patres, qui inde deducunt Veritatem propositam & diligentius expendendam, *Quòd si nec in ipso cœlesti & spirituali gustu sistendum est, longe minus in sensuali.* L. 3. c. 8.

Ratio allata continet documentum in vita spirituali commendatissimum, & cui declarando & confirmando multùm confert

hoc Transfigurationis mysterium. Quidquid videlicet nos à Christo purè & vnicè considerando & amando seuocat, tam diligenter est cauendum quàm ipse Christus vult & meretur à nobis pure diligi. De qua pura Charitate passim habes in vnaquaque parte, sed præsertim in Aduentu, Hebdomada tertia, quibus hæc addo pauca ex Apostolo, vnde pateat quantum ipse spiritualis gustus nos à Christo auertat. *Finis*, inquit, *præcepti est Charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium.* Quinque hic conglobantur valde obseruanda. Primum est finem præcepti esse Charitatem, id est, omnium eorum scopum & complementum, quæ in scripturis commendantur ac præcipue in Nouo Testamento: Vox enim παραγγελίας quæ vtitur Apostolus expresse significat Euangelicam Doctrinam, siue à Christo, siue ab eius Discipulis denunciatam, atque eò potissimum omnia tendere, vt diligamus: hunc esse omnium quæ fecit & dixit Dominus finem, quem ipse habuit, & quem nos habere vult in cunctis nostris operibus. Vbi iam aduerte generatim quanto in pretio nobis esse debeat Charitas, quantumque detrimenti ex eius defectu importari possit, cùm in vnaquaque re Finis maxime sit spectandus, quo si careas, vix prosunt alia quæ assumpta erant velut media quædam ad illum finem. Deinde vero in particulari quantum à gustu spirituali sit cauendum qui nos priuet illo fine in excellentioribus quæ possumus exercere operibus, nempe in Oratione, in Contemplatione, in Communione & aliis cum Christo communicationibus, vbi magis percipitur ille spiritualis gustus, & in quo percipiendo majus esse solet periculum, ne dum ei plus nimio adhæremus, cum velut finem nobis illorum operum statuamus.

1. Tim. 1.

Secundum quod ait Apostolus, Charitas sit *de corde puro*, Id est, vt explicat sanctus Augustinus quem sequuntur omnes Interpretes, corde sit vacuo ab omni amore sui vt nihil omnino diligatur nisi quod diligendum est. At certe obstat gustus spiritualis, non in se quidem, sed in nobis, si nimis diligatur. Nam illa dilectio nimia cum sit inordinatus nostri amor, quid inde sequitur nisi cordis impuritas, aut certe tanta puritatis diminutio quantus erit ille amor nostri, seu quantum erit inordinatus?

1. de Doctr. Chr. c. 5.

Tertium, *de Conscientia bona*, Id est, sic bene formata & directa vt sit scientia & testimonium quoddam animæ sibi post accuratum

examen affirmantis se purè & sanctè Christum diligere, quantum quidem hic sciri & affirmari potest, sicut de se aiebat sanctus Augustinus: *Non dubia, sed certa conscientia, Domine, amo te: percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te.* Possetne vero is de se idem testari qui nimio detineretur affectu quantumcumq; spirituali? Possetne dici bona illa Conscientia quæ non esset ad regulam suam formata? Quænam est autem regula bonæ Conscientiæ nisi lex Dei? nisi lex illa Euangelica cuius finis est Charitas de corde puro? Hæc est puritas cordis quæ est regula seu bonitas ordinata quæ bonam facit Conscientiam, & hæc puritas in gustu spirituali sic offenditur, sicque offensa Conscientiam mouet & turbat, vt ipse sanctus Augustinus sibi à suauiori cantu Ecclesiæ multum timeret quia multum inde afficiebatur: *Fluctuo*, inquit, *inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis.* Et post nonnulla quibus ait se cantus consuetudinem approbare in Ecclesia, sic pergit ad indicandam bonam Conscientiam, *Tamen cùm mihi accidit vt me amplius cantus quam res quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Hæc est videlicet puri cordis Charitas: hæc est diuinæ Charitatis puritas, & bonæ Conscientiæ regula.

10 Confess. 6

10. Conf. 33.

Quartum, *de fide non ficta*, non simulata, non sibi palpante, non sibi fingente nihil mali esse, non sibi applaudenti se ita credere quasi quod credas sit semper verum. Hæc est videlicet fides ficta quando in moralibus sibi quis format Conscientiam erroneam quod maxime accidit in his rebus, vbi dominatur affectus, vt in gustu spirituali: tum quidquid placet, quando ex se non apparet malum, creditur bonum: & quidquid mali contra opponatur, non creditur, quia præualet affectus nimius quo mens inescata minus est docilis & minus capax veræ fidei. Et quia qui sic inescantur non sibi hoc persuadent, nec se putant esse in mala fide, nec vellent, vt aiunt, aliter de re credere quam quod credendum est; errant, falluntur, sibi hoc fingunt, fides ficta est & simulata, nam reuera nisi nimio detinerentur affectu, dedoceri possent, & aliter credere.

Quis dixisset Apostolos nimis dolentes de Christi discessu, nimis Christum diligere, & hoc nimio affectu sic decipi vt nisi eum temperarent non essent capaces sancti Spiritus recipiendi; quis hoc inquam dixisset, nisi Ille qui nouit corda omnium? Quid credi posset purius quam ille amor in Christum? Et tamen non erat

purus, quia erat inordinatus, erat immixtus amore proprio, erat affixus corporali præsentiæ, contrà ac erat ordinatum à Deo, vt supra in secunda parte dictum est, Dominica quarta post Pascha. Sic sibi fingunt se amantes, sic eorum fides ficta est & non sincera.

Vnde, quod quintum & postremum est, *à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium.* Id est, nihil illis superfuit ex sua deuotione sensibili, quam quod loquuntur; & quod loquuntur vanum est & nullum, quia loquuntur de diuinis prout sentiunt & male de his sentiunt. *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitus? Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.* Deus ipse est qui loquitur homini, de se loquenti, quia sic vnicuique loquendum est de Deo & de diuinis vt sit ipse paratus audire Deum loquentem, & ipsi respondere interroganti. Sic loquendum semper sicut coram Deo non vaniloquè non fictè, non simulatè, quia coram Deo non sic auderes loqui, non sic illi vanè respondere.

Iob. 38.

II. PVNCTVM.

SED gustus sensualis nos longe magis à Christo seuocat.

Per sensualem gustum intellige illum naturalem affectum quem sentimus in honore nobis reddito, in lucro facto, in vsu commoditatum, in amicitiis, in conuersatione, & similibus obiectis, non quidem ex se malis, sed inordinate amatis, Id est, plusquam recta præscribit Ratio, & status seu gradus perfectionis ad quem se vnusquisque vocatum videt. Hic affectus seu gustus naturalis, dicitur sensualis, quia vel ex sensibus humanis nascitur; vel sensus commouet & in iis acquiescit: sicque nos à Christo longe magis separat quàm sensus & gustus spiritualis, propter tria: nempe materiam, affectum, & effectum, Primo materia seu obiectum gustus sensualis longè minus est purum quam materia spiritualis, vt per se patet. Deinde affectus sensualis solet esse vehementior & diuturnior quàm spiritualis: cito enim arescit lachryma, non ita vero amor, aut odium aut alius quiuis affectus. Ac denique eius effectus sunt magis oppositi & aduersi diligendo Christo quàm spirituales, nam magis cor humanum implicant, astringunt arctius, occupant difficilius, diuertunt longius, maculant fœdius & redeunt frequentius. Vnde vt hic sensualis gustus euitetur, permittitur

permittitur spiritualis: *Sit suauis & dulcis affectui tuo Dominus Iesus,* inquit sanctus Bernardus, *contra male vtique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedinem dulcedo.* Et post multa: *omne quod blanditur de carne propria vel aliena, Sacro-sanctæ carnis amori postpone,* tum videlicet permittitur ille amor sensibilis Christi, non vt in illo hæreatur tamquam in fine, sed vt per illum alius amor qui ex se malignus est expellatur. *In quo & mundi gloriam æque comprehendo,* ait sanctus Abbas, *quia gloria mundi gloria est carnis, & qui in ea delectantur, carnales esse non dubium est.* Tum vero pluribus docet istum sensibilem Christi amorem esse purificandum, vt possimus cum Apostolo dicere, *nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Quasi diceretur; ante quidem secundum carnem licebat aliquo modo sic nosse Christum, vt nemo alius præter ipsum diligeretur, nunc vero cum sic exuti fuerimus omni alieno affectu, neque ipsum Christum sensibili diligemus affectu, vt in eo sistamus & immoremur tamquam in bono nostro gustando, sed hoc etiam purificati gustu, Christum diligemus ex puro corde vt illi purè placeamus, non nobis. O vere tum defæcatum & Deificatum affectum! sed nisi etiam sic defæcatus sit, non erit purus quia fæces quibus purificandus erat, in eo remanebunt.

Serm. 20. in Cant.

2. Cor. 5.

III. PVNCTVM.

SI nec igitur in ipso cœlesti & spirituali gustu sistendum est, quanto longè minus in sensuali; Cum longe magis nos separet à puro Christi amore, quæ vna erat Ratio cur spiritualis gustus esset cauendus. Nam cum sint plurimi separationis huius à Christo gradus, atque hi tanto pejores sint quanto à Christo sunt longius dissiti, certe si primi qui nos tantisper ab eo seuocant sunt cauendi, quanto magis consequentes & postremi qui nos damnosius ab eo separant? Et tamen in eis anima quantum adhuc inhæres? quantum tibi laus placet, honor delectat, & commoditas afficit? *Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga, quia creauit Dominus nouum super terram:* Leua tandem aliquando cum Apostolis oculos tuos, & vide solum Iesum; *Leuantes,* inquit, *oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum.* Quidquid creatum occurrat quantumcumque etiam spiritale, nihil illic nisi Iesum intuere, quia si quid illic

Ier 31.

boni ſpiritualis eſt, à Ieſu ſolo eſt, à quo eſt omnis ſpiritualis benedictio. Sicut in ipſo ſolo Deus nos diligit, *nam dilectus eſt filius in quo ſibi bene complacet Pater*, & in quo illi omnia placent: Sic ille nobis placeat & in illo cuncta, nec aliter. Sicut in ſanctiſſimo Sacramento, licet appareant ſpecies quæ dicuntur Sacramentales, ſolus ibi Ieſus agnoſcitur, colitur, adoratur. Sic penè in ſingulis agnoſcendis quia ex ipſo & per ipſum conſtant.

Atque vt magis etiam diſcas omnia ſenſibilia temperare, audi quid loquatur cum illis Prophetis de Paſſione & de morte ſua. Cur porro in tali lætitia? Vt te ſcilicet doceat lætitiam quamtumuis ſanctam & ſpiritualem ſic eſſe temperandam, ne excedat & degeneret in ſenſualem, ne cùm ſpiritu cæperis, carne conſummeris. *Gal. 3.*

Quod vel ex eo confirmatur, quòd ne ipſa quidem Beatitudo in ſe eſt diligenda ſed in Deo, & in ipſa Deus, nec purus alioquin & ſatis caſtus amor eſſet, nec cum Propheta poſſemus quod tamen debemus dicere: *Quid mihi eſt in Cælo & à te quid volui ſuper terram, defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant ſe à te, peribunt. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt.* Vbi ſanctus Auguſtinus: *Non ab illo*, inquit, *petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult ſeruire Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipſum à quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium Dei? Nullum præter ipſum. Præmium Dei, ipſe Deus eſt, hoc amat, hoc diligit: ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor. Recedis ab igne immortali, frigeſcis, corrumperis, Noli recedere, corruptio tua erit fornicatio tua.* Et poſt multa: *Rapite eum quotquot poteſtis, quotquot poſſeſſuri eſtis non fit anguſtus. Nullos in illo limites facietis, totum ſinguli poſſidebitis, & totum omnes habebitis. Ergo hoc fac dùm hîc es.* *Pſ. 72.*

Vide in 2. parte, Dominicam 2. Quadrageſimæ: & in 3. in Feſto Transfigurationis Domini.



FERIA SEXTA.

DE EXPULSO A CHRISTO DÆMONE QUEM APOSTOLI NON POTUERUNT EIICERE.

Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis, Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio. Marci 9.

VERITAS PRACTICA.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in omnibus: aut eris contra Dæmonem rudis in omnibus. *Eccles.* 4.

RATIO EST, *Quia contra Dæmonem eris rudis in omnibus, si fueris in his rudis in quibus tecum congreditur.*

Sed nisi sis eruditus in omnibus, in his eris rudis in quibus tecum congreditur.

Ergo quod monet Sapiens; Eris eruditus in omnibus, aut eris contra Dæmonem rudis in omnibus. Quod certe est præcauendum.

I. PVNCTVM.

ACCVRATE inter alios rem gestam refert sanctus Marcus, qui videri debet & notari præcipue quomodo in hoc Dæmoniaco, nostræ & aliorum tentationes designantur quas sæpe non ita possumus superare sicut alias, propter ignorantiam diuersitatis mali & remedij adhibendi. *Neque enim*, vt ait sanctus Gregorius, *cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt quæ aliis prosunt; quia medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat.* Apte ergo illud Sapientis tibi & aliis contra omne genus tentationis: *Eris eruditus in omnibus, aut eris contra Dæmonem in omnibus ineruditus & rudis*, Quia, vt habet Ratio, si vel tantillùm in illis fueris rudis in quibus tecum Aduersarius ille congreditur, satis est vt dicaris esse rudis in omnibus contra Illum, nam eruditio hic & ineruditio vel ruditas tantùm spectantur relatiuè ad congressum & certamen habendum cum Dæmone. Vnde si in omni congressu sis rudis, profecto dici debes rudis in omnibus; quid enim prodest in aliis esse eruditum, cum hic tantum erudi-

L. 30. Mor. 4. & l. 3. Pastor. In proemio.

tionem quæramus & spectemus, quæ in conflictu requiritur vt
Ephes. 6. certes & vincas ac triumphes? *Induite vos*, inquit Apostolus, *armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias Diaboli:* Quasi diceret, armaturam idcirco induite, vt congrediamini cum illo aduersario, & idcirco illam quærite quæ est apta congressui, nam hic est finis induendæ armaturæ; quod & statim repetit, ne cui fiat dubium: *Propterea*, inquit, *accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo*, Id est, in die qua vobis erit concertandum. Quantumcumque Rex Saul & alij Israelitæ armati essent ad prælium, nullus
1. Reg. 17. tamen eorum sibi satis esse videbatur ad congrediendum cum Gygante illo qui eos prouocabat ad singulare certamen: Neque ipsi Gyganti sua profuit armatura, cum in ea frontis parte vbi à
Pr. 7. Dauide percussus est, inermis esset. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, inquit Sapiens, Id est, non sic capiuntur pennata cùm volant: oportet alias capiendis illis artes. O si tantum industriæ nostro in spirituali negotio conferremus, quantum in cæteris aliis: quàm longe tutius nobis esset prouisum! Sed animi postrema cura, cura est animæ.

II. PVNCTVM.

SED nisi sis eruditus in omnibus, eris in his rudis in quibus tecum Aduersarius congredietur.

Nam cùm astutia & calliditate potius quàm robore nobiscum agat, in id præcipue contendit & inuigilat, vt qua parte quis infirmus est, ineruditus & inermis, hac ipsa indefesse illum petat, & obruat. Sic luculente sanctus Ignatius in suis Exercitiis spiri-
Regula 14 ad spiritus dignoscendos. tualibus: *Solet*, inquit, *Aduersarius imitari aliquem belli ducem*; Et quæ plura referuntur in prima parte, Feria quarta, infra Hebdomadam quartam post Epiphaniam. Quod & sanctus Gregorius
Iob 18. L. 14 Mor. c. 6. fuse prosequitur ad illa verba Iob: *Abscondita est in terra pedica eius, & decipula eius super semitam*: Expressius verò in Epistolis vbi hæc
L. 4 Ep 82. L. 5. Ep. 56. inter alia. *Quia nonnunquam dum aliud attenditur, aliud non cauetur, oportet vt contra omnes hostis insidias quisque debeat esse solicitus, ne dum in vno vincit, superetur in altero. Nam & terrenus hostis qui munita loca cupit inuadere, pugnandi arte sic vtitur. Latenter quidem ponit insidias & ad vnius loci se expugnationem totus ostendit, vt dum ad defensionem loci illius vbi instat periculum, inuenitur, loca alia de quibus*

nulla est suspicio, capiantur. Et euenit vt qui cognitus resistentis virtute repulsus est, latens obtineat quod certando non potuit.

Sic sanctus Hieronymus exponens locum illum Apostoli qui supra relatus est, Insidias Diaboli, quas ipse vocat versutias; in eo maxime ponit, *quod loca minimè munita obseruet, vt per ea irrepat ad arcem cordis & animæ.* Sic sanctus Cyprianus: *Eam partem animæ quam infirmiorem conspicit, fraudulentus magis quam generosus Inimicus aggreditur.* Sic denique sanctus Augustinus qui recte obseruat Dæmonem esse vocatum hominem, vt est in parabola Zizaniorum, *Inimicus homo hoc fecit*; & hominem vocatum esse Diabolum, *vnus ex vobis Diabolus est*; quia scilicet Dæmon hominem tentans humano se gerit modo: & à Dæmone homo tentatus Dæmoniacam pene induit feritatem. O callidum & cautum hostem qui sic illudat homini! O incautum hominem qui se sinat sic illudi!

In ep. ad Ephes. c. 6. *Serm. de Zelo.* *In Ps. 139.* *In Ps. 39.* *Matth. 13.* *Ioan. 6.*

III. PVNCTVM.

QVOD *monet ergo Sapiens: Eris eruditus in omnibus: aut eris contra Dæmonem rudis in omnibus*; Quia in quo deficies, ille ibi totus te vrgebit, & non magis tibi proderit eruditum, aut armatum fuisse in aliis, quàm si omnino armatus aut eruditus non esses. Quid enim prosunt arma, quid artes, quid scientia contra hunc hostem, si non his expugnatur armis? sicut enim non ferro nec manu cum illo concertatur, sic neque armis quibuscumque spiritualibus nisi cuncta tibi adsint, quibus vndecumque te impetat, sis paratus ad impetum retundendum. *Vt possitis*, inquit Apostolus, *resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Id est, vt cum nihil in vobis defuerit quo resistatis in certando, sic stetis semper victores vt numquam victi iaceatis. Nam etsi etiam multoties viceris, si vel semel vincaris, hoc vno rues in interitum vnde te numquam erues. Sic sæpe se vinci patitur vt semel vincat. Sic sæpe à certando desistit vt postea decertaturus obsistat acrius. Cui nomina mille, mille nocendi artes, propter quas fidelis sponsa Domini describitur esse in Canticis, *sicut turris Dauid quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Ephes. 6. *Cant. 4.*

Hinc apte sanctus Basilius ad hæc verba Deuteronomij decimo quinto secundum septuaginta Interpretes, *Attende tibi ipsi, MILES*

es? collabora Euangelio, milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, aduersus vitiosas carnis affectiones induitor omnem armaturam Dei, vt probes te ei, sisque gratiosus Duci tuo qui huic te militiæ adlegit. Proinde vt nullis impliceris vitæ istius negotiis & perplexis curis. Athleta es? attende tibi ipsi ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis inueniare transgressus: vt strenuus pugil, ipse habeto animæ oculum nusquam euariantem, sed attentum & peruigilem. Præmuni ac tuere passis manibus partes quarum plaga lethalis sit. In aduersarium, immotum oculum intendito fixius. Per vitæ istius curriculum talis vt perseueres, hac sancit sententia, nimirum animo vt sis non supino, aut concidenti, sed arrecto: non dormiturienti sed peruigili ac sobrio, quique multa cum vigilantia præsens sit, & norit sibi præesse.

Hæc vero tibi particulatim, vbi & quando plus est ponendæ operæ modo essent applicanda, nam quod callidius enititur Dæmon, hoc est ne quod vniuersim dicitur, tibi ascribas, & ascriptum in manu habeas. Quo velut gladio vel clypeo, semper sis paratus, semperq; dicas siue ad aggrediendum siue ad resistendum, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Prou. 4. *Sic omni custodia seruabis cor tuum: quia ex ipso, vita procedit*, vt monet Sapiens, & declaratur in prima parte, Feria quarta infra Hebdomadam quartam post Epiphaniam, vbi quæ hic plura desunt, reperies. Vide & sanctum Augustinum ad hunc Psalmi versiculum; *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Ps. 143.

SABBATO.

DIDRACHMA SOLVIT CHRISTVS DOMINVS.

Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester, non soluit didrachma? Ait; Etiam. Matth. 17.

DIDRACHMA seu Didrachmum erat genus monetæ respondens septem solidis Gallicis, quod primo ex lege iussum fuit quot annis solui à Iudæis in vsum tabernaculi: Deinde vero subacta Iudæa, Romani tributum illud traxerunt in rem suam, atque eorum nomine Publicani à singulis exigebant.

Non erat certè Christus Dominus huic tributo subiectus, vnde pergit Euangelista: *Et cum intrasset in domum, preuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.* Quasi diceret, vt interpretatur S. Augustinus: *Filij Regum cum sua familia liberi sunt à tributo pendendo, quantò magis Ego qui Regis Regum naturalis sum filius, cum mea familia, immunis ero & liber?* Noluit tamen hac libertate vti, sed libens volens tributum soluit, atque hanc inter alias Petro rationem protulit: *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te.*

Sic interea Dominus suis, supremam suam declarare voluit majestatem, & summam libertatem qua solutus erat & liber ab omni tributo; cùm non tantum terræ ac hominum, sed etiam piscium & maris, cui nullus princeps dominari potest, dominium se habere ostendit, quando è mari, & ex ore piscis petendum iubet illud tributum cui se soluendo libens subjicit.

Ex quibus sic breuiter expositis, tres erui possunt Veritates Practicæ ad triplicem perfectionis viam spectantes, & ita planæ vt longiori discursu non sit opus ad eas fusius explanandas.

Prima dehortatur à peccato, peccantes liberius sub spe facilis obtinendæ veniæ, quibus hæc opponi debet Veritas:

Quod Exactores à Christo semel, hoc semper ab illo exigunt qui sub spe veniæ peccant liberius.

RATIO EST, Quia quod Exactores à Christo semel petierunt hoc videlicet fuit quod explicatum est, vt quod non debebat persolueret, atque ita cum esset liber, & Dominus, seipsum tamen seruum & subditum faceret. Nonne hanc vnam ab illis accepit Christus iniuriam?

Sed hoc ipsum semper seu quoties peccant, qui sub spe veniæ peccant liberius, hoc ipsum à Christo exigunt, nempe vt quod

ipsis non debet, pretium soluat quo peccatum dissoluatur. Cùm enim peccando sperant veniam, non aliter sperant quàm illo quo datur modo: non est autem alius dandæ veniæ modus quam soluto per Christum peccati pretio; quod enim semel fundendo sanguinem, pretium Christus soluit ad quælibet dissoluenda peccata, hoc ipsum tam particulatim applicandum est cuilibet peccatori conuertendo, vt nisi particulatim applicetur, numquam conuertatur, quia nulla datur alioquin gratia sine qua certum est nullam fore conuersionem.

Hebr. 6. Atque hinc quod ait Apostolus de peccatoribus, *quod rursum sibimetipsis crucifigant Christum*, multi sic interpretantur, quasi diceret, hoc agere peccatorem vt Christus iterum crucifigatur; Nam hoc agit peccando quod sibi vult & quod sperat remitti; non autem potest remitti nisi rursus quodammodo crucifigatur Christus, id est, nisi hoc ipsum particulatim applicetur pretium quod semel quidem fudit in cruce, sed quod valorem non habet nisi dum applicatur; Qua de re alibi fusius.

Iam verò quod hic præcipue perpendi debet, non magis teneetur Christus hoc pretium applicare peccatori, quam tributum soluere quod petebatur; non minus liber est ab illo peccati persoluendo siue applicando pretio, quam liber erat à tributo soluendo. Quot enim sunt peccatores quibus non ea datur gratia quæ tibi oblata est vt conuertaris? Quid porro in te est cur tibi hanc Christus gratiam deberet potius quàm aliis, cum nulli prorsus illam debeat, & absolute dicat, *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor?*

Ex. 33. Rom. 9.

Et tamen, ô infanda præsumptio, tu hoc tamen peccator à Christo exigis, dum ab illo tam certus expectas gratiam, vt proptereà liberius pecces, quasi hoc debito teneretur, quasi tuo iure id ab illo repeteres, quasi non esset gratia: nam si debita esset, nón esset gratia. Nonne hoc est ab Illo quoties peccas exigere, quod semel tantum Exactores petierunt, vt quod non debet soluat? At nonne hoc est satis impium vt inde pudefias, & à peccato deterrearis? nam vix est vllum peccatum, in quo hanc tacite non tibi promittas veniam, cum si scires non condonandum peccatum, non ita facile peccato consentires.

Rom. 11.

Is. 43. O quam vere dictum à Domino; *Seruire me fecisti in peccatis tuis.* Primo quidem cum peccasti, subjiciendo libidini tuæ Gratiam, legem,

legem, voluntatem & quidquid Christi est; tum deinde vero cùm peccando tibi quodam tuo iure hanc eius vendicas gratiam, quam hoc ipso vel præsertim offendis & repellis, quò tibi eam vendicas. Sic proinde sapienter Ecclesiasticus: *Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propiato peccato noli esse sine metu, neque adducas peccatum super peccatum. Et ne dicas, Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo cito proximant.* Eccli. 5.

Vide in 1. p. Die 12. Ianuarij. Et Fer. 3. Hebdom. 4. post Epiph.

SECVNDA Veritas, ad diminuendas quantumlibet leues offensas, & bonum etiam non imperatum libenter faciendum.

Qua vna re potissimum à majori diuino cultu auocamur: eâdem potius ad Eum aduocandi essemus.

RATIO EST, Quia libertate potissimum à majori Dei cultu auocamur: siue quia id nobis est liberum libertate Physica, quæ opponitur necessitati; siue quia non cogimur authoritate superiori; siue quia nobis id licitum fingimus quod ita placet. *Velamen habentes malitiæ, libertatem*: siue quia non ex præcepto sed consilio tantum virtus exercenda offertur. *Non enim seruituti subiectus est in huiusmodi.* 1. Pet. 2. 1. Cor. 7.

Sed hæc ipsa libertas est, cuius recto vsu ad majorem Dei cultum potius aduocandi essemus.

Primò quidem, quod liberi sumus naturaliter, singulare donum Dei est, quo supra cæteros animantes ad imaginem Dei creati sumus, vt quemadmodum Deus in externis, sic in nostris humanis operibus liberè nos exerceamus ad vitam promerendam æternam. Quid est autem indignius quàm dono Dei abuti, vel ad illius offensam vel ad illius obsequium detruncandum? *An oculus tuus nequam est, quia ille bonus est?* Nonne poterat nos æque cogere ac reliquas creaturas? *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me!* *Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Matth. 20. Is. 1. Gal. 5.

Secundò, cùm longe plura Deo debeamus quam possimus reddere, neque aliud quo iustius excusemur in paucis nostris meritis habeamus, quàm quod plura non possimus: qua tandem fronte tu audebis ea negare quæ liberè potes? aut qua ratione te excusa-

bis si non plura reddis, cùm illa non reddas quæ possis? Certe aut oportet fictè cum Deo agere, dicendo se non plura posse, nec se orando etiam posse impetrare: aut id omne agendum est quod
1. Cor. 7. rationabili poteris libertate. *Si potes fieri liber, magis vtere.* Videnda sunt quæ his dicuntur conformia, in 3. parte, Feria 2. infra Hebd. primam, post Octauam Pentecostes.

Tertio, cùm tam benigne & liberaliter nobiscum agat Deus, vt nos non puniat prout liberè posset, & nos etiam innumeris immeritos cumulet bonis, longe plus quam ex ordinaria solet prouidentia: quo tandem modo tantam recolere par est Bonitatem, nisi quod libere posses malum non committas, & quod liberè
Amos. 5. possis bonum non omittas? *Odite malum, & diligite bonum.*

Adde & illud, quod si meritò timere debes ne si Deus sua vsus libertate tibi aliquas deneget gratias quibus priuatus in peccatum incidas, & in mortem illam peccatorũ pessimam: quid tandem opportunioris remedij possit excogitari, quàm si nihil tibi assumas quod libere possis Deo dare, sicque Apostoli consilio sapias, viden-
Ephes. 5. do *quomodo caute ambules, non quasi insipiens, sed vt Sapiens, redimendo tempus, quoniam dies mali sunt*, dies illi videlicet qui aliter effluunt quam in Dei cultu, dies illi qui nos longioris vitæ mora decipiunt, qui nos præteritæ libertatis vsura fascinant, qui nobis id licere quod licitum volumus, annuunt. O vere dies malos nisi prout subiecti sunt libertati, bonos efficias, & qua vna re potissimum à
Ps. 93. Dei cultu auocaris, eadem potius ad Eum aduoceris. *Deus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit.* Lege, & expauesce, peruoluendo ea quæ in illo sequuntur Psalmo.

TERTIA Veritas pro vita vnitiua, in qua tantò magis Deo nos vnimus, quanto nos Illi magis subjicimus.

Tantùm abest quod qui sunt verè liberi non se subjiciant, vt non sint aliter verè liberi nisi se subjiciant.

Ratio est, quod non sint verè liberi nisi sibi dominentur. Sed non sibi vere dominantur nisi se subjiciant. Ergo nec vere liberi nisi subiecti.

Vide Sabbato Sancto seu majoris Hebdomadæ, vbi Ratio declaratur fusius; quibus adde hanc præclaram Diui Hieronymi
L. 2. Ep. 20. sententiam: *Nihil est imperiosius Charitate. Nos si verè Christum di-*
ad Celant. 5. *ligimus, si eius nos redemptos sanguine recordamur, nihil magis velle,*

nihil omnino debemus agere quàm quod illum velle cognoſcimus. Sic & apte S. Auguſtinus: *Libera ſeruitus eſt apud Dominum, libera ſeruitus vbi non neceßitas ſed Charitas ſeruit. Vos inquit in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem carnis detis, ſed per Charitatem ſpiritus ſeruite inuicem. Seruum te Charitas faciat, quia liberum te Veritas fecit. Si manſeritis inquit in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis Veritatem, & Veritas liberabit vos. Simul es & ſeruus & liber: ſeruus quia factus es, liber quia amaris à Deo à quo factus es, imo etiam inde liber quia amas eum à quo factus es. Noli ſeruire cum murmure, non enim id agunt murmura tua vt non ſeruias, ſed vt malus ſeruus ſeruias. Seruus es Domini, libertus es Domini, non te ſic quæras manumitti, vt recedas de domo Manumiſſoris tui.* In Pſ. 99.



DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

DE HYDROPICO SANATO A CHRISTO IN DIE SABBATI.

OBSERVANT IVDAEI CHRISTVM, IN QVO ILLVM ACCVSENT.

Cum intraret Iesus in Domum cuiusdam Principis Pharizæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Quantò inter probos putatur inuidia leuior, tanto est sæpe grauior.

RATIO EST, *Quia ex his tribus putari potest inuidia leuior, nempe si quod inuides leue est: si motus in se est leuis: si vel in sua causa, vel in suo effectu non est grauis.*

Sed sæpe in his tribus est grauior, inter probos.

Unde Conclusio est euidens: & diligentius etiam expendenda quàm hic tractetur.

I. PVNCTVM.

DVBITARI non poteſt quin ex inuidia & maleuola quadam mente Iudęi obſeruarent Dominum, an quid ageret vnde illum arguerent, accuſarent, & deprimerent: *Inuiderunt illi habentes iacula.* Sic pridem erat prædictum à Patre Iacob de filio ſuo Ioſeph. Atque hic vbi in vulgata legitur, *obſeruabant eum*, dicendum eſſet ex Græco textu, *erant obſeruantes eum*, Id eſt, ſtudioſe eum obſeruabant, ſeu ad hoc conuenerant vt eum obſeruarent. Ita Eſtius in hunc locum. Cum vero multis ſit familiare & damnoſum hoc vitium, tum illis præcipuè quos inter putaretur eſſe rarius & leuius: nempe inter viros alioquin probos, inter Eccleſiaſticos & Religioſos ſiue alterius ſiue eiuſdem inſtituti. Nonne hos inter rarior & leuior videretur eſſe inuidia? Cur ita porro? Expende cauſas, & videbis tuo forſan exemplo & damno niſi proſpicias, quod quæ rationes videntur in te facere leuius hoc vitium, eæ faciunt grauius. Gen. 49.

Rationes hæ ſolent peti ex tribus aut quatuor Capitibus. Primo ex leuitate obiecti, quando quod inuidetur temporaneum eſt & quid leue. Deinde ex leuitate motus inuidiæ, quando non vehementer vrit animum, quando animus non plene aduertit ad motum nec proinde omnino eſt motus voluntarius. Denique ex leuitate cauſæ vel effectus, quando non ex odio proximi, non ex maleuolentia boni alieni, non ex voluntaria ſuperbia & ambitione ſæculi: quando non inde detractiones nec murmura, non contentiones, non æmulationes quæ in aperta vel occulta detrimenta dimanent: tunc profecto minus graue eſt vitium, & tanto minus graue aut magis leue quanto inde damna vel nulla vel leuiora ſunt.

Sic itaque probos inter viros, aut nulla prorſus aut valde leuis videretur eſſe inuidia, Nam vt ait Sapiens, *Religioſitas cuſtodiet, & iuſtificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit,* fugabitque illam triſtitiam qua ex alieno bono contrahitur animus, & vnde formatur inuidia, *Non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Nonne hoc Viris religioſis maxime proprium & commendatum? Eccleſ. 1. Rom. 13.

II. PVNCTVM.

SED *videant, & se ipsi obseruent non alios, An ita Iesum induerint, aut indutum forte exuerint.* Tu qui hæc legis vel audis, reuolue tria illa capita & coram Deo perpende quam sint in te illa leuia vel grauia. Non est forte fratris tui virtus, non gratia supernaturalis, aut æterna beatitudo cui soleas inuidere; absit, Tu longe meliora sentis. Sed ausculta: non est eò deueniendum vt dicaris graue aliquid aliis inuidere, paucorũ illa est inuidia, & solius pene Dæmonis aut desperatorum hominum. Non illi qui aperte dicuntur in scripturis inuidi, spectarunt illa dona cœlestia. Non hoc fratres Ioseph respexerunt, non hoc Saul, non Iudæi, non Religionis inimici, non alij quique inuidi: sed tantum prosperos æmulorum successus, famam, honorem & alia vitæ præsentis commoda quibus se vident ab illis superari & præferri, vnde dolent & anguntur, quod certe satis est ad grauitatem inuidiæ, cùm illa bona quibus inuidetur, fundentur in Virtutibus, & in eorum merito qui nobis præferuntur. *Contemplatus sum omnes labores hominum*, ait Sapiens, *& industrias animaduerti patére inuidiæ proximi.* Ecce quod frequentius ab inuidis inuidetur. At nonne hoc est quod inuident qui ex probis & religiosis viris inuident aliis? Nonne hoc est quod illis obuersatur facilius quàm sæcularibus aut minùs probis? Non enim inuident diuitibus eorum diuitias, eorum domos, rura vel prædia; sed suis coæqualibus ampliorem doctrinæ vel sanctitatis famam, successus in sua professione fœliciores, congressus hominum in templis & concionibus frequentiores. *Videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israel, vt tabescat anima tua.* Nonne hæc sunt grauiora inuidiæ incentiua & obiecta? Nonne hæc sunt Ecclesiasticis & Religiosis magis familiaria? Nonne hæc te incendunt & exedunt? *An oculus tuus nequam est quia Deus bonus est his & illis?*

Eccle. 4.

1. Reg. 2.

Quod ergo primum est Caput de obiecto inuidiæ, iam patet quàm sit graue. Nunc de secundo quod est motus ipsius vitij vnde quam sit voluntarius vel inuoluntarius agnoscitur. Certe quantò est Conscientia religiosior, tantò aduertit promptius ad primos quosque naturæ deprauatæ motus; atque ex illa fit aduertentia, vt vel illos quamprimùm reprimat, vel si diutius remoratur, tan-

tum dicatur peccare is qui sic aduertens moratur in vitio, quantum aduertentia est clarior & mora diuturnior. *Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Ier. 4.

At quinam ex omnibus inuidis possunt aut debent aduertere citius ad primos illos sui peccati motus quàm qui statum profitentur sacratiorem & sanctiorem? Quantùm vero moræ vel temporis in his inuidiæ ponunt motibus? an aliquam horæ partem? an solidam & integram horam? nimis certe datum esset: sed vtinam tam breuibus contentus esses spatiis. Nonne vides te totos dies, te totos menses, totos annos, & ipsam pene totam vitam in his transigere commotionibus; non subitaneis, non repentinis non deciduis, & subsilientibus; sed vel vltro accersitis, vel voluntariè procreatis & nutritis, ac propterea longo sermone productis? Quandònam enim cessatur ab hac peste? Quandònam desinunt probis inuidere probi si tamen probi sunt qui sic inuident? *Væ illis quia in via Cain abierunt*, Id est, quia suo in vitio sunt demorati. Iudæ.

Tertium ac postremum, vnde leuitas aut grauitas pendet inuidiæ, petendum diximus ex causa vel effectu, quando scilicet figulus figulum videt aut alius quispiam artifex & mercator, sibi oppositum aduertit æmulum qui iactura sua lucrum facit, tunc naturali quodam motu inuidiæ commoueri, nec vltrà tamen progredi, non detrahere, non contendere, non aduersari; certè ex hac causa leuis est inuidia, leuis etiam in effectu, atque in ipso eius actu leuis, qui suam potius jacturam dolet, quàm lucrum alienum. At non sic sæpius inuident sacris addicti rebus: nullam enim jacturam proprie faciunt ex aliorum successibus. Nam si quid temporale illis depereat, non est illorum, temporalia consectari bona, nihil illis perit quod suum possint dicere. Si quid illis licet appetere, major est Dei gloria, majusque cum animæ cum proximi bonum: At certe non illa pereunt viris verè probis, neque sunt illa quæ deplorant inuidi, vel si sibi fingant ea deplorare, valde falluntur; cùm perinde illis esse debeat, si benefiat per ipsos aut per alios. *Gaude bono meo*, inquit sanctus Augustinus, *& tuum erit.* Non sic temporale bonum communicari potest sicut spirituale, nec proinde sic excusatur à grauitate peccati qui de spirituali bono dolet, atque is qui de temporali. Quid enim doles à me fieri cum tuum sit perinde lucrum ac meum, si gaudere potius velis quam dolere de meo facto? Quod ergo doles, mera est inuidia boni alie-

ni, mera est animi tui maleuolentia, mera est mentis superbia, quæ certe causa longe est dirior vnde peccati profluat grauitas. *Nequam est oculus inuidi & auertens faciem suam,* Quasi diceret Sapiens, tunc apparet quàm sit nequam inuidia cùm sic à bono quod fieri videt, idcirco auertit faciem, quia bonum est alterius quod malum suum reputat. Sic apte sanctus Augustinus: *Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium fælicitatis alienæ, quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam vel paribus inuidet quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur: vel superioribus, quod eis non coæquetur.*

Eccles. 14.

De Genesi ad lit. l. 11. c. 14.

Effectus etiam longe sunt grauiores, siue Deum respicias, siue proximum, siue teipsum. Nam in domo Dei, seruos inter eiusdem Domini, sic inuidere, sic æmulari, sic contendere, plane est odiosum Deo & Christo Domino; *Nam,* vt ait sanctus Cyprianus, *huic periculo consulens Dominus, ne quis Zelo fratris in laqueum Zabuli incurreret, cum eum Discipuli interrogassent, quis inter illos major esset, Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem causam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit. Exaltationis apud nos non potest esse contentio; de humilitate ad summa crescimus. QVOD si Apostoli contenderunt,* ait sanctus Ambrosius, *non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur.*

L. de Zelo de Liuore.

L. 10 in Lucam.

Deinde vero grauior proximorum est læsio, nam hinc schismata, contentiones, æmulationes, scandala & graue illud Apostoli: *Diuisus est Christus? Cum sit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Potestne dici vel cogitari grauius aliquid quàm qui aliis Christianis nutriendis & fouendis sunt destinati, seipsos inuicem mordeant, comedant & consumant? Sibi sunt denique magis graues & noxij, quia, vt dictum est, quo inter se arctiori Sacræ professionis vinculo sunt conjuncti, eo facilius sibi sua omnia communicarent merita, quibus dum se priuant sibi ipsis inuidendo, nonne sibi magis nocent quam quiuis alij de sæculo? Nonne sunt inuidorum nequissimi de quibus dicitur; *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis. Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius: & si bene fecerit, ignoranter & non volens facit: & in nouissimo manifestat malitiam suam.* Id est, neque hoc ipsum bonum quod

1. Cor. 1. Ibid. 3. Gal. 5.

Eccles. 14.

quod facit, bene facit & propter Deum, nam si propter Deum faceret, non inuideret aliis, cum vera Charitas non æmuletur, & tam alienis bonis gaudeat, quam propriis. Vide in Aduentu Feria 3. infra Hebdomadam quartam.

III. PVNCTVM.

PATET ergo euidenter *quod quanto inter probos forte putaretur inuidia leuior, tanto sæpe est grauior*, Quod Deus ipse manifestum fieri voluit cùm de Sacerdotibus inuidis promptiores & grauiores sumpsit pœnas, quàm de aliis, vt patet in Core, Dathan & Abyron & aliis ducentis quinquaginta proceribus Synagogæ quos dehiscens terra deglutiuit: vt fuse describitur in libro Numerorum, *Num. 16.* & paucis sed grauibus à sancto Ambrosio, verbis: *Inmugiens terra in medio plebis scinditur: aperitur in profundum sinus; abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Sic illi Sacerdotes quorum inuidia & subsequens pœna describitur in primo Machabæorum libro. *Et ne longum faciam,* inquit *1. Mach. 5.* sanctus Cyprianus, *percuntis simul populi attendamus interitum. Iudæi* *L. de Zelo & liuore.* *nonne inde perierunt, dum Christo malunt inuidere quàm credere, obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, Zelo excæcante decepti sunt, nec ad Diuina noscenda, cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nos considerantes, fratres charissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata Deo & vegetata pectora nostra muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem. Imprudentium pœna prouidentibus confert sanitatem.*

Vide in 2. parte, Sabbato infra Hebdomadam Septuagesimæ: Et Feria 5. infra Hebdomadam primam post Octauam Paschæ.

AD EADEM EVANGELII VERBA:

ET IPSI OBSERVABANT EVM.

De Christo qui se obseruari passus est, ad exemplum sustinendæ inuidiæ.

VERITAS PRACTICA.

Qui paratus est seruare omnia sibi obseruanda, paratus etiam est in omnibus obseruari.

Vel è contra.

Qui non est paratus obseruari in omnibus, non est paratus obseruare omnia sibi obseruanda.

RATIO postremæ sententiæ unde præcedens facilius comprobabitur, hæc est euidentissima, quod qui non est paratus obseruare Chraritatem quæ suffert omnia, non est paratus obseruare omnia sibi obseruanda.

Sed qui non est paratus obseruari ab omnibus siue in omnibus, non est paratus ad obseruandam Charitatem quæ suffert omnia.

Ergo neque paratus est obseruare omnia sibi obseruanda; Quod cùm apertam importet perniciem, parandus est animus exemplo Christi ad sustinendos quoslibet obseruatores & inuidos.

I. PVNCTVM.

COGNOSCEBAT *quidem Dominus malitiam Pharisæorum,* inquit sanctus Cyrillus, *sed fiebat eorum Conuiua, vt prodesset præsentibus per verba & miracula:* Addo & absentibus per Exemplum quod statuit sustinendæ inuidiæ seu damnorum omnium quæ nobis inferri possint ab his qui nos obseruant. Neque enim Christiano satis est non inuidere aliis, non obseruare alios ex inuidia, non accusare, non detrahere, nullum denique cuiquam inferre damnum; sed oportet etiam paratos esse ad illata quæuis sufferenda: vt iam supra generatim dictum est in prima parte, die decima sexta Ianuarij. Nunc vero particulatim considerandum ex proposita Veritate, quod nisi parati simus obseruari à quibuslibet inuidis & in quibuslibet voluerint nos obseruare, non simus parati ad obseruanda omnia quæ sunt nobis obseruanda; non sumus parati ad illam fidelitatem & Charitatem quæ suffert

omnia, qui certe defectus longe est damnosior, quam quidquid damni possit ab inuidis, nostro inferri nomini. Sic autem discursus formatur ad pleniorem Veritatis intelligentiam & firmiorem Virtutis praxim inde deducendam. Qui non est paratus obseruare Charitatem quæ suffert omnia, non est paratus obseruare omnia sibi obseruanda. Nam cùm inter obseruanda, sit illa Charitas quæ vel maxime super omnia commendatur, profectò qui hanc non obseruarit, quæcumque tandem obseruet alia, nihil aliud expectare potest quam hoc funestum Christi Domini, *Væ*, quod in Pharisæos intorsit, *Væ vobis quia decimatis mentham, & rutham, & omne olus, & præteritis iudicium & Charitatem Dei: Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* Luc. 11.

Quando vel deesses solùm in vno ex minimis quæ obseruanda sunt, non posses dici seruare omnia; quanto certe minus id poterit de te dici, si non obserues quod est præcipuum in obseruandis. Hoc est quod præsertim vrgebat Christus: *Et reliquistis quæ grauiora sunt legis!* Quid hic hæres? dubitasne Charitatem esse ex præcipuis commendatis? An ignoras quod dixit Apostolus: *super omnia, Charitatem habete:* Et cui Charitas defuerit, licet adessent cætera, *nihil tamen esse præter æs sonans, aut cymbalum tinniens*, & nihil prodesse omnia? *Qui non diligit, manet in morte.* Matth. 23. Coloss. 3. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3.

II. PVNCTVM.

SED *qui non est paratus obseruari ab omnibus, siue in quibuslibet omnibus, non est paratus ad obseruandam Charitatem quæ suffert omnia.* Nam cùm inter sufferenda sit illud, vt obserueris, vt inuidearis, & quæcumque hinc damna permittet Deus, libenter patiaris; Nonne si recusas id pati, tam euidens est te non habere Charitatem quæ suffert omnia, quàm euidenter patet inter omnia sufferenda numerari ea quæ ab inuidis & obseruatoribus inferri possunt? Nonne idcirco sic permittit Deus bonos à malis exercitari vt per malos boni patientes perficiantur, & per bonorum patientiam mali conuertantur? Sic egregie sanctus Augustinus in Psalmum quinquagesimum quartum ad primum eius versum, vbi quinque proponit motiua huius Charitatis exercendæ in sufferendis inuidis & inimicis. Primum est à Dei prouidentia sic ordinante: *Ne putetis*, inquit, *gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de*

illis agere Deum: omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit vt per illum bonus exerceatur. Vtinam ergo qui nos modo exercent, conuertantur. Secundum est ab exemplo Dei qui suffert ipsum quem habes inimicum & alios. *Porro*, inquit, *tibi ea regula bonitatis præfixa est vt imiteris bonitatem Patris tui qui facit solem suum oriri super bonos & malos. Numquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? Tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus est, Ille vero eum quem creauit. Tu inimico tuo quem intolerabiliter pateris quid præstitisti?* Tertium obseruandæ Charitatis motiuum à fructibus qui nobis inde proueniunt, sic enim post multa pergit: *Neque timendum est ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? multa mala dicturus, opprobria iaculaturus, in conuitiis sæuiturus. Sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate quoniam merces vestra magna est in cœlo. Ille in terra geminat conuitia, tu in cœlo lucra. Sed sæuiat amplius, possit & aliquid amplius: Quid te securius cui dictum est, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.*

Quartum his continetur sequentibus verbis quæ sunt valde notanda: *Quid est ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio qua diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo, caro & sanguis quod videt in te appetit: Alius autem inimicus occultus rector harum tenebrarum quas tu pateris in carne & sanguine, alterum occultum tuum petit; thesauros tuos interiores deprædari & vastare molitur. Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos, vnum apertum, & alterum occultum. Apertum hominem, occultum Diabolum; vnum dilige, alterum caue.* Tùm multis pergit declarare quomodo vterque inimicus id in nobis conetur auferre quo vincitur, homo nempe inuidus vincitur ab inuidioso, fœlicitate, diuitiis, honore & aliis bonis; Diabolus vero vincitur inimici dilectione. Ac tandem concludit; *Quomodo ergo homo ambit auferre tibi & detruncare aut auertere fœlicitatem qua vincitur, sic & diabolus hominem vult vincere auferendo vnde vincitur. Sed cura in corde seruare inimici dilectionem qua Diabolum vincis. Sæuiat homo quantum potest, auferat quidquid potest: si diligitur apertè sæuiens, victus est occultè sæuiens.*

Quintum denique quod proponit motiuum est, quod nisi seruetur Charitas, succedit ira & odium quæ sunt animi pestes & damna longe magis cauenda quam quidquid inferre valeant inuidi, quamobrem explicans quod ait Dauid se conturbatum & contristatum; *Luctans*, inquit, *aduersus omnia conuitia omnium Conuitia-*

torum, non vt aliquem eorum, conuitium reddendo, vinceret: sed ne aliquem eorum odisset. Hinc orat, hinc petit: *Intende mihi & exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea & conturbatus sum, à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.*

Hoc est vere obseruare Charitatem quæ suffert inimicos, quando quis magis timet ne lædatur Charitas inimici, quàm re ipsa ab inimico lædatur; Quod vt innoteat quam sit iustum & æquum, sic apte admodum prosequitur sanctus Augustinus, ad hunc sequentem versum, *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. VITA nostra*, inquit, *dilectio est. Si vita dilectio, mors odium est. Cùm cæperit homo timere nùm oderit quem diligebat, mortem timet, & acriorem mortem, & interiorem mortem qua occiditur anima non corpus. Attendebas hominem sæuientem in te: quid erat facturus contra quem, tibi securitatem tuus Dominus dederat, dicens, Nolite timere eos qui corpus occidunt? Ille sæuiendo, corpus occidit: tu odium habendo, animam occidisti: & ille corpus alienum, tu animam tuam. Metus ergo mortis cecidit super me.* Metuendo scilicet priuationem Charitatis quæ tunc amittitur quando quis nimis timet, ne ab aliis male habeatur, & qui propterea non est paratus in omnibus & ab omnibus obseruari. O timorem tam peruersum & funestum quam rectus est alius & salubris. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Ps. 52.

III. PVNCTVM.

QVI *non est igitur paratus obseruari ab omnibus, & in omnibus, non est paratus obseruare omnia sibi obseruanda*: Cum non sit paratus ad illam Charitatem quæ imprimis commendatur, & quæ imprimis commendatum habet, vt si qui sint obseruatores vitæ & morum, sufferantur propter Deum qui sic de nobis statuit, propter ipsius Charitatis meritum, quæ alioquin violatur; propter animæ nostræ perfectionem & salutem quæ tota in patienti Charitate consistit.

Stupenda insania animarum, inquit sanctus Bernardus, *non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, & vnum super propriam, grauior habere custodem. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam Pastoris.* Quæ quidem sancti Patris dicta possunt ad illos transferri obseruatores qui licet aliud intendant, mihi tamen à Deo dati sunt, vt vel ex eorum maleuolentia proficiam, & ea vitia corrigam

quæ numquam fortasse aliter emendassem.

Ad Eustoc. in Epit. l. 3. ep. Denique luculentum huius ad inuidos obseruandæ Caritatis exemplum habes in sancta Paula vidua, de qua sic sanctus Hieronymus: *Semper quidem virtutes sequitur inuidia, feriuntque summos fulgura montes, nec mirum, si hoc de hominibus loquar, cum etiam Dominus noster Pharisæorum zelo sit crucifixus, & omnes sancti æmulos habuerint: In Paradiso quoque serpens fuerit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum.*
Sap. 2. *Suscitauerat ei Dominus Adad Idumæum, qui eam colaphizaret, ne se extolleret: & quasi quodam stimulo carnis sæpius admonebat, ne magnitudo virtutum altius raperet, & aliarum vitiis feminarum se in excelso crederet constitutam; Ego aiebam, liuori esse cedendum, & dandum insaniæ locum, quod fecisset Iacob in*
3. Reg 11. *fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul: quorum al-*
2. Reg. 12 *ter in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens ho-*
Gen. 28. *stibus, quam inuidis subjacere. At illa respondebat: iuste hæc diceres, si Diabolus contra seruos Dei & ancillas non vbique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet: si non sanctorum locorum amore retinerer, & Bethlehem meam in alia reperire possem parte terrarum: Cur enim non patientia liuorem superem? Cur non humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram: dicente Apostolo*
Rom. 12. *Paulo: Vincite in bono malum. Nonne Apostoli gloriabantur, quando*
Act 5. Philipp. 2. *pro Domino sunt passi contumeliam? Nonne ipse Saluator humiliauit se, formam serui accipiens, & factus est obediens Patri vsque ad mortem, & mortem Crucis, vt nos sua passione saluaret? Iob nisi certasset, & vicisset in prælio, non accepisset coronam Iustitiæ, nec audisset à Do-*
Iob. 42. *mino: putas me aliter locutum tibi, quam vt appareres iustus? Beati di-*
Matth. 5. *cuntur in Euangelio, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Secura sit conscientia, quod non propter peccata patiamur, & afflictio in sæculo, materia præmiorum est. Si quando procacior fuisset inimicus, & vsque ad verborum iurgia prosiliisset, Illud psalterij decantabat: Cum consisteret aduersum me peccator, obmutui, & silui à bonis: Et rursus:*
Psal. 38. *Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os*
Psal. 37. *suum. Et factus sum sicut homo non audiens & non habens in ore suo increpationes.*

Vide in 2. parte, Feriam 3. infra Hebdomadam Septuagesimæ.

Ecce homo quidam Hydropicus erat ante Illum. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Hydropisis animi Concupiscentia, quò sibi est indulgentior, sibi est dirior.

RATIO EST, Quia sibi eò est dirior, quò malum suum magis auget.
Sed quo sibi est indulgentior, eo malum suum magis auget.
Ergo & eò sibi est dirior, Ac proinde cauenda talis indulgentia, postulandaque sanitas à Christo Domino.

I. PVNCTVM.

AN se sua sponte hydropicus produxerit in conspectum Domini, vt ab eo sanaretur: an illum intruserint Pharisæi, vt occasionem Christo darent faciendi quod arguerent si eum sanaret in die sabbati, dubitari potest; sed parùm refert ad fructum eliciendum ex illius aspectu hominis qui prauam Concupiscentiam siue honorum, siue commoditatum, siue voluptatum tam aperte refert, vt vix alio corporis morbo repræsentetur aptius. Sic sancti Patres, quos inter luculente sanctus Augustinus: *Et habes, & concupiscis, plenus es & sitis: hydropem habes Concupiscentiam.* Et rursum. *Hydropicus diues auarus, qui quo magis abundat, magis sitit.* Sanctus Item Gregorius: *Sanatur Hydropicus ante Pharizæum: per ægritudinem enim corporis illius, huius cordis ægritudo exprimitur.* 2. de quæst. Euang. Mor. 14.

Cùm porro multa sint in quibus vtraque simul conueniat hydropisis, tùm in eo præcipue quod pridem poëta dixerat: *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.* Satis id patet in corpore; quam vero non minus sit verum in animo, sic proposita Veritas totidem

pene verbis exprimit, *Hydropisis animi Concupiscentia quò sibi est indulgentior, eò sibi est dirior.* Quod certe si attente consideretur, non parum valet ad coërcendam illam indulgentiam. Sic autem euidenter declaratur. Eo sibi quisquis est dirior quo suum vltrò & sponte malum auget, malum scilicet quod est manifeste perniciosum animo, vel etiam corpori vel vtrique simul, vel alterutri separatim. Sunt itaque tria hic malorum genera distinguenda. Primum est eorum quæ corpus quidem affligunt, sed vel ipsi corpori vel animo salubritatem conferunt vt medicinæ, jejunia, Meditationes & pœnitentiæ voluntariæ, quæ sunt quidem mala corporis, sed mala salubria & necessaria quando discrete, opportune & rationabiliter vsurpantur. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.* 1. Cor. 9.

Secundum genus eorum est quæ solum affligunt animum vt Contritio, Zelus, Compassio & similia quæ dolorem certe inurunt sed salutiferum & optandum. *Etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet*, inquit Apostolus, *etsi pœniteret, videns quod epistola illa, etsi ad horam, vos contristauit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem, stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.* Quasi diceret, tristarer tristitia vestra tamquam vestro malo, nisi tristitia vestra bona esset & vestrum bonum. 2. Cor. 7.

Vnde tertium est mali genus quod est animi vel corporis, & vtrique sic perniciosum vt non modo sit infrugiferum & nullius emolumenti, vt sit etiam nociuum sanitati & saluti. Qualis est illa tristitia sæculi, tristitia de amissione temporalium aut de alio quouis diuerso casu, quæ quidem naturalis est & humana quoad primos saltem motus, sed dum vltrò augetur quà verbis, quà lamentis, quà diurnis & nocturnis comploratiombus, crudele est, sæuum ac dirum malum, tantòque dirior sibi quis esse dicetur, quanto malum hoc sibi volens augebit. *Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. Multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Nonne hoc est crudelem & dirum sibi esse, sic seipsum gratis occidere? Eccles. 30.

Atque idem de sæculari gaudio dixeris quod ex ambitione, ex luxu & gula & aliis sæculi voluptatibus percipitur, sicut

perniciosum

pernicioſum eſt animo malum & ſæpe corpori, ſic quiſquis ſibi malum illud auget, ſibi eſt plane dirus. *Qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Tunc *melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admouetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.* Tunc iſtis dicitur, *miſeri eſtote & lugete, & plorate; riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem:* quia ſcilicet talis riſus malum eſt animæ, quod quanto quis ſibi auget, ſibi certe eſt dirior. Nonne propterea dictum ab Angelo quod *qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ?* Cur porro niſi quia peccatum eſt animæ malum? Et nonne idcirco etiam quo qui malum illud in ſe augebunt, eò ſibi diriores erunt hoſtes?

Pr. 2. *Eccle. 7.* *Iac. 4.* *Tob. 12.*

II. PVNCTVM.

SED *quo ſibi eſt indulgentior Concupiſcentia, eò malum ſuum magis auget.*

Primo quale ſit malum Concupiſcentiæ, ſic vniuerſim deſcribit ſanctus Bernardus: *Quid in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Ab intus manat, de corde exit peſtiferum virus, ac deinceps corpus occupat vniuerſum, mentem deſideriis afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in vniuerſo corpore mollitiei ſenſus, & libido pernicioſa tangendi: inde intus in anima ebrietas illa deſideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accenſa.* Et paucis interiectis: *A planta pedis vſque ad verticem non eſt ſanitas in me, totum infecit Concupiſcentia. Lex peccati in membris omnibus inuenitur, vndique per feneſtras mors intrare contendit: & intus fomes totius nequitiæ periculoſius ſæuit, crudelius malignatur.* Breuius quidem ſacra Scriptura, ſed efficacius mala hæc omnia comprehendit quando totius mundi malitiam & cunctorum perniciem hominum ad hanc vnam refert cauſam: *Radix,* inquit, *omnium malorum eſt cupiditas.* Et rurſum: *fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem,* quaſi diceretur, ſi hanc effugeris, ſic totam mundi malignitatem effugies; aut è contra, *ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium*

Serm. de ſtu. tribulat. *1. Tim. 6.* *2. Pet. 1.* *Eccli. 18.*

inimicis. Id est, in potestatem eorum deuenies, periisti. Nihil magis ambit Dæmon quam vt illis indulgeas. Nihil minatur Deus
Ps. 80. acerbius quam quod, *Ibunt in adinuentionibus suis, Dimisi eos secundum desideria cordis eorum.*

Deinde vero, quod hic præsertim proponitur expendendum, Quò Concupiscentia sibi fuerit indulgentior, eo malum illud suum adaugebit; nam vel peccata erunt grauiora & frequentiora, quod certe magnum est mali augmentum, vel ipsa vehementius inflammabitur Concupiscentia, vt non modo ad singularem aliquem vitij actum repente conuolet, sed inde ad omnes prout occurrent, accendatur acrius, & quo plus sunt potæ plus sitiantur
Prou. 30. aquæ. Sic enim, *ignis est qui numquam dicit sufficit,* & qui fomentis
Ibid. alitur. Sanguisuga est cuius filiæ seu commotiones sic dicunt *semper, affer affer,* vt id dicant importunius quo plura illis attuleris :
Eccl. 7. Filiæ sunt *illæ quibus non est hilaris ostendenda facies,* vt monet Sa-
Pr. 29. piens. Seruus ille est *quem si delicate nutrieris, postea senties eum con-*
Ibid. 30. *tumacem.* Ancilla illa est quæ *si fuerit hæres Dominæ,* tantam excrescet in potentiam, *vt non possit eam sustinere terra.* Vinum illud est
Ib. 23. denique *quod aspicitur quando flauescit, & cum resplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè : sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Nonne hoc est malum augeri blanditiis ? nonne hoc est Concupiscentiæ perniciem ex Indulgentia crescere ? nonne hoc est de quo deinceps dubitandi nullus supersit locus cùm id tam variis Scriptura symbolis & figuris expresserit ?

III. PVNCTVM.

ERGO *hydropisis animi Concupiscentia quò sibi est indulgentior, eò sibi est dirior,* quia malum ipsa suum dum nutrit, auget: & dum malum suum auget tam dira sibi est quàm graue est illud malum quod fouet. Quid autem grauius malo illo quod est malorum
Serm. 3. de Resurr. Dom. omnium radix & seminarium ? *Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sæuissima :* si Diuo Bernardo credimus.
2. Cor. 11. Hic ille serpens quem maxime nobis timebat Apostolus, *ne sicut Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo. PRONA est enim in ventrem delecta-*
L. 6. ep. 42. *tio sicut serpens,* ait sanctus Ambrosius : *non pedibus incedens aut vllis eleuata cruribus, sed sinuoso fluxu totius velut corporis sui lubrica.*

Ei terra cibus est sicut serpenti, quoniam escam nescit cælestem. Corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum & tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus vnusquisque se euiscerat luxuriosus, helluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina? dissoluit ebrietas? distendit cruditas?

Hinc & apte sanctus Chrysostomus vitam in deliciis positam Meretrici comparat, cuius etsi cultus quidem & ornatus appareat splendidus, ipsa tamen eius facies paulo attentius intuenti sit fœda, horrida, aspera, amara, crudelis, Vnde & pergens: *Et in hoc maxime est,* inquit, *in quo sine venia habendi sunt cuncti quos decipit: quod cùm tam turpis sit eius vultus, barbarus ac truculentus, tamen multi ab ea capiantur. Et cùm videant apud eam cruenta omnia, periculis, mortibus & præcipitiis plena: cúmque eam stipari videant sodalibus pessimis, contumeliis dico, liuore, insidiis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis huiusmodi infaustis consortibus velut anguium corona circumdari, fructum vero in his nullum alium nisi interitum esse, perniciemque perpetuam, expetitur tamen à pluribus, & amabilis exoptabilisque habetur!* *Quod nemo læditur nisi à seipso.*

Quamobrem, vt scribit sanctus Basilius, *totum est corpus castigandum, ac feræ cuiusdam instar cohibendum, & ab ipso aduersus animam tumultus orientes, Ratione veluti flagello compescendi, ne frænum voluptati omnino laxando, Mens velut auriga ab equis contumacibus miserè rapiatur; ac inter cætera, Pythagoræ meminisse dicti oportet, qui videns quendam se cibis lautè curantem ac saginantem, Heus, inquit, miser, non desines continuo duriorem tibi carcerem præparare?* Et ne forsan frangaris animo, tanta tuæ concupiscentiæ potentia perturbatus, vel adhibendæ castigationis tam crebro repetitis admonitionibus perterrefactus; *Audi Consolationem*, inquit sanctus Bernardus; *peccatum in foribus est; Nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est: nisi sponte cesseris, nihil nocebit. Audi Consolationem: Consensum cohibe, ne præualeant hæc, & immaculatus eris, vt sine macula ingrediaris & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si tui non fuerint dominati tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum planè delictum quod interiorem & exteriorem hominem occupat vniuersum.* *Hom de legendis Gent. libris.* *Serm de festi uibul.*

Vide in 1. parte, Feria quinta infra Hebdomadam quintam post Epiph.

In 2. parte, Feria 5. infra quinquagesimam: Feria 4. & aliis se-

quentibus infra Hebdomadam Passionis: Feria 4. & 6. infra Hebdomadam 1. post Octauam Paschæ. In Festo sancti Marci. In sexta & septima Consideratione de variis statibus.

In 3. parte, Feria 4. infra Hebdomadam 5. post Octauam Pentecostes. Sabbato infra Hebdomadam nonam: ac præcipue Feria 6. infra decimam quartam, vbi hæc Veritas proponitur præcedenti satis conformis:

Etsi in aliis Concupiscentia sæpe peccatum munuit, in te tamen sæpius auget.

Vide etiam in Consideratione de voto Castitatis.

In 4. parte, Feria 4. infra Hebdomadam 17. Feria sexta & Sabbato infra decimam octauam. Feria 6. infra decimam nonam. Sabbato infra vigesimam tertiam. Tota pene Hebdomada vigesimo quarta. In Festo sancti Michaëlis, & S. Angeli Custodis: & S. Lucæ.

DE SANATO HYDROPICO.

Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit.

VERITATES PRACTICÆ.

Quod grauius in te est malum, hoc minus vis sanari.

Vide in 1. parte, Feria quinta infra Hebdomadam sextam post Epiphaniam.

In plagis sanitas.

Vide in 2. parte Dominicam. 1. post Pascha.

Quod videris tibi velle, velles quidem, sed vere non vis.

Vide Feria 2. infra Hebdomadam 12. ad hac Christi Verba. Vis sanus fieri?

CONTRA SVPERBIAM VEL AMBITIONEM.

Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.

VERITATES PRACTICÆ.

Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo Dæmonis humiliabitur.

In 2. parte, Feria 4. infra Hebdomadam Septuagesimæ.

Qui sectatur honores mundi quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum.

Dominica 4. Quadragesimæ.

Gloriam Christi vertimus in ignominiam, si aliam à Christo quærimus gloriam.

In 3. parte, Feria sexta infra Hebdomadam primam post Octauam Pentecostes.

Videnda tota Hebdomada infra Hebdomadam duodecimam, in eadem 3. parte.

DE HVMILITATE.

Cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco.

VERITATES PRACTICÆ.

Humilitas ita pugnat cum honoribus, vt non repugnet obedientiæ.

Quo quis est major, eò est humilior.

Se anteponit Christo qui se omnibus non postponit.

In 1. parte. In tribus postremis secundæ Aduentus Hebdomadæ feriis.

Quanto se humilis minorem facit, tanto magis magnificat Christum.

In 1. parte, Feria 4. infra Hebdomadam 4. Aduentus.

Veras virtutes magis times quam amas.

In 1. parte, die 19. Ianuarij.

Quo quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

In 2. parte, Feria 4. infra Hebdomadam 4. Quadragesimæ.

Quæ sunt ambitioso detrimenta, hæc sunt humili lucra.

Feria 4. infra Hebdomadam 2. post octauam Paschæ.

Hic erit verè maximus, qui verè est minimus.

In Festo S. Francisci de Paula.

Qui eminentior est in eminenti scientia, minus inter homines eminere cupit.

Feria 3. infra Hebdomadam Pentecostes.

Interrogatus quid primum, quid secundum, quid tertium, responde Humilitatem.

Feria sexta huius Hebdomadæ.

HAC HEBDOMADA agitur de Infantia seu paruitate Christiana, cuius cum plures sint partes siue proprietates, ex his aliæ sunt necessariæ ad veram Conuersionem, aliæ vero perutiles ad perfectionem consequendam & conseruandam, prout demon-

ſtratur in conſequentibus Chriſti Domini Verbis quæ habentur Matthæi capite decimo octauo, Marci nono, & Lucæ decimo ſeptimo.

FERIA SECVNDA.

DE NECESSITATE AC PRAESTANTIA INFANTIAE CHRISTIANAE.

Tres Veritates Practicæ proponuntur poſt explicatum Euangelicæ narrationis textum.

CVM Chriſtus Dominus pro ſe ac Petro ſolo, voluiſſet tributum ſolui, tum cæteros mouit Apoſtolos hæc cogitatio & quæſtio: *Quis eorum eſſet major.* Qua quidem in re, videbantur vtroque laborare vitio, nempe vitio Intellectus & altero Voluntatis, ſiue quod idem eſt: *Errore & Cupiditate.* Quod cùm non auderent propalare, nec vt aperte cogitabant inquirere à Domino; proponunt illi aliis Verbis, quis major eſſet in regno cœlorum. *Tum verò aduocans IESVS paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi Conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quaſi diceret, Tantum abeſt quamdiu ſic contendetis de primatu, vt quis veſtrum primas ſedes in illo cœlorum regno teneat, quin certo vobis affirmo neminem veſtrum eò ingreſſurum niſi ab illa conuerſus fuerit ambitione ſæculi, quæ vos agitat, & tam parum affectus fuerit ad vanos mundi honores, quàm hic paruulus qui de illis non cogitat.

Sic primo reſpondet Dominus ad eam ipſorum cogitationem & contentionem de qua diſceptabant, quis eorum eſſet major: Deinde autem ad Verba & ad eam interrogationem qua petebant, quis futurus ſit major in regno cœlorum, vt magis præciſe reſpondeat, hæc addit: *Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.* Quibus ſic breuiter delibatis, tres hæ poſſunt proponi Veritates Practicæ.

PRIMA VERITAS.

Aut baptismalis seruanda est innocentia, aut per infantiam spiritualem reuocanda.

RATIO EST, Quod in Regnum cælorum non intrabit aliquod coinquinatum, vt est in Apocalypsi.

Apoc. 21.

Sed nisi baptismalis seruata sic innocentia, vel nisi per infantiam spiritualem reuocetur, nullus intrabit regnum cælorum, aut intrabit aliquod coinquinatum.

Ergo aut baptismalis seruanda est innocentia, aut per Infantiam spiritualem reuocanda: Sicut expresse suos Christus docet.

PRIMA propositio nullam habet difficultatem. Secunda sic declaratur; Intraret in cœlum aliquod coinquinatum, si animus eò intraturus inordinato aliquo deprauatus esset affectu. Talis enim affectus, certe est aliquod coinquinatum & maculatum. At vero nisi adsit infantia spiritualis, non deerit inordinatus affectus quo animus deprauetur. Nihil namque est aliud Infantia illa spiritualis, quam simplicitas animi & puritas ab omnibus illis affectibus qui coinquinant animum & deprauant.

1. Pet. 2. *Sicut modo geniti Infantes*, inquit sanctus Petrus, quod quid sit de-

2. Pet. 3. clarans alibi, *Satagite*, ait, *immaculati & inuiolati ei inueniri in*

1. Cor. 14. *pace*. Quod & sanctus Paulus vno Verbo dixit, *Malitia paruuli estote*. Sic enim fidelis eius Interpres Diuus Chrysostomus hoc exponit Verbum: *Nihil eorum quæ sunt in terris quæratis*: affectu scilicet inordinato, *vt qui hoc mundo vtuntur, tanquam non vtantur, & tanquam paruuli qui quidquid quærunt, innocenter quærunt*. Sic & Diuus Hieronymus, *Tales sitis per virtutem, qualis puer per naturam*. Quasi diceret: Hæc est pueritia seu infantia spiritualis, sic purum esse quasi puerum: & hæc puritas intraturo regnum cœlorum tam est necessaria quàm non esse coinquinatum, cum nihil magis excludat coinquinationes animi quàm illa puritas.

Vnde & aperte concluditur, Ergo & tam necessaria est infantia

ſtantia ſpiritualis quæ eſt ipſa mentis puritas aut in baptiſmo infuſâ, qua velut infantes renaſcimur puri & immaculati, vel ſi forte perierit, per virtutem reuocatur, qua reſectis omnibus vitiis & concupiſcentiis ſimiles pueris, puritate morum efficimur. Sic egregie ſanctus Hilarius propoſitam explanans Chriſti ſententiam: *Non niſi reuerſos*, inquit, *in naturam puerorum introire regnum cœlorum Dominus docet, id eſt, per ſimplicitatem puerilem vitia corporum noſtrorum, animæque reuocanda.*

O quam pauci hæc cogitant, aut ex his etiam qui hæc cogitent quàm pauci credunt ſibi baptiſmalem eſſe conſeruandam innocentiam, aut reuocandam.

Audi vero ipſum Concilium Tridentinum, ne vt deinceps dubites: *Stolam*, inquit, *candidam & immaculatam iubentur ſtatim renouati conſeruare, vt eam perferant ante Tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.* Quaſi diceret, alioquin non habebunt vitam illam æternam quæ non datur niſi puris & immaculatis, quales ſunt pueri & infantes, non natura, non ætate: ſed virtute & gratia. Seſſ. 6. c. 7.

Quæ contra poſſent objici, ſequenti Veritate diluuntur.

SECVNDA VERITAS.

Niſi ab omni cupiditate voluntas, ſicut ab omni errore Intellectus verè conuertatur, vix vlla eſt vera Conuerſio.

RATIO EST, *Quia niſi Conuerſio ſit totius hominis, ſiue ex toto eius corde & animo: vix aut ne vix vlla eſt eius vera Conuerſio:* Sic enim expreſſè Dominus, *non eſt reuerſa ad me præuaricatrix in toto corde ſuo, ſed in mendacio.* Id eſt, ex parte quadam & non omnino, quod non eſt verè conuerti. Ier. 3.

Sed non eſt Conuerſio totius hominis, ſiue ex toto eius corde & animo niſi ab omni cupiditate voluntas, ſicut ab omni errore Intellectus verè conuertatur. Nam cum voluntas ſit æquè pars hominis ac intellectus, quomodo dici poterit homo conuerſus totus, niſi ex illa perinde ac alia parte ſit conuerſus? Quod ſi ad veram Intellectus Conuerſionem neceſſe fuerit vt omni prorſus errore liberetur, cur non ad veram voluntatis conuerſionem non etiam

oportebit vt omni praua cupiditate purgetur, cùm praua cupiditas sit æquè vitium voluntatis quod displicet Deo ac error Intellectus? Si nemo dubitat illum Intellectum nondum plenè esse conuersum in quo vel vnus voluntarius resideat error: cur dicetur voluntas conuersa, si voluntariam & inordinatam aliquam retineat cupiditatem? Nonne tantum subtrahitur ex toto corde quod est dandum Deo, quantum prauæ datur cupiditati? Quomodo igitur fiet Conuersio ex illo toto si permittatur illa
1. Reg. 7. subtractio? *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri.* Nonne ad Ecclesiæ sanctitatem atque ad puritatem Religionis Catholicæ spectat, sic condemnare quodlibet vitium, ac quemuis errorem? Nonne iam audiuisti ex magno Leone Papa: *Virum Catholicum sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari?* Quid clarius? Quid expressius? Et tamen quid rarius, quam sic vnumquemque velle se ab omni prorsus cupiditate auertere, sicut ab omni errore liberari? Qui errare velit & decipi vix vllus est: qui verè inordinatè cupiant hoc tam multi volunt quàm multi sunt suis in affectibus parum ordinati!

Nec dicant non esse lethiferam & grauem illam suam cupiditatem qua permouentur, sed leuem aliquam & venialem quo nemo liber & immunis existit. Quid enim graue peccarant Apostoli quibus dicitur quod nisi conuertantur & fiant sicut paruuli non intrabunt in regnum cœlorum? An putas illorum contentionem fuisse mortiferam? Non est credibile. An te putas minus superbum aut vanum, quam illi? Hoc ipsum esset magis vanum si tu id crederes. Hoc itaque cogitandum, quod quamtumcumque leuis sit cupiditas, si voluntaria est, cito crescet & in mortalem desinet, vt ex sancto Thoma & aliis Patribus, fuse alibi est demonstratum: vnde colligitur quod voluntaria cupiditas est velut proxima quædam occasio ad grauius crimen; & sicut non diceretur conuersus à peccato qui nollet eius incurrendi occasiones quas apud se habet, relinquere; sic plane qui nolit omnem prauum affectum deponere, vnde nimis procliue est in lethalem recidere.

Neque illud excusat quod nemo à peccato sit liber, nam aliud est ex fragilitate vel inaduertentia nonnihil aliquando peccare, & aliud ex deprauato & voluntario affectu. Sicut aliud est er-

rare imprudenter seu nescienter, quod fit sæpe humanitùs; & aliud scientem ac volentem errare. Vnde rursum eò te prouoco quod sicut volens ac libens nolles errorem vel leuem fouere in animo, sic plane neque velle debes cupiditatem leuem. Et sicut conuertendus ab hæresi qui nollet aliquos sectæ suæ libros vel socios deserere quibuscum periculosum esset conuersari, nonne illum vrgeres & premeres ne quid tale retineret? Nonne si peruicax esset in illa sua voluntate, quamtumcumque suos omnes alios videretur errores abjicere, suspectus tamen tibi esset, & vix bene conuersus crederetur? Sic prorsus de quouis alio grauiori crimine, si quod est grauius, deponis quidem; at quod est leuius, retines. Suspecta mihi est & valde dubia talis Conuersio, neque enim ex toto est qualem esse oportet. *Cum quæsieris Dominum Deum, inuenies: si tamen toto corde quæsieris, & ex tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. 4.

Denique, quod rem omnem conficit, nec ab omni vmquam errore poteris vindicari & conuerti nisi ab omni simul cupiditate conuertaris, nam ipsa cupiditas error est vel in causa vel in effectu. Nihil concupiscis nisi quod putas bonum, & tam crebro erras quam male concupiscis: aut enim deprauatus affectus deprauat intellectum & inducit in errorem; aut errans intellectus voluntatem corrumpit & inflectit in vitium. Hinc illa tam frequenter in Scripturis. *Risum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid frustrà deciperis? Animæ dolosæ errant in peccatis. Errant qui operantur malum:* & luculente Apostolus, *veterem ait hominem corrumpi secundum desideria erroris*: Id est, desideria quæ vel errore concipiuntur, vel in errorem inducunt, Et tu qui errare non vis, quomodo desideria voles erroris? Aut quomodo non vides tantùm illa esse cauenda, quantùm ipse cauere vis ne vmquam erres, aut quantum curas inde auocari & reuerti vbi forte erraueris. Eccl. 2. Prou. 13. & 14. Ephes. 4.

Quod si dura hæc & creditu tibi & facto esse videntur, ad hoc aduocanda est Infantia spiritualis quæ nos ita dociles & obtemperantes Verbo Dei reddit, *quasi simplices filij Dei sine murmurationibus & hæsitationibus*, inquit Apostolus. Ac ne putes tuæ maturitati ætatis iniuriam aliquam facere si repuerascat in illam animi facilitatem & docilitatem, idcirco sequens adjicitur Veritas de præstantia siue de maturitate infantiæ spiritualis, quæ à Christo nobis commendatur. Phil. 2.

TERTIA VERITAS PRACTICA.

Non est ætas maturior Infantiâ Christianâ.

RATIO EST, Quia maturior ætas illa dicitur in qua Ratio & vera sapientia magis vigent.

Sed magis vigent in Infantia Christiana quàm in vlla vitæ naturalis parte, prout est naturalis & humana.

Ergo nulla est ætas maturior, ac proinde non est timenda ne ætati nostræ præjudicet: imo idcirco est procuranda, vt quod naturæ deest, virtute nobis accedat & gratia.

I. PVNCTVM.

PROPOSITÆ Veritatis fundamentum hoc est, quòd illa dicitur ætas maturior in qua Ratio & vera sapientia
Sap. 4. magis vigent. *Senectus enim venerabilis est*, aït Sapiens, *non diuturna neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus*
Ep. 60. *hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Quod explanans sanctus Ambrosius: *Verè*, inquit, *senectus illa est venerabilis quæ non canis sed meritis albescit. Ea enim est reuerenda canities quæ est canities animæ in canis cogitationibus & operibus effulgens.* Sanctus quoque Basilius
In Prou. in Prouerbiis: *Senior secundum animam est qui prudentia perfectus est, qualis erat Daniel, quamquam corpore iuuenis, sapientiam ac grauitatem omni canitie præstantiorem præ se ferens. Idcirco ei dicunt illi qui erant pleni dierum malorum, huc accede, sede in medio nostrum, nun-*
In Lausiaca *tiaque nobis quomodo senioris ac presbyteri honorem tibi dederit Deus.*
c. 19. Sic, referente Palladio sanctus Macharius Abbas Alexandrinus dictus est Παιδαριογέρων puer senex, quod in puerili ætate senilem sapientiam gereret. Vt è contra dicuntur *bis pueri senes* qui in senili ætate puerilem ostendunt lenitatem.

Denique sit nobis instar omnium Christus Dominus qui dum infans & adhuc in vtero castissimæ Matris esset, vir dictus est à
Ier 31. Propheta, *Fæmina circumdabit Virum*, quia scilicet in eo iam tum
Zach. 6. vigebat Ratio, & Vir per excellentiam ab aliis dicitur quia in eo

vigebat Ratio præstantissima & omni ex parte absoluta Sapientia. Vnde quotquot propius ad hanc rationis & sapientiæ maturitatem accedent, nonne eò verius eorum ætas erit maturior & perfectior? Sic nos optabat Apostolus, *docentes omnem hominem in* Coloss. 1. *omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Ephes. 4. Et alibi, *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Id est, sic maturi & perfecti ætate qualis erat Christus Dominus non annorum numero, sed recto rationis vsu & sapientiæ maturitate. Sed quis eo posset peruenire? Satis est ô anima mea, satis est eò contendere quantùm in te erit, cum Gratia; nec arguéris si non perueneris: sed nisi quantum potes, contenderis.

II. PVNCTVM.

SED in infantia Christiana maxime vigent Ratio & sapientia. Nam cùm ex Scriptura & Patribus iam visum sit Infantiam illam in hoc vel maxime consistere vt quidquid boni & laudabile pueri per ætatem faciunt, hoc fiat à viris, Virtute & studio: Certe non potest id ita fieri nisi multum adsit rationis & sapientiæ; Vnde Apostolus postquam dixit, *malitia paruuli estote*, statim addit, *sensibus autem perfecti estote*, quasi diceret, non aliter viros posse esse virtute paruulos nisi sint eximij & perfecti viri: Quod & alibi confirmat cum ait: *Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* 1. Cor. 14. Id est, hoc ipso quo simplicitate & puritate puerili malum omne Rom. 16. fugietis, verè tum sapientes eritis, cum nihil nisi quod bonum est & laudabile fiet à vobis. Sic & sanctus Ambrosius cum in eo quod scripsit de officiis opere, virum ex omni parte perfectum format, sic illum instruit: *Ita te compara vt quasi puer malitiam non exerceas: omnia à te innocenter proficiscantur. Non consideres quid ab aliis in te referatur. Locum tuum serua, simplicitatem & puritatem pectoris tui custodi.* l. 2. off. c. 11. Atque idem sanctus Doctor cum fratrem suum Satyrum inde vel maxime prædicaret, vt iam supra notatum est, quod *conuersus videretur in puerum simplicitate illius ætatis innoxia:* mox illud jungit, *quod sic perfectæ virtutis effigie reluceret.* Adeo verum est quod sic virum abstinere omni malo, & sic innocentem ac purum esse, qualis est puer, non possit esse nisi viri ratione præstantis eximia, nec non sapientiæ singularis ornati dotibus. Et *certe si timor Domini* Iob. 28. *ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia*, vt est in libro Iob:

Nonne oportet singularem illam sapientiam & intelligentiam inesse in ea infantia, cui cauere omne malum est tam proprium & particulare, vt ex hoc vno dicatur infantia Christiana? Sic præclare Tertullianus ad ea quæ ex sancto Paulo superius dicta sunt: *Repuerascere nos,* inquit, *& Apostolus iubet secundum Deum, vt malitiæ infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus, Diuinæ sapientiæ ordinem de simplicitate amando.* Sic & apte sanctus Ioannes Chrysostomus: *Hoc enim supremæ Philosophiæ culmen est, vt cùm prudens sis nihil ficti, nihil simulati asciscas. Id Angelorum vita est; Ea nos volentes faciamus quæ ingenita paruulus atque insita duce natura facit.* Satisne tibi videtur esse rationis & sapientiæ beatis illis in Angelis qui toti sunt spiritus & toti Ratio? Si vero talis est in Infantia Christiana Ratio qualem esse in Angelis audiuisti, nonne tibi supra humanam rationem sapere dicenda erit tua ætas?

In Valent.

Hom. 63. in Matth.

III. PVNCTVM.

NON *igitur esse potest vlla ætas maturior Infantiâ Christiana,* cùm in illa Ratione & Sapientia qua repletur talis infantia, totus sit positus maturioris ætatis status & tota eius perfectio. *Facti sumus paruuli in medio vestrum,* dicebat ille Apostolus qui se factum Virum alibi refert, & quæcumque essent paruuli plane euacuasse: nempe cùm factus est Christianus & Christi Apostolus, tunc vir est factus, & quæ erant Iudaismi, velut paruuli præ Christiano statu euacuata sunt; sed vir ille factus, factus est simul paruulus cum paruulorum simplicitatem & puritatem suo viuendi genere perfectisque Virtutum omnium actibus sic exprimebat, vt nullus esset Apostolo infantior, & nullus eo sapientior. Tu vero tibi à simplicitate timebis? timebisne quid rationi tuæ, ne quid sapientiæ detractum inde videatur! O te vecordem & insanum qui de vera sapientia tam male sentis! Esto, depereat tibi aliquid de mundana & carnali sapientia: Si Diuina eius loco tibi substituitur, an idcirco de sapientia tibi detractum censes? Itane de diuitiis subtractum diceres, si argento ferrum, si auro plumbum tibi redimeretur? Nonne hæc sunt lucra, quæ sunt detrimenta? Nonne hoc est se tanto fœlicius inuenire, quanto te infœlicius putabis perdere? Ne timeas igitur Infantiam Christianam quasi tunc à viro degeneres, nam in illa perfectio viri est. Sed verere potius ne si renueris esse

1. Thess. 2.
1. Cor. 13.
Phil. 3.

infans secundum Christum, tunc desinas Christiane sapere, nec de viro retineas nisi nomen & vitium. *Doctrina sua noscetur vir*, ait viroru̅m Sapientissimus & stultissimus. Sapientissimus dum cœlesti Doctrinæ credidit; stultissimus quando illam abiecit. *Prov. 12.* *Ibid. 30.*

Vide in 2. p. Dominica in Albis, ad hac verba: *Quasi modo geniti Infantes.*



FERIA TERTIA.

DE ALTITVDINE PARVITATIS CHRISTIANAE QVAE MINOREM FACIT MAIOREM.

Nam qui minor est inter vos omnes, hic Major est. Luc. 9.

VERITAS PRACTICA.

Quàm verè Christus Maior est inter omnes homines, tam certo qui minor est inter nos omnes, hic Maior est.

RATIO EST, Quia quod certò facit majorem aut minorem inter nos, est iudicium certius quo ita iudicatur.

Sed quam verè Christus major est inter omnes homines tam certo iudicium eius quo ipse iudicat minorem esse majorem, est certius aliis omnibus iudiciis.

Ergo sic est vt Ipse dicit, & quam verè Christus major est inter omnes homines, tam certò qui minor est inter nos omnes, hic est major. Et tamen quis Christo credit, cum vix vllus sit qui nolit esse major, & vix vllus qui se minorem faciat?

I. PVNCTVM.

VAM Christus Dominus protulit sententiam de sublimitate paruitatis Christianæ, qua qui minor est, hic fit major, tanto cultu par est à nobis omnibus suscipi, vt quibus sit concepta terminis, particulatim ante omnia contemplemur. Três illam referunt Euangelistæ, & vnusquisque eorum particulare aliquid annotat quod pondus verbis addit, non leuiter expen-

Matth. 18. dendum. Sic sanctus Matthæus: *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Sanctus autem Marcus: *Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.* Sanctus denique Lucas: *Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.*

Marci 9. Luc. 9.

Quorum quidem omnium idem est sensus & planus: sed tamen ita variatus, vt in re tam noua, tam paradoxa, tamque momentosa tanto clarius cerneretur, quanto variis loquendi formulis velut multiplicatis radiis illustraretur. Quamobrem sua luce sic lucebat Christi Sententia, vt nec opus esset alia Veritate proponenda, nec ipsa Veritas aliud quo magis reluceret lumen exigeret, cum præsertim tam multa de his iam dicta sint, quæ proximè præcedenti hebdomada sunt indicata. Tanti tamen refert de hoc argumento magis ac magis instrui siue propter eius necessitatem, siue propter animi nostri peruicaciam qui contrà semper obnititur vt numquam satis dictum & cogitatum censeri debeat. Non quidem vt aliud à Christo proponatur, sed quàm verum, quam clarum & quàm certo illud tenendum sit quod Christus proposuit, quantum fieri potest, manifestius declaretur. Quid autem manifestius quam quod ipse Christus Dominus *inter omnes Maior est homines?* At porro quam id clarum & apertum est, tam certum ac indubitatum tibi modo denuntiatur esse illud quod dicit, *Qui minor est inter nos omnes, hic maior est*; Vnde nihil plane dubij aut incerti quidquam superesse possit.

Ratio peti posset vniuersum ab Illius Celsitudine qui loquitur, qui cum sit prima Veritas, nec falli potest nec fallere: sed præcise magis inde deducitur quod illius de rebus Iudicium sit certius humano quouis iudicio. Hoc est enim, generatim loquendo, quod majorem aut minorem inter nos facit, hoc est quo vnus præfertur alteri, hoc est quo vnus commendatur, & alius deprimitur, nempe

Iudicium

Iudicium humanum, Iudicium quo de rebus homines æstimant aut de se inuicem iudicant. Dic cur diuites præferantur pauperibus? Nonne quia sic homines sentiunt de diuitiis & sic de illo quem alteri anteponunt? Dic quamobrem inter Clericos ordinate procedentes in publicis supplicationibus, qui primi solent incedere, postremi dignitate sunt; & postremi ordine, sunt dignitate primi? Quia sic videlicet censent homines, sic iudicant & loquuntur. Cum è contra inter Laicos habeatur? Quia contrarium de his humanum fertur iudicium. Vnde illud profectò accidit quod si humanum de rebus iudicium sit varium & diuersum, tanto illæ res quæ anteponuntur aliis certius anteponuntur, quanto erit certius & verius eorum Iudicium qui de rebus illis iudicant: Ac propterea rebus in dubiis, rerum earum intelligentes ac periti adeuntur à quibus quod ignoras intelligas. Nonne hic est vsitatus agendi modus? Nonne propterea quando Iudices condemnarunt Susannam adulterij, statim *credidit populus tamquam Iudicibus*: sed *reuertimini ad Iudicium*, dixit illis puer Daniel quia certe illi errabant iudicio quod iniquum protulerant. O quam sæpe sic erratur in mundo, ô quam sæpe sic dicendum esset, reuertimini ad Iudicium. Non erratur quod peritis & rerum Intelligentibus credatur potius quam aliis, sed erratur quod periti habeantur iudicij qui reuera sunt imperiti: aut quod qui periti sunt, sint corrupti & deprauati, nec velint quod rectum est iudicare. Dan. 13.

II. PVNCTVM.

SED *quam vere Christus major est inter omnes homines, tam certe iudicium quo ipse iudicat minorem esse majorem, certius est aliis omnibus iudiciis.*

Tria hic tibi declaranda essent si quid eorum lateret. Primum est quid sit esse minorem quem Christus sic æstimat & magnifacit, neque enim est qualiscumque puer, nec mendicus, aut ignarus, aut plebeius, aut quiuis ex fæce populi, qui cum vulgo minores sint, non sunt propterea majores coram Christo: Quis est igitur ille minor, aut quis ille humiliatus secundum Mathæum, aut nouissimus secundum Marcum? Nempe is qui vltro & sponte se humiliat siue diues aut pauper fuerit, siue doctus siue ignarus, siue grandæuus siue iuuenis, dum se intus ex animo nihili faciat, &

nihili foris ab aliis fieri gaudeat vel patiatur, cedatque omnibus, ac injuriam sufferre potius quam inferre malit, hic est qui se humiliat, hic est qui se nouissimum facit, hic est minor quem Christus majorem facit.

Secundum, quid sit majorem à Christo fieri; nempe æstimari, duci, & talem haberi iudicio & voluntate; Iudicio quidem quia sic de illo sentit & loquitur sic anteponit aliis, quemadmodum homines diuitem pauperi præferunt: Voluntate vero, quia talem magis diligit, magis fouet, majoribus auget hic bonis gratiæ, pluribusque remunerat in cœlo gloriæ gradibus. Quod præclare figuratum fuit in illis minoribus natu qui majoribus suis fratribus apud antiquos illos Patres prælati sunt. Sic Abel ætate minor, major est Cain: sic Isaac Ismaëlem præcedit; sic Iacob *Matth. 20.* Esau; sic Rubenum Ioseph: sic Manassez Ephraim, sic Iudæos Gentiles: sic qui nouissimi erant, facti sunt primi, & qui primi nouissimi: Vnde hæc sunt egregia sancti Ioannis Chrysostomi: *Hom. ad pop.* *Paulus dicens, non sum dignus vocari Apostolus, & propter hæc omnium primus factus est. Itidem & Ioannes, non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, & ideo amicus fuit sponsi; & manum quam dixit esse calceamento indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat, Exi à me quia peccator homo sum, Domine: & idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum quàm cum extremis peccatoribus semetipsum connumerare. Hoc est totius Sapientiæ principium.*

Adde idem de Beatissima Virgine quæ dum se ancillam fecit Domini, facta est eius Mater. Et de ipso Christo Domino qui quo ascendit inferius, eo superius est euectus, vt expresse ait *Ephes. 4.* Apostolus. *Quod ascendit, quid est nisi quia & descendit? Primum in inferiores partes terræ. Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos vt impleret omnia.*

Quod Christus Dominus in se sic voluit exhiberi vt luculentius esset testimonium suæ in paruos & humiles propensionis.

Tertium denique ac præcipuũ quod hic perpendas non tam est explicandum vberius quam attente & pensiculate pon'erandum. Quid enim clarius quam quod de certitudine Iudicij, Christi asseritur? Quid apertius quam quod illud longe verius est quouis humano iudicio? Quid planius quàm eo ipso quo major est inter omnes homines, eo certius esse & verius eius Iudicium? Nam cur

Major est nisi sua Diuinitate, sua Scientia, sua Sanctitate, sua Sapientia cæterisque suis Diuinis ac humanis attributis? At nonne ex his omnibus patet quam sit verius eius Iudicium? *Si iudico ego*, inquit ipse, *Iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater*; Quasi diceret, Idem est Dei Patris ac meum iudicium, vnde sicut Ille nec errare nec in errorem potest inducere, sic neque ego. Quod & paulo ante iam dixerat. *Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Id est, nihil quidquam cogitari potest, quod me ab Illo separet nec iudicio, nec voluntate: Vnde idem prorsus sentimus & iudicamus. Ioan. 8. Ibid. 5.

Hæc sunt inquam expendenda, quia tam efficacia sunt paulo attente cogitanti, vt nisi quis eorum efficaciam sentiat, non ea satis expendat.

III. PVNCTVM.

ATQVE hinc Conclusio facilis: *Quàm vere igitur Christus Major est inter homines, tam certò qui minor est inter nos omnes, hic Major est.* Quia sic Christus iudicat, quia quod iudicat rectum est; & quia rectum iudicium est ex quo fit vt quis sit alio major. Sic est constitutus omnium Iudex, sic paruos & humiliatos exaltabit, sic elatos humiliabit, sic quantum quis glorificauit se & in deliciis fuit, tantum iubet dari tormentum & luctum, vt expresse habetur in Apocalypsi. Act. 10. Apoc. 18.

Quid contra est quod opponas? Quid, nisi humanum Iudicium quod aliter de rebus statuit, & de hominibus censet? Sed vtrum verius est humanum an Diuinum Iudicium? Vtrum est ex duobus vnde iudicaberis & condemnaberis? Quid de Christo sentis præ cæteris hominibus? An diuisus est Christus vt ipse quidem aliqua sui parte cæteris præstet hominibus, iudicio vero postponatur? Itane Christum æstimas, vt quæ est in Illo & nobis pars præstantior, nempe Iudicium, tu parte illa postponas hominibus Christum?

Quid de Ioanne Baptista sentis? An tibi videtur inter natos mulierum Major esse? Cur porro nisi quia sic Christus iudicauit & dixit? At vero ipse sic de minori iudicat; Cur non idem credes? Quia videlicet quidquid de sancto Ioanne aut de aliis Matth. 11.

dicatur, non ita res tua agitur, quàm cum de te humiliando fit quæstio. Tunc enim natura deprauata magis mouetur, & quantum fugit humiliari, tantùm veritates refugit humiliantes minusque probat & credit. Nonne hoc in te aduertis? Nonne vides quam sit hoc inordinatum & peruersum? Nonne hoc est metiri veritatem ex sensu carnis? Nonne hoc est veritatem Dei *in iniustitia detinere*? Caue hæc probra & scandala. *Qui timent Dominum*, inquit Sapiens, *non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conseruabunt viam illius*. Quasi diceret, qui sunt incredibiles Verbo Domini, & qui non conseruant in praxi viam illius, qualis est humilitas & humiliatio, nec timent nec diligunt Dominum, quia si timerent, crederent Verbo eius: & si diligerent, sequerentur eius exemplum. Hoc est esse nimis audacem & impium, nec Verbis nec factis Christi credere.

Rom. 1.

Eccli. 2.

FERIA QVARTA.

DE CORREPTIONE FRATERNA.

Si peccauerit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Matth. 18.

VERITAS PRACTICA.

Si quis corripi noluerit, hoc ipso magis est corripiendus.

RATIO EST, Quia qui corripi noluerit, grauius peccat, grauiusque suo peccato periclitatur.

Sed qui talis est, magis est corripiendus.

Ergo qui corripi noluerit, hoc ipso magis corripiendus est. Quæ quidem Veritas vtrumque spectat officium Correptionis, seu dandæ seu accipiendæ: in quo vtroque multi grauiter peccant.

I. PVNCTVM.

LICET proprie ad Charitatem proximi spectet præceptum Correptionis, quia tamen in ea danda & accipienda oportet multum esse humiles & dociles, apte ad præcedentia Christus Dominus hæc adiecit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrum tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* In quibus Christi Domini Verbis sicut præceptum est de facienda Correptione, ita est de audienda; & quia difficilius est eam audire quam facere, idcirco in id etiam attentius incumbendum, ac propterea ex multis quæ circa hanc materiam proponi possent, hæc opportuna magis visa est Veritas tum Correpturo tum Corripiendo: *Vt si quis corripi noluerit hoc ipso magis corripiatur.*

Sic expressis verbis sanctus Augustinus: *Quicumque*, ait, *corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tua vitia demonstrari, non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor quo Medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, vt cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est, quod malus es; & majus vitium, corripi nolle quia malus es: quasi laudanda vel indifferenter habenda sint vitia, vt neque laudentur, neque vituperentur, aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor vel dolor.* Et quæ plura prosequitur, in quibus ipsa propositæ Veritatis Ratio continetur. Qui videlicet corripi nolunt, grauius peccant & in grauiori versantur periculo; nam ad Illud de quo corripiendi sunt, hoc addentes quod nolint corrigi, manifeste ostendunt se suam amare culpam, seque in ea velle persistere, quod certe grauius est quam primum illud quod perpetrarunt. Vnde est illud egregium Sapientis: *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris*, Id est, nota quædam expressa, vt nemo dubitet quin sit peccator: argumentum est animi valde deprauati. Vnde & Idem Sapiens: *ô quàm bonum est, correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum.* Quasi non esset voluntarium nec tam graue nisi cùm Correptio non libenter suscipitur.

L. de corrept. & gra. c. 5.

Eccl. 21.

Ibid. 20.

Periculum autem est euidens, quia quid damnosius quam in peccato tenacius inhærere nec ab eo velle emergere? *Numquid qui* *Ier. 8.*

cadit non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? quare ergo auersus est populus iste auersione contentiosa? hæc est scilicet auersio contentiosa quando correptus contendit cum corripiente, quando se à monente auertit & monita negligit; quæ auersio & contentio in Deum recidunt qui peccato remedium per hanc Correptionem afferebat; & nolenti remedium quid superest nisi certus interitus? Sic Propheta quidam Regi Amasiæ qui se monentem auertebat: 2. Paral. 25 *Scio,* inquit, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.* Quasi diceret, hoc est præcipue quod diuinam in te concitauit iram, quod moneri nolueris & corripi. Quod & Sapientia malos puniens, hoc imprimis vrget Prou. 1. quo esse malos demonstrat, *eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ.* Numquid hoc est graue & periculosum?

II. PVNCTVM.

SED qui sic grauius peccat, grauiusque periclitatur, magis corripiendus est.

Nam si peccator propter peccati cuiuslibet malitiam & inde consequentia damna corripiendus est, certe tanto est magis corripiendus quantò grauior est peccati seu peccantis malitia, & quantò sunt grauiora peccati damna. Sicut de pœna dicitur, Deut. 25. *pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Si Charitatis est ex quouis damno & periculo proximum eripere, Charitas longe magis moueri debet ad præstandum subsidium, quando damnosius erit periculum. Rom. 14. *Infirmum in fide assumite.* Si humilitatis est, culpam suam agnoscere, certe quo culpa erit grauior, eo magis humilitas excitetur necesse est, vt se peccator agnoscat. Hier. in Psalmis. *Omnis mons & collis humiliabitur,* sed mons magis humiliandus vt fiat quod sequitur: *Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Si medicus videat in corpore carnes putridas, & dicat quid ad me pertinet, scias,* inquit Diuus Hieronymus, *quia crudelis est: sic qui videt lethalem alterius culpam.* Serm. 16. de verbis Dom. Vnde & iterum sanctus Augustinus: *Si neglexeris, pejor es. Ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum perire vides & negligis? pejor es tacendo, quam ille conuitiando.* Nam, vt ait sanctus Chrysostomus,

cùm quis peccat sæpe passione mouetur, nec aduertit se peccare; Tu vero qui peccantem videas nec admoneas, quantum præsenti es animo vt agnoscas motiuum quo moueri debes ad illum coercendum, tanto grauius peccas, si tam iusto desis officio. Et licet admonitus reluctetur, licet contrà sæuire videatur, hoc ipso suauius & fortius est continendus. Nam *sic phrenetici nolunt ligari, sic lethargici nolunt excitari: sed Charitas illum ligat, istum stimulat, ambos amat: ambo offenduntur, sed ambo diliguntur: ambo indignantur ægri, sed sanati gratulantur.* Nonne hoc præstares ægris? Nonne tu æger velles tibi hæc præstari? Aug. ep. 167.

III. PVNCTVM.

SI *quis igitur corripi noluerit hoc ipso est magis corripiendus.* Quia Majorem sui corripiendi præbet causam: sic enim ita sæpe affectus est vt nisi admoneatur, pereat suo in peccato, vnde à te admonitus emergeret, tuque illum lucrareris, vt ait Dominus. Quod certe & illi & tibi ponderosa est ratio colendæ correptionis. Sic enim apte sanctus Augustinus ad correptum: *Quid est lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est?* Quale quantumque est, Deus immortalis, sic saluari aut perire animam! *Non alliges duplicia peccata*, inquit Sapiens, *Nec enim in vno eris immunis.* Hoc ad vtrumque spectat, siue illum qui delinquentem debet corripere, siue qui debet coripi; nisi Correptio debite detur & accipiatur, peccata duplicantur, & sibi sic inuicem alligantur: vt non modo qui recusat corripi se duplici peccato reum faciat vt dictum est, sed qui etiam recusat corripere, nam contra Charitatem peccat, & sibi quodammodo allinit vitium alienum, eiusdemque se culpæ ac pœnæ participem facit. De Verbis dom. ser. 16. Eccles. 7.

O quam diuersa sunt illa! *Lucrari fratrem qui periret, aut perire cum illo quem lucrari neglexeris! ERIT ANIMA TVA PRO ANIMA EIVS. Sanguinem eius de manu tua requiram.* Non contremiscis ad illas voces? Non recordaris & deploras quoties vel nolueris alium admonere, vel à nullo admoneri? Quàm multa modico redemisses pretio si vel dare vel accipere Verbum salutis voluisses? *Horum mihi nihil accidisset*: exclamabat Augustus, *si aut Agrippa aut Mæcenas vixisset.* Pudet quidem 3. Reg. 20. Ezech. 3. Sen. l. 6. de ben. c. 32.

Profani verba & exempla tam sacris inserere monitis quæ nobis suggeruntur, sed magis pudet non esse inter Christianos qui aut libere moneant fratrem suum sicut Agrippa & Mæcenas admonebant Imperatorem Augustum, aut non esse qui libenter monentes audiant sicut Imperator Augustus audiebat Mæcenatem
Ecclesi. 17. & Agrippam. *Mandauit vnicuique de proximo suo.* Vnico sæpe
Ibid. 4. Verbo res tota versatur. *Ne reuerearis proximum tuum in casu suo: nec retineas Verbum in tempore salutis.* Sæpe vno vultus nutu res
Eccle. 7. tota conficitur: *Nam per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* O quam paucis res magnæ constant! ô quam magnis res paruæ redimuntur, si tamen vmquam redimuntur! Vide in 3. parte, Sabbato Hebdom. 11. vbi hæc Veritas exhibetur:

Rape ad Eum quos potes. Nam si potes & non rapis, tot cœlo perdis, quot Christo lucrari poteras.

FERIA QVINTA.

DE CONDONANDIS INIVRIIS.

Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Matth. 18.

VERITAS PRACTICA.

Si semel sunt condonandæ injuriæ: sunt semper condonandæ.

Vel nullas vmquam rectè voles condonare injurias: vel semper omnes condonare voles.

RATIO EST, *Quia nullas vmquam recte voles condonare injurias, nisi sit ita recte ordinata voluntas, vt quomodo, quantumque debes, tantum velis condonare.*

Sed

Sed nisi semper velis omnes condonare, non ita recte voluntas ordinata erit.

Ergo vel nullas vmquam rectè voles condonare iniurias, quod esset nimis impium, vel omnes semper condonabis, quod est statuendum.

I. PVNCTVM.

HOC præceptum Domini de condonandis iniuriis sit exprimit & connectit cum præcedentibus sanctus Matthæus: *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit, Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? Vsque septies? Dicit illi Iesus, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* In quo quidem præcepto non modo Charitas exercetur, sed & humilitas cum præsertim Iniuriæ remittendæ, honorem & famam spectent. Sed quod magis hîc obseruandum, modus ille est præcipiendi quo non tantum septies sed vsque septuagies septies, id est, semper & quoties peccat in te aliquis, condonandum est illi. *Non numero concludit remissionem*, ait sanctus Chrysostomus, *sed quod continuè & semper est, significat.* Nemo enim dubitet & nemo nolit aliquas aliquando condonare iniurias, sed si frequentiores ab vno & eodem, vel atrociores inferantur, tum vix vllus est qui remittat & qui non putet se iuste posse vlcisci. At contra Dominus, semper: & perinde cùm septuagies septies peccatum in te fuerit atque cum septies. Quod vt melius intelligatur & ad praxim reuocetur, audi & perpende accurate propositam Veritatem: *Vel nullas vmquam rectè voles condonare iniurias, vel omnes semper voles condonare.*

Ratio quoad primam præcipuè partem, tam plana fusaque est, vt vix aliud adjicias. Quid enim clarius quam quod asseritur, voluntatem vt aliquid recte velit, sic prius debere esse in se ordinatam circa illud obiectum suum, vt quemadmodum debet illud velle, sic ipsa velit? Nonne hoc est quod Christus dixit de *bono thesauro proferri bona, & de arbore bona bonos produci fructus? Numquid de tribulis ficus, aut de spinis vua? Numquid salsa dulcem facit aquam?* Quod cum vniuersim sit verum de omni actu voluntatis, tum de illo præcipue quo sunt remittendæ iniuriæ, nam cum ex Matth. 12. Iac. 3.

vna parte sinceram omnino necesse sit & minime fictam in hoc esse negotio voluntatem: ex alia vero tam multa sint quæ in condonandis injuriis sinceritatem illam labefactent, profecto nisi voluntati rectè ordinandæ diligenter prospiciatur, non recte volet quod se velle finget. Vel enim vni parcet & non alteri: vel vnam tantum condonabit injuriam & non aliam; vel vno forte in loco & tempore, non aliàs: vel propter humanum duntaxat finem, & non Diuinum: vel in aliis denique deerrabit circumstantiis quæ sunt ita necessariæ vt si vel vna desit, si vel vna sit quam non amplectatur voluntas, nec sit ita ordinata & affecta vt pure quemadmodum, quantumque debet remittere, tantum velit: nullas vmquam rectè remittat. Etiamsi videatur vni prorsus condonare, non recte condonabit, nisi sit ipsa recta voluntas seu recte ordinata ex aliis partibus quæ hanc voluntatis perficiunt rectitudinem.
Math. 23. *Pharizæe cæce, munda & rectifica prius quod intus est, vt quod deforis est, fiat mundum & rectum.* Securis ad radicem ponatur. *Aut facite arbo-*
Matth. 12. *rem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Id est, nisi bona fiat arbor, fiet mala, malique consequenter fructus.

II. PVNCTVM.

SED nisi semper velis omnes condonare iniurias, non recta erit, non sic erit ordinata voluntas, vt quemadmodum, quantumque debet, tantum velit remittere.

Hoc enim modo & numero debet velle remittere, quo diuina lege iubetur. Hæc est humanæ voluntatis regula, Lex diuina, cui se totam omnino sic conformare debet nostra voluntas vt non aliter sit ordinata & recta quàm prout se illi suæ conformat regulæ: neque humanis actibus ordinandis apta esse potest, nisi prius
1. 2. q. 19. ipsa diuino se aptet & subjiciat ordini. *Ad legem diuinam comparatur*
a. 4. q. 21. *humana ratio,* inquit sanctus Thomas, *vt causa secunda primæ subor-*
a. 1. *dinata.*

Lege autem diuina iubemur omnes prorsus & semper condo-
Leuit. 19. nare injurias. Audi vt loquitur: *Non quæres vltionem, nec memor*
Prou. 20. *eris iniuriæ ciuium tuorum. NE DICAS, reddam malum, expe-*
Ibid. 24. *cta Dominum & liberabit te. NE DICAS, quomodo fecit mihi, sic faciam ei, reddam vnicuique opus suum.* Videsne vt negatiuis

vtatur terminis, qui præceptum reddunt sic amplum & absolutum, vt nulli vmquam liceat quouis loco & tempore secus audere, nisi se graui obstringat crimine.

Quod Dominus in noua lege, vt quæ statuta erant in veteri, de hac materia, confirmaret & declararet vberius, suis illis Verbis quibus iussit, *septuagies septies*, id est, quoties in te peccabitur, condonandas esse iniurias, subjecit Parabolam de debitore decem millium talentorum, quæ occurret infra commodius explicanda, & cuius hic vnus est scopus, vt quod iam sæpe dixerat, probe intelligamus, non aliter remittenda nobis à Deo esse debita quàm sicut aliis nostra remiserimus: quantumque voluerimus nobis Deum condonare, tantum & ipsi velimus proximo. Hic siste, hic immorare, hic teipsum vrge: quonam velles modo tibi tua condonaret Deus? Nonne semper? Nonne omnia prorsus peccata? Nonne omni quo posset gratioso & beneuolo modo? Sic tu proinde conformiter. Sic tu nisi semper sic velis omnes condonare iniurias non est recta tua voluntas, non vult quemadmodum & quantum debet, non vult quantum iubet Deus, non vult quantum ipsa vellet sibi remitti, non vult se Diuinæ legi subjicere, sed Diuinam sibi vellet subjici legem. O prauitatem humani cordis! *Quomodo dicitis, Sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est?*

Domin. 21.

Ier. 8.

III. PVNCTVM.

VEL *nullas igitur vmquam recte voles condonare iniurias, vel semper omnes condonare voles*; Quia non recte voles nisi voluntas sit recta: non erit autem recta nisi ad regulam suam quæ est Diuina lex & voluntas, adæquetur: nec adæquabitur nisi omnes velit prorsus remittere, cum Diuina hæc sit voluntas tam sæpe nobis denuntiata quàm frequenter oramus vt *dimittat nobis sicut dimittimus*. Qua de oratione vide quæ supra dicta sunt Feria sexta, infra Hebdomadam sextam post octauam Pentecostes, quibus hanc egregiam Sapientis adjunge paræneslm: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam! In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis depre-*

Eccli. 28.

catur! Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Memento nouissimorum, & desine inimicari. Memorare timorem proximi, & noli irascari proximo. Memorare testamentum Altissimi, & respice ignorantiam proximi.

Quibus in Verbis sex motiua condonandæ semper omnis iniuriæ continentur: Primum, quia sic Deus præcipit, hoc est eius testamentum, qui propterea hic dicitur Altissimus, vt summum eius Dominium magis reuereamur. Secundum, quia sic semper oramus Eum, vt nobis semper parcat. Tertium, quia cùm Major sit distantia inter Deum & nos, quàm inter hominem & hominem, seu dignitate seu potentia, longe præstat nos nobis similibus omnia condonare, quam Deum nobis. Quartum; nisi hoc præstemus, sit prorsus absurdum, impium, & nobis perniciosissimum quod precemur Deum, vt id nobis concedat. Quintum, in morte vellemus omnes omnibus condonare, cur non ergo modo? Sextum, alioquin nullus Dei timor & cultus, nulla eius Religio: & quod in morte volemus, non rectè id volemus, non propter Deum, non ex sinceritate animi, non ex lege & Charitate, nullas vnquam recte condonabis. Nam cùm sit idem modo Dominus ac in morte, cum sit idem præceptum, eademque pœna proposita dum viuimus, ac dum morimur: apparet solo metu in morte fieri, quod dum viueres, noluisti: quæ sic autem metu volumus quæ nollemus extra metum, vix dici possunt libere & recte volita: Potest quidem id ita fieri: sed potest etiam & frequentius non fieri, nec est certe Sapientis sic incerto salutem casui credere quam potes commode securiorem facere.
Hebr. 2. *Quomodo nos effugiemus*, ait Apostolus, *si tantam neglexerimus salutem?*



FERIA SEXTA.

DE HVMILITATE AD CÆTERAS COMPARATA VIRTVTES.

Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite,

ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17.

VERITAS PRACTICA.

Interrogatus quid primum in præceptis Chriſtianæ religionis obſeruandum, quid ſecundum, quid tertium? Reſponde cum ſancto Auguſtino, Humilitatem.

RATIO EST, Quia quod ſimul eſt cæterorum omnium quæ obſeruari debent initium, medium, & finis ſeu complementum, reſponderi debet illud eſſe primum, ſecundum & tertium obſeruandum.

Sed talis eſt inter virtutes, Humilitas, vt ſit cæterorum omnium quæ obſeruari debent, initium, medium, & finis ſeu complementum.

Ergo reſponderi debet illud eſſe primum, ſecundum & tertium obſeruandum; ſicque reipſa ſingulariter in omnibus obſeruari debet.

I. PVNCTVM.

POSTQVAM ſanctus Lucas breuiter retulit quæ ſuperiora fuſius ex ſancto Matthæo vidimus, ſic in narrandis Domini Verbis conſequenter pergit, *Quis autem veſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem qui regreſſus de agro dicat illi, ſtatim tranſi & recumbe; & non dicat ei, para quod cœnem & præcinge te, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam, & poſt hæc tu manducabis & bibes. Numquid gratiam habet ſeruo illi quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto; Sic & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quibus in Verbis Dominus etiam conjungit Charitatem cum humilitate, vt ſupra vidimus, in eaque conjunctione plurimum com-

mendat Infantiam & Docilitatem Christianam quæ & omnia præcepta perfecte complet, & iis completis tam abiecte suos alumnos de seipsis sentire suadet, vt non alios se, quam seruos inutiles sentiant. Quæ certe tanta est Humilitatis commendatio vt non potuerit paucioribus declarari verbis quàm quæ habentur in Veritate proposita, quæ tota est ex sancto Augustino, cuius sunt præclara hæc in epistolis verba: *Nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus cùm interrogatus esset quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cùm quæreretur quid secundo, eandem pronuntiationem: quid tertio, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse. Sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet.*

Ep. 56. ad Dioscorum.

Hæc ille sanctus Doctor cuius sola fultus authoritate, tu idem plane respondere deberes, sed ipse tibi rationem sui dicti subministrat, cùm ait sic necessariam ad omnia bene agenda humilitatem, vt nisi cuncta præcedat, comitetur & subsequatur, nulla sint omnia quæcumque facimus, nulla sint bona opera, nullæ virtutes; quia videlicet alioquin totum extorquet seu inficit & nullum reddit superbia. Quod perinde est ac si breuius diceret, quidquid est simul cæterorum omnium quæ obseruari debent, initium, medium, & finis seu complementum, responderi debet illud esse primum, secundum, & tertium obseruandum; Sic enim facilius vniuersa comprehenduntur quæ aliis terminis exprimi possent, & nihil ad Deum magis videtur accedere, quam quod omnium agendorum suo modo sic est initium, & medium, ac finis, sicut de Deo perfectè id dicitur; *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* O bonitatem eius infinitam qui talem nobis impertit Virtutem, qua eius Bonitatem tam copiosè & excellenter participare possimus.

Rom. 11.

II. PVNCTVM.

SED *talis est inter Virtutes, Humilitas, vt sit simul cæterorum omnium quæ obseruari debent initium, medium, & finis seu complementum.* Primo quidem Initium seu fundamentum & radix, nihil crebrius apud omnes Patres, & nihil reipsa verius. *Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas*, inquit sanctus Cyprianus, *nec in cælo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster Paruulus attulit, & à cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita quod exhibuit in persona.* Sic sanctus Gregorius in moralibus, *Quia origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, humilitate perdurat, à qua nimirum si abscinditur, arescit, quia viuificantem se in intimis humorem Charitatis perdit.* Sanctus quoque Bernardus, *Nisi super humilitatis stabili fundamento, spirituale ædificium stare minime potest.* Quod ipsum particulatim dixerat sanctus Augustinus: *Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam extruere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* Sic autem explicat Diuus Thomas, *vt id sit indirectè per modum remonentis prohibens, inquantum scilicet expellit superbiam cui Deus resistit, & præbet hominem subditum & paratum ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ. Vnde dicitur Iacobi quarto, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Directè vero fides dicitur fundamentum per quod scilicet, posito primo, iam ad Deum propius acceditur.* O quàm vere Propheta, *mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.*

Serm. de Nat. Christi

27. Mor. c. vlt.

Serm. 36. in Cant.

Serm 10. de verbis Domini.

2. 2. q. 161. a. 5.

Is. 37.

Quod autem Humilitas sit medium, Id est, connexio, nutrimentum, robur, & fortitudo virtutum: Sic iidem fuse sancti Patres, imprimisque sanctus Ambrosius, *Omnium Virtutum inexpugnabilis fortitudo & quædam suorum est vita membrorum.* Valde obseruanda verba. Sic sanctus Hieronymus. *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius; Hæc est enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutum omniū.* S. quoque Ioannes Chrysostomus: *Virtus non est, nisi conjunctam habeas humilitatem, hæc est inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituali vi dejici, sed omnibus insidiis inaccessum facit & inuictum, quasi ex adamante constructum esset, magnasque nobis diuinæ largitatis retributiones affert:*

Ep. 84. ad Demetr.

Ep. ad Celantiam.

Hom. 35. in Gen.

In quibus verbis duplex illa continetur ratio quæ iam allata est, cur sit ita potens humilitas, Prima quod sæuiorem hostem, qui est vanæ gloriæ appetitus, coerceat: Sic enim ille alibi, *vt saui quidam venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt. Vt & arena cum vndis misceatur, sic extitat mentis impetum gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile, honorem autem à multis collatum multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ cuiusdam animæ ipsum cœlestis testitudinis verticem tangentis. Non est enim, non est vitium ita tyrannicum, & vbique dominans.* Vnde cum Humilitas expugnet hoc vitium, quod omnes simul inuadit virtutes, tum facilius singulæ se contra proprios tuentur hostes. Altera vero causa est quod diuinum accersat præsidium, sicut passim habent Scripturæ, *quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.*

Hom. 43. ad pop.

Ps. 17.

Denique quod sit finis & complementum, sic innuit sanctus Ambrosius: *Humilitas Virtutum omnium caput est quæ totum velut quoddam nostrorum actuum fouet corpus.* Sanctus vero Basilius sic planius docet, *Humilitas tutissimus est virtutum omnium thesaurus: Hæc est hominis sublimitas, hæc gloria & magnificentia.* Cassianus item post multa de hoc argumento: *Euidenter itaque monstratur non posse quemquam perfectionis finem ac puritatis attingere nisi per humilitatem veram, quam primitus fratribus reddens, Deo quoque in penetralibus cordis exhibeat.*

In Ps. 118.

In Constit. Hom. de humilitate.

L. 12. Instit. c. 23.

Est quidem Charitas, vinculum perfectionis, & virtutum excellentissima: sed Charitatis perfectio & excellentia hæc est, vt postquam omnia perfecte feceris, seruum te inutilem pronunties, & ad noua semper aut perfectiora prouoceris quasi nihil adhuc fecisses, vt est in Canticis: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Magna quidem hæc Charitas, sic omnem dare substantiam domus suæ: sed ista est major, si quasi nihil esset datum, ad ampliora fere extendas: & quanto altius te Charitas effert, tanto te inferius humilitas deprimat: vnde sanctus Hieronymus, *Nihil est quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.* Vt è contra nihil absurdius & indignius quàm si exiguus merito, inter insignes apparere velit. O quam multi tamen, quàm multi hoc appetunt.

Cant. 8.

ad Celant. Ep. 20. l. 2.

III. PVNCTVM.

III. PVNCTVM.

HVMILITAS igitur illa est virtus quæ inter virtutes magis est obseruanda, & de qua responderi potest quod sit prima, secunda, tertia, & quoties interrogatus fueris, toties responderi debeat, humilitas quæ est initium, medium, & finis virtutum omnium, atque adeo signum certius quo cæteræ possideantur virtutes, quo sit præsens Spiritus sanctus, & quo electus sit aliquis ad futuram gloriam. Sic dilucidè sanctus Gregorius: *Mens quæ Diuino Spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet & humilitatem, quasi vtraque perfectè in vna mente conueniant, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferat.* Itemque alibi. *Quia Redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan Rex dicitur superborum, aperte cognoscimus quod euidentissimum superborum signum superbia est, at contrà humilitas electorum.* 1. Dial. 20.

Quo quid efficacius ad oppositi vitij concitandum odium, atque ad conciliandum amorem virtutis & continuam eius praxim? Parumne tibi esse videtur, signum ferre salutis, aut condemnationis æternæ? Adeone dura humilitas vt ferri non possit ad promerendum cœlum? Adeone suauis superbia, vt despici numquam possit ad declinandum infernum? Non aliter alta mundi & superba intuere quin simul audias in inferno clamantes: *Quid nobis profuit superbia?* Sap. 5. Nec aliter Christianæ Religionis humilia respicias, quin tibi hæ Christi voces simul insonent; *Talium est enim regnum cœlorum*; Matth. 19. Vt quanta est inter cœlum & infernum dignitatis distantia, tanta tibi semper inter humilitatem & superbiam obuersetur disparitas.

SABBATO.

DE COMMOTIONE APOSTOLORVM CONTRA SAMARITANOS.

Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Luc. 9.

VERITAS PRACTICA.

Non in Commotione Dominus, & non in igne Dominus.

VERBA Scripturæ sunt quæ infra fusius referuntur; In hunc vero sensum hic assumuntur vt intelligamus cauendam repentinam illam commotionem, qua interdum ex Zelo acriori excitamur in Proximum.

RATIO EST, Quia cauenda illa est Commotio in qua non est Dominus, seu quæ non eius Spiritu excitatur.

Sed commotio illa qua plerumque acrius in proximum agimur, & quæ Zelus putatur, non est à Domino.

Ergo cauenda est plurimum; & Mansuetudo filiorum Domini potius inducenda.

I. PVNCTVM.

ET *factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilaam.* Sic breuiter de hoc itinere sanctus Lucas eodem capite, & sequenti textu, vnde hesterna deprompta sunt: aiuntque Interpretes hunc esse transitum per Samariam, de quo Idem Euangelista multò ante loquutus fuerat: quando scilicet non receperunt eum Samaritani *quia facies eius*
Luc. 9. *erat euntis in Ierusalem.* Quod cum vidissent discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo & consumat illos? Et conuersus increpauit illos dicens, Nescitis cuius Spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.*

Ex qua narratione illud potissimum in Considerationem venit, quod ita commoti fuerint illi Apostoli contra Samaritanos

vt nihil nisi ignem respirarint. Sic enim sæpe aliquos Zelus acrior commouet, quæ commotio sapit potius Spiritum Eliæ quàm Iesu Christi, qui & propterea *nescitis*, inquit, *cuius spiritus estis*. Quasi diceret, putatis vos moueri bono Zelo pro me, sed hunc non probo Zelum, non est hic Spiritus meus qui ad suauitatem & patientiam animos mouet non ad vindictam.

Et certe in ipso Elia iam pridem ostenderat Deus illum vehementiorem Spiritum non ita sibi probari ac suauem; quando scilicet Prophetæ apparuit Dominus: *Et ecce*, inquit Scriptura, *Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; Non in Spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem, ignis: non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias operuit vultum suum pallio.* Quia tunc videlicet flante illo suaui vento, apparebat Diuina Majestas, vt indicaret sibi magis placere lenitatem & suauitatem in puniendis etiam peccatoribus, quàm nimiam austeritatem; atque ita velle se vt sui hoc suaui spiritu potius quam amaro ferantur. Hinc ergo proposita nobis Veritas iisdemque Scripturæ conceptâ verbis, ad cauendam illam Commotionem ab acriori Zelo excitatam. Quia illa est Commotio & ille ignis de quibus dicitur, *Non in commotione & non in igne Dominus.* 3 Reg. 19.

Sic autem formatur Ratio. Cùm quæuis animi perturbatio, vel Commotio quæ non excitatur à Domino sit cauenda, tum illa est præcipue coercenda quæ Zelo diuinæ gloriæ, salutisque animarum prætenditur. Hoc est enim in ira grauius, cum, vt ait S.Gregorius, *ira stimulus, iustitiæ Zelus putatur. Et cùm vitium Virtus creditur, sine metu culpa cumulatur.* Adde quod sub prætextu pietatis tum facile Dæmon & naturale Ingenium possunt cuiuis illudere; nec parum damnosa est talis illusio quæ Deum falso colit, quæ proximo male irascitur, & quæ in propriam desæuit animam. *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* quid perdis animam proximi tui falso illo Zelo quo te illum saluare putas? *Putasne bene irasceris tu*, si propter alienam duntaxat culpam irasceris? An si certo scires Deum hanc non probare iram, velles illam excitari? Nonne ira quæ sine Deo est, ira est in ipsum Deum cum sit naturæ corruptæ vitium quod Deus vetat? 3. p. past. adm. 17. Iob. 18. Ionæ 4.

II. PVNCTVM.

SED Commotio illa in proximum quæ putatur Zelus, & quæ tamen est acrior & acerbior quàm vera ferat Charitas, non est à Domino.

Eccles. 24. Non est hic eius spiritus *qui super mel dulcis est, & hæreditas eius super mel & fauum.* Incensus quidem & vehemens esse aliquando potest ille zelus quem Dominus in suis excitat, sed vehementiam illam tanta moderatur suauitas, vt ipse qui arguitur gaudeat sic se vehementius argui. *Etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem, per Caritatem seruant*, inquit sanctus Gregorius. Hinc forte Apostolus tanta cautione commendat, *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*, Quasi diceret, Res est non parui momenti: Mens in Deum dirigenda; spectanda est natura diuinæ Gratiæ, non naturæ nostræ commotio; Cauendum diligenter ne cùm in suauitatem nos diuina impellat Gratia, nostro nos amaro ingenio sinamus potius abripi, sicque peccatores arceamus quos ipse aduocabat Dominus. *Non sit dispensator tenax*, inquit sanctus Chrysostomus, *vbi paterfamilias largus est. Si Deus benignus, cur Sacerdos austerus? Debet namque se conformare Domino cuius vices gerit. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est & onus leue.* At quomodo sibi hoc persuadebunt peccatores qui nihil nisi austerum & amarum in Sacerdote viderint? quomodo hi austeritate sua mansuetudinem Christianam persuadebunt? quomodo ipsi excandescentes, aliorum iram ex Euangelij disciplina mitigabunt? quomodo denique ne vlla vmquam perturbatione se sinant inferiores agi docebunt Superiores, si dum ipsi hoc docent, acrius perturbentur? Non est hic Domini spiritus, non est hic eius ductus & animus. Nam si vel antiquos illos pastores ex graui lege Mosaica dominantes arguit, Ezech. 34. *quod cum austeritate imperarent & cum potentia*, quomodo putas feret eos qui noua in lege gratiæ non alio quam veteri ferantur spiritu?

(Hom. 34. in Euang. — Hebr. 12. — In c. 23. Matth.)

O quàm apte & præclare sanctus Iacobus: etsi alias iam forte auditus, vix vmquam tamen opportunius, vt qui præ cæteris sibi sapientes & disciplinati videntur, voluntque indisciplinatos

amarius cohibere, discant non esse à Domino talem amaritudinem: *Quis Sapiens*, inquit, *& disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione, operationem suam, in mansuetudine Sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus Veritatem. Non est enim ista Sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis.* Iac. 3.

Numquid tu exardesces in hunc sanctum Apostolum, qui ne in peccantes grauius exardescas, tam suauiter monet?

III. PVNCTVM.

CAVENDA *est igitur illa Commotio quæ est acrior & vehementior*, quia in illa non est Dominus qui putatur adesse cùm putatur esse zelus, & est potius inordinatus naturæ impetus vel Dæmonis illudentis ardor qui sic consumat & atterat animos, non qui verè illustret aut sincerè accendat.

Adducite mihi psaltem, aiebat Elizeus paulo nimis commotus; 4. Reg. 3. Rogatus quippe à Rege vt sciret à Domino quid futurum esset, rogaturus Propheta Dominum prius de se per psaltem sedando cogitat, quia videlicet non in commotione Dominus, non in igne, sed in suauitate & lenitate. Sic Idem paulo post Propheta Ibid. 4. non potuit puerum suscitare per baculum ipsi appositum, sed per seipsum incumbendo illi vt scriptura refert, quo de miraculo sic aptè in rem nostram Petrus Damiani: *Is quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se paruulo accommodauit & compescuit, facile erexit & suscitauit.* L. de contemptu sæculi c. 28. Notum est illud & obuium quod S. Dionysius refert de sancto Carpo paulo Ep. 8. acerbius in peccatores Zelante. Certum est etiam posse multos in aliud labi extremum lenitatis, multosque similes illi esse quem sanctus Gregorius arguit, *quod nihil cum grauitate valeret disponere, sed modo studeret peccantibus leniter blandiri, modo inordinatè & extra modum nimiè irasceretur.* L. 9. ep. 42. Vrbico Abbati. Vnde & Idem sanctus Papa in pastorali egregiam admonitionem habet contra nimis mansuetos *qui dissolutionis torpescunt tædio: & contra iracundos qui rectitudinis fal-* 3. part. adm. 17.

II. PVNCTVM.

SED Commotio illa in proximum quæ putatur Zelus, & quæ tamen est acrior & acerbior quàm vera ferat Charitas, non est à Domino.

Ecclesi. 24. Non est hic eius spiritus *qui super mel dulcis est, & hæreditas eius super mel & fauum.* Incensus quidem & vehemens esse aliquando potest ille zelus quem Dominus in suis excitat, sed vehementiam illam tanta moderatur suauitas, vt ipse qui arguitur gaudeat sic se vehementius argui. *Etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem, per Caritatem seruant*, inquit sanctus Gregorius. (Hom. 34. in Euang.) Hinc forte Apostolus tanta cautione commendat, *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*, (Hebr. 12.) Quasi diceret, Res est non parui momenti: Mens in Deum dirigenda; spectanda est natura diuinæ Gratiæ, non naturæ nostræ commotio; Cauendum diligenter ne cùm in suauitatem nos diuina impellat Gratia, nostro nos amaro ingenio sinamus potius abripi, sicque peccatores arceamus quos ipse aduocabat Dominus. *Non sit dispensator tenax*, inquit sanctus Chrysostomus, *vbi paterfamilias largus est. Si Deus benignus, cur Sacerdos austerus? Debet namque se conformare Domino cuius vices gerit. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est & onus leue.* (In c. 23. Matth.) At quomodo sibi hoc persuadebunt peccatores qui nihil nisi austerum & amarum in Sacerdote viderint? quomodo hi austeritate sua mansuetudinem Christianam persuadebunt? quomodo ipsi excandescentes, aliorum iram ex Euangelij disciplina mitigabunt? quomodo denique ne vlla vmquam perturbatione se sinant inferiores agi docebunt Superiores, si dum ipsi hoc docent, acrius perturbentur? Non est hic Domini spiritus, non est hic eius ductus & animus. Nam si vel antiquos illos pastores ex graui lege Mosaica dominantes arguit, *quod cum austeritate imperarent & cum potentia*, (Ezech. 34.) quomodo putas feret eos qui noua in lege gratiæ non alio quam veteri ferantur spiritu?

O quàm apte & præclare sanctus Iacobus: etsi alias iam forte auditus, vix vmquam tamen opportunius, vt qui præ cæteris sibi sapientes & disciplinati videntur, voluntque indisciplinatos

amarius cohibere, diſcant non eſſe à Domino talem amaritudinem: *Quis Sapiens*, inquit, *& diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione, operationem ſuam, in manſuetudine Sapientiæ. Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus Veritatem. Non eſt enim iſta Sapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis.* Iac. 3.

Numquid tu exardeſces in hunc ſanctum Apoſtolum, qui ne in peccantes grauius exardeſcas, tam ſuauiter monet?

III. PVNCTVM.

CAVENDA *eſt igitur illa Commotio quæ eſt acrior & vehementior*, quia in illa non eſt Dominus qui putatur adeſſe cùm putatur eſſe zelus, & eſt potius inordinatus naturæ impetus vel Dæmonis illudentis ardor qui ſic conſumat & atterat animos, non qui vere illuſtret aut ſincere accendat.

Adducite mihi pſaltem, aiebat Elizeus paulo nimis commotus; 4. Reg. 3. Rogatus quippe à Rege vt ſciret à Domino quid futurum eſſet, rogaturus Propheta Dominum prius de ſe per pſaltem ſedando cogitat, quia videlicet non in commotione Dominus, non in igne, ſed in ſuauitate & lenitate. Sic Idem paulo poſt Propheta Ibid. 4. non potuit puerum ſuſcitare per baculum ipſi appoſitum, ſed per ſeipſum incumbendo illi vt ſcriptura refert, quo de miraculo ſic apte in rem noſtram Petrus Damiani: *Is quem terroris virga ſuſcitare non poterat, per amoris ſpiritum ad vitam redit, dumque ſe paruulo accommodauit & compeſcuit, facile erexit & ſuſcitauit.* Notum eſt L. de contemptu ſæculi c. 28. illud & obuium quod S. Dionyſius refert de ſancto Carpo paulo Ep. 8. acerbius in peccatores Zelante. Certum eſt etiam poſſe multos in aliud labi extremum lenitatis, multoſque ſimiles illi eſſe quem ſanctus Gregorius arguit, *quod nihil cum grauitate valeret diſponere, ſed modo ſtuderet peccantibus leniter blandiri, modo inordinatè & extra modum nimiè iraſceretur.* Vnde & Idem ſanctus Papa in paſtorali egregiam admonitionem habet contra nimis manſuetos *qui diſſolutionis torpeſcunt tædio: & contra iracundos qui rectitudinis ſal-* L. 9. ep. 42. Vrbico Abbati. 3. part. adm. 17.

luntur zelo, & quos cùm furor agit in præceps, ignorant quidquid irati faciunt, ignorant quidquid patiuntur à semetipsis. Qui certe magis quàm alij sunt odibiles & inuisi. Nam crudelitatis genus est, ait sanctus Chrysostomus, *velle ab aliis austeritate habere, quod mansuetudine poteras accipere.* Et in periculo alterutrius incurrendi extremi, melius esset, vt ait Idem, *propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem*; Minùs peccat qui minùs austerus est, quàm qui nimis.

In 23. Matth.

Vide in 1. p. in Vigilia Natiuitatis Domini, vbi hæc habetur Veritas:

Mansuetudo parat hospitium Christo venturo.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

DE MAGNO CHARITATIS MANDATO.
ET DE CHRISTO FILIO DEI.

Quid est mandatum magnum in lege? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Matth. 22.

CVM varias quæstiones Christo Domino Pharizæi proponerent hac sola mente vt quid in ipso carpi posset, aucuparentur; tum visum est vni ex ipsis se callide rem promoturum si de primo mandato quæstionem excitaret. Non enim subdolus ignorabat quodnam illud esset primum mandatum, sed quia Christus se Filium Dei ac Deum esse dicebat, mens erat interrogantis Pharizæi dare Christo ansam explicandi de se mandati, seu ad se referendi, quasi esset ille Dominus Deus qui ex toto corde esset diligendus: quod quidem si auderet pronuntiare, tum vel ridiculus haberetur, vel blasphemus, vel impius, qui quod nefas erat, auderet Scripturis sacris & Diuinis mandatis aliquid addere. Hoc est tentasse Dominum, hoc est excitasse illum ad dicendum aliquid quo implicaretur, hoc est quod ait Euangelista: *Et interrogauit eum vnus ex eis Legis Doctor, tentans eum: Magister, quid est mandatum magnum in lege?* Tum porrò Dominus, ipsum

Deut. 6. vnum legis textum proferens, ait illi. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.*

At vero vt intelligerent ipsum non latere quod clanculum molirentur, atque vt ipsimet ex Scripturis clare agnoscerent & profiterentur Christum illum, siue quem expectabant Messiam, non minus futurum Deum quam hominem, congregatos simul omnes Pharizæos interrogauit Dominus: *Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum dicens: dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere Verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Quia videlicet se videbant ita vrgeri sua propria confessione, vt iam dubitare non possent quin ille esset Deus quem Dauid Rex vocaret Dominum suum: nam filius præsertim nondum natus non solet vocari Dominus à Patre præsertim rege, vnde restabat concludere Christum esse plus quam hominem, & esse filium Dei ac verum Deum. Sicut enim Dauid dicens, *dixit Dominus*, intelligebat Deum, sic dum diceret, *Domino meo*, non aliud intelligebat quam ipsum Deum, licet is alius ab alio esset, personâ non substantiâ. Atque hæc ad Intelligentiam Euangelij hodierni, vnde quam plurimæ Veritates Practicæ possunt erui.

Prima ex subdola Pharizeorum mente.

Væ duplici corde.

Ratio fusè declarata videri potest in 1. parte, Feria sexta infra Hebdomadam 3. post Epiphaniam, vbi quæcumque spectant ad salutarem cum Directore Communicationem de Conscientia, referuntur.

Secunda, ne quis suam excuset malitiam prætextu boni finis, seu rectæ sibi propositæ Intentionis:

Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Habetur in eadem prima parte, die secunda Ianuarij.

Tertia,

Tertia, circa quæstionem de mandato magno.

Qui non satis audet in magnis, nimis audet in paruis.

Declaratur in 2. parte, Feria quinta infra Hebdomadam Pentecostes.

Quarta & consequentes de primo ipso mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.

Aurum ignitum est amor Dei, in quo non tam ardor quàm puritas quæritur.

Non viuitur in amore Dei, sine dolore.

Numquam est Dei amor otiosus.

Amor nonnisi amore compensatur.

In 1. parte, infra Hebdomadam Aduentus tertiam.

Aut nullam cordis partem, aut totam debes Deo.

In eadem 1. parte, die 4. Ianuarij.

Nisi quod monet Sapiens: omni custodia serues cor tuum, non omnino seruas.

Tantum proficies, quantum à te deficies.

Est quidem certum in Charitate vnionem esse perfectionis: sed non est certo dicenda hæc Charitas, neque hæc vnio, nisi in obedientia quæ dicitur Charitatis.

In eadem 1. parte, Feria 4. 5. & 6. infra Hebdomadam 4. post Epiphaniam: Quæ ad proxime sequentem Dominicam forte aptius reseruari possent.

Hæc sponsæ fides est, vt sicut neminem præter sponsum velit diligere, ita velit à nullo diligi.

Sabbato infra Hebdomadam 6. post Epiphaniam.

Aut nulla aut tota est Charitas in agendis, sicut fides in credendis.

In 2. parte, Feria 4. infra Hebdomadam 4. post Pascha.

Cura rerum minimarum rem procurat omnium maximam.

In 3. parte, Sabbato infra Hebdomadam 4. post Pentecosten.

Quo minus Concupiscentiæ mortificabis, eo magis à Concupiscentia mortificaberis.

In eadem 3. parte, Feria 4. infra Hebdomadam quintam.

In qua etiam parte videri potest Feria 4. infra Hebdomadam septimam, vbi de dilectione pœnitentis animæ, & alibi plura Verbo *Charitas.*

Inquirenti Deo cur voluntatem ipsius non facias, hoc vnum infame respondendum habes, Nolo.

In 4. parte, Feria 5. infra Hebdomadam decimam octauam post Pentecosten.

Quæ spectant autem Charitatem proximi, simul habes collecta in 3. parte, Dominica 12. post Pentecosten.

ADDI vero possunt illis superioribus alibi declaratis Veritatibus, hæ sequentes, huic loco magis propriæ.

Non quantum, sed ex quanto fiat, quidquid fit, quærit Deus.

RATIO EST, Quia Deus à nobis quærit maximè diligi. Hic est enim finis præcepti, *Charitas de corde puro*, vt ait Apostolus. (*1. Tim. 1.*) Et post enumerata omnia beneficia quibus populum suum Deus abunde cumulauerat, sic Moses semper concludit: *Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum ac seruias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua.* (*Deut. 10.*) Et certe cùm nihil sit excellentius Charitate, quid est quod magis velle possit Deus? Nam si quid aliud esset quod magis vellet, tum illud esset excellentius Charitate.

SED quando fit aliquid propter Deum, magis demonstratur diligi Deus ex quanto illud fiat, quam quantum fiat. Nam cùm dicitur *quantum*, dicitur opus externum vt orare, jejunare, pati aduersa, misereri aliis, eleemosynas facere, condonare iniurias & alia misericordiæ opera exercere. Cùm autem dicitur, *ex quanto*, non

tam ſpectatur opus externum quàm operantis animus, Cordis affectus, ſeu voluntatis propenſio, quæ prout magis aut minus affecta fuerit, tunc ex quanto quid fuerit factum dicitur, vt ex quanto affectu oret, jeiunet & alia bona faciat vel mala patiatur. Iam verò quis neſciat in hoc interiori affectu magis ſpectari Charitatem, quam in externo quouis opere? Quis neſciat ex duobus idem opus externum præſtantibus, tanto aliud præſtare alteri quantò ex illis alteruter magis affectus fuerit? Imo quis neſciat tùm minus externum opus ſemper præſtare majori quando fit ex majori corde, & animo lubentiori? Cur ita porro niſi quia tum major præſtatur dilectio cùm quid ex magno corde fit, quam ſi quid tantummodo magnum fiat? *Det vobis cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti:* Hoc eſt qui multum diligat Deum, & quantum fuerit illud multum ex quo aliquid fit, hoc eſt quod Deus ſpectat, non quantum fuerit illud quod fit. *Dauid ſaltando placuit Deo*, inquit ſanctus Bernardus, *non propter ſaltum, ſed propter affectum. Similiter & mulier quæ vnxit pedes Domini, laudata eſt à Christo, non quia vnxit, ſed quia amauit, & quia quod habuit, hoc fecit, in eo iuſtificata eſt.* Quibus & adde viduam quæ à duobus obolis tam inſignem retulit commendationem vt quibuſcumque aliis præferretur. O ſingulare pauperum ac infirmorum ſolatium, qui licet nihil habeant quod præſtare Deo poſſint, Cor tamen habent quo poſſint Deum diligere; & quo magis delectatur Deus quam quouis opere!

2. Macch. 1. *In præfat. ad fratres de monte Dei.* *Luc. 21.*

4\. QVAMOBREM conſtat Veritas: *Non quantum, ſed ex quanto fiat, quidquid fit, quærit Deus*, Quia quærit potiſſimum diligi, quod fit magis corde quam opere, niſi opus ex corde manet. *Sine Charitate opus externum nihil prodeſt*, ait pius ille Author qui pietate ſua ſatis eſt notus, *quidquid autem ex Charitate agitur, quantumcumque paruum ſit & deſpectum, totum efficitur fructuoſum. Magis ſiquidem Deus penſat EX QVANTO QVIS AGIT, quam quantum quis facit. Multum facit, qui multum diligit.* Et poſt pauca, ſtupendum ſane quod dicit, quodque iam ſupra declaratum eſt: *Sæpe videtur eſſe Charitas, & eſt magis carnalitas*; Vide in 2. parte, Feriam 4. infra Hebdomadam 5. poſt octauam Paſchæ.

l. 1. de imit. Chr. c. 15.

Sicut autem infirmis & egentibus hinc ſolida eſt Conſolatio quod non minus poſſint ſi velint, quam ſi potentes & validi eſ-

ſent cum poſſint Deum diligere : ſic plane niſi velint, niſi Deum ex toto corde diligant, nihil legitimè poſſunt prætendere. Nihil enim quæritur quod non poſſint & quod non debeant, nihil quæritur quo ſint pauperiores dando, imo quo diteſcant tanto magis quanto amplius dabunt, etiam nihil dando. *Nam*, vt ait ſanctus Auguſtinus, *coronat Deus intus voluntatem vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Charitas non de ſacculo erogatur. Quia quidquid dicimus, & quidquid diximus, & quidquid dicere potuerimus, vel nos, vel poſt nos, vel qui ante nos, finem non habent niſi Charitatem.*

In Pſ. 10̄.

O vere pretioſam Charitatem quæ ſine vllo datur pretio, & numquam ſine pretio exercetur!

Diminutio Cupiditatis, augmentum eſt Caritatis.

RATIO EST, Quia Cordis augmentum eſt augmentum Charitatis, Id eſt, quo minus de toto corde detrahitur, aut quo magis totum ſibi Cor redditur, vt totum Deo detur, tantò verius augetur Charitas. Fit enim purior; & quo eſt purior, eò eſt major. Nam ſi Charitas de corde puro eſt, quo magis Cor erit purum, purior & maior erit Charitas.

Sed diminutio cupiditatis eſt augmentum cordis, quo nempe ſenſu dictum eſt tunc augeri cor noſtrum quando redditur ſibi, tum Deo quâ parte fuerat à ſe diſtractum. Sic autem ſibi redditur diminutione cupiditatis; nam ſola cupiditas illud diſtraxerat, tantumque de toto ſuſtulerat, quantum affixit creaturæ, contra vel præter ordinem à Creatore præſtitutum. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*, id eſt, conſtrictum circa obiectum concupiſcentiæ.

Pſ. 118.

Sic igitur diminutio cupiditatis, augmentum eſt Charitatis, vt è contra:

Augmentum Cupiditatis eſt diminutio Charitatis.

Quia tanto magis diminuitur Charitas, quanto minus de toto corde formatur. At quanto magis augetur cupiditas, tanto minus de corde reſtat quo formetur Charitas. Ergo & augmentum cupiditatis eſt diminutio Charitatis. Vnde quanta ſit ſolicitudine Cupiditas reprimenda, tam manifeſte patet, quàm ipſa Charitas eſt colenda. *Purga ergo amorem tuum*, inquit ſanctus Auguſtinus, *aquam fluentem in cloacam, conuerte ad hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad Artificem mundi. Non vobis dicitur,*

In Pſ. 30.

nihil ametis; absit. Pigri, mortui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. Amate, sed quis ametis, videte. Amor Dei, amor proximi, Charitas dicitur. Amor mundi, amor huius sæculi Cupiditas dicitur. Cupiditas refrænetur, Charitas excitetur. Et alibi: *Quia radix omnium malorum est Cupiditas, & radix omnium bonorum est Charitas, & simul ambæ esse non possunt; nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non poterit: sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit euellere.* Id est, moderari & refrænare, vt in sequentibus declaratur. Hom. 8. in ter 50.

Cupiditas non refrænata, rapina quædam est in holocausto, & sacrilegium.

Qui abominaris idola, sacrilegium facis! Rom. 2.

RATIO EST, quòd detrahere partem aliquam holocausti, vel rem Deo sacram suffurari, rapina est, & sacrilegium. Nihil hic dubij.

Sed cupiditas non refrænata, detrahit partem aliquam holocausti, nempe rem Deo sacram suffuratur. Quid est enim cupiditas non refrænata, nisi praua Cordis affectio? Quid porrò praua Cordis affectio, nisi tanta cordis à diuino amore detractio, quanta est eiusdem cordis circa rem creatam prauitas? At nonne cor tuum, Cor Deo sacrum est! Nonne totum sibi Deus vult consecratum, quando ex toto corde vult diligi? Nonne ipsa dilectio velut sacrificium cordis est & holocaustum? Ac proinde quis non videt quod qui partem cordis sic detrahit, vt det illam creaturæ, partem aliquam holocausti detrahit, & rem Deo sacram suffuratur? *rapinas nolite concupiscere.* Ps. 61.

NONNE igitur cupiditas non refrænata, rapina quædam est in holocausto, & sacrilegium? Quid hic dubij vel difficultatis? An negabis cor tuum, rem esse sacram? Negares primum præceptum quo iuberis cor tuum totum illi dare, dedere, consecrare. *Sicùt ego hodie præcipio tibi in toto corde tuo.* Negares te esse Christianum, id est, vnctum & signatum in Spiritu sancto, charactere numquam dolendo quo te singulariter esse Deo sacrum constet in omnem æternitatem. *In quo signati estis in diem redemptionis.* Negares te à Christo redemptum quo redemptionis titulo tam verè Christi totus es quàm te totum verè meretur tale redemptionis pretium. *Non estis vestri, Empti enim estis pretio magno.* Deut. 30. Ephes. 1. 1. Cor. 6.

Quid præterea non apertum, non obuium, & non planum? Quid familiarius in Scripturis & Patribus quàm *quod sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate?* Sed quid propius ad rem nostram quàm quod à sancto Marco refertur de illo Scriba qui Dominum interrogauerat, quodnam esset primum mandatum, & Domini responsionem amplectens, hoc ipsum primum mandatum majus esse omnibus holocautomatibus & sacrificiis affirmauit? Sic quippe obseruat Beda, grauem tùm inter Scribas & Pharisæos quæstionem fuisse, aliis hostias & sacrificia legalia, aliis fidei & dilectionis opera præferentibus, in qua iste sententia erat, quem Dominus Iesus laudauit, ac illi dixit: *Non es longe à regno Dei.* Quod vnum porro superest, An id ignoras quod toties decantatum est à sanctis Patribus, per primum præceptum quo totum à nobis exigitur, *nullam in res alias diuisionem admitti: quantumque in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est vt demas de toto*; Hæc sunt expressa sancti Basilij verba, quibus subscribens sanctus Augustinus ait, *quamcumque modicam aliam dilectionem esse velut riuulum cuius deriuatione minuitur illa Dei dilectio.*

Eccles. 35.
Marci 12.
In Ps. 12.
L. 1. Doct. Chr. c. 21.

Quapropter nihil est quod hic intellectum remoretur, quo semel ita persuaso, quid vero esse possit quo voluntas reluctetur? Quid est quod omnem cupiditatem non refrænet cum Gratia, cum cupiditas non refrænata tale sit probrum quale esset rapina in holocausto vel sacrilegium? Nonne idcirco dictum à Domino: *Ego Dominus diligens iudicium & odio habens rapinam in holocausto?* Nonne idcirco Apostolus: *Tu qui abominaris idola sacrilegium facis!* quasi diceret tuo te ore iudica, tuo te ore condemna. Quid censes de Idolo, quid de rapina, de sacrilegio? nonne illa execraris, nonne penitus abominaris? Cur non sic ergo prauam cupiditatem quæ non est minus sacrilega in modica cordis parte detrahenda, quam in ipsis immolatarum olim hostiarum detractis partibus? Non est quidem tam immane sacrilegium; sicut furtum assis non est tale furtum quale est nummi aurei: sed tamen furtum est. Ita prorsus; esto, cupiditas in te parua non sit ingens sacrilegium: sacrilegium tamen est, sacrilegium tamen concupiscendo facis: vnde si nolles assem furari, licet non sit furtum magnum: cur non vis refrenare cupiditatem, licet non sit ingens sacrilegium in ea relaxanda? *Ephraim, quid mihi vltra Idola? ABIICITE Deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini.*

Is. 61.
Rom. 2.
Osee 14.
Gen. 35.

Digitized by Google

Quod si de grauiori ageretur culpa, tunc illud etiam grauius sequeretur quod certe multum expendi debet:

In leui quidem cupiditate, pars aliqua nostri cordis detrahitur:

In graui vero, totum Cor Deo perit.

RATIO EST, quia tunc Deo Cor hominis totum perit quando tota diuina perit Charitas. Sed in graui cupiditate quæ est lethalis culpa, perit tota diuina Charitas. Ergo & totum hominis Cor Deo perit.

In prima propositione tria essent distinctè declaranda. Primum quid sit aliquid perire Deo, nihil enim proprie potest illi perire, cum in se omnia sic contineat vt sicut à se non potest diuidi, sic neque ab illo creata omnia, nisi quæ ipse in nihilum reduxerit. Dicitur tamen moraliter illi hoc perire quod non attingit finem suum, vt cum homo damnatur, perit Deo, quia sic à suo fine excidit, sic nec possidetur à Deo, nec homo possidet Deum qui erat vltimus finis hominis.

Secundo quid sit diuina Charitas, nempe illa virtus Theologica qua super omnia Deus diligitur propter seipsum; *quâ homo se illi plene subjicit, referendo ad ipsum tamquam ad vltimum finem sua omnia, & præceptorum eius regulam sequendo in omnibus.* Sic disertis verbis Diuus Thomas. 2. 2. q. 24. a. 12.

Tertio denique, tunc hominis totum Cor Deo perit quando perit hæc tota Charitas, quia perit humani cordis supernaturalis finis qui erat diligere Deum super omnia, & sese illi subjicere in omnibus sicut per illam Charitatem potest & debet diligere & sine qua non omnino potest. Esto diligat Deum naturali quodam sensu & motu sine illa Charitate; Non est diligere Deum, sic tantum naturaliter in eum affici sicut in bona nostra creata; non est tunc diligere Deum super omnia, non est sese illi subjicere, non est ad Illum sua referre omnia, non est denique finem illum attingere ad quem est hominis Cor conditum, & cordi diffusa Charitas *per inhabitantem Spiritum sanctum qui datus est nobis.* O vere Diuina Charitas, qua Cor ipsum humanum, Diuinum redditur!

Sed in graui cupiditate quæ est lethalis culpa, perit hæc tota Diuina Charitas. Primo enim, vt ait sanctus Thomas, cum sit virtus non Supra. naturalis, nec acquisita, sed à Deo infusa, sic à Deo infunditur

vt ſemper ex actione Dei infundentis dependeat, ſic autem ſe Deus habet in infuſione & conſeruatione Charitatis, ſicut ſol in illuminatione aëris, vnde ſicut lumen ſtatim ceſſaret eſſe in aëre ſi quod obſtaculum poneretur illuminationi ſolis, ſic Charitas ſtatim deſinit eſſe in anima per obſtaculum eius influentiæ quod à peccatore ponitur ſeu à peccato quod eſt illi omnino contrarium, nam Charitas quæ Diuina eſt amicitia tam neceſſario exigit Diuinam à nobis fieri voluntatem, vt ſi eam nolimus facere non ſit Charitas, non ſit amicitia; peccare autem lethaliter nihil aliud eſt quam nolle facere Diuinam illam voluntatem; vnde peccatum & Charitas ſeſe ita expugnant vt Mors
1. Ioan. 3. & vita; *Qui non diligit manet in morte.*

Deinde vero cum Charitas inſeparabili nexu iungatur illi gratiæ quæ ſanctificans dicitur, & quæ peccato mortali deperit: nonne & ſimul oportet Diuinam illam perire Charitatem? *Euacuati eſtis à Christo, à gratia excidiſtis.* Gal. 5.

Denique cùm Charitati debeatur æterna vita quam ipſe qui
Ioan. 14. non mentitur promiſit dicens: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum:* Peccato vero mortali certa ſit & æterna pœna, ſi Charitas & peccatum ſimul eſſe poſſent, ſimul Idem homo vita & morte æterna dignus
Dan. 12. eſſet, quod admitti non debet. *Euigilabunt alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant ſemper. REDDET vnicuique Deus*
Rom. 2. *ſecundum opera eius: iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui credunt iniquitati, ira & indignatio.*

O quanta vtriſque diſparitas!

In graui ergo cupiditate quæ eſt lethalis noxa, totum cor hominis Deo perit, quia tota perit Charitas ſine qua Cor humanum non poteſt Deum diligere, nec ſuum illum finem attingere cui conſequendo creatum eſt, quod eſt perire Deo ſicut & Deus ipſi perit, quod eſt ad nihilum ſeſe redigere, quod eſt ſe
Oſee 13. à ſummo Bono in ſummum malum ſubtrahere. *Perditio tua Iſ-*
Pr. 9. *raël? SOLVS portabis malum.*

Neque ſibi quis palpet de pio quodam Diuinitatis ſenſu quem ſemper peccator videtur retinere, Tale eſt enim bonum, Deus, vt vel eius Inimici non poſſint diſſimulare penitus; Sed tale eſt malum praua cupiditas, vt quamtumcumque bene de Deo Praui ſentiant,

sentiant, non possint tamen Deum diligere quamdiu sic praui sunt. *Cognoui vos*, ait illis Dominus, *quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* *IPSE nouit quid sit in homine.* Ipse nouit quid sit Deum diligere; Ipse nouit quid sit hominem suo illudi sensu, suo falli iudicio. *Posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Tantum abest vt possit amor Dei cum peccato simul in vno corde quiescere, quin potius vbi patet peccatum quod non statim expiatur, ibi quoddam latet Dei odium: ibi quædam in Deum sæuitia quæ non sentitur quia puderet, sed in imo latet quia peccator vellet si posset, Deum de medio tollere; nam vellet illum vel nescire suum peccatum, vel non posse vindicare, quod est velle Deum non esse, sicut alibi ex sancto Bernardo dictum est; satis modo tibi sit, vbi de diligendo Deo agitur ex toto corde tuo, sic excludi necesse est omnem inordinatam de corde cupiditatem, vt si quidem leuis sit, non de toto corde Deum diligas, sed ex parte tantum: si autem grauis Cupiditas fuerit: tu nulla prorsus ex parte diligas. *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* Quasi diceret, multi quærunt quid sit Christum diligere, multi fingunt se id velle, multi propterea vel multa dicunt vel faciunt; sed de his nemo deinceps ambigat; qui habet mandata mea & seruat ea, qui se à quouis peccato continet, ille est & non alius qui me diligit.

Ioan. 5.
Ib. 2.
Ps. 108.
Serm. 3. de Resur. Dom.
Ioan. 14.

Quid tibi videtur de Christo, cuius est filius? an potest decipi vel nos decipere? an potest peccato cohabitare, an potest peccatum in corde tuo non videre? an potest illud videndo non increpare? Quid tibi rursum videtur de Christo? An satis dignus corde tuo toto, vel aliqua tantum eius parte? Quid diligis in Creatura quod in illo non sit certius & amabilius? Vrge hunc affectum per singula quæ cogitari possunt amabilia, & nihil prorsus reperies amore dignum quod non sit in Christo dignius: aut si quid in Christo non est, hoc ipso non est amabile; nam ipse est non modo totus amabilis & desiderabilis, sed totus ipse est amor noster, & totus desideria, quia sic exhaurit amorem nostrum vt nil supersit aliis, nisi quantum ipse permittit.

Vide & infra, Feria 4. infra Hebdomadam decimam nonam, *Qui solutioris & laxioris est vitæ, nec Christum, nec Deum nouit.*



HAC HEBDOMADA, cum nobilis Adolescens audiuisset à Domino, si perfectus esse vellet, sibi relinquendas esse opes, moerensque recessisset, spreto Christi consilio; tum Dominus multa in affectus diuitiarum inordinatos, multa in eorum Gratiam qui his affectibus renuntiarent, dixit. Matthæi decimo nono, Marci decimo, & Lucæ decimo octauo. Ex quibus conformes eruentur Veritates, ad quoslibet inordinatos affectus perpurgandos, qui comparandæ saluti & perfectioni tantillum obstent.

FERIA SECVNDA.

INTERROGANTI CHRISTVS ADOLESCENTI, RESPONDET:

Vnum tibi deest. Marci 10.

VERITAS PRACTICA.

Verendum, ne quod tibi deest ad perfectionem, desit etiam ad salutem.

RATIO EST, *Quia quod tibi deest ad perfectionem, est affectus quidam inordinatus.*

Sed verendum ne affectus ille inordinatus desit etiam ad salutem.

Ergo & quod tibi deest ad perfectionem, verendum est ne simul etiam ad salutem desit; ac proinde diligentius prospiciendum.

I. PVNCTVM.

VT ab ipso rei gestæ exordio considerationem inchoemus, sic sanctus Marcus inter alios, obseruatis quibusdam circunstantiis, *Et cum egressus esset Iesus in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam? Iesus autem dixit ei, quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi bonus Deus. Præcepta nosti? Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora Patrem tuum & matrem. At ille respondens ait illi: Magister, hæc omnia obseruaui à iuuentute mea. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum & dixit ei: Vnum tibi deest.*

Hîc modo hæreamus, & perpendamus quantæ spei esset hic Adolescens qui omnia Dei præcepta seruarat, qui singulari studio suæ salutis Dominum conuenerat, à quo singulariter respectus & dilectus fuerat, qui vno verbo Deum sibi loquentem videbat & audiebat : & tamen, ô Diuina Iudicia, quàm parum aut nihil profecerit ex hoc colloquio, infaustus declarabit exitus; Quin & de eius salute dubitandi locum satis apertum nobis relinquunt verba Christi, quæ post eius abscessum protulit: *Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt.* Vndenàm hoc, cùm si quid illi deesset, non ad salutem sed ad perfectionem deesse videretur? Hinc videlicet est quod *quidquid ad perfectionem deest, illud ipsum ordinarie desit ad salutem.* Quæ vniuersalis Veritas tibi singulariter applicanda proponitur vt certiorem referas fructum. Quamobrem quod primum est in Ratiocinio, diligenter perscrutare quid tibi desit ad perfectionem. Nisi dissimulare velis, erit aliquis inordinatus affectus vel complacentiæ vel displicētiæ circa illud obiectum quod magis vel minus connaturale est; aut nisi sit aliquid particulare, vide quod commune est omnibus, amor honoris, commoditatum, & voluptatis : vel metus istis oppositus, an sit recte ordinatus, nam sola hæc sufficit inordinatio affectus vt tale sit impedimentum perfectionis qualis hæc est inordinatio.

Denique cùm perfectio Christiana tantopere sit expetenda, quid est quod ab illa te retardet, nisi quod nimis diligis aut quod nimis metuis? Nam si nihil tale obstaret, quid est quod nolles esse perfectus? Quid est quod nolles tale bonum qualis est proposita

Eccles. 51. tibi perfectio tui status? *Quid adhuc retardatis, & quid dicitis in his? Animæ vestræ sitiunt vehementer?* Quasi diceret Sapiens; cùm vehementer desideretis vestrum bonum; nihilque sit vobis melius quam vestra perfectio, quid est quod tale vobis bonum non comparatis? Oportet profecto esse aliquid valde intimum quod vos retardet. Atque vt videas id ita esse, conjice oculos in illum Adolescentem de quo est quæstio, quid est quod ab ipso Christo inuitatus ad perfectionem, retro abiit, nisi quod nimis affectus erat erga diuitias? Sunt videlicet illæ spinæ suffocantes Verbum Dei atque eius impedientes fructum. Quod de quolibet affectu inordinato intelligas. O vere maledictam terram quæ has spinas & tribulos profert!

II. PVNCTVM.

SED *verendum ne affectus ille inordinatus desit etiam ad salutem.*

Id est, ne eius defectu salus æterna pereat. Id est, ne affectus qui videtur primo leuiter inordinatus degeneret in peccatum mortale: Id est denique, ne in eo peccato viuas & moriaris. Hoc est enim deesse ad salutem quando eius defectu salus æterna perit; tum vero salus perit quando quis in mortali viuit & moritur.

Quomodo autem id fiat & ordinariè accidat, vt peccata venialia quæ ex affectibus inordinatis committuntur, degenerent in mortalia, eaque tam pertinaciter durent in animo vt nulla de eis Contritio & Conuersio in morte habeatur, fusissimè tractatum est in eo libro qui de via lata & spatiosa inscriptus est. Hæc est enim via lata, via perditionis quæ à multis interitur, in qua & ipsi certò intereunt, non quia tantum peccant: quis enim est hominum qui non peccat? nec quia morituri peccata non confitentur, vix enim vllus est è Christianis qui non confessus obeat, sed quia vel ex ipsa concupiscentia naturæ, vel artificio Dæmonis, vel iustissima Dei permissione sic tandem fit, vt dum infirmi & morientes confitentur, *infirmetur & moriatur eorum Conuersio*, vt ait sanctus Augustinus. Id est, nullam peccatorum remissionem accipiant, quia nullam de his Contritionem aut Attritionem habent, quia non deponunt affectum rei quæ est causa peccati,

quia talis est huius affectus malitia vt quando sic hæsit in animo diutius, non facile postea deponatur nisi singulare aliquod Diuinum conferatur auxilium, quod tantum abest vt adsit, quin iusto Dei iudicio, solita quædam tam vere desint auxilia, quàm vere id comminata est Diuina Sapientia: *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo vos, cum vobis id quod timebatis acciderit. Tunc inuocabunt me & non exaudiam.* Et quæ plura pergit tum in illo Scripturæ loco, tum in pluribus aliis. Hi nempe sunt quibus dicitur. *In peccato vestro moriemini, Vos de mundo hoc estis; dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris*; Hic est mundus pro quo Christus non orat, *Non pro mundo rogo*, Id est, *Eis*, inquit sanctus Augustinus, *qui viuunt secundum concupiscentiam mundi.* Hæc sunt peccata quæ dicuntur *afferre mortem* pro quibus sanctus Ioannes scribit non esse orandum. Hæc sunt peccata in Spiritum sanctum quæ tam difficile remittuntur, vt vix remitti dicantur. Hi denique voluntarij peccatores quibus *iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio Iudicij.* Quidquid dicant, quidquid clament. *Orabat scelestus Dominum à quo non esset misericordiam consecuturus.* Si hoc pauendum non sit, quid putas esse pauendum?

Prou. 1. Ioan. 8. Ibid. 17. 1. Ioan. 5. Matth. 12. Hebr. 10. 2. Mach. 9.

III. PVNCTVM.

PATET *igitur quàm sit verendum ne quod tibi deest ad perfectionem, desit ad salutem.* Quandoquidem ille ipse affectus qui cum venialis tantum est, impedit perfectionem, transire potest in mortale, & in ipsa morte permanere, sicque salutem auertere. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. LAPIDES excauant aquæ; & alluuione paulatim terra consumitur. Et hominem ergo similiter perdes.* Tu de aliis hominibus id forte concederes, sed de te numquam id metues. At satius esset de aliis bene sperare, & de te magis metuere, cùm vix vllus sit qui toties à prauitate affectus fuerit reuocatus, in qua si diutius permanes, peccatum tuum iam non superbiæ non inuidiæ non immunditiæ aut aliud quid simile censebitur apud Deum, sed obstinationis & pertinaciæ cuius finis vix alius quam finalis impœnitentia.

Dan. 14. Iob. 14.

Ps. 54. *Deducet eos in puteum interitus.* Sicut enim in puteum qui decidit non potest inde sicut vellet emergere: sic à peruicaci concupiscentia non resilitur.

Sanctus autem Augustinus legit *puteus corruptionis*, & ait esse tenebras submersionis. *Deducit illos Deus in puteum corruptionis,* inquit ille, *non quod ipse sit author culpa ipsorum, sed quod ipse sit Iudex iniquitatum eorum. Tradidit enim eos Deus in Concupiscentias cordis eorum. Amauerunt enim tenebras & non lucem: dilexerunt cæcitatem & non visionem, nam ecce Dominus IESVS eluxit vniuerso mundo*; Et post nonnulla de iis qui ab eo se separant, sic concludit. *Quid passuri sunt nisi in puteum corruptionis ituri?* Quasi diceret, sicut culpa est concupiscentiæ quæ corrumpit mentem, ita illius pœna est vt fiat inde puteus corruptionis, atque interitus in quo hi omnes pereant qui se in illum præcipites agi sinunt. Ne quid leue vmquam putes & contemnendum quod à praua vides oriri concupiscentia; semperque ora cum Sapiente:

Eccles. 23. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi: & omne desiderium auerte à me.*

Videri etiam potest in 2. parte, Dominica Septuagesima. Vbi hæc declaratur Veritas:

Quæ causa est cur pauci salui sint, hæc in te causa est cur ex illis forte non sis.

FERIA TERTIA.

ADOLESCENTI CHRISTVS CONSILIVM PERFECTIONIS SVGGERIT.

Ait illi Iesus, si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, sequere me. Matth. 19.

VERITAS PRACTICA.

Hoc amanti Cœlum paupertas est, quod amanti terram diuitiæ.

SENSVS ET RATIO EST, Quod amanti cœlum media quæ illi acquirendo deseruiunt tam cara sunt & optata, quàm amanti terram seu vitam præsentem cara sunt illa quæ huic vitæ deseruiunt.

Sed cœlo acquirendo paupertas est medium tam opportunum quàm sunt diuitiæ præsenti vitæ conseruandæ.

Igitur hoc amanti cœlum paupertas est, quod amanti terram Diuitiæ. Vel certe si paupertas non est ita tibi cara & optata, quam sunt Mundano Diuitiæ, cognosces te non ita cœlum diligere, quam mundanus amat mundum.

I. PVNCTVM.

HOC est vnum quod deerat Adolescenti, vt quam optabat fœlicitatem æternam securius assequeretur, nempe vt vellet esse perfectus, atque vt perfectus esset se suis denudaret bonis, ac pauper pauperem Christum sequeretur.

Quod quam male infaustus adolescens acceperit, videbitur postea; sed quàm verè id Christus consuleret, quamque illud quod consulit, sit optandum ad æternam illam aspirantibus Beatitatem, nunc ex proposita Veritate videndum est: *Nempe hoc amanti cœlum paupertas est, quod amanti terram vel mundum vel præsentem hanc vitam, sunt diuitiæ.* Quid enim sunt mundano diuitiæ nisi media quædam mundo colendo seu vitæ præsenti commodius transigendæ & conseruandæ? Quid est vero paupertas, nisi medium cœlo comparando? At nonne qui amet cœlum, tam vehementer amet & colat quæ cœlo acquirendo deseruiunt quam qui terram amat, terræ commoda diligit?

Hoc est primum expendendum in quo propositæ Veritatis fun-

datur Ratio & in quo declarando tria hæc distinctè sunt enucleanda.

Primum est quod qui amet finem aliquem qui certis quibusdam mediis comparetur, tanti amet hæc media, quanti finem ipsum.
2. 2. q. 8. a. 2. *Nam ratio boni quod est obiectum potentiæ voluntatis*, ait sanctus Thomas, *inuenitur non solum in fine, sed in his quæ sunt ad finem*; nec
1. p. q. 19. est proprie voluntas sed velleitas nisi sic simul voluntas omnia
a. 6. quæ sunt amplectenda complectatur, vt ex eodem sæpe iam diximus.

Secundum est, quod sicut ad hanc vitam conseruandam aut fœlicius transigendam sua sunt certa quædam media, sic ad æternam possidendam; quis dubitet, quis ignoret opus esse Fide, Sa-
Hebr. 12. cramentis, operibus, & aliis quæ ad sanctimoniam spectant *sine qua nemo videbit Deum*, inquit Apostolus.

Tertium, hinc denique manifeste patet quod amanti cœlum media illa quæ cœlo acquirendo deseruiunt tam sunt cara, quam amāti terram sunt terræ commoda, seu præsentis vitæ subsidia, seu quæcunque media dici possunt. Fieri quidem potest sæpius vt non sit nec sentiatur tantus cœli amor quantus terræ, nec proinde tantus ardor in cœli mediis comparandis, quantus in terrenis & mundanis: sed ponamus paritatem affectus erga disparem finem, tunc certe sequetur etiam eiusdem affectus paritas circa diuersa media quæ ad suos fines ducunt, quia generatim de quocumque fine asseritur, quod qualis est eius appetitus siue amor, talis prorsus eorum est sine quibus attingi non potest finis: aut si mediorum languet amor, languet & finis; si mediorum nullus, nullus & fi-
Prou. 13. nis, quidquid dicat & sentiat, *vult & non vult piger*, vult finem; &
In 3. p. non vult media, sicque absolute nec vult ipsum finem vt supra
Dom. 7. probatum est.

O quàm hinc multi falluntur qui se putant velle humilitatem qui nolunt humiliationem!

II. PVNCTVM.

SED cœlo acquirendo paupertas est medium tam opportunum quàm sunt diuitiæ præsenti huic vitæ conseruandæ.

De paupertate Euangelica sermo est, non de alia quauis; non de inuoluntaria, non de philosophica, non de apparente & supposita.

posita. Vt sit autem paupertas Euangelica, tribus his esse debet ornata circumstantiis, nempe sit Voluntaria, sit vniuersalis omnium quæ possideri possint, sit denique propter Christum sequendum, siue propter æternam vitam.

Tribus porro modis hæc etiam exerceri potest paupertas. Primò cùm quis conditione pauper & inops inopiam suam libens volensque patitur, & de necessaria reddit liberam ac voluntariam, dicitque cum Tobia: *pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Tob. 4. Secundo cùm quis aliqua legitimè possideret hoc tantum animo vt in necessarios suos vsus impenderet, nec in ipso rerum vsu, rerum affectu moueretur, nec res sibi superfluas reseruaret aut in vanos vsus distraheret, sed *Charitati totum daret quod cupiditati subtraheret*, vt ait sanctus Leo. Tertio denique cùm reipsa effectu & affectu relinquuntur omnia vel possessa vel possidenda, sicut fieri solet in ingressu vel professione religiosi alicuius instituti. Tum vero quod est præcipuum Propositionis caput, quocumque ex his modo paupertas obseruetur, dici potest medium cœlo acquirendo tam opportunum quàm sunt diuitiæ, præsenti huic vitæ conseruandæ. Vel enim diuitiæ considerantur vt medium necessarium, vel vt tantùm vtile siue commodum. Quod si vt necessarium considerantur sine quo vita præsens non possit transigi, certe paupertas est magis necessaria secundo sensu accepta, seu saltem ex illa parte qua inordinatus rerum affectus coercetur; Nisi enim talis sit ordinatio cupiditatis & affectus rerum, quid sequitur nisi affectus prauitas & inordinatio? Quis vero nesciat quantum obsit talis inordinatio cœlo possidendo? Quis nesciat *nihil coinquinatum eò ingressurum?* Apoc. 21. Quis porro ignoret, inordinatum quamtumuis rerum affectum, coinquinare hominem? Ac proinde quis non videat cœlum ingressuro tam necessariam illam praui rerum affectus denudationem quàm terræ incolendæ diuitias?

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula; Ps. 14. Hoc primum quod respondetur vt magis necessarium de quo iam supra cum de infantia rationabili ageretur. At certe non sic vniuersim præsenti vitæ sunt necessariæ diuitiæ: quot enim videmus inopes vel industria sua victitantes, vel aliena Charitate sustentatos, vel quo-

uis demum modo subsistentes? Quod si diuitias tantum conside-res vt medium vtile, commodum & opportunum vitæ præsenti facilius transigendæ: profectò sic paupertas non minus erit vtile medium ac opportunum cœlo acquirendo. Primò enim certam habemus Domini vocem, apertè pronuntiantis: *Beatos esse pauperes, quoniam ipsorum esset regnum cælorum*, qua de Beatitudine supra dissertum est. Deinde patet euidentius quàm vt probari sit necesse, quale sit opus, quam arduum, quam nobile, quam excellens, sic se suis omnibus denudare propter Christum, vel effectu vel affectu: vnde si bona opera cœlo deseruiunt, quanta putas erit illius operis vtilitas ac futurum meritum quod vel dignitate multis præeminet, vel amplitudine tam multa & frequentia complectitur, quàm sunt diuersa temperandæ suæ cupiditatis tempora, variæque rationes?

Denique si hoc maxime cœlo acquirendo exigitur vt malum culpæ caueas: quo tandem certiori modo caueri potest quam quo radix malorum omnium quæ est cupiditas, abscinditur, euellitur, abdicatur? Vnde à sancto Climaco præclarè dictum, *Paupertatem esse iter ad Deum sine impedimento*. Non sic diuitiæ, non sic præsenti vitæ sunt opportunæ vt non supersint diuitibus plura incommoda quam quæ tolluntur diuitiis, idcirco enim di-
Matth. 13. cuntur à Domino *fallaces, seu fallacia diuitiarum, & spinæ*, quòd cum promittant multa, pauca largiuntur: & in his paucis quantæ insunt curæ, quantæ solicitudines, quanti molestiarum aculei, quibus mentem dilacerant?

III. PVNCTVM.

HOC *est igitur amanti cælum paupertas, quod amanti terram diuitiæ*; Cùm amanti terram diuitiæ non colantur studiosius quam vt certa sunt media vitæ præsenti commodius traducendæ: paupertas autem tam certum cœlo acquirendo sit medium, vt siue necessitatem, siue vtilitatem tantum medij consideres, longe sit paupertas vtilior & magis necessaria cœlo possidendo
Ps. 33. quam sint opes terræ incolendæ. *Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum*: hac præsertim certa paupertatis proposita via, *non minuentur omni bono*, nulla parte priuabuntur illius boni cœlestis & æterni quod illis à Domino promissum est.

Altissima paupertas eorum, inquit Apostolus, *abundauit in diuitias simplicitatis eorum*. De primis illis Christianis loquitur qui sua non aliter reliquerant quàm quo secundo diximus modo ; dicitur autem eorum paupertas altissima non tantum quia erat egentissima, sed quia erat maxime voluntaria, & maxime generosa, nam ex modicis illis quæ possidebant bonis, etiam alios egentiores sustentabant, atque hoc tanti esse meriti affirmat Apostolus vt licet aliud boni nil agerent, hoc vno tamen opere quod ita paupertatem colerent, sic abundant in diuitias spirituales & cœlestes, vt proptetea maximopere commendentur. 2. Cor. 8.

Sic de his sanctus Bernardus, *Quid mirabilius quàm paupertate premi inter diuitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non merito coronabitur qui sic certauerit mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod gloriosius est de seipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem?* Ad caput Eccl. si. 31. quis est hic, &c.

Sic præclare sanctus Chrysostomus, exponens hunc psalmi noni versiculum : *Patientia pauperum non peribit in finem* ; *NON sic*, Ps. 9. inquit, *in aliis quæ ad victum pertinent, vbi sæpe labor multus, & fructus nullus : Paupertatis vero patienter tolerata nulla vmquam defraudatio, nulla frustratio*.

Iam vero quis animus tuus in hoc tam certum cœli potiundi medium? An ita paupertatem colis sicut auarus diuitias? Certe si cœlum ita desiderares sicut ille terram, non minus ea coleres quæ cœlo viam parant, quàm qui terram diligit, terræ se affigit. Itane vero tam parui cœlum ducis? En vænale proponitur, non qui plura dederit, sibi comparabit : sed qui minus sibi reseruarit, aut qui minus in possessis animi fixerit ; Paupertas caminus est in quo saluandi purificantur à Domino. *Ego*, inquit, *excoxi te, sed non* Is. 48. *quasi argentum*, Id est, suauius & leuius quam putetur, *elegi te in camino paupertatis* ; Vnde qui purior omni rerum affectu fuerit, ille est magis excoctus, ille est magis pauper, ille est magis probatus, ille est magis cœlo vicinus & aptus regno Dei. *Melius est modicum* Ps. 37. *iusto*. *PARASTI in dulcedine sua pauperi, Deus*. Ps. 67.

FERIA QVARTA.

DISCEDIT ADOLESCENS A CHRISTO TRISTIS.

Cùm audisset Adolescens verbum, abiit tristis, erat enim multas habens possessiones. Matth. 19.

VERITAS PRACTICA.

Animo inordinatè affecto ad res creatas, angustiæ sunt vndique.

RATIO EST, Quia illi animo angustiæ sunt vndique qui quamcumque se in partem vertat, angitur dubius, & laborat incertus quid agat.

Sed quamcumque se in partem vertat animus inordinatè affectus ad res creatas, sic angitur dubius & laborat.

Ergo illi angustiæ sunt vndique, quibus vt se eruat, ordinare debet affectum.

I. PVNCTVM.

QVID est quod iste Adolescens abierit à Christo tristis? Tristitia non est nisi de malo, quid illi autem mali accidit vel accedenti ad Christum vel discedenti? Res est consideratione dignissima. Si fuisset hic adolescens melior, Christo vocanti ad perfectionem libens adhæsisset: aut si fuisset pejor, diuitias suas lætus repetiisset, sicque nihil tristitiæ persensisset: sed quia non erat satis bonus vt relictis suis bonis Christum sequeretur, nec ita malus vt cum salutis periculo diuitias possideret, hinc eius orta tristitia quam quilibet nostrum sæpe experitur, & quæ

angustiarum nomine aptius exprimitur vt iam patebit in Veritate proposita. Sic enim vniuersim de nobis affirmari potest; *Animo inordinate affecto ad res creatas, angustiæ sunt vndique.* Perpende hoc diligenter.

Et primo quid sint angustiæ. Metaphora ducta est à loco ita constricto & coarctato vt cùm quis eò deuenerit; laboret dubius & nesciat quam se in partem itineris tradat. Sic in negotiis vel humanis casibus ita plerumque accidit, vt animus se in iis angustiis positum videat, nihil vt certi possit deliberare, nihil nisi damna videat & pericula. Si ab vno fugit, in aliud incidit. Si pestem recusat Dauid, famem aut bellum sibi suoque populo imminere cernit, quid faciat? *Coarctor nimis*, inquit, *ex omni parte me angustiæ premunt.* 2. Reg. 24. 1. Par. 21.

Nisi Susanna consentiat illis impudicis à quibus in vitium pellicitur, mors illi certa est ac parata: si vero illis consentiat, longe aliud grauius occurrit malum, longe damnosius est sic peccare in conspectu Domini. Quamobrem ingemuit castissima mulier, & ait, *Angustiæ sunt mihi vndique.* *QVID faciam*, aiebat ille Villicus in Euangelio, qui bona sui Domini dissiparat, *quia Dominus aufert à me villicationem: fodere non valeo, mendicare erubesco.* Alterutrum mihi horum est assumendum; at neutrum volo. Ipse Apostolus sic nutabat aliquando & coarctabatur vtrum è duobus sibi satius esset *dissolui & esse cum Christo, an permanere diutius inter Christianos, propter multorum salutem.* Dan. 13. Luc. 16. Phil. 1.

Nonne te sæpius in has adductum angustias reperisti? Quid tùm animi, quid consilij fuit? An te præcipitem impulisti quo te naturæ concitatus ferret impetus: an captando consilio iustas dedisti moras? salubre est in his humanis casibus Sapientis monitum: *Deprime cor tuum & sustine: Inclina aurem tuam & suscipe Verba intellectus: & ne festines in tempore obductionis.* Eccles. 2.

II. PVNCTVM.

SED quamcumque se in partem vertat animus inordinate affectus ad res creatas, sic angitur dubius & laborat.

Nam ex vna parte attrahitur in rem quam diligit; ex alia vero inde retrahitur quia sentit se non eam diligere nisi cum peccato; quandoquidem omnis inordinatus amor peccatum est, sicut omne

peccatum nihil est aliud quam inordinatus amor seu affectus animi. Quid tum itaque faciat qui non est omnino perditæ Conscientiæ nec tamen satis religiosæ? Aut enim deponendus illi est affectus, aut viuendum in peccato; Vtrumque durum, vtrumque nollet, & cum alterutrum sit necessario eligendum, hærebit dubius quid eligat, æstuabit in illo dubio, & in illo æstu sic angetur ac laborabit vt dum vnum fugit nec aliud amplectitur; solum illi
l. 1. Conf. c. 12. restet *angi & laborare. IVSSISTI enim, & sic est vt pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus*, aiebat Deo sanctus Augustinus.

Quod si piis illis exercitationibus sit vacandum quæ ad statum animi dignoscendum & reformandum valent, quid tum animo pertractabit quod non angorem augeat & laborem? Quid crebrius obuersatur meditanti quàm Christus vel in stabulo nascens,
Matth. 10. vel in Cruce moriens, vel in plateis prædicans, *qui non accipit Crucem & sequitur me, non est me dignus.* Ad illas autem voces quid
l. 8. Conf. c. 5. respondebit, *nisi lenta & somnolenta verba, modo & modo, quæ cum non habeant modum*, sic in diuersa distrahunt animum vt velit simul & non velit: neque enim audet recusare Christo, quod tamen illi timet concedere, *sicque semisauciam hac atque hac versat*
Ib. c. 8. *& iactat voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente, luctantem.* Nonne hoc est angi, nonne hoc est cruciari?

Denique cum ex affectibus inordinatis sint frequentes in peccatum lapsus, vel pœnitendum erit de peccato, vel non omnino pœnitendum. Si serio pœnitendum, deponendus omnino est non modo peccati affectus, sed rei etiam circa quam ille affectus versatur quo fit peccatum, vt sæpe dictum est. At vero hinc angor, hinc mœror, & hinc tam rara pœnitentia, vt nullus sit quem vere pœniteat. Non pœnitere autem, nonne hoc est molestius animæ nondum abiectæ in vitia vel desperatæ, quàm quiuis labor pœni-
Ps. 31. tentis? *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Id est, dum vnum laborem fugio, se offert alius, nec tam laborem fugio quam me ab vno conuerto in alium.

III. PVNCTVM.

ANIMO *igitur inordinate affecto in res creatos, angustiæ sunt vndique:* Cùm in re, seu negotio quod habet momentosius & præcipuum, ex vtraque sui parte sic angatur, vt quid agat,

semper laboret, & mœreat; Nam aut affectum deponat necesse est, aut peccatum numquam velit deponere. Quod postremum si forte non est ita laboriosum ac prius, certe vides quam sit damnosius: aut nisi videas, reuolue quæ supra dicta sunt de Conscientia cauteriata, in prima parte, tota Hebdomada tertia post Epiphaniam. *Computruerunt Iumenta in stercore suo.* Quæ Prophetæ *Ioel. 1.* Verba, venialem etiam culpam attingunt quæ ex inordinato affectu contrahitur, & qua non parum fœdatur animus, suaque in fœditate peccatores tam vere computrescunt quam in ea verè consenescunt & moriuntur. *Morientur, & non in Sapientia*, vt *Iob. 4.* est in libro Iob, quasi diceretur, non sapienter faciunt qui non timent in illis mori peccatis, non timent autem in illis mori qui non verentur in eis viuere. *Morientur, & non in Sapientia.* Id est, alio etiam sensu, morientur morte lethali quam nescient; fit enim sæpe vt in illis peccatis quæ ex affectu & cupiditate perpetrantur, putetur tantum veniale quod est lethale. *Væ qui tra-* *Is. 5.* *hitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri, peccatum.* Dum quibusdam Amalecitis pepercit Saul quos omnes *1. Reg. 15.* ad vnum delere iussus erat, ab vno tandem eorum percussus est *Ibid. 31.* & occisus. O quam sapientius illos omnes deleuisset! O quam sapientius in ordinandis laborares affectibus, quam quia non sunt ordinati, tibi laborandum est dum viuis & dum moreris. Hæc est Sapientia de qua Sapiens: *Viam Sapientiæ monstrabo tibi, ducam te* *Prou. 4.* *per semitas æquitatis, quam cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.*

Vide in 3. parte, Feria 4. Hebd. 5. Vbi hæc habetur Veritas:

Quò minus concupiscentiæ mortificabis, cò magis à concupiscentia mortificaberis.

FERIA QVINTA.

SVB DISCESSVM ADOLESCENTIS, DECLARAT CHRISTVS DIFFICILEM DIVITIBVS ESSE SALVTEM.

Et circumspiciens Iesus ait Discipulis suis : quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Marci 10.

CVM circa hanc sententiam Christi Domini contra Diuites, multæ occurrant Veritates proponendæ, Primùm est ipsa sententia Domini paulo attentius expendenda. Discedebat itaque tristis ille Adolescens qui cum Christo remanere noluit, Et tum vt refert sanctus Marcus, *Circumspiciens Iesus*, ait discipulus suis : *quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Discipuli autem obstupescebant in Verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis : Filioli quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm Diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur dicentes ad semetipsos, Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus ait, apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum.*

Ex quibus Euangelistæ Verbis tria obseruari possunt quæ difficilem Diuitibus esse salutem declarent. Primum est ipsa Christi Domini sententia tam plana & aperta vt nihil in ea figuratum sit, nihil prorsus obscurum. Adde quod modus eam pronuntiandi talis est vt innuat nobis plus etiam in reipsa inesse difficultatis quàm verbis exprimatur : Ait enim semel atque iterum, *Quàm difficile!* Quasi ipse miraretur, quasi ipse diceret, tam difficile illud est vt vix dici possit. Secundum est similitudo quam affert de faciliori transitu cameli per foramen acus, siue per camelum intelligas animal illud gibbosum, siue rudentem; vtrumque enim potest intelligi, & in vtroque par similisque prorsus obstupescendi ratio. Tertium denique quod affirmat apud homines id esse impossibile. Id est, ita difficile vt ordinarie loquendo vix vmquam fiat, & quasi pro impossibili habendum sit, quod non debet tantum intelligi de viribus humanis, seu de impossibilitate naturali, nihil enim mirum esset, cum nulli hominum etiam non diuiti possibile sit suis saluari viribus; sed cum ipsa etiam ordinaria & sufficienti gratia quæ numquam illi deest, dicitur tamen apud homines impossibile, quia homines addicti

addicti pecuniis sic ordinariè ista cupiditate implicantur & impediuntur, vt non consentiant tali gratiæ nec saluentur. Quod autem addit: *Sed non apud Deum impossibile, apud quem omnia sunt possibilia*, sic explicat sanctus Augustinus: non quasi diues saluetur per Dei potentiam cum sua cupiditate & superbia, sed quia potest à Deo conuerti per majorem gratiam, quam illi posset conferre, si vellet: quod quia tamen est rarum, rata manet Christi sententia, difficilem admodum esse eorum salutem, qui diuitias auidius possident vel concupiscunt; sicut fusè declarant sancti Patres, quorum dicta longiora breuibus his quæ sequuntur sententiis & veritatibus practicis continentur, iisque facilè possunt applicari.

PRIMA VERITAS PRACTICA.

Quantò id minus verum putant Diuites, quod de ipsis Christus dixit, tantò id magis verum est putandum.

RATIO EST, Quia quantò minus sibi prospiciunt diuites, ne quod dixit Christus de difficili eorum salute, ipsis eueniat, tantò eis certius eueniet, tantóque id magis verum est putandum quod Christus dixit. Plana hæc sunt omnia & aperta.

SED quantò id minus verum putant diuites quod de ipsis Christus dixit, tantò & minus sibi prospiciunt. Quis enim malum præcaueat quod non putat malum? *Velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur*: Quasi diceretur, sic propterea peribit certius. Prou. 7.

Quantò igitur id minus verum putant Diuites quod de ipsis Christus dixit, tantò id magis verum est putandum. Ac proinde tantò magis timeant, quantò minus timent. *Verumtamen væ vobis diuitibus quia habetis consolationem vestram. DIVES sicut flos fœni transibit: exortus est enim sol cum ardore, & arescit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita & diues in itineribus suis marcescet.* Id est, derepente & improuisò, tum ipse tum quæ collegit, omnia deperibunt. Luc. 6. Iac. 1.

SECVNDA VERITAS.

Non fit à Christo Diuitibus difficultas regni cœlorum : sed illam sibi faciunt Diuites contra ipsum Christum.

RATIO EST, Quia tota difficultas possidendi cœlorum regni quæ fit diuitibus, fit à praua cupiditate, vel à malo diuitiarum vsu, vt infra declaratur.

Atqui hæc praua cupiditas & malus diuitiarum vsus non fit à Christo, sed ab ipsis diuitibus contra Christum. *Quærite*, inquit

In Ps. 147. sanctus Augustinus, *quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei.*

Ergo neque à Christo fit diuitibus difficultas Regni cœlorum, sed illam sibi faciunt diuites contra ipsum Christum : vnde nihil est quod accusent nisi semetipsos. Quò spectant illa quæ habet sanctus Hieronymus ad Cælantiam : *Asperam nobis & insuauem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo, quæ si in partem alteram transferatur, inuenietur sicut Scriptura dicit, semita iustitiæ leuis.*

Sap. 5. Quod & ipsi agnoscunt in inferno qui sic gemunt ; *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum Iactantia quid contulit nobis?* Videsne vt distinguunt vias suas à via Domini?

TERTIA VERITAS.

Quanta est facilitas diuitiarum vt amentur, tanta est difficultas Diuitum vt saluentur.

SENSVS ET RATIO EST, Quia quanta est vnicuique facilitas seu propensio naturæ in diuitias vel conquirendas vel conseruandas, tanta est illa cupiditas quæ est radix malorum omnium.

Sed quanta est talis cupiditas, tanta est difficultas diuitum vt saluentur ; cùm enim difficultas salutis proueniat à praua illa cupiditate quæ saluti contraria suggerit, profectò quàm prona erit

cupiditas, tanta inde crescet difficultas. Augmentum cupiditatis, diminutio charitatis; & diminutio Charitatis, augmentum difficultatis. Sic grauiter sancti Hilarius & Hieronymus, *graue onus*, inquiunt, *innocentia subit, incrementis opum occupata*, Id est, crescente cupiditate in anima quæ esset alioquin innocens, & quæ facilè saluaretur, tantum accedit onus ex illo cupiditatis incremento, vt desinat esse innocens & difficile possit saluari. *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum.* Sic se à gratiis & à salutis comparandæ mediis excusat diues, suis augendis bonis occupatus; nec nisi difficulter quæ sunt salutis & quæ non sunt cupiditatis, operatur. Luc. 14.

Denique quanta sit opus cautione in tractandis diuitiis, Clemens Alexandrinus sic apta similitudine repræsentat: *Diuitiæ sunt serpenti similes, quem si quis nescit inoffensè eminus accipere, bestiam sine periculo summâ caudâ apprehendens, ea manui circumplicabitur & mordebit: ita & diuitiæ si ab imperito viro apprehenduntur, inhærent & mordent: Sed si quis se magnificum præbens, rectè & scienter eis vtatur, illæsus permanebit.* Quod vt apertiùs liqueat, sint L. 1. Pedag. c. 6.

QVARTA ET QVINTA VERITAS.

Nisi Diues diuitias facias bonas; diuitiæ malum facient Diuitem. Aut cælum perit diuitiis, aut emitur.

RATIO EST, Quia nisi Diues diuitias faciat bonas, non bene vtetur diuitiis;

Sed nisi bene vtatur Diuitiis, diuitiæ malum facient diuitem; & cœlum diues suis perdet diuitiis quibus poterat illud emere.

Vera est igitur vtraque propositio; nec est aliter declaranda distinctiùs quàm exponendo quid sit diuitem diuitias suas facere bonas; seu quid sit, illum bene aut male suis vti diuitiis. Hinc enim simul quod reliquum est in propositionibus, facilè capitur.

Tres sunt autem modi quibus id exponi possit. Primus est prodigalitatis, cum in aperta mala, cum in luxum, in conuiuia, ludos, equitatum, & supra quàm licitè potest, in sumptus ac impensas, absumit omnes opes suas; tunc diues manifestè suis malè vtitur diuitiis, & malus efficitur & cœlum sibi perdit. *Quia ego dedi os*

ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei & aurum quæ fecerunt Baal: Idcirco conuertar. Id eſt, iam non eis bona ſed mala inferam, quia bonis collatis malè vſi ſunt, & in profanos conuerterunt vſus. Quo quidem nomine quàm multi ſint mali diuites, quis non videt, qui mundum & mundanos videt, quorum vix vnus eſt, qui non ſupra quam deberet, inſanos facit ſumptus.

Secundus modus eſt auaritiæ, cùm ex oppoſito ſua ſibi diues tam tenaciter ſeruat, vt deſit neceſſariis ſubminiſtrandis vel pauperibus vel domeſticis, vel non fideliter reddendis quæ debet, vel infideliter exigendis quæ ſibi fortè debentur; vnde multum contra iuſtitiam, charitatem, manſuetudinem, miſericordiam cæteraſque virtutes peccetur. Quis tum etiam non intelligat malum illum eſſe diuitem, & Cœli iacturam facere, dum temporale lucrum nimis accurat? Sic paucis, ſed multùm conſideratè Sapiens;

Prou. 5. *conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam.* Domum ſuam, Id eſt, rem familiarem ſiue domeſticos. *Domum ſuam*, id eſt, conſcientiam & gratiarum œconomiam; *Domum ſuam,* Id eſt, illam æternitatis domum & ſtationem ad quam vocatus erat, conturbat & euertit & peſſumdat hæc omnia.

Tertius denique eſt inertiæ cuiuſdam ſpiritualis, quâ fit, vt diues licet nec admodum prodigus nec auarus ſit, tam parum tamen eſt de ſuo ſalutis negotio ſollicitus, vt in acquirendis, conſeruandis, & impendendis pecuniis nihil aliud ſpectet quàm ſuum temporale lucrum vel tranſitoriam commóditatem: nihil de cœlo, nihil de anima, nihil de Deo cogitet, ſeque vnum quodammodo pro ſuarum fine diuitiarum ſtatuat, ſuam vnam vtilitatem, vel quæ inde hauritur, delectationem, vel qui ſimul coniungitur ſæcularem faſtum reſpiciat & intendat, etiam non cogitans, ſed naturali tantùm & humano motu, quem non purificat nobiliori aliquo & ſupernaturali motiuo. Tunc diues diuitias ſuas non facit bonas, nec ſatis bene his vtitur. Tunc diuitiæ malum etiam faciunt diuitem. Tunc denique cœlum diues ſuis illis diuitiis perdit quibus illud emere poterat.

Tria ſunt hæc diſtinctè paulo fuſius explananda.

Primum, quod diuitias ſuas diues non faciat bonas, bonitate morali & meritoria, de qua hic agitur, ſatis apertum eſt, cùm nullum tale ſit bonum quod ſine ſuo caret: Eſt enim finis in mo-

ralibus quod forma in naturalibus, vnde ſicut nihil exiſtit naturale quod forma careat, ita nihil morale quod fine ſuo priuetur. Suo fine autem diues pecuniæ ſuæ priuat vſum, qui tantum ea vtitur quo fine diximus: non eſt finis qui moralem vllam conferat bonitatem cœlo dignam, animæ vtilem & Deo gratam. Finis eſt merè temporarius, merè naturalis & humanus quem ſibi poteſt Ethnicus & publicanus proponere. *Nonne & Publicani, nonne & Ethnici hoc faciunt?* Quaſi diceret, vt habet interlinearis, *in hoc non plus facitis quam gentiles, ex humano affectu hoc facientes.* Vnus vnus ſupernaturalis finis eſt, qui vel actu vel virtute intentus poteſt hunc valorem impertiri cum gratia rebus creatis, vt bonæ ſint, qua bonitate Deus colitur & animæ ſalus promouetur. Hic eſt vnus Chriſtiano finis propoſitus, hic eſt vnus quem Deus ſpectat largiendo diuitibus ſuas diuitias: quibus, vt reliquis creaturis, vtantur tamquam mediis ad ſalutem comparandam: *Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Vnde quàm verum eſt, Diuitem non ſpectare hunc finem, tam certum eſt non bonas facere ſuas diuitias quæ hoc ſolo ſpectato fine, bonæ eſſe poſſunt. Neque alius dicat bonum eſſe ſuam ſeruare vitam, ſuam famam, ſuam familiam, ac proinde bonas eſſe diuitias quarum miniſterio bona illa ſeruantur. Eſto enim ſint bonæ bonitate quam vocant entis & naturæ, de hac modò non agitur, vt ſupra dictum eſt; ſed de bonitate moris & gratiæ, quæ ſit æterni capax meriti & futuræ ſemen beatitatis. Hæc autem bonitas quæ ſola vera eſt bonitas, tam neceſſariò noſtris in actionibus finem exigit ſupernaturalem, vt niſi finis ille adſit, nec ipſa quæ dicuntur bona opera, vere ſint bona. Sic aptè ſanctus Auguſtinus in illum Pſalmi verſiculum, *auerte oculos meos ne videant vanitatem*, poſtquam multis egit contra laudis appetitum, ſic concludit ad rem noſtram: *porrò ſi vanum eſt propter hominum laudes bona facere, quantò vanius propter adipiſcendam pecuniam vel augendam ſiue retinendam, & ſi quid huiuſmodi eſt commodi temporalis, quod nobis accidit extrinſecus, quia omnia vanitas. Propter ipſam denique temporalem ſalutem, non debemus facere bona opera noſtra, ſed potius propter illam quam ſperamus, vbi bono immutabili perfruamur.* Sic & ſanctus Gregorius *vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis noſtra penſanda eſt, vt nil temporale in his quæ agit, appetat; & totam ſe in ſoliditate æternitatis figat; ne ſi extra fundamentum, actionis noſtræ fabrica poni-*

Math. 5.

Prou. 16.

Pſal 118.

28. Mor. c. 13.

tur; terra dehiscente soluatur.

Secundum quod inde sequitur, est, diuitias cum sic bonæ non fiunt, malum facere diuitem: Et id quidem duobus modis, primò negatiuè vt vocant, sicut dicitur arbor mala quæ non facit fructum bonum, & seruus malus qui acceptum talentum non duplicat. Sic planè diues malus qui ex diuitiis non refert salutarem fructum, cui potissimum referendo diuitiæ datæ sunt, vt certa salutis media. Vnde à villico quæritur: *Redde rationem villicationis tuæ.* Id est, bonorum omnium siue spiritualium siue temporalium, quorum administratio sic diuitibus est credita, vt qui bene his & fructuosè non vsus fuerit, malus diues & puniendus habeatur.

Luc. 16.

Deinde verò positiuè malum tales diuitiæ faciunt, quia sic apparet eas inordinatè amari, ex quo amore tam multa profluunt alia vitia, vt asseueret Sapiens *Nihil esse iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam vænalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.*

Ecclesi. 10.

Ex quibus Scripturæ Verbis quod Tertium erat declarandum, apertè patet, nempe his ipsis diuitiis cœlum à diuitibus perdi, quibus facilè poterat comparari. Quid est enim vænalem habere animam, nisi suam cœli partem diuendere, seu exponere commutandam cum terrenis bonis? Nam vtrumque simul ita est coniunctum, vt iactura cœli & animæ sit amborum vna prorsus indiuisaque perditio. Quàm præclarè verò quod additur, *Quoniam in vita sua projecit intima sua.* Nihil poterat expressius dici, siue ad declarandum quomodo bono diuitiarum vsu poterat emi cœlum, siue ad demonstrandum quid sit quod alioquin pereat. Nam sicut intima corporis in animante sunt illa vitæ naturalis instrumenta, quæ nutiendo, fouendo, & sustentando deseruiunt corpori; sic domestica illa opera in quibus versantur quotidiani diuitiarum vsus, sunt illa supernaturalis vitæ media & instrumenta quæ saluandæ deseruirent animæ, si hunc finem sibi diues proponeret, hoc est, si non aliter diues vellet esse diues quàm quia Deus vult ipsum diuitem; si non aliter diuitias domi & foris impenderet quàm prout scit velle Deum; si non aliter domos, mensam, vestes & cunctam supellectilem sibi suisque vellet adornare, quàm vt placeret Deo, suæque animæ sciret expedire; tunc diues suis diuitiis sic religiosè dispensatis, non

minus sibi cœlum & salutem æternam operaretur quàm dum eas in pauperes effunderet; quoniam vbicumque par est Dei voluntas, par ibi meritum & par est præmium. Sic est autem Dei voluntas, vt qui sunt huius sæculi diuites, in necessarios suos vsus diuitias suas conuertant; ac proinde hoc vnum illis superest, vt hanc Dei voluntatem in tali diuitiarum vsu spectare curent; & quantum cæteroquin ex abundantia poterunt iuuandis elargiri proximis, non negligant aut cunctentur. Hocque illud est quod iubebat Apostolus suo Timotheo: *Vt diuitibus huius sæculi præciperet non sublime sapere, non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurisare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* 1. Tim. 6.

At verò nisi sic bene agerent diuites, vide quid accidat animanti proiectis intimis: nonne simul à se vitam proiicit? Sic plane diues cœlum deperdit & æternam salutem. Sic arbor non Matth. 7. Luc. 13.
ferens fructum bonum, iubetur excidi & in ignem mitti; sic Matth. 25.
seruus inutilis mittitur in tenebras, ligatus manibus & pedibus; Luc. 12.
sic omnis denique qui sibi thesaurisat & non est in Deum diues, omnino perit sicut ille cui se in bonis suis nimis amanti dicitur, *Hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parasti, cuius erunt?* Non de luxu arguitur, non de impietate, non de auara mente, sed tantum de illo fine quem sibi proponebat in suorum vsu bonorum, quo scilicet commodè & iucundè illis frueretur, nulla salutis facta mentione, vt cuiuis illud esset notum, quòd quibus poterat cœlum emi diuitiis, his ipsis perderetur. *Diues qui sursum* Ser. 54.
respicit, ait sanctus Chrysologus, *non incuruatur diuitiis sed leuatur; Vnde & is qui deorsum spectat, non leuatur diuitiis sed incuruatur & perit.* De his plura sequenti die, postremis in veritatibus.

SEXTA VERITAS.

Non minus errat malus Diues, qui se excusat, quòd diuitiæ non sint malæ: quàm si quis accusaret Diuitem, quasi sint malæ diuitiæ.

RATIO EST, Quia non minus errat qui se nocentem & peccantem excusat, quàm qui accusat innocentem.

Sed malus diues qui se excusat, quod diuitiæ non sint malæ, se nocentem & peccantem excusat; nam cum sit ipse malus vt supponitur, vndenam potest esse illa malitia, nisi ab ipso qui malè bonis vtitur? Vel enim malitia est à diuitiis, vel à diuitiarum vsu seu prauo affectu; non à diuitiis, quia ipse profitetur non esse malas: nonne ergo ab ipsarum vsu, aut potiùs ab ipso qui malè his vtitur? *Sicut dixi, non mala res, vinum, sed mala* Hom. 2. *ebrietas*, inquit Diuus Chrysostomus, *ita non mala res diuitiæ, sed mala auaritia, mala cupiditas.* Ac proinde non minus errat malus Diues qui se à malitia excusaret, quòd diuitiæ non sint malæ; quam qui diuitem accusarent, quasi malæ essent diuitiæ. Quod quidem infrà vberius declaratur.

SEPTIMA VERITAS.

Quantumcumque sint necessariæ & licitæ diuitiæ, numquam est tamen necessarium & licitum, velle esse diuitem, sicut omnes volunt.

RATIO EST, Quia velle esse diuitem sicut omnes volunt, est cupiditate ferri in diuitias; sic enim explicatur illud Apostoli, Hom. 13. inter. 50. & Serm de temp. 205. *qui volunt diuites fieri, Cupiditates accusauit,* inquit sanctus Augustinus, *non facultates: auaritia enim est, velle esse diuitem, non autem esse diuitem.*

Sed quantuncunque sint necessariæ & licitæ diuitiæ, numquam est necessarium & licitum, cupiditate ferri in diuitias; nam illa cupiditas praua est & nihil confert ad vllam vitæ necessitatem; satis enim est temperate & rationabiliter sibi cum Deo prouidere, vnde vetantur sollicitudines intemperatæ, cùm ex multis earum 1. Tim. 6. damnis, tum quia nihil prosunt, imò nocent. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* De qua Ser. 29. item cupiditate, sic eleganter sub auri nomine sanctus Chrysologus: *crudelitatis Dominus, sæuus hostis, amando lædit, nudat ditando, etiam captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes,*

fraudes, &c. Cupiditatis autem malè affectæ nota hæc certior ponitur, cùm nisi repugnanter & inuitè pecuniam quis impendit, licet alioquin videat id esse rationabile, vel iustum, vel necessarium. Tunc possideri magis quàm possidere diuitias ille dicendus est, vt ait sanctus Cyprianus, confirmatque sanctus Ambrosius ex psalte Regio: *Bene,* inquit, *viros diuitiarum appellauit Dauid, non diuitias virorum, vt ostendat eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitiis possideri.* Quod & Seneca dilucide sit expressit. *Sic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrim, cum illa nos habeat.* Et nonnullis interiectis, *tantùm miscere vitia desideriis noli.* Quo vno dicto, quæ plura de cupiditate dici possent, continentur. *l.2.Epist 2. l. de Nat. c. 14. Ps. 75. Epist. 119.*

OCTAVA VERITAS.

Odiosas facit diuitias non solum paupertatis amor, sed timor. Si timetur inopia, magis timenda copia.

RATIO EST, Quia timor paupertatis est timor damni & miseriæ; seu quod idem est, non timetur inopia nisi propter miseriam: vnde quantò est maior quæuis miseria, magis timenda est.

Sed maior est copiæ seu diuitiarum miseria quàm inopiæ: quidquid enim miserum hæc habeat, totum est temporale, quod spe cœli possidendi facile mitigatur. At diuitiarum miseria iacturam bonorum spiritualium & cœlestium spectat in omnem æternitatem, & sempiternas inuehit pœnas, quarum metus à sacris incussus scripturis, amarum reddit quidquid in diuitiis potest esse iucundum: Quis enim Diues ad has non tremiscat voces, *Væ vobis Diuitibus! AGITE nunc Diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis. Thesaurisastis vobis iram in nouissimis diebus.* *Luc. 6. Iac. 5.*

Quamobrem quæ est proposita Veritas apertè patet, & ad eius praxim disce, non aspiciendas tantum esse diuitias qua parte sunt suaues ac iucundæ, sed quâ etiam sunt amaræ & miseræ, in quo certè multi errant, qui comparant malum temporale paupertatis, cum bono diuitiarum: Comparanda sunt enim mala cum malis, & bona cum bonis: Comparanda est miseria paupertatis cum miseria diuitiarum, & hæc rectè iudicanti cognoscetur longè maior. Sic & comparanda iucunditas paupertatis cum iucunditate diui-

tiarum, & illa tantò maior apparebit, quantò est æternitas maior tempore, & cœlum terra. Sic acutè S. Petrus Chrysologus: *Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in æternum mendicus fieri quis durabit? quis militans non ad patriam mittit quidquid bellico sudore conquirit, vt adolescentiæ labores senectus deliciosa compenset? Et Christianus cui militare est id quod viuit in sæculo, quomodo non cogitat vt pericula terrena, otiis cœlestibus consoletur?* Vnde & hæc alia Veritas proponi posset:

Serm. 34.

Si quod futurum est in æterna vita, fieret in præsenti, nemo dubitaret pauperem esse Diuite ditiorem.

RATIO EST, Quia futurum est in æterna vita, vt pauper bene vsus paupertate regnum cœlorum possideat: Diues verò male vsus diuitiis, miserè pereat.

Sed si hoc fieret in præsenti vita: Si certò sciretur pauperem aliquem breui futurum Regem, aut principem, aut aliqua simili dignitate donandum in multos annos; contráque de diuite aliquo diceretur sic illum breui deuoluendum in extremam miseriam: Nemo dubitaret asserere pauperem illum, dum adhuc etiam pauper esset & alter diues, esse tamen altero diuite ditiorem ac beatiorem; quia comparati simul, ratione temporis breuioris & longioris, sic censerentur miseri vel beati.

Sit Mardochæus hodie pauper, Aman autem diues: cras verò Mardochæus diues, & constanter diues; Aman autem pauper, & moriturus pauper; Quis hanc vicem certò sciens, non censeat Mardochæum, quo etiam die pauper est, ditiorem Amano diuite? Quis pauperis Mardochæi sortem non potius mallet quàm Amani, quantumuis diuitis?

Ergo si quod futurum est in æterna vita, fieret in præsenti, nemo dubitaret pauperem esse diuite ditiorem; nemo non mallet esse pauper quàm Diues: Quia hoc ipsum est quod reuera fit in futuro; Quicquid hoc præsenti vitæ spatio peragitur si cum æternitate comparetur, tam breue est, vt verius de toto vitæ decursu quantumuis longo, dici possit, hodie pauper, cras diues, quam si vno præsenti die tantum esset pauper; *Quia*, vt ait sanctus Petrus; *Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut vnus dies.*

2. Pet. 3.

Quid est igitur cur non ita omnes volunt esse pauperes? aut cur non ita Pauperes modo censeantur esse Diuitibus ditiores? cum ex fide constet quod quidquid futurum est in æterna vita sit longe certius, longe beatius, longe diuturnius, quam quoduis huius vitæ bonum? Certè hoc vnum responderi potest quod nulla fides est dictorum Christi, nulla spes futurorum, solis præsentibus immoramur, solis visibilibus adhæremus. *Euerterunt sensum suum & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Dan. 13.

Nec dicas, extremæ paupertatis malum tale esse vt satis longam & vix tolerandam vitam efficiat. Nam præterquam quod rara est tam extrema paupertas, nullus est etiam tam extremè pauper, qui se futura spe non recrearet, si certò sciret se futurum ditissimum, si tantisper pateretur. Adde quòd, Quò quis est pauperior, eò & ditior. Hæc est decima Veritas quæ declaratur in 3. p. vbi de votis in fine.

Et quia multi prætextu melioris boni, diuitias sibi putant seruandas, contra opponitur

VNDECIMA VERITAS.

Non est tam certum ad salutem seruare sibi aliquid quod dones pauperibus, quàm talem esse pauperem qui nec sibi nec aliis quidquam seruet.

RATIO EST, Quia non est illud tam certum ad salutem quod non est tam certò redactum ad opus; Neque enim aliter prodest saluti, nisi cum in opus venit quantum est in potestate operantis. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.* Eccles. 51.

Sed seruare sibi aliquid quod dones pauperibus, non est tam certò redactum ad opus, quàm talem esse pauperem qui nec sibi nec aliis seruet; Cùm enim hoc semel factum est, relinquendo omnia, quid restat faciendum? At quisquis sibi seruat aliquid quod donet pauperibus, non ita certò dat quod seruat dandum; fit enim sæpe vt hoc pio prætextu habendi semper aliquid quod det pauperibus, multa sibi seruet quæ numquam det cùm dare posset. Vbi aduerte, non illud tantummodò latere mali quod numquam dentur quæ

danda seruabantur; sed quod ex cupiditate & peccato seruentur, quæ finguntur seruari ex Charitate.

Coll. 21. c. 31. Sic præclare Theonas apud Cassianum primo loquens de decimis persoluendis, tum de distribuendis eleemosynis: *Necesse est*, inquit, *cum dum tardat aut negligit, aut in qualitate earum, aut in quantitate, aut in quotidiana distributione peccare. Qui enim iubetur ea quæ sua sunt infatigabiliter indigentibus ministrare, quamlibet ea summa fide ac deuotione dispenset, tamen difficile est vt non laqueos peccatorum frequenter incurrat. In illos vero qui consilium Domini non spreuerunt, sed omnem substantiam suam pauperibus prærogantes, sumpta sua cruce Largitorem cœlestis gratiæ subsequuntur, peccatum non potest dominari.* Et paulo post: *Is qui substantiam retinens mundialem, aut decimas fructuum suorum atque primitias, aut partem pecuniarum constrictus legis antiquæ sanctione distribuit, licet peccatorum suorum ignem, maxime hoc eleemosynæ rore extinguat, impossibile tamen est, quantuis opes suas magnanimitate dispenset, vt se ad plenum eruat à dominatione peccati, nisi fortè per gratiam Saluatoris, cum re etiam ipsum affectum deposuerit possidendi.*

Vnde euidenter patet proposita Veritas, quam sic confirmat L. De bono coniu. sanctus Augustinus: *Benefaciebant*: inquit, *qui de sua substantia Christo & discipulis eius necessaria subministrabant, sed melius qui omnem substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundem Dominum sequerentur.* C. 71. Itemque rursus alibi, vel quisquis est author libri de Ecclesiasticis dogmatibus: *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius pro intentione sequendi Dominum semel donare, & absolutum à solicitudine cum Christo agere.*

Sanctus autem Hieronymus contrarium huic Veritati dogma tamquam hæreticum vehementer exagitat in libro contra Vigilantium: *Quod*, inquit, *asseris eos melius facere qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quàm eos qui possessionibus venumdatis semel omnia largiuntur; non à me, sed à Domino respondebitur: Si vis perfectus esse; vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Iste quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quæ & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis præferenda.*

Ep. 34. 1c. 28. Itemque in Epistolis ad Iulianum, Pammachium, Lucinium & alios qui de suis multa largiebantur; vt se tamen totos donent, adhortatur, his & similibus Verbis quæ sæpe repetit: *Et tu qui-*

ftem, Iulianum alloquitur, *bene facis, quod sanctorum diceris vsibus ministrare, fouere Monachos, Ecclesiis offerre plurima, Sed hæc rudimenta sunt militiæ tuæ. Contemnis aurum, contempserunt & multi Philosophi, è quibus vnus vt cæteros sileam, multarum possessionum pretium projecit in pelagus: Abite, dicens, in profundum, malæ cogitationes, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Philosophus gloriæ auidus & popularis auræ vile mancipium, totam semel sarcinam deposuit, & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto afferas! Teipsum vult Dominus hostiam viuam, placentem Deo, te inquam non tua. Quod si teipsum Domino dederis, & Apostolica virtute perfectus sequi cœperis Saluatorem, tunc intelliges vbi fueris, & in exercitu Christi quàm extremum tenueris locum. Nolo tantùm ea offeras Domino quæ potest fur rapere, hostis inuadere, proscriptio tollere, quæ accidere possunt & recedere & instar vndarum ac fluctuum à succedentibus sibi Dominis occupantur, atque vt vno sermone cuncta comprehendam, quæ velis nolis, in morte dimissurus es. Illud offer quod tibi nullus hostis potest auferre, nullus eripere tyrannus, quod tecum pergat ad inferos, imo ad regna cœlorum, & ad Paradysi delicias. Extruis monasteria, & multum à te sanctorum numerus sustentatur: Sed melius faceres, si & Ipse sanctus inter sanctos viueres.*

Denique in vita sancti Hilarionis Abbatis refert hunc sanctum offerentibus sibi ad suos vel ad pauperum vsus dona quæ videbantur non contemnenda, sic respondisse: *Multis nomen pauperum occasio auaritiæ est: misericordia vero artem non habet, nemo melius erogat quàm qui sibi nihil reseruat.* Quasi diceret, quod aduertit sanctus Gregorius in moralibus; *Fraudulenta est illa misericordia quæ seipsam destruit, reseruando quod dandum esset: artificium est Dæmonis qui cum à bono non potest aliquem auocare, pretendit majus bonum quò ipsum aduocet & quo non ducat.* Agnosce technam & aliis exhibe quam declinent. L. 32. Mor. c. 17.

At ne quis etiam nomine diuitis aut diuitiarum fallatur:

DVODECIMA VERITAS.

Vix se vllus talem putat Diuitem qualis in Euangelio improbatur; Et vix tamen vllus est qui non sit talis.

RATIO quoad priorem partem manifesta est; Cum enim vix sit vllus ex ipsis Christianis qui propter illa quæ dicuntur in Euangelio contra Diuites moueatur & sibi prospiciat; certè non aliunde est quam quod vix vllus sit qui se talem putet Diuitem qualis proscribitur & condemnatur: Quis enim Christianus non credat Scripturis? Quis porro credat se in Scripturis condemnatum & nolit sibi prospicere? Quid est ergo quod sibi diues non prospicit, nisi quia se diuitem nemo putat? Tanta est diuitiarum cupiditas, vt quantæcumque sint diuitiæ iam comparatæ, plures semper ac plures expectentur; & in illo appetitu, non tanti faciant quæcumque possident, quàm quæ non habent, sicque se pauperes potius dicant quam diuites. *Est quasi pauper cum in multis diuitiis sit*, inquit Sapiens. Prou. 13.

Ratio vero postremæ partis quæ est præcipua, sic ex præcedenti deducitur: Vix vllus est reipsa diues, qui non sit talis affectu, vel auidiùs amando quæ possidet, vel cupidiùs desiderando quæ non habet; Hoc est enim quod ait Sapiens: *Beatus diues qui inuentus est sine macula*, In iis scilicet quæ possidet, *& qui post aurum non abiit*, non desiderando plura quam possideat: *Nec sperauit in pecunia & thesauris*: Non inde sibi promittens quæ à solo Deo essent expectanda. *Quis est hic & laudabimus eum.* Id est, valde est rarus, vix vllus est qui sit talis, vnde vix vllus est diues qui non nimis erga suas opes afficiatur, qui non plures desideret, & qui non speret ac confidat in ipsis. Eccles. 31.

Sed talis est quem Christus in Euangelio suo designat, talis est de quo dicitur: *Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* Non enim ipsæ pecuniæ, aut earum possessio condemnantur vt malæ, cum ipse Dominus loculos habuisse legatur: Et iam supra de his nonnihil delibatum, vnde restat solam condemnari cupiditatem, seu solos eos condemnari qui vel sua cupidiùs retinent, vel non sua cupiunt auidius, non quidem vt iniustè possideant, sed tantùm quia modum possidendi vel appetendi non seruant, vt dictum est. Sic sancti Patres ad vnum, quos inter sanctus Hilarius: *Habere*, inquit, *diuitias, crimini non est, sed modus in habendo retinendus.* Sanctus quoque Ambrosius, *In pecuniis multa sunt lenocinia delictorum, non est autem census sed affectus in crimine.* Quod & repetit sanctus Gregorius: *Non est census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit bona* In Matth. In Lucam. 39. Mor. 28.

sunt: sed qui bonis male vtitur, profecto agit vt quasi per edacitatis ingluuiem, eo quo viuere debuit, pane moriatur: Sic & sanctus Augustinus diserte ait, *Apostolos cum dixerunt quis potest saluus esse, intellexisse omnes qui diuitias amant, etiamsi adipisci nequeant, in diuitum numero computari.* 2 de qq. Euang.

Quid ergo superest nisi vt vix vllus sit qui non sit talis, seu qui non is sit quem Christus reprobat aut reprobatum iudicat, cum vix vllus sit qui non sit inordinate amans pecuniæ, siue illam possideat, siue non possideat; Quotquot autem sic inordinate amant pecunias, illi sunt Diuites quibus est difficilius intrare cœlum, quàm camelo foramen acus: non quod forte semper ille amor pecuniæ sit lethalis, sed quod in alia facile ducat quæ lethum inferunt, vt ait Sapiens: *Si Diues fueris, non eris immunis à delicto; si enim secutus fueris non apprehendes: & non effugies si præcucurreris*; Eccles. 11. Id est, siue assequaris quod desideras, siue non assequaris; non effugies peccatum, quod ex horum alterutro prouenit. Ac rursus Idem paulo post: *Qui aurum diligit, non iustificabitur*, Id est, non erit sine peccato: *Et qui insequitur consumptionem replebitur ex ea*: Id est, qui cupiditatem ita sequitur vt ab ea potius consumatur quam illam consumat & mortificet, sic ab ea magis ac magis in dies exardescente replebitur, vt ipse consumatur & pereat. Vnde sic pergit: *Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum*, Quod sic intelligas vt non tantum ex auri pulchritudine & amore multi sint capti & decepti, sed quod multis ista deceptio non grauis videatur, non mortalis appareat, nulli fiat iniuria, nulla vt putant admittatur iniustitia. Sic quidem illis apparet, sic apparenter & in speciem, sese tuentur diuites siue auri amatores; sed *in specie ipsius perditio illorum*: Hoc est quod illos perdit, quia rerum apparentia seu specie, non Veritate ducuntur. Res humanas & morales ex apparenti metiuntur specie, suam ipsam Conscientiam ex illa formant mensura: non ex Euangelio, non ex Scripturis, non ex Diuinis institutis: sicque peccant sæpe venialiter vbi se nihil peccare putant, quia nulla eis apparet peccati species: & eodem prorsus modò peccant mortaliter, cùm se tantum venialiter peccare credunt; quia sic est maligna cupiditas vt impunè maligna sit, vel malum omne tegit ne videatur; vel quod non potest totum tegere, partem aliquam obtegit vt minus & leuius appareat, sicque facilius

Ibid. 31.

admittatur. O quam ergo difficile diues intrabit in cœlum, qui se numquam agnoscit diuitem nisi post mortem cum videt cœlum se non posse intrare quia diues fuit; & non cognouit,
Is. 30. quia noluit. *Filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.*

FERIA SEXTA.

PETRO AC CÆTERIS APOSTOLIS RELINQVENTIBVS OMNIA, PROMITTIT CHRISTVS SVPREMAS IVDICANTIVM SEDES.

Tunc respondens Petrus dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Matth. 19.

VERITATES PRACTICÆ.

Huc etiam referri possunt decem Veritates quarum quinque iam suprà sunt variis in partibus expositæ, tùm quinque aliæ breuiter exponentur.

Magis tenemur omnes affectu nostra relinquere, quam effectu Apostoli.

In prima parte, Feria 3. infra Hebdomadam secundam post Epiphaniã.

Qui

Qui non renuntiat omnibus non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus.

In eadem prima parte, Feria 3. infra Hebdomadam ſextam.

Numquam melius ſibi quis prouidet quàm cum ſibi nihil retinens, totum ſe Domino ſuáque omnia conſecrat.

In eadem prima parte. In Feſto ſancti Nicolai.

Quà late patet mundus, nihil eſt vſpiam ita contemnendum & relinquendum quàm quod intus in te vno latet.

In 2. parte, Feria quinta infra Hebdomadam Quinquageſimæ.

Non tam ſpectatur quid dones pro diuinis, quam quid non dones.

In 3. parte, Feria ſexta infra Hebdomadam octauam. Quæ præcipue Veritas videri debet.

NVNC quæ his adiunguntur quinque aliæ, tam manifeſtæ ſunt aut tam facile poſſunt ex dictis illuſtrari, vt ſatis eſſe videatur eas proponere. Conſpirant autem eò ſingulæ, vt ad exemplum Apoſtolorum nobis eſſe omnia relinquenda perſuadeamur.

PRIMA VERITAS PRACTICA.

Nulli melius ſunt omnia, quàm omnia relinquenti.

RATIO EST, Quia nulli melius ſunt omnia quàm qui meliorem omnium vſum & fructum habet. Quid enim vltra ex omnibus deſiderari poteſt? *Et quid prodeſt poſſeſſori niſi quod cernit diuitias oculis ſuis.* Id eſt, vſum & fructum diuitiarum. Eccl. 5.

Sed nullus meliorem omnium habet vſum & fructum quàm qui relinquit omnia. Nam quod relinquenti omnia Chriſtus promittit & donat, melior eſt omnium vſus & fructus qui haberi poſ-

Ezech 36. *sit. Bonis donabo majoribus.* DABO *eis in domo mea & in muris*
Is. 65. *meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum*
Rom. 6. *dabo eis, quod non peribit.* HABETIS *fructum vestrum in sanctificationem,*
2. Cor. 6. *tionem, finem verò vitam æternam.* NIHIL *habentes, & omnia possidentes.*

Nulli ergo melius sunt omnia quàm omnia relinquenti; Ac
Ecclesi. 35. proinde quod ait Sapiens: *In omni dato*, & dando, *hilarem fac vultum tuum, quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* Huic affinis est illa quæ pòst in hac quarta parte declaratur:

Numquam magis eris tuus, quàm cum minùs eris tuus, vt sis totus Christi.

Feria 4. Hebdomada 24.

SECVNDA VERITAS.

Plura dat Christo qui dat omnia licet pauca & vilia: quam qui multa & pretiosa, non datis omnibus.

RATIO EST, Quia plura dat Christo qui se totum illi donat quam qui sua tantum. Non enim nostra sed nos quærit.
Hom. 32. in Euan. *Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est, relinquere semetipsum*, ait sanctus Gregorius.

Sed qui dat omnia licet pauca & vilia, dat seipsum Christo, cùm si alioquin se reseruaret, non daret omnia, vt alibi declaratum est ex sancto Bernardo. Qui autem multa & pretiosa
In 3. parte, Feria 6. Hebd. 8. dederit non datis omnibus, non potest ita dici seipsum dare, nam ille ipse est quem reseruat in sibi reseruatis; vnde Apostolus de illis Macedonibus qui supra virtutem voluntarij fuerunt, id
2. Cor. 8. est, qui sibi nihil reliquerunt, & postquam dederunt omnia, voluissent etiam plura dare, affirmat sic *semetipsos dedisse Domino*, quod de aliis qui minus liberales fuerunt, non diceret. Quamobrem manifesta est Conclusio, certaque Veritas, quod plura dat Christo qui dat omnia licet pauca & vilia, quam qui multa & pretiosa non datis omnibus; vnde & quod Idem Apostolus, ibidem ait, ex alio Scripturæ loco liceat vsurpare: *Qui multum non abundauit, & qui modicum non minorauit.* Id est, qui multum

dedit & non totum dedit, non ita dando abundauit, ficut qui totum dedit, licet modicum dederit; nec enim in illo suo modico minorauit qui dedit omnia, seu quod idem est, nec enim minus dedit qui modicum dedit quam si plus dedisset, cùm sua omnia dando, seipsum dederit, quo nihil Christus habet carius & pretiosius.

O quantus inde stimulus ad omnia relinquenda! Nihil habes pauper quod queraris de paupertate tua; Da quidquid habes, quantumcumq; paruum & vile; tùm satis Deo dederis. Quid vero diues tibi aliquid seruas, cum quidquid dederis, nisi des totum, minus dare conuinceris quam pauper relinquens omnia. Sic præclare sanctus Hieronymus: *Apostoli quantum ad diuitias, nihil: quantum ad voluntatem, totum mundum pariter reliquerunt. Si offeramus opes cum anima nostra, libenter accipiet.* Sed si perfecta desit oblatio animæ, quid sequitur nisi quod quidquid dederis non ita libens accipiet? Ep. 10.

TERTIA VERITAS.

Væ Religioso non relinquenti omnia.

RATIO EST, Quia væ homini illi de quo dicitur: *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.* Malach. 1. Ipse est Dominus qui loquitur: & quantus ille Rex est ac Dominus, tantùm loquelæ suæ ponderis adhibet, quasi declararet cur ille vir dolosus qui debile sacrificaret, esset maledictus, quia sic videlicet nefas est tantæ Majestati offerre quod minus est, cum habeat aliquid majus quod offerat.

Sed Religiosus non relinquens omnia, cùm religionem profitetur nuncupatis Deo votis, dolosus ille est qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino. Nam masculum comparatum debili nihil aliud est quàm aliquid melius & pretiosius quod sacrificari posset. Hoc autem habet religiosus omnis cum habeat voluntatem & intellectum, cupiditatem & alios quosuis affectus, quos si omnes ac seipsum totum relinqueret, certe quod est melius ac pretiosius Deo immolaret. Cum vero non sic seipsum relinquit, quidquid donet non nisi debile immo-

lat, quia longe minus est quod dat, quàm quod seruat, cum vt dictum est, in his quæ seruat, seipsum seruat, quod longe majus ac melius est cæteris omnibus datis, quàm sit masculum aut pingue animal debili comparatum. Denique dolosus est qui sic Deum defraudat sua gloria, seque ipsum suo merito; Dolosus est quia dolo malo rem sacram peragit; Dolosus est quia Superiorem decipit qui putat se admittere hominem omnia relinquentem. Dolosus est, quia fingit se Religiosum esse velle, quod non vult, non relinquens omnia; Dolosus est quia quod reseruat obtegit, & si posset ipsum celaret Deum. *O plene omni dolo & omni fallacia!* Act. 13.

Væ igitur Religioso non relinquenti omnia, nam ille est maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino. Ille est Cain ad cuius munera Dominus non respexit; vel vnus ex illis est de quibus dicitur: *Væ illis qui in via Cain abierunt.* Ille est denique qui expressis & disertis verbis à Sapiente admonetur: *Ne sis incredibilis timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus absconsa tua, & in medio Synagogæ elidat te: quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia. CVR tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat?* Perge audire vel legere, vel tremere ad audita & lecta, quæ de Anania & Saphira narrantur. Gen. 4. S. Iudas. Eccl. 1. Act. 5.

QVARTA VERITAS.

Sua omnia melius relinquit qui se relinquit non relictis suis bonis: quàm qui sua bona relinqueret, se non relicto.

RATIO EST, Quia is sua omnia melius relinquit qui finem melius attingit propter quem omnia relinquuntur; Nam finis semper est melior: seu semper melius est habere finem

quàm media, quæ non aliter impenduntur quàm vt finis habeatur. Vnde Sapiens vel maxime deplorandum illum affirmat qui cùm frustrà laboret, laborare tamen non cesset. *Eccl. 4.*

Sed seipsum relinquere, finis est propter quem cætera bona omnia relinquuntur: relinquuntur enim, vt ait sanctus Thomas, *tamquam impedimenta Charitatis & vnionis cum Deo*; Non sunt autem impedimenta, nisi quatenus nos nobis ipsis inordinate alligant & nimis affigunt, vnde vt tollantur tamquam impedimenta, debent sic tolli vt nos à nobis ipsis diuellant, & disiungant, quæ diuulsio & disiunctio si non sequerentur, frustra relinquerentur. Sic expresse sanctus Bernardus ad hæc Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia: OMNIA sane dixerim*, inquit, *non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Plus enim Concupiscentia mundi quam substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa diuitiarum præcipua est, quod aut vix, aut numquam sine amore valeant possideri.* *22 q. 86. a. 7.*

Vnde ad Conclusionem & praxim Veritatis sic Idem consequenter pergit: *Age ergo qui relinquere vniuersa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, imo vero maximè & principaliter abnega temetipsum si desideras sequi eum qui exinaniuit propter te semetipsum.* Et quæ plura ibi prosequitur quæ iam ex parte sunt descripta in ea Veritate quæ præ cæteris suprà notata est vt consuleretur. Videri etiam debet alia quæ illi affinis est;

Quod præsertim spectat Christus, non est quid ad se afferas, sed quid à te auferas.

In 3. parte, Feria 3. Hebdomadæ 13.

QVINTA VERITAS.

Ne terrearis difficultate relinquendi omnia: minor est difficultas omnia relinquenti, quam partem aliquam.

SENSVS EST, quod licet ille actus relinquendi omnia possit esse difficilior, quam ille quo pars aliqua tantum relinqueretur: tamen vbi semel exhaustus est ille labor, tunc in omnem vitam minor est difficultas cuiuslibet Virtutis exercendæ, quàm si non essent relicta omnia.

Ratio est manifesta ex ante dictis, quia qui reliquit omnia seipsum reliquit, id est, omnem inordinatum affectum complacentiæ vel displicentiæ circa virtutum obiecta: aut non potest dici reliquisse omnia.

Sed illi qui seipsum sic reliquit, minor est difficultas cuiuslibet exercendæ Virtutis quàm illi qui se non ita perfectè reliquit. Nam tota difficultas inde oritur quod repugnet affectus, quæ si repugnantia sublata fuerit, vt reuera tollitur in relinquendo seipso, tam certum est minorem restare difficultatem ad omnes virtutum

Is. 35. actus, quam verum est minorem ab illis esse repugnantiam. *Tunc*

Ibid. 40. *saliet sicut ceruus, claudus: Tunc erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Tunc qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt: ambulabunt & non deficient.* Tanti refert semel excussisse graue illud iugum amoris

Ibid. 58. proprij, & in veram libertatem filiorum Dei transiuisse. *Si abstuleris de medio tui catenam: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ*

Eccles. 51. *erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper. VIDETE oculis vestris*, ait Sapiens, *quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Alioquin certe quid aliud expectari potest quam

In 2 p. in quod supra ex libro Iobi dictum est, *qui timent pruinam, cadet super*

Dom. Sexag. *illos nix.* Noli comparare laborem quem times in relinquendis omnibus cum labore relinquendi aliquid, vel cum requie possidendi quod non vis relinquere: sed confer laborem totius vitæ aut forsan totius æternitatis qui non relinquentem omnia sequitur, confer inquam illum laborem cum alio quem metuis: confer requiem quamtulamcumque sentis in vsu rerum tuarum, cum interna vel æterna requie quæ certissime promissa est relinquentibus omnia,

Eccles. 20. & videbis quam vere dixerit Sapiens, *Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum.*

Sic sancti Patres sapienter obseruant eum qui suaui iugo Christi nolit se subdere, quinque sibi iuga boum emere quibus longe ma-

De Verbis gis prematur. *Iuga quinque, quinque sensus carnis*, ait sanctus Au-

Dom. gustinus, *in quibus iuga: nam duo oculi, duæ aures, geminæ nares, & gustus linguæ & palati tactu fit, & carnis voluptas fit forinsecus & intrinsecus*, Dicuntur autem boum quia per sensus terrena acquiruntur, & homines terrenis dediti nolunt credere nisi quod vident.

De Verbis *An vero*, inquit sanctus Bernardus, *comparatum iumentis esse quis*

Petri. *dubitet hominem qui sibi iuga emerit iumentorum, nisi quod eo sane*

ipsis quoque iumentis conuincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quod iuga necessitatis eorum, propria ipse subeat voluntate? Quod enim illis natura est, huic culpa, dum tamquam vnum ex his quæ ratione carent, sine ratione degens & ipse sub corporeis similiter sensibus incuruatur. Sed quid eum iuga subiisse causamur? Arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ, istud extremæ dementiæ est. Et post pauca. *Quid ergo miser, per iuga boum distrahis animam tuam qui iugum Christi suscipiens emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum? Nam sine iugo interim esse non potes, homo nimirum qui natus es ad laborem. Sed graue iugum super filios Adam, vtique qui sequuntur eum: nam super eos qui Christum sequuntur, leue est & suaue. Postremo vt cætera sileam, cum sine iugo esse non possis, quale hoc ipsum est, eligere potius quinque quàm vnum?* Tum pergit ostendere quam graue sit iugum illud quinque sensuum vnde est sensualitas appetitus, repugnantia voluntatis, & difficultas omnium quæ ad salutem comparandam exiguntur, vnde se illi expediunt qui semel iuga illa excutiunt relictis omnibus vt se summittant suaui iugo Christi. Nonne id vides satius? Quid est ergo quod non exequeris? *Quod enim meum erat, feci tibi.* Sic Elias Elizeum arantem in iugis boum, ad cultum Dei vocauit. Sic Elizeus statim mactatis bobus & relictis omnibus sequutus est vocantem Eliam.

Ecce nos relinquimus omnia.

3. Reg. 19.

Vide infrà in hac parte, Feria 6. Hebdom. 22. de suaui iugo Christi.

SABBATO.

SVA RELINQVENTI PROPTER CHRISTVM CHRISTVS PROMITTIT CENTVPLVM, ET VITAM ÆTERNAM.

Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut so-

rores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit. Matth. 19.

VERITAS PRACTICA.

Qui se dicit sua reliquisse, nec contentus viuit; mentitur, aut mendacem facit Christum.

RATIO EST, *Quia qui se dicit sua reliquisse, nec horum centuplum accepisse; mentitur, aut mendacem facit Christum qui sua relinquenti promisit centuplum.*

Sed qui dicit se non viuere contentum, dicit se horum quæ reliquit non accepisse centuplum.

Ergo aut mentitur aut mendacem facit Christum; Quod vtrumque cùm sit horrendum, fateri magis expedit eum qui contentus non viuit, sua non reliquisse, vel potius suaderi debet sua verè relinquere vt contentus viuat.

I. PVNCTVM.

ARBITROR, inquit sanctus Bernardus, *verba lectionis huius ea esse de quibus ad immortalem sponsum à finibus terræ clamat Ecclesia: Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras. Hæc nempe sunt Verba quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem hominibus. Hæc sunt Verba quæ Aegyptum spoliant, & optima quæque eius vasa deripiunt. Hic sermo viuus & efficax conuertens animas fœlici æmulatione sanctitatis, & Veritatis promißione fideli.* Et post multa, particularius agens de centuplo & vita æterna promissis; *Habetis, inquit, filij Adam promißionem vitæ eius quæ nunc est, pariter & futuræ, vt obstruatur omne os loquentium iniqua, & confundantur omnes iniqua agentes superuacuè. An non superuacuè penitus agit iniqua qui non modo fru-*

ctuosius

ctuosius sed etiam iucundius, non modo salubrius sed etiam suauius Deo poterat seruire quam mundo?

Ex quibus sancti Patris, imo & ipsius Christi Domini Verbis duo illa colliguntur ad commendationem Religiosi status quæ summam fœlicitatum omnium faciant iuxta illud Poetæ, *Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.* Horat. Quid enim vtilius quam pro vno dato centum accipere? Quid porrò simul iucundius quàm quod accepto centuplo percipitur, nempe in præsenti vita, vitæ ipsius interna iucunditas, & futuræ certitudo Beatitudinis? O vere bonus & suauis Dominus iis qui seruiunt ei! *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te! Sed quid es amantibus, quid toto corde tibi seruientibus? Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ.* L. 3. c. 10. Et quæ plura pergit Author de Imitatione Christi.

Sed quare ergo tristis es aliquando, anima mea, quare sæpe conturbas me? Quid est quod tam alte insonat auribus nostris, ista centuplicata promissio, & tam parum cordibus sentiatur cùm tamen non aurium sed cordium sit retributio? Hoc modò est examinandum, & ex propositis Veritate necessariò concludendum, aut Religiosum qui reliquit omnia numquam posse rationabiliter dicere se non esse contentum, aut si dicat se omnia reliquisse, nec tamen contentum viuere, profectò mentiatur necesse est, aut mendacem faciat Christum.

Ratio est tam aperta quàm si quis diceret se non accepisse centuplum postquam sua reliquit: Nonne is manifestè mentiretur aut mendacem faceret Christum? Nam vt iam sæpe ostensum est, si contradicentium altera vera est, altera necessario falsa est: sunt autem hæ duæ propositiones, *Relinquens sua centuplum accipiet*; *Et centuplum non accipiet:* omnino contradictoriæ, ac proinde necesse est vt si verum est quod de relinquente sua Christus dicit, *centuplum accipiet*, omninò falsum sit & mentiatur qui dicit se sua reliquisse, & non accepisse promissum illud centuplum. Aut si verum esse affirmaret qui dicit se suis derelictis carere centuplo, nonne mendacem faceret Christum qui quod promisit non dedit? *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*, inquiebat Satan de Achabo per Prophetas decipiendo. 3. Reg. 22. Sic enim se spiritum mendacem fecit, cum inspirauit Prophetis vt dicerent futurum Regem victorem qui vincendus erat. Sic pla-

ne, quod absit cogitare, sed tamen dicendum est, sic spiritum mendacem in ore Christi faceret, qui diceret Christum non ei dedisse centuplum cui promiserat.

Iob. 13. O quàm vere Iob, imperite loquentes de Diuinis, ostendit *esse fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum.*

II. PVNCTVM.

SED *qui dicit se non contentum viuere, dicit eorum quæ reliquit se non accepisse centuplum.*

Nam ipsum est quo quis contentus potest viuere, quod isto centuplo proprie debet intelligi. Sunt quidem aliqui, vt Cassianus qui de centena multiplicatione temporalium interpretentur. Sunt alij vt sanctus Hieronymus, qui de spiritualibus bonis intelligant *quæ comparatione & merito sui ita sunt quasi si paruo numero centenarius numerus comparetur.* Sed illi ipsi Patres cæterique omnes qui hunc Euangelij locum versant, ad vnum omnes testantur, quidquid sit de aliis bonis, istud tamen præcipue atque inter cætera intelligi, quod spectat ad animi tranquillitatem & quietem. Quod ita verum est vt etiamsi multa sint in humanis quæ conturbent & affligant, non desit tamen ex parte Dei quod ita eos consoletur & tranquillet vt vere & rationabiliter contenti esse possint. Et hoc ipsum est quod expresse addidit sanctus Marcus, *Neminem esse qui reliquerit omnia, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc cum persecutionibus.* Quasi diceret, etiamsi aliunde diuexaretur, tamen ita abundabit illud centuplum, vt in ipsa diuexatione tranquillus sit & contentus. *Nempe hoc est*, inquit sanctus Bernardus, *quod paulo ante commemoraui; Tollite iugum meum super vos & inuenietis requiem. Mira nouitas sed eius qui noua omnia facit. Iugum tollens, inuenit requiem; relinquens omnia, centuplum habet. Nouerat hoc & ille nimirum homo secundum cor Dei qui ei loquebatur in Psalmo: Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? An non fictus in præcepto labor, onus leue, suaue iugum, crux inuncta? Quidquid affectio propria indicet, securus esto, non Isaac, sed aries morietur: non peribit tibi lætitia sed contumacia, cuius vtique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest: Tentat enim te Dominus Deus tuus, nec mactabitur Isaac vt opinaris, viuens viuet, sed eleuatus est vtique super ligno*

Collat. vlt. c. vlt.

L. 3. in Matth.

Marci 10.

De verbis Petri, Ecce nos reliquimus omnia.

vt in sublime gaudeas, nec in carne propria sed in cruce Domini glorieris.

Et post multa de hoc argumento, *Denique nemo*, inquit, *sanæ mentis ampliorem esse in vitiis credat quam in virtutibus delectationem, præsertim cum sit Deus virtutum, totius terræ iucunditatis fons, lætitiæ & exultationis origo. Neque enim carni seu mundo aut maligno principi, sed Christo vtique seruire regnare est.* Nonne hoc credis? Nonne hoc doces alios? At nonne hinc proinde est manifestum quod qui dicit se non contentum viuere, perinde est ac si diceret se non accepisse centuplum? O dictum impiè!

III. PVNCTVM.

QVI *se ergo dicit sua reliquisse nec contentus viuit; mentitur, aut mendacem facit Christum*; Quia cùm esse vel non esse contentum perinde sit ac centuplum recepisse vel non recepisse, Quid aliud dicere putandus est qui dicit se non contentum viuere quàm se non recepisse centuplum illud quod promisit Christus, ac proinde quod sit mendax qui promisit: vel certe quod certius est, non reliquerit ille sua qui de negato sibi centuplo conqueritur, aut nescire quid sit esse contentum rationabiliter & Christianè, quantum fert huius vitæ condicio. Nam velle sensitiuas delectationes, & oblectamenta iuuenilia, non sunt hæc centuplum quod promisit Christus, non sunt hæc certa mentis gaudia sed falsa & mendacia, vt alibi visum est. Quantum vero ad solida & interna quæ sola replent animam, nemo minus debet de his dubitare quam de ipsa vita æterna. Vnde enim habes certius te vitam habiturum æternam quàm ex Christi promissis? At ille centuplum si promisit eodem ore, eadem mente, ac iisdem plane modis quo vitam ipse promisit æternam, cur non centuplum credes qui vitam credis æternam? Aut si de centuplo dubitas, cur non de ipsa æterna vita? Recte enim sanctus Bernardus: *Illud vehementius arbitror admirandum quod fideles magis in maximo quam in modico videamini, non enim ei difficile est dare centuplum in præsenti, qui daturus est vitam æternam in futuro. Qui daturus est quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non modò centuplum dare potest?* *Vbi suprà de Verbis Petri.*

Quod & inculcans ibidem vehementius: *Æstimas*, inquit, *ô*

homo, quia personarum acceptio est apud Deum, & non omnes omnia relinquentes tam copiosè consoletur? Noli esse incredulus, acquiesce vel veritati, de cuius testimonio nulli licet dubitare fideli: Et omnis inquit, qui reliquerit Patrem, &c. Neminem Christus excipit: miseri igitur qui dicunt præter nos, qui excludunt semetipsos, & excipiunt à beneficio generali. Nimirum indignos se iudicant multo magis vita æterna, qui nec ipsum quidem centuplum sperant. Sed quia Deus verax est qui promittit, homo vtique mendax est qui diffidit. Qua de re cum sanctus Abbas non minus fructuose quam fuse pergat dicere, sic breuitati simul & vtilitati consulemus si ex toto discursu selectiores quasdam sententias, siue ad majorem Veritatis intelligentiam, siue ad augendum perfectæ Renuntiationis affectum, colligamus.

Scrutetur vias suas & studia sua qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur: nec dubium quin inueniat angulum aut diuersorium, vbi scilicet aliquid recondiderit quod non reliquit.

Non potest solui Scriptura, quæ tam certa Veritate subnixa, omnibus id sine exceptione promittit.

Sunt qui sibi retinent aliquid, proprio desiderio aut fortasse consilio importuniùs adhærentes.

Sciolos sese faciunt & de se sibi aliquid retinent quos penitus abnegasse & diuinæ prouidentiæ ac obedientiæ Patrum, consiliis quoque spiritualium Virorum debuerant commisisse.

Nemo ergo cum se videt nec omnia reliquisse, centuplum non accepisse miretur. Pretiosa siquidem diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.

Infœlix Esau qui dixisti, nùm vnam tantùm benedictionem habes Pater? Melius erat dicere cum Propheta: vnam petij à Domino, hanc requiram.

Indignus benedictione cœlesti conuincitur qui aliud sibi refugium parat si forte eam non obtinere contingat.

Certum omnino sit, aut numquam eum omnia reliquisse, aut ipsum deseruisse centuplum quod acceperit.

Si insanum est centuplum nolle recipere: velle relinquere, plusquam insanum iure censetur.

Non est vnde causetur qui eiusmodi est; tamquam in eo videatur irritum Verbum Domini aut euacuata promissio.

Filiis Israel, donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit.

Manna est absconditum quod in Apocalypsi Ioannis victori promittitur. Nouum nomen est quod nemo scit nisi qui accipit.

An non centuplum habet omnium qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore?

Hoc centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ Spiritus, deliciæ Charitatis, gloria Conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, Gaudium in Spiritu sancto, non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus.

Hæc Virtus ex alto quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidãtibus flectere genua ad orationem.

Hæc illa pax quam reliquit Christus quando dedit & suam. Hæc Gratia deuotionis, & vnctio docens de omnibus quam expertus nouit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit nisi qui accipit.

Probare libet an hæc ita se habeant. Cras profecto respondebit ei iustitia sua, qui id studiosè quæsierit.



DOMINICA DECIMA OCTAVA.

DE SANATO PARALYTICO QVI PER TECTI TEGVLAS SVMMISSVS EST.

Ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Matth. 9.

VERITATES PRACTICÆ.

SEX in prima parte de hoc Euangelio iam habentur, tota Hebdomada quarta post Epiphaniam, quæ cùm progressus spiritualis per tres perfectionis acquirendæ vias, compendiosam quandam contineant formam, vt ibidem fusius declaratur, apte his aliunde sex aliæ consequentes addentur.

Qui non gradatim procedit in via virtutis; non in via virtutis incedit, sed vitij.

In 3. parte, Feria 5. infra Hebdomadam quartam post Pentecosten.

Ne dicas, sufficiens mihi sum.

In 1. parte, vbi & aliæ conjunguntur affines singulis Feriis infra Hebdomadam 3. post Epiphaniam.

Sunt verò plures quæ huc etiam commodè transferri possunt, siue respicias iacentem in lecto Paralyticum qui ab aliis propterea portabatur, vt offerretur Christo; siue audias Christum Dominum de remissione peccatorum agentem cum Pharizæis & cum ipso Paralytico.

Confide fili.

Vera fiducia confidenti numquam infida.

In 2. parte, Feria 3. infra Hebdomadam 4. post Pascha.

Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

Minimum culpæ malum majus est quolibet pœnæ malo.

Inordinatio cordis quamtumcumque parua, majus est malum inordinatione corporis quantumcumque magna.

In 2. parte, Feria sexta infra Hebdomadam primam post Pascha: Et Sabbato infra Hebdomadam tertiam, paucis quibusdam mutatis terminis.
In 3. item parte, Sabbato infra Hebdomadam decimam.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam.

Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ.

Feria 4. infra octauam Ascensionis Domini.

Quod sanati corporis erat iudicium, ferre lectum à quo ferebatur; hoc idem est sanati animi, si regat appetitum à quo regebatur.

SIC sancti Patres referunt ad appetitum coercendum quod hîc de sublato in humeros lecto legitur factum à sanato Paralytico, vt videre est in ea Hebdomada primæ partis infra Hebdomadam 4. quam supra videndam monuimus circa hoc miraculum, præsertimque Feria 4.

Ratio verò propositæ Veritatis est, quod sanitas corporis & animi est ordinata temperatura partium. Sed tunc est solum ordinata temperatura partium animi cum animus seu Ratio regit appetitum. Quod cùm per se sit planum, tùm hîc vnus modo suffi-

ciat sanctus Leo. *Agnoscat*, inquit, *rationalis animus, maiores delicias menti datas esse quam carni. Et cum audit sibi per Spiritum sanctum dici: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere, intelligat sibi contra omnia quæ sensibus corporeis blandiuntur, Temperantiæ sectandam esse virtutem, per quam dùm exterioris hominis voluptas minuitur, sapientia interioris augetur*, Et paucis interiectis, *quia cum Caro concupiscens aduersus Spiritum, spiritali cupiditate superatur, libera obtinetur sanitas, & sana libertas: vt & caro mentis Iudicio, & mens Dei regatur auxilio.* Quod & alibi repetens sub aliis nominum symbolis: *Sunt*, inquit, *intra nosmetipsos multa certamina, & aliud caro aduersus Spiritum, aliud aduersus carnem Spiritus concupiscit. In qua dissensione si cupiditates corporis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, & sanitatem, & perniciosum erit eum seruire quem decuerat imperare. Si autem mens Rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non siuerit, Ordinatissimum tenebit Ratio principatum, & munitiones eius nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illusio: quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo Iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur.* Quò etiam spectant illa Eiusdem: *Præceptis Apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus: vt castigatis colluctationibus quæ sunt inter vtramque substantiam, animus quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis sui decet esse Rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem.*

Serm. 4. de Ieiunio Pent. — *Serm. 1. de Quadr.* — *Serm. 4. de Quadr.*

Præter has autem Veritates quæ aliunde depromuntur; vna est maxime propria loci huius ad Verba Christi Domini: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Quod enim Christus sic primo de peccatis agat cum illo viro qui vnam corporis sanitatem videbatur exposcere, hoc plane docet, hanc primam eius & præcipuam erga nos esse curam, vt quod malorum extremum est omnium, & causa cæterorum, peccatum, penitus tollat, nósque simul in idipsum cum Illo conspirantes, primam hanc inter cæteras curam statuamus, nihil vt plane sit non modo ex temporalibus sed neque ex spiritualibus studiis & curis, quod æque procuremus, ac illam peccati fugam. Rei totius cardo vertitur in illa prima vel primaria cura; quamobrem non potuit aptius exprimi Veritas, quàm si vniuersim asseratur:

Nulla

Nulla nisi primaria satis esse potest cura de peccatis euitandis.

RATIO EST, *Quod nulla satis esse potest cura de peccatis euitandis nisi quæ suo modo respondeat curæ, quam Christus Dominus de his habet expellendis.*

Sed nulla est quæ huic respondeat, nisi sit primaria.

Ergo & nulla nisi primaria satis esse potest de peccatis euitandis cura, quam propterea necesse est omnino adhibere.

I. PVNCTVM.



AD primam propositionem, tria hîc paucis attinguntur quæ fusius explanari possent. Primum est quod quando duæ causæ siue inanimes, siue animatæ simul concurrunt ad vnum effectum, quarum vna nihil agit nisi prout est mota ab alia, sic causa mota debet apte conuenire cum mouente seu motrice vt nisi apte conueniat, nihil efficiat. *Nam vt in corporibus globisque cœlestibus*, inquit sanctus Ignatius, in ea quam de obedientia, scripsit Epistola, *vt alius alium afficiat moueatque, requiritur, vt certa quadam conuenientia & ordine inferior orbis superiori subjiciatur: sic in hominibus cùm alter alterius authoritate mouetur quod per obedientiam fit, oportet vt is qui ab alterius nutu pendet, subseruiat & obsecundet, vt virtus ab imperante ad eum deriuetur & influat.*

Secundum est, quod cum in omnibus tùm præsertim in expellendis peccatis, duæ simul hæ dicuntur causæ concurrere, diuina Christi gratia, & humana nostra voluntas: Nihil hæc plane potest sine illa: sed neque illa facit quidquam sine ista. Vnde hæ geminatæ in scripturis vtrimque voces: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, Et *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, quia sic videlicet, vt ait Tridentinum, *libertatis nostræ admonemur, & Dei nos gratia præueniri confitemur.* Ioel. 2. Zacch. 1. Sess. 6. c. 5.

Ac proinde quod tertium est nisi nostra voluntas in hoc tam ponderoso negotio recte conueniat cum Christo Domino, nihil prorsus efficiet. *Omnes isti ambulantes fraudulenter, æs & ferrum,*

Ier. 6. *vniuersi corrupti sunt*, inquit Propheta. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflauit, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Stupenda certe verba, sed valdè apta vt intelligamus quod sicut aurum vel argentum quæ in conflatorium purganda conjiciuntur, si forte non sunt purgata, inde prouenit quod non sint apte disposita cum plumbo seu viuo argento quo nunc conflatores vtuntur: sic cùm malitiæ peccantium non sunt consumptæ, non aliunde est quàm quod peccantes non apte conueniant cum illa Gratia qua retrahebantur à peccato commisso vel committendo, vnde & sensim reprobantur quia deseruntur ab illa gratia & desertis quid aliud frequentiùs accidit quàm quod ait Apostolus:
2. Tim. 3. *Proficient in peius errantes, & in errorem mittentes?*

II. PVNCTVM.

SED nulla est cura, nisi primaria, quæ satis apte conueniat cum Christo Domino.

Tria hic etiam consequenter enodanda essent. Primum quæ sit cura primaria, nempe illa quæ vehementius & ante omnia seu præ cæteris omnibus curis & studiis circa illud versatur cuius est cura, quantæcumque sint aliæ seu aliarum rerum curæ, si forte simul concurrant cum prima, tunc illi cedent; nec aliter prima seu primaria poterit dicit nisi quatenus illi cedent aliæ quæ secundariæ propterea nuncupantur quod nonnisi post primam moueantur. Sic auaro prima cura est cumulandæ pecuniæ; sic Ambitioso & aliis quod quisque carius habet, hoc primum illis est
Matth. 6. curæ. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Secundo, magna est prorsus in agendo differentia primariæ curæ cum reliquis. Nam quod quis curat primariò, non tantum illud vehementius, & ante alia id procurat, sed ita vehementer procurat, vt si non possit peragi nisi cum aliarũ detrimento rerum, consentiat potius huic rerum detrimento quam de sua prima remittat cura. Vnde sanctus Bernardus contra illos qui primam in scientia sibi comparanda ponebant curam, cum aliquo etiam religionis & Conscientiæ dispendio: *Si tanto*, inquit, *studio & solicitudine quæreretur Conscientia quanto scientia; & citius apprehenderetur, & vtilius retineretur.* Quasi diceret, si ex æquo saltem illæ curæ

mouerentur, & scientiæ & Conscientiæ, tunc posset tolerari: sed cum prima sit cura scientiæ, vergit in detrimentum Conscientiæ, quod certe damnosum est.

Tertio denique, nisi primaria nostra sit cura cum Christo in euitandis peccatis, nulla erit sufficiens, nulla satis apta & conueniens ad hunc effectum dici potest, quia, cùm vt primò diximus, cura Christi circa peccatum expellendum sit omni modo primaria, profectò nisi sit omnino nostra talis, non illi respondebit, tantoque interuallo simul inter se discrepabunt illæ curæ quanto primaria & secundaria; quod certe interuallum tanti refert ad effectum, vt vix vllus propterea producatur; vix vllus peccatum fugiat quanto esset affectu & effectu fugiendum. Nam pro sua Christus prima cura vellet postponi omnia, pecuniam, famam, honores, vitæ commoda & ipsam vitam: hoc enim diximus esse proprium primæ curæ vt sibi subiiciat cætera: Iam vero ex hominibus cui tantum in fugiendo peccato cura erit secundaria, non sic postponet omnia, non sic famam aut opes aut vitam, aut illud denique cuius potiorem habet curam: sicque fiet vt nihil fiat, nihil enim fiet nisi peccatum euitetur, sæpe autem non euitatur nisi cum aliqua bonorum iactura temporalium, in quam homo iacturam numquam consentiet si pluris ducat abundare bonis quam carere peccatis; si potior cura sit homini suæ pecuniæ quam suæ Conscientiæ, non fiet quod Christus ab illo prætendit homine, non euitabitur peccatum quod euitari non potest nisi potior habeatur cura Conscientiæ quam pecuniæ. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*; Hæc est prima Christi cura de peccato euitando, à qua tantum distat illa hominis quæ est tantum secunda cura, quantum distat, eruere sibi oculum, vel non eruere, scandalizari vel non scandalizari, ad vitam ingredi vel in gehennam mitti. Nam quod prima Christi curæ vellet erui oculum, non vult secunda hominis; nollet quidem homo scandalizari, nollet peccare, nollet detrimentum in anima pati: sed non simul cum oculi detrimento, non simul cum iactura pecuniæ, licet ea iactura sit aliquando necessaria: talis est enim natura primæ vel secundæ cuiuspiam rei curæ, vt quod prima vellet perdi, nolit secunda; vel quod secunda vellet lu-

Matth. 5

crum, nolit prima. Quantùm autem illa distent, quis non videt? Quanti porro illa distantia sit impedimenti ad effectum qui est peccati fuga, quis non intelligit? Cùm præcipuè non euitatur peccatum nisi eruto priùs oculo, quem sibi non patietur erui, qui primam euitandi peccati curam sibi non statuerit.

Luc. 11. Quamobrem liquidè Christus Dominus: *Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Et Propheta: *Numquid*

Amos. 3. *ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?*

III. PVNCTVM.

NVLLA *ergo nisi primaria satis esse potest cura de peccatis euitandis*, Quia nulla satis esse potest nisi quæ Christi curæ conueniat & respondeat, nulla autem ei conueniat nisi primaria, cum talis in illo semper extiterit ex quo genus humanum in humana natura curare cæpit. Hoc est primum quod venturus in mundum sibi proposuit, *peccata tollere.* Hoc est quod ei nomen Iesus indidit: Hoc est quo à Ioanne agnitus est, & quo agnoscendum nobis fecit: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi.* Mirum certe cum tanta dici possent de Christo quibus à suo Præcursore magnificentius prædicari potuisset, hoc vnum cæteris tacitis declaratur, *Quod tollat peccatum mundi.* Sed nihil poterat dici excellentius; quia hic est eius Incarnati primarius finis, hoc eius principale munus & officium; hæc illius officij prima est cura. Nihil autem excellentius de quoquam dixeris quam quod attingit primam eius officij partem. Nouerat ille sanctus Præcursor, nouerat sua ipsius experientia, suo ipsius ingenti bono, quid primò acturus in mundum venisset mundi

Ioan. 1. Saluator, quidue primo is ageret in animos nostros; nam cum vterque maternis adhuc contineretur claustris, Christus quidem in sinu Beatissimæ Virginis matris, Ioannes autem in vtero ma-

Luc. 1. tris Elizabeth cum originali sua culpa: venit fœcunda virgo ad fœcundam sterilem, venit Infans Iesus ad infantem Ioannem, & primum quod Iesus erga homines opus operatus esse agnoscitur, fuit illa culpæ remissio, fuit illa Ioannis sanctificatio.

Deinde verò quid est quod primum inter homines egit aut prædicauit? Nonne hoc vnum, *Pænitemini?* Quæ porrò Sacramenta

Marci 1. instituit, quo tandem fine instituit nisi vt per illa remitteretur

peccatum? Denique ne ab hodierno Euangelio discedas longius, quod erat vel maxime de Christo audiendum & credendum omnibus, ipsum esse Deum, quo tandem euidentiori signo id demonstrauit quàm remittendo peccatum? *Vt sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam.* Quasi diceret Dominus, sicut videtis hoc miraculo me vere peccata remittere, sic intelligite me vere Deum esse cùm peccata remitto. Hoc est signum Diuinitatis meæ, quod est humanitatis insigne. *Hic est fidelis sermo & omni acceptione dignus quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*, inquit Apostolus: *sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem illorum qui credituri sunt illi, in vitam æternam.* Id est, in hoc præcipue Christus se insignem mundo fecit quod me à peccatis conuerterit, nam inde homines Eum Optimum Maximum nosse poterunt qui talem à peccatis hominem reuocarit. 1. Tim. 1.

Hoc est quod ipse Dominus tamquam certissimum Apostolatus insigne, suo item Apostolo commendabat; *Eripiens te de populo & gentibus in quas nunc Ego mitto te, aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum.* Hoc primum ad quod te mitto, & propter quod te Apostolum constituo. *In quo, & laboro*, inquit, *certando secundum operationem eius quam operatur in me, in virtute.* Act. 26. Coloss. 1.

Sic plane nobis esset collaborandum, sic pari gradu & animo ambulandum, sic pari cura & studio vigilandum. *Vigilate mecum; Si non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur:* Quid est si non vigilaueris nisi quantum ipse est solicitus, tu non minorem solicitudinem adhibeas, prout iam antea manifestè significauerat: *Indicabo sibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique solicitum ambulare cum Deo tuo.* Proh quantum alioquin probrum & damnum! Hinc tota peccantium pernicies & damnatio; vix vllus est qui non aliqualem adhibeat curam & vigilantiam, sed quia vix vllus est, qui qualem oportet, adhibeat; sic nullus peccandi finis & modus. *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce,* Apoc. 3. Mich. 6. 1. Ioan. 1.

societatem habemus adinuicem; Quasi diceret, non aliter sumus conjuncti, quam si velut in luce simul vigilemus, & eodem conspiremus. Quantò cuique est plus propensionis in vitium aliquod, tanto illi Christus plus inuigilat, & tanto ipsi vitioso plus certe esset inuigilandum. Sed contrà euenit, nullibi segnius quàm vbi Christus vigilantior: quâ morbi grauitate Christus excitatur ad majorem curam, eadem prouocatur infirmus ad minorem. Hac est enim nostra major Infirmitas, Infirmitatem nostram ignorare nec velle scire, ne curetur;

Vide in 1. parte, Feria 5. infra Hebdomadam 6. post Epiphaniam; vbi expressa hæc agitatur Veritas:

Quod grauius in te est malum, hoc minus vis sanari.

Vide & Epistolam paræneticam S. Eucherij, vnde ex multis hæc pauca satis apta tali argumento. *Primas apud nos curas quæ prima habentur, obtineant, summasque sibi solicitudinis partes, quæ summa est, vindicet: hac nos occupet in præsidium sui iam non plane prima, sed sola omnia vincat, eo studio quo præcedit omnia.*



HAC HEBDOMADA, proponitur parabola de otiosis Operariis in vineam conductis, ex Matthæi vigesimo capite. Tùm quæ habentur Ioannis septimo de inuitato à suis Domino vt manifestaret se mundo, veniretque Ierosolymam ad diem festum scenopegiæ, seu Tabernaculorum. Tunc quidem Christus ire noluit quo rogabatur apparatu: sed quasi tantum in occulto cùm iam dies festi celebrarentur, in vrbe adfuit & multa in Templo docuit vnde ad Tempus recte collocandum, ac dirigendas in Diuinum Beneplacitum quotidianas nostras actiones valde instruimur.

FERIA SECVNDA.

DE OTIOSIS OPERARIIS.

Quid hìc statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

De hac parabola fuse in 2. parte, Dominica septuagesimæ. Quò etiam referri potest quæ hic duplex vno breui complexu proponitur

VERITAS PRACTICA.

Nihil est magis nostrum quam Tempus ; Et nihil est minùs nostrum.

I. PVNCTVM,

DE PRIMA VERITATIS PARTE.

RATIO primæ partis hæc est quod nihil sit magis nostrum quàm quod prorsus pendet à nobis nullo prohibente ; quid clarius ?

Sed nihil est quod magis à nobis pendeat nullo prohibente quàm Tempus si velimus eo rectè vti. Nam quidquid cogamur facere, possumus illud semper cum Dei Gratia dirigere in rectum finem, siue vt placeamus Deo, siue vt dissoluendis peccatis satisfaciamus, siue vt cumulandis æternis laboremus bonis. Vnde Sapiens : *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Id est, hoc tibi plane liberum est semper orare, saltem mente, saltem intentione dirigendo tuum opus in bonum finem : sic enim ex quocumque opere tibi thesauros gratiarum & æternæ futuræ gloriæ colliges, nec vereri debes, ne aut desit labori merces, ne aut mercedi labor supersit, nam laboratur æternitati. O ponderosum nomen ; O quam rectè Apostolus, *æternum gloriæ pondus,* ait, *quod operatur in*

Eccles. 18.

2. Cor. 4.

nobis quidquid occurrit laborandum. Hoc est enim quod labori nostro dare debet pondus ne sit inanis & vacuus.

II. PVNCTVM, DE SECVNDA PARTE VERITATIS.

Nihil minus nostrum quam Tempus.

DVPLEX esse posset sensus; Primus, nihil minus nostrum facimus quàm tempus cùm illud male collocemus. Secundus de quo nunc præsertim, nihil est minus nostrum quam tempus, Id est: nihil est quod minus nobis vindicemus tamquam nostrum & tamquam nobis proprium, si nos à Deo separemus.

Ratio est valde consideranda, quia nihil est minus nostrum quam vita nostra, quæ tota est Dei vt Creatoris, vt Finis, vt summi Boni; quæ tota est Christi vt Redemptoris, vt Domini,
1. Cor. 6. vt Glorificatoris, & sexcentis aliis ex titulis. *Non estis vestri:*
2. Cor. 5. *empti enim estis pretio magno. Vt qui viuunt iam non sibi viuant.* Hæc effuse tractata sunt in sacro Die Parasceues.

Sed qua ratione vita nostra, nostra non est, eadem prorsus tempus nostrum, non est nostrum. Nam Tempus & vita sic sibi mutuo correspondent, quantum præcipue spectat ad humanos nostros actus, vt neque aliter concipi possit nos aliquem vitæ humanæ actum posse producere, nisi vnà concipiatur nos tempus aliquod in eo collocare: neque intelligi possit nos tempus in re quapiam ponere quin simul intelligatur nos humanæ nostræ vitæ motum & actum aliquem edidisse. Nemo enim viuit nisi in tempore, & nullum est nostrum tempus nisi quo viui-
Eccl. 3. mus. *Sic omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo.* Vnde illud plane concludi necesse est vt si tibi non licet partem aliquam vitæ tuæ Christo subtrahere, neque etiam tibi licet vllam ei temporis negare partem; nam pars illa temporis quam negares, pars esset vitæ tuæ. Quidquid enim in illa parte temporis ageres, viueres scilicet: & quod tum viueres, nonne tam vere Christo subtraheres, quam tempus ipsum, quo viuere & agere diceretis? Possesne actu vitæ expresso velle Domino viuere, & non velle ei respirare? Non posses quia hoc esset viuere & non viuere, seu velle & nolle, cum viuere & respirare sint vnum

vnum & idem. Sic omnino quantum ad rem nostram, licet tempus non sit tam intrinsecum humanæ nostræ vitæ quam ipsa respiratio, sic tamen illi est connexum & colligatum vt quo actu vita ponitur, ponatur tempus: & qua parte tempus collocetur, collocetur & vita.

Ventus est vita mea, dicebat Iob & præclare, hoc vtrumque respiciens. Nam vita ventus est, Id est respiratio, & vita ventus est, id est, citissimum tempus. *Iob. 7.*

III. PVNCTVM,

DE VTRAQVE CONIVNCTIM VERITATE.

VTRVMQVE *simul igitur non modo verum est, quod nihil magis & nihil minus est nostrum quam tempus:* Sed vtrumque sic simul conjunctum non parùm est efficax ad vsuram temporis vtilius deinceps collocandam. Cum enim tuum sit tempus, & cùm sit ita tuum, vt ne quidem exigua te nolentem possit præterire particula, quin omnem plane possis complere in omne opus bonum, quid est quod illud nolis? *Nos oportet operari opera eius qui misit nos, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari.* *Ioan. 9.*

Cùm vero non sit ita tuum tempus vt tibi partem aliquam aliò quàm velit Deus liceat detorquere, auderesne quod non licet? Auderesne non tua rapere? Auderesne te à Deo subtrahere? Te tibi vendicare? *Adesse festinant tempora.* Id est, sese quodammodo ingerunt & offerunt quibus bene de Deo merearis: tu vero tempus nondum adesse aut abesse causaberis? *Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Obseruanda certe verba; quasi diceret Sapiens, tunc velis nolis apparebit in iudicio nullam prorsus fuisse partem temporis in qua non aliquod operæ pretium potuisses ponere: licet modo dissimules, ita tamen reuera est, neque enim tunc erit verum in iudicio, quam quia modo est: & quia modo ita est, sic erit etiam in iudicio, vt quantum modo bene vel male tempus impenderis, tibi rependatur. *Non est dicere, quid est hoc aut quid est istud? Omnia enim in tempore suo quærentur*, Id est, neque rem vllam, neque tempus vllum putes esse inutile; nulla res enim est, neque pars vlla temporis de qua non sit futura quæstio, quem in vsum tibi eam vsurparis. *Deut. 32.* *Eccl. 3.* *Ecclesi. 39.*

Tempus beneplaciti Deus: Donec tempus iudicij tui veniat, da *Ps. 68.*

mihi hoc tui beneplaciti tempus sic adimplere, vt tempus iudicij tui, sit mihi velut hoc tempus beneplaciti tui.

HVIC AFFINIS VERITATI, HÆC ALIA POSSET ADDI.

Nihil est nobis Tempore vilius, quo tamen nihil est pretiosius.

RATIO primæ partis est, quia nihil est nobis eo vilius quod crebrius & libentius projicimus.

Sed nihil est aut certe vix est aliquid quod crebrius & frequentius proiiciamus quàm tempus, terendo illud otiosis colloquiis.

Ergo nihil est nobis Tempore vilius, quo tamen nihil est pretiosius.

Ratio huius postremæ partis est, quia nihil est eo pretiosius cuius parte exigua thesaurus ingens, quale est Cœlum cœlestisque Beatitudo, potest emi. Sed tale est tempus, seu etiam pars quantumuis exigua temporis. Cœli pretium est nobis propositum. Ergo nihil est Tempore pretiosius. *Fili conserua tempus, & deuita à malo.* (Eccles. 4.)

Tantam enim gloriam omni hora negligimus, ait sanctus Bonauentura, *quanta bona interim facere possemus, si otiose eam transigimus.* Quæ omnia fusius pertractata sunt in 2. parte, Dominica 3. post Pascha. (De prof. Relig. l. 1. c. 13.)

FERIA TERTIA.

DE NOVISSIMIS OPERARIIS.

Sic erunt nouissimi, primi. Matth. 20.

VERITAS PRACTICA.

Quod Feruori Tempus negat, hoc Feruor affert Tempori.

SENSVS EST, Quod feruori quidem tempus neget diuturnitatem, neque enim diu durant saltem quoad sensum quæ multum feruent, tamen hanc alio sensu feruor diuturnitatem affert tempori, quatenus id suo merito efficit vt tempus alioquin breue feruenter in Domino collocatum æquiualeat longi temporis diuturnitati, iuxta illud Sapientis: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Et hunc esse germanum sensum & primarium finem parabolæ de operariis docet inter alios Menochius, vt scilicet ostendatur mercedem vitæ æternæ non tempori quo quis laborauit respondere, sed labori seu feruori quo quid fecit. *Sæpe enim fit*, inquit, *vt aliquis vna tantum hora tantum laboret, quantum alius tota die, ideoque æqualem mercedem accipiat quæ hic denario diurno exprimitur.* Sap. 4.

RATIO autem cur sic feruore valeat tempus, siue quod idem est, cur opus breuiori tempore factum, factum tamen feruenter, æquiualeat multo tempori, hæc est inter alias, quod tanto est majoris meriti opus, quo est profectum ex puriori corde.
Sed quanto est feruentius factum opus, tanto est ex puriori corde.
Ergo & majoris est meriti; ac proinde feruor ille omni modo cum Gratia procurandus.

I. PVNCTVM.

LICET illi omnes Operarij qui laboratum in vineam missi sunt, vnam & eandem mercedem accepisse videantur, dispar tamen & diuersum esse in cœlo sanctorum præmium nemo potest dubitare qui audiat intonantem Apostolum, quod *referet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* 2. Cor. 5.

Vna est essentialis quam vocant Beatitudo quæ in videndo ac amando Deo consistit, & quæ velut denarius deficienti die datur omnibus quibus aliquid datur: sed & huius beatitudinis diuersi sunt gradus, & alterius quam dicunt accidentalem tam variæ sunt species quàm *alia est claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella autem à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15.

Et vero cùm ex multis illa meritorum diuersitas educatur, tum ex feruore Spiritus de quo Apostolus: *Spiritu feruentes, domino seruientes,* Quasi diceret, hos esse proprie & proxime Domino seruientes qui Spiritu sint feruentes. Nam si vt ait Sapiens, *Incorruptio facit esse proximum Deo,* Certe feruentes accedunt Deo proximè qui ad puritatem cordis accedunt propius. Rom. 12. Sap. 6.

Hoc itaque primum est expendendum, quanti referat ad majus meritum, puri esse cordis: nihil alieni, nihil permixti, nihil non modo sensualis sed nec naturalis aut etiam rationalis sensus & animi quod non sit spirituali & Diuino substratum penitus, & infrà positum.

Siue masculum siue fœminam obtulerit, immaculata erunt omnia. AGRVM tuum non seres diuerso semine. HOMO qui obtulerit victimam, vel vota soluens vel sponte offerens, immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo. Si habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. Non immolabis Domino Deo tuo ouem & bouem in quo est macula, aut quidpiam vitij, quia abominatio est Domino Deo tuo. Quæ sic omnia tam sæpe & grauiter insonabant omnium animis vt inde disceretur quod Sapiens dixit apertius; *Qui mundus est, rectum opus eius.* Quasi hæc esset rectitudo cuiusuis boni operis, munditics & puritas operantis. Quantacumque sit eius Charitas nisi sit ex puro corde, non est Charitas accepta Deo. Sic postquam sanctus Iacobus dixit, *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis,* Tum addit, tamquam gradum proximum appropinquandi: *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.* Quod & sanctus Gregorius sapienter obseruauit ad illum Psalmi versum notissimum: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. VIDE,* inquit, *ordinem, primo cor mundum, vt quasi de puro fonte manet quidquid agendum est. Quomodo enim poterit esse perspicuum id est purum in conspectu Dei ac lucidum quod* Leuit. 3. Ibid. 22. Ibid. Deut. 15. Ib. 17. Prou. 21. Iac. 4. In Ps. 50.

In ipsa origine fuerit vitiatum? Scriptum est enim : bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. O quale monstrum potest esse thesaurus ille malus qui nonnisi ex malis coalescit, & vnde nihil nisi malum profluit!

II. PVNCTVM.

SED quanto est feruentius factum opus, tanto est ex puriori corde factum : Sicut quanto est ex puriori corde profectum, tanto est feruentius factum opus. Neque enim feruor est illa quæ forte putaretur agitatio mentis & corporis; sed est ipsa puritas operis pure propter Deum facti.

Quod vt melius intelligatur, atque vt simul apertius internoscatur quid Charitati Feruor addat ad puritatem actionis: obseruandum est duobus præsertim modis actionem posse inquinari & purgari. Primo quidem inquinatur impuris affectibus, seu mundanis propositis finibus ac intentionibus à quo inquinamento mentem purgat illa Charitas quæ vnum respicit Deum. Sed cùm etiam in respiciendo Deo multi se humani respectus & discursus obtrudant qui hominem in diuersa rapiunt & sub specie recti ac boni sæpe fallant & auertant à bono, aut certe dubium & suspensum animum sic retineant, vt quid agat quoue se vertat, ignoret; ac interim non nisi remisse, anxie, & imperfecte agat; potest dici hoc alterum inquinamenti genus quo non quidem malum appetas, nec bonum malo fine facias : sed quo bonum non satis bene, non satis prompte, non satis studiose amplexeris; à quo inquinamento nos purgat Feruor, quatenus qui suo feruet in opere nihil moratur : quidquid obuiet animo, non se sinit illis retardari obstaculis quæ apparenti Virtutis specie, vel nobiliori prætextu mentem aliò auocant. Sed toto quod aiunt pectore rem aggreditur, rem promouet & absoluit, vni Deo intentus, vni attentus operi. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles*, Eis scilicet seruiendo, id est, illustris ille futurus est. Prou. 22.

Cùm nondum ita ferueret sanctus Augustinus, & vellet quidem seruire Deo : sed quod vellet tamen non faceret, sic se à seipso in diuersa distrahi sentiebat, vt miraretur & diceret, *vnde hoc monstrum & quare istud? Imperat animus corpori & paretur statim. Imperat animus vt moueatur manus, & tanta est facilitas vt vix à seruitio discer-* L. 8. Conf. c. 9.

natur imperium. Et animus, animus est, manus autem corpus est. Imperat animus vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum, & quare istud? Imperat inquam vt velit, qui non imperaret, nisi vellet, & non fit quod imperat. Audi vero vt apte sibi respondet: *Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam intantum imperat, inquantum vult, & intantum non fit quod imperat, inquantum non vult; Non vtique plena voluntas imperat: nam si plena esset, nec imperaret vt esset, quia iam esset. Non igitur monstrum, partim velle, partim nolle: sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit Veritate subleuante, consuetudine prægrauatus.*
Num. 178. Sic sanctus Prosper in sententiis sancti Augustini, *Aegritudo animi rationalis est*, inquit, *cum bonus inferioribus delectatur: superiora ex parte appetit, & ex parte non appetit, ideoque in duas diuiditur voluntates, cumque vna est, tota non est: & hoc adest vni, quod deest alteri.*
1. 2. q. 17. a. 5. ad 1. Sanctus quoque Thomas sic rem illustrat: *Imperfectum imperium contingit ex hoc quod Ratio ex diuersis partibus mouetur ad imperandum vel non: Vnde fluctuat inter duo, & non perfecte imperat.*

At certe fluctuationes illas animorum & imperfecta imperia sicut nemo neget esse humanas imperfectiones & nostrarum impuritates actionum, ita omnes concedant, quod qui se ab illis purget, singularem in opus suum inducat puritatem. Hoc est autem feruere, hoc est proprium quod dicimus Feruoris beneficium, sic in sese totum colligit animum vt non iam duo, non iam vlla diuisio, nulla diuersitas, nil aliud cogitare sinit aut sapere quam quæ sunt spiritus, quam quæ sunt Christi: sed totus à se atque à summo Deo indiuisus est animus, vt diuisus à quocumque alio, puram illam vnionem perficiat quæ est perfectæ Charitatis.
1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus est.* Valete cuncta, mihi Dominus sufficit. Deus meus & omnia. Sic paucis feruor agitur, vt nos agere faciat; sic cuncta sibi prosternit.

III. PVNCTVM.

HINC *ergo sequitur vt quod feruori tempus negat, hoc feruor concedat tempori*; Nempe vt breui spatio tibi longorum merita temporum possis colligere, dum quidquid impurum in nostras actiones posset incidere, sic defæcatur & excoquitur, nihil vt supersit in opere non sanctum, non pretiosum, non diuisi-

mum in conspectu Domini. Hoc est *aurum ignitum probatum quod suadéris emere vt locuples fias.* Hoc est aurum quod super idem fundamentum ædificatur, cui fœnum alioquin & stipula simul cohærent. Hæ sunt *diuitiæ salutis, sapientia & scientia*, de quibus & Propheta & Apostolus, qui sic expressis affirmat verbis, tempus redimi, & sapientes ab insipientibus hoc internosci nomine. *Apoc. 3.* *1. Cor. 3.* *Is. 33.* *Ephes. 5.* *Coloss. 4.*

Hæc est vis summa quæ præteritum possis reuocare tempus, qua metiri possis ventum, & ignem ponderare; quæ tria quondam Esdræ ab Angelo sunt proposita tamquam ea quæ essent extra omnem efficientiam posita. Sic enim feruor præteritum reuocat tempus, cùm lacunæ replentur illorum mensium quos Scriptura vocat *vacuos*; replentur autem cùm feruor geminat opera non tam numero quam valore & merito. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Metiris autem ventum cum ad vnum quodque momentum quo aërem spiras, inspiras operi meritum. Ignem denique ponderas cum tanta feruoris habetur ratio, vt pro singulis eius gradibus agendi meritum crescat & præmium. Sic præclare sanctus Hieronymus in Apostoli Verba: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: Quod in diebus malis est*, inquit, *quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi sed futuri.* *4. Esd. 4.* *Iob 7.* *Is. 4.* *Suprà.*

O quam proinde sapienter Sapiens: *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Non ægrotabis illa ægritudine animi qua in diuersa distraharis, & qua distractus vix aliquid agas aut agendo merearis. Non occurret ficta infirmitas corporis quasi non id possis operari quod occurrit. Non infirmitas animi quasi nolis aut nescias; Non infirmitas ipsius operis quasi fatiscas operando; Nulla denique tibi occurret infirmitas quia velocitate & feruore sic roboratur animus, vt licet etiam infirmaretur, non desineret operari, & tunc vel maxime diceret; *Cum infirmor, tunc potens sum.* *Eccles. 31.* *2. Cor. 12.*

Vide Feria 4. infra Hebdomadam Paschæ.

FERIA QVARTA.

DE OCCVLTO CHRISTI

INGRESSV IN CIVITATEM IERVSALEM, AD DIEM FESTVM SCENOPEGIAE.
ET DE OPPORTVNITATE TEMPORIS OBSERVANDA IN NOSTRIS ACTIONIBVS.

Tempus meum nondum aduenit. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Sic est omni negotio tempus & opportunitas, vt nisi adsit tempus & opportunitas, vix vllum fiat negotium.

RATIO EST, Quia vix aut ne vix vllum fiet negotium nisi fiat illud quod intendit Deus.

Sed nisi omni negotio adsit tempus & opportunitas, non fiet illud negotium quod intendit Deus.

Ergo sic est, & sic seruari debet omni negotio tempus & opportunitas, vt nisi adsit tempus & opportunitas, vix vllum fiat negotium.

I. PVNCTVM.

ERAT in Galilæa Dominus cùm loqueretur & ageret quæ suprà commemorata sunt, jamque instabat Festum quod apud Iudæos Scenopegia dicebatur, sic à figendis dicta tabernaculis, vt præceptum erat Leuitici vigesimo tertio, idque in finem Septembris, vel Octobris initium, incidebat. Tunc vero propterea Iudæi omnes adibant Ierosolymam, celebraturi festum, & in templum sua delaturi sacrificia, quia nefas erat alibi sacrificare; cùmque jam eò pergerent è Galilæa,

Cognati,

Cognati, Affines, Conciues & alij qui dicuntur in Euangelio fratres Domini, ipsum conuenerunt de itinere simul conficiendo, dixeruntque ei: *Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.*

Ex quibus Euangelistæ verbis: hoc inter alia diligenter obseruandum est quanti Dominus faceret quod Sapiens dixerat: *Omni negotio tempus est & opportunitas*: quia scilicet nondum aduenerat tempus illud, quo gloriosissime Ierosolymam erat ingressurus: quidquid fratres dicant, noluit tempus anteuertere, sed quasi plebeius & incognitus ciuitatem intrauit. Cum autem illud obtigerit tempus quod prædictum est à Prophetis de illo nobili & magnifico ingressu, quando procedet ei obuiam tota Ierosolymorum Ciuitas; non deerit tempori, & quidquid tum discipuli contra possint objicere, de maleuolo in ipsum Iudæorum animo, non desistet ire quò cum tempus vocabit. Sic nos itaque sacris eius Vestigiis insistentes discamus sua esse cuicumque negotio spatia, discamus cuncta suo metiri tempore, discamus omni negotio sic esse suum tempus & natiuam opportunitatem, *vt nisi adsit tempus & opportunitas, vix vllum fiat negotium.* Eccl. 8. Ioan. 15

Ratio non est vulgaris, & valde consideranda est, quia videlicet vix aut ne vix vmquam vllum fiet negotium nisi fiat illud quod intendit Deus. Nam quodcumque fiat negotium si pro nullo Deus illud habeat, si non illud probet & remuneret, nullum censeri debet tale negotium, licet negotianti sit opportunum & vtilitate quadam temporali fructuosum: quia tamen homo non sibi negotiari, non sibi laborare, non sibi debet viuere, sed Deo suo; si quid laborat aliud & si quid negotiatur & viuit aliud quam Deo Creatori suo, non laborat nec viuit, non est illud laborare & viuere, nihil est agere, nihil operari, nihil negotiari. *Quid hic statis* Matth. 20.

tota die otiosi; merum est otium, quodcumque tempus non transactum in vinea Domini. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Viri profectò sanguinum non dimidiant dies suos quando post multum fusum sanguinem sanguis ipsorum funditur: quando post multos ab ipsis occisos & ipsi ante tempus suum occiduntur: sed dolosi qui nempe velut dolo, sibi & non Domino viuunt, non dimidiant alio sensu dies suos, quia quicquid sibi hic viuunt & non Domino, perinde plane est ac si non viuerent, nibil coram Deo recensetur, nisi vt quæ praue acta sunt puniantur. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*. Sicut enim qui se Deo totum impendit, *consummatus in breui, expleuit tempora multa*: sic qui se Deo subtrahunt, qui aliud quam intendit Deus, laborant & negotiantur, licet centum sint annorum, pueri tamen & quasi nullius habentur ætatis. Sic duobus tantum annis Saul regnasse in Israël Scriptura memorat, cùm tamen aliunde constet regnasse quadraginta. Sed duobus tantum rectè conuenit cum Deo, & hi tantum anni numerantur, quasi quod alio tempore fecerit, nihil fecerit cùm non illa effecerit quæ volebat & intendebat Deus. *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium & non ex me: & ordiremini telam & non per spiritum meum*. Nihil poterat dici expressius siue ad intelligentiam propositionis, siue ad rei grauitatem.

Ps. 54. Ps. 89. Sap. 4. Is. 65. 1. Reg. 13. Act. 13. Is. 30.

II. PVNCTVM.

SED *nisi omni negotio adsit tempus & opportunitas, non fiet illud negotium quod intendit Deus*.

Licet enim sit idem in substantia, non est tamen idem in circumstantiis quæ sæpenumero tantum valent apud Deum vt his mutatis mutetur opus, nec sit illud quod intendebat Deus, quia non simpliciter tale intendebat in substantia, sed tali oblatum modo, tali loco & tempore; *Vt probetis*, inquit Apostolus, *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*, id est, vt supra diximus, quæ sit voluntas in substantia, in modo, & in fine.

Rom. 12.

Sicut itaque non sufficeret ad voluntatem Dei complendam si quis id quidem faceret quod vult Deus, sed alio fine quam velit: ita plane non sufficit si alio faciat modo, quia de voluntate Dei est vt supponimus tam iste modus quàm finis & quàm substantia negotij. Vnde idem Apostolus, *stetis perfecti & pleni in omni voluntate*

Coloss. 4.

Dei: Et rursum, *impleat omnem voluntatem Bonitatis,* Id est, quidquid 2. Thess. 1.
ex se primò & antecedenter decreuit bonitate sua tam in substantia quam in modo.

Quod ita plane verum est vt si modus ille desit in re alioquin imperata, tunc Deus neget se rem imperasse, *Cum veniretis,* inquit, *ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris?* Certe Is. 1.
si de substantia rei ageretur, ipse est qui hæc de ipsorum quærebat manibus; agitur nempe de sacrificiis ex lege ordinatis; sed quia corde impuro & profano illa offerebant sacrificia, perinde dicit se non ea quærere, ac si omnino non quæreret, quia non quærebat ea quali modo offerebant. Sic si obtulissent alio loco & tempore quam quibus erat præscriptum, quis dubitet, quod non ea fuissent sacrificia, non ea munera, nec opera, neque sacra negotia quæ Deus intendebat? *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Quid est quod velit Ioan. 2.
Dominus ista auferri, cum ea tantum essent quæ ad sacrificia vellet offerri? Nonne licet vendere quod licet emere, & nonne id illis emendum vel aliunde comparandum erat quod erat sacrificandum? Sed quia forte locus aut tempus rei vendendæ non obseruabantur, aut licet suo loco & tempore res vænales exponerent, illi auaro quodam animo in rebus istis diuendendis & emendis negotiarentur: totum istud negotium sic infectum erat & peruersum, vt licet negotium alioquin esset permissum aut imperatum; prout tamen gerebatur, vetitum erat, nec certe istud erat quod intendebat Deus. *Ne offeratis vltra sacrificium* Is. 1.
frustra. Id est, tali oblatum modo.

Quæ cùm sint vniuersim dicta de omni circumstantia, tùm particulatim de tempore sic intelligi debent, vt quod negotium suo peractum tempore, negotium esset salutis animæ, negotium esset vitæ æternæ, negotium esset diuinæ gloriæ; negotium erit auaritiæ vel superbiæ, vel cuiusuis demum concupiscentiæ qua factum est vt peruerteretur tempus negotij; Et ipso peruerso tempore peruerteretur negotium, nec esset illud quod vellet Deus; non tantum quia non est peractum suo tempore, sed quia ratio propter quam non est ita peractum, est inordinatus animus vnde & ipsum totum negotium deprauatur. Quod certe est attentius considerandum, nam in eo tria insunt quæ rem valde illustrant.

Primum est instituti violatio temporis quæ per se sola sufficeret vt à Deo negotium improbaretur. Cum enim ipse negotio tempus & opportunitatem ascripsisset, certe offendi potest quod tu libertate abusus tua, non condictum ab eo tempus acceperis, sed illi potius diem & horam condicere videaris. Putasne tum illi Deus interfuerit intempestiuo negotio ? Si autem abfuit, quale putas negotium ? Hæc fuit Bethulitarum audacia, qui cùm quinque dies expectando Diuino auxilio præfixissent, Sapientissima Iudith sic eos arguit : *Et qui estis vos qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.* (Iudith. 8.)

Deinde vero quod considerandum venit, est ipsa causa præcipitati negotij, nempe animus inordinatus, moræ impatiens & disciplinæ, suo seruiens genio, & suas sibi potius rationes proponens quàm diuinas, aut suas potius temporales & caducas quàm spirituales & æternas rationes, quæ cum sit negotiantis seu operantis prauitas, quid mirum si Deus opus improbet, & negotium auersetur ? *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi.* Sic & plura Samuël Saüli qui paulo citiùs anticiparat horam vel sacrificij vel congressus bellici. (1. Reg. 13.)

Tertio denique talem peruersi animi prauitatem in opus ipsum redundare necesse est, & quæ præcipitatio fuit temporis, erit & operis : Quæ causa fuit cur non seruaretur tempus, causa erit cur non certus seruetur modus, cur non rectus præfigatur finis, cur non integra conferatur perfectio, sicque opus deteratur & deprauetur, vt iam mirum non sit cur non sit opus & negotium quod intendebat Deus.

Is. 58. Non est tale jejunium, non est tale obsequium, non est tale negotium quod elegi.

III. PVNCTVM.

SIC *est igitur omni negotio tempus & opportunitas ; vt nisi adsit tempus & opportunitas, vix vllum fiat negotium* ; Quia non fiet negotium quod intendit Deus, & aliud quodcumque negotium tam verè nullum est, quam vere nihil æstimare licet Christiano quod non probat Deus. *Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi.* Hoc est, tanti res valent, tanti (Prov. 16.)

ſunt ponderis & valoris, quanti Deus eas facit & æſtimat. Et opera eius ſiue quæ facit, ſiue quæ approbat, ſiue quæ facit ſolus, ſiue quæ nobiſcum operatur, omnes ſunt lapides ſacculi, ſunt ipſa pondus & ſtatera. Nam olim pondera erant lapidea & in ſacculis circumferebantur: perinde eſt itaque ac ſi diceretur, ſicut id omne quod Deus operatur, pondus eſt, ſeu *in menſura & numero & pondere* diſpoſitum, ita vult operemur non ex libidine & humano noſtro ſenſu, ſed ex Diuina regula certoque rebus ac negotiis indicto pondere, quale eſt tempus, locus, & modus. *Vt omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant in nobis.* Sap. 11. 1. Cor. 14.

Minime dubitas quod quidquid eſt inordinatum, probari Deo non poſſit: dubitaſne vero quod quidquid eſt extra tempus, non ſit ordinatum? Vide, reuolue iterum atque iterum quæ cuncta ſuis diſtinxit ſpatiis & temporibus, an ſi tempus ſuum non ſeruarent, poſſent ſeruare ſuum decus, ſuum nitorem, ſuamue illam quam impertiunt hominibus vtilitatem? *Tempus eſt*, inquit, *flendi, & tempus ridendi*; Sit vero aliquis qui flendi tempore rideat, & dum ridendi eſt tempus, fleat: quid inuenuſtius quid inordinatius? Qui belli tempore pacem ſectetur, nonne ignauus cenſeatur, aut qui tempore pacis, bellum excitet, quid niſi perturbator audiat? Quid ſilentio pretioſius, quando eſt ſcilicet tempus tacendi; nam quando loquendi tempus eſt: *Væ mihi*, dicit Propheta, *quia tacui*; Et Sapiens: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo*; *EX ore autem fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore ſuo:* Quaſi diceret, & in hoc cognoſcetur fatuus quod non loquatur ſuo tempore; & quidquid præclari tùm loquatur, quaſi nullum eſſet, contemnitur. Adeo refert ad hominis & ad ipſius commendationem operis ſi quid agat ſuo tempore vt inde ſapiens vel fatuus iudicetur. Sic & paulo ante dixerat: *Sapiens tacebit vſque ad tempus; laſciuus autem & imprudens non ſeruabunt tempus.* Eccl. 3. Iſ. 6. Pr. 25. Eccleſ. 20. Ibid.

Quamobrem aduerte diligenter, & quod de loquela notum eſt, ſic de alia quauis actione generatim hoc ipſum notificat ſanctus Gregorius: *Non enim*, inquit, *res eadem ſemper eſt virtus, quia per momenta temporum ſæpe merita mutantur actionum: vnde fit, vt cùm quid benè agimus, plerumque melius ab eius actione ceſſemus, & laudabilius ad tempus deſerat quod in ſuo tempore laudabiliter mens tenebat.* Et nonnullis interiectis: *Plerumque enim virtus cum indiſ-* l. 28. Mor. c. 12. ad cap. Iob. 38.

crete tenetur, amittitur: cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum si in incorporeis intelligimus quod agi & in corporeis rebus videmus. Ex studio namque arcus distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur. Quod si otium relaxationis non accipiet, feriendi virtutem ipso vsu tensionis perdit.

Quando autem non apertè liquet de opportuno tempore, satis est vt quantum ex ratione liquet, tempus obseruemus; nec permittamus Concupiscentiæ tum de re dubia decernere, sed Rationi iudicium relinquamus, vt diserte monet sanctus Ambro-
l. 1. off. c. 22. sius: *In omni actu vitæ id cauere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat: Sed teneamus Consilij Locum.*

FERIA QVINTA.

DE VERBIS CHRISTI IN TEMPLO, ET DE DIVINA VOLVNTATE POTISSIMVM SPECTANDA IN NOSTRIS ACTIONIBVS.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de Doctrina, vtrum ex Deo sit. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Si non agis quod velit Deus, hoc vnum infame habes, quod respondeas: *Nolo, Non placet.*

RATIO EST, *Quia si non agis quod probe scis esse agendum, quod facile potes, & quod iure legitimo debes, hoc vnum est quod respondeas, nolo.*

Sed si non agis quod velit Deus, non id agis quod probe scis esse agendum, quod facile potes; & quod iure legitimo debes.

Ergo hoc vnum est quod respondeas, Nolo; Quod quàm sic infame & infandum nonne iam vides?

I. PVNCTVM.

CVM ad diem festum vndique Ierosolymam, atque in ipsum templum Iudæi conuenissent, neque præsens adesset Dominus, vt adesse solebat: *Quærebant eum & dicebant,* inquit Euangelista, *Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant quia bonus est. Alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Iam autem festo mediante,* Id est, quarto infra octauam die, cum festum duraret octo dies, *Ascendit Iesus in templum & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic literas scit cùm non didicerit? Respondit eis Iesus & dixit. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Quasi diceret, vt interpretatur sanctus Chrysostomus, si deponeretis omnem prauum affectum, & solam Dei voluntatem scire velletis ac facere, tum facillime cognosceretis me à Deo venire & loqui, nec difficulter intelligeretis quod vobis loquor. Sed cùm inueteratum in me odium, inuidia, superbia & aliæ passiones vos præueniant, & totos occupent, non est mirum si nihil apud vos proficio.

Diuinum certe Documentum & cùm ad multa, tum ad affectiones regendas & ad actiones nostras rectissime dirigendas aptissimum. Quid enim aliud quàm Diuina voluntas nobis quærenda est in omnibus nostris agendis? At quomodo illam cognoscemus aut perficiemus nisi nos nostris exuamus affectibus qui se illi opponunt & contradicunt? Quid autem animo nondum irreuerenti & infrunito, ad suos illos affectus deponendos potentius, quàm si cogitet se Diuinæ resistere voluntati, nec habere quod respondeat cur ita peruicaciter illi resistat, quàm hoc vnum infame *nolo, non placet.* Vellesne hoc respondere? Et tamen eò adigeris, nisi prauis studeas deponendis affectibus; nam alioquin

quod velit Deus, non ages: si vero id non agas quod velit Deus, hoc vnum habes quod respondeas, *Nolo.* Quod certe an ita sit, & quàm sit infame ac penitus intolerandum, vide accuratius hoc discursu quàm forte adhuc videris.

Si non agis quod probe scis aut quod non ignoras esse agendum, quod satis facile potes, & quod omnino debes, seu quod ita debes vt nisi agas, tùm pecces; tunc profecto nihil aliud est quod respondeas quam illud *Nolo.* Sicut enim sunt illa tria Capita vnde legitima peti potest excusatio, nempe primò ignorare quod nequeas, aut quod non tenearis scire, deinde illud non posse agere, vel denique non teneri ad agendum: sic plane si neutrum horum desit, non est aliud quod excuses quam nolle. Nam si vel vnum ex tribus vere deesset, satis esset ad legitimam excusationẽ; Si vel ignorares,
Gen. 20. *Ego scio,* inquit Deus excusans Abimelech, quòd Saram in vxorem accepisset, *Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me.* Si res supra vires esset, En regula iuris
Reg. 185. quæ excusat: *Impossibilium nulla obligatio est.* Si nullum denique
1. Cor. 7. debitum, vt in seruanda Virginitate, *quod vult faciat,* inquit Apostolus, *non peccat, si nubat.* Id est, hoc ipso excusatur à peccato quod nullum sit præceptum, nulla lex & nullum ex iure debitum. Si vero tria illa simul ita desint vt ex eorum neutro capite possis te excusare quò minus id egeris quod sciebas agendum, quod poteras, & quod tenebaris, plane non est quartum nec aliud prorsus quàm nolle, cur non egeris.

Perscrutare quantum velis, vndequaque circumspice, inuestiga hinc inde si qnid occurrat aliud quod responderi posset. Dices forsan esse negotia, varias esse occupationes, diuersos congressus hominum, vitæ præsentis commoda vel incommoda: Dici hæc quidem possunt & similia, sed aut vere excusant aut falsò; si vere excusant, admittuntur: sin falsè, referre nolles. Vt vero agnoscatur an illa vere excusent; hoc vno declaratur, an ignorantiam inducant quam vocant inuincibilem, an agendi tollant potentiam, vel à debito nos exoluant; Nam si non obstantibus quibuscumque negotiis, vel congressibus hominum, vel vitæ commodis aut incommodis, manent semper tria hæc, *scire, posse, & debere,* profecto quidquid aliud excogitaueris, nullum est quia manifestam inuolueret repugnantiam; deberes enim & non deberes; deberes ex hypothesi quod non sis solutus debito, non deberes autem ex illis

ex illis tuis prætentis incommodis. Quod vtrumque secum pugnans, vt patet, cum minime stare possit; quid restat, quàm quod asseritur si quid non agas quod scias & quod possis & debeas, non aliunde proficisci quàm quod nolis, quàm quod non placeat? *Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem.* Zach. 7.

II. PVNCTVM.

SED *si non agis quod vult Deus; aut si quod nollet Deus, hoc agis; non id agis quod probe scis esse agendum, quod facile potes, & quod iure debes legitimo.* Siue id omissione siue, vt vocant, commissione peragatur, perinde modo est, quantum spectat ad violatum præceptum vel negatiuum vel positiuum. Sit verbi gratia mendacium quod sis loquutus, sit murmur aut detractio, sit affectus aliquis circa rem creatam inordinatus, nonne scis hoc esse vetitum? An ignoras quod tu ipse toties confiteris à te commissum? Nonne statim ac culpa est perpetrata, stimulo mentis agitaris qui, vt ait Apostolus, *ostendit opus legis scriptum in corde tuo, testimonium tibi reddente Conscientia, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Quando abessent cætera quibus abundamus ad cognoscendam diuinam legem, hoc vnum sufficeret, quod ait Dauid: *Signatum super nos lumen vultus diuini,* & quod ait sanctus Chrysostomus, *vna simul cum formatione hominis implantatam esse scientiam faciendorum aut non faciendorum.* Neque quid vmquam particulatim ab vllo Deus exegit quod illi prius non manifestarit, quique non posset cum Dauide dicere, *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Rom. 2. Ps. 4. In Genesim. Ps. 15.

Sic de potentia, quis negare ausit se id posse cum Gratia quod Deus à se velit? *Quid dicis*, ait sanctus Chrysostomus, *Deus iussit, & audes interrogare an legem custodire sit possibile? Imo impossibile non custodire.* Quasi diceret, si quod horum esset impossibile, crederem id esse potius, legem non custodire quàm custodire, quia tam æquum est id sentire quod possimus & debeamus seruare legem, vt vix sentiri possit quomodo possimus eam non seruare. Sic & sanctus Augustinus: *Neque imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile esse iudicaret, vt hoc ab homine fieret.* Vnde restat de debito de quo tamen nihil restat dicere cum sit omni dicto apertius, tale esse nostrum ad Diuinam legem & voluntatem adim- Hom. 8. pop. ant. In Ps. 56.

plendam debitum, vt nulla par sit necessitas ne ipsius quidem vitæ; sitque *hæc vna incuitabilis, constans ac perpetua necessitas,*
Hom. 5. *DEVM NON OFFENDERE*, vt sæpe ex sancto Chrysostomo iam dictum est: *Non enim possumus aliquid aduersus Veritatem*, ait Apostolus, postquam de malo euitando egit, quasi
2. Cor. 13. diceret, Tam certa est Veritas, quæ nos huic obstringit debito, vt etiamsi omnes homines conuenissent ad illud dissoluendum, nihil agerent, nihil possent. Possunt quidem peccare, possunt Deum offendere, sed non vere possunt, stat contra illos Veritas qua semper tenebuntur non peccare, & hanc aduersus veritatem nihil possunt: vnde & dicitur Veritas esse in circuitu Domini,
Ps. 88. *Et veritas tua in circuitu tuo*, quasi hoc eius esset satellitium, quasi hoc munimine tegeretur, quasi hoc esset quo Deus à nullo iuste posset offendi, quia media est Veritas, quia Veritas est quòd non iuste, non licite possit offendi. O Veritas Deus meus, Vnde ergo tot reuera peccant homines & te offendunt!

III. PVNCTVM.

Is. 66. QVIA *quæ nolui elegerunt*, & quæ volui noluerunt. Atque hæc est propositæ Veritatis Conclusio, *Quod si quiuis non agat quod vult Deus, hoc vnum infame respondeat, Nolo, non placet.* Si quid enim aliud esset, quod eum legitime excusaret, vel quia Dei voluntatem ignorabat, vel quia grauior erat Dei voluntas quàm vt eam posset perficere, vel denique quia nulla ei lege tenebatur, quæ cùm horrenda plane sint & blasphemiis similia, quæ ne quidem aures ferre possunt: nil superest nisi tetrum & ferale illud Nolo vel volo, quidquid dissimulet, quidquid
Eccl. 9. affingat, quidquid causetur, *Nec ratio nec Sapientia nec scientia erunt apud Inferos*, ait Sapiens: Quasi diceret, si quid aliud esset quod damnatos condemnasset præter peruersam ipsorum voluntatem, esset illis aliqua ratio repetendi sui iuris, essent sine culpa, & immeritas luerent pœnas; quod cum fingi non possit, manet indubitatum illud quod & ipsi profitentur: *In malignitate*
Sap. 5. *nostra consumpti sumus.* Sic & tritum illud sancti Bernardi, *In quod*
Serm. 3. de Resur. Dom. *deseuiet ille ignis nisi in propriam voluntatem? Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit.*
Ier. 2. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam? Ecce ego indicio contendam*

tecum, eo quod dixeris non peccaui. Si fatereris ingenue malitiam, ignoscerem: si te accusares, excusarem; nunc vero cum te velis excusare, hoc te ipso magis accusabo; Aut certe contendamus, disceptemus simul: *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul, narra si quid habes vt iustificeris.* O bonitatem quæ eo vsque velit ad peccatorem descendere, *Narra si quid habes*, Quasi diceret, paratus sum audire quæcumque possis ad defensionem tui proponere, narra si quid habes, narra coram Deo, id est sincere. Narra si quid habes dignum Deo, non quod vulgo iactatur: narra non vt fingas quæ non sunt, sed vt vere iustificeris, nihil exoptat vehementius, ipse vltro ingerit quod excuses si possis: Narra si quid possis. Non ignorat ille quidem quam sint nulla omnia quæ suggeras, sed ex te audire vult, vt te ipse tuo conuincat ore; neque vult alium arbitrum ac Iudicem nostri quam nos ipsos, adeo sunt infirma si quæ sunt, quæ audeamus exhibere. Is. 43.

Quod si nec audeas, quod si quæ narres non habeas; habet ille quod objiciat. *Arguet te*, inquit, *malitia tua.* Qua scilicet non vis quod volo, mera malitia est, cum nulla sit vera excusatio. Mera malitia est cùm sit directe voluntas opposita meæ bonitati. Malitia est quæ vel ignorantiam supponit, vel quæ sciens volens peccat. Malitia est quæ cum sit solius voluntatis, voluntati bonitatem aspergit, & malignitatem rebus imponit. Malitia est quæ quoties peccat, geminatur & in dies roboratur. Porro malitia *tua* est non Dæmonis, non mundi, non loci, non temporis, non cuiuscumque rei, non ipsius solum concupiscentiæ: sed tuæ voluntatis, sine qua nullus esset malignæ partus concupiscentiæ; nihil est vero tam tuum quam tua illa malitia; nam bona quidem tua, neque sunt merè tua, neque merè bona: verùm illa malitia, & mere tua est, & mere malitia. Ier. 2.

Hæc est quæ te arguet *malitia tua*, licet nihil Deus tibi opponeret, licet te mundus iustificaret, licet nullum videretur fore Iudicium, *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te*; Arguet te Inconstantiæ, arguet te ingratitudinis, arguet te arrogantiæ, stoliditatis & perfidiæ, vt qui deserto summo bono quæras aliud vbi tutius conquiescas! Arguet te tot eductis contra te signis, tot productis contra te testimoniis tam apertis, tam euidentibus, tam opportunis & importunis, vt sicut teipsum non possis fugere, sic non possis fugere arguentem & increpantem.

Matth. 23. *Ierusalem Ierusalem! Quoties volui & noluisti?* Postrema sunt illa Domini Verba quibus maleuolæ animæ sicut quondam Iudæis valedicit, siue vt eam magis instruat de hac veritate quòd vnum hoc infame habet quod dicat, *Nolui*, siue vt ex illa infamia magis moueatur & resipiscat. Sunt enim ad concitandos motus omnia singularia. *Ierusalem Ierusalem, NON saxa quidem non lapides nec tecta compellat,* vt aiebat sanctus Hieronymus: sed si ea compellasset, erupissent ad tam suaues & amicas voces, adeo nullum est pectus tam saxeum quod emolliri non debeat, *Quoties volui, & noluisti!*

Mira quidem oppositio nostræ cum diuina voluntatis: sed in illa oppositione, duo continentur quæ omnem pene superent admirationem. Primum est quoties Christus voluit, anima noluit! saltem si aliquoties! sed quoties inquit, volui; & noluisti? Quod maximè de quodam particulari vitio debet intelligi. Secundum est quàm sæpe voluerit Christus, & anima toties noluerit! Numerare solus ille potest qui gratias contulit, quàm crebras & frequentes contulerit, quàm studiose stet ad ostium, & pulset, &
Apoc. 3. Cant. 5. has voces ingeminet, *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*; Et his toties vocibus anima restiterit, toties vocantem repulerit, toties negauerit se consensuram, toties, vno verbo, noluerit! O portentum malitiæ! Veni peccatrix anima vt te tuis peccatis liberem, Nolo. Veni vt te meis amplissimis ditem diuitiis, Nolo. Vide quis tibi loquitur, & quid loquatur: Nolo. Teipsam intuere, teipsam audi, si te modo solam velis intueri, Nolo. Sic perge cum affectu quantum dici potest de Christo quod voluit, & noluisti.

FERIA SEXTA.

DE APPARENTI RERUM IUDICIO EUITANDO.

AD HAEC CHRISTI DOMINI VERBA:

Nolite iudicare secundum faciem : sed iustum iudicium iudicate. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Apparet quàm sis ipse iudicandus, qui de rebus vt apparent iudicas.

RATIO EST, Quia tunc apparet quàm sis ipse iudicandus quando in re omnium momentosa, vis vltro decipi.

Sed qui de rebus, vt apparent, iudicas, in re omnium momentosa vis vltro decipi.

Ergo & apparet quàm sis ipse judicandus; quod cum sit non modo ineptum sed impium & damnosum, cauendum est omni modo tale judicium.

I. PVNCTVM.

EX aliis pluribus quæ Christus Dominus in Templo Iudæis dixit, hoc præsertim morale est, & ad praxim accommodatum: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* In hoc errabant scilicet pene omnes Iudæi quod de Domino iudicarent *secundum faciem*, id est, prout apparebat, pauper, plebeius, & humilis, quæ cùm infima censerentur & ab eo longe remota quem sibi fingebant venturum Messiam, non poterant sibi persuadere quod de se Christus illis annuntiabat: Et quantumuis insignibus & inauditis miraculis sua confirmaret dicta & facta, tot illa tamen calumniis infuscabant & falsis nominibus impetebant, vt iudicium quod ex abiecta eius facie seu ex humili vitæ degendæ statu iudicabant, præponderaret his omnibus quæ ab eo magnifice & gloriose fierent. At nolite inquit secundum hanc exteriorem vitæ faciem iudicare; Male vos habet quod die Sabbati sanarim vnum hominem, at nonne Moses tali die, nonne & vos ipsi circumcisionem accipitis & ministratis?

Sic ille pluribus quæ in textu videri possunt, cum Iudæis disce,

ptabat, vnde nos commodè ad dirigenda rectius nostra de rebus iudicia, & rectæ rationi perfectius conformandas actiones nostras Veritatem haurimus valde practicam; quam sibi quisque particulatim adjiciat. Vix enim vllus est qui hoc errore iudicij non teneatur, quod de rebus ex specie quam præ se ferunt nimis temere iudicat. At tu qui hæc legis, audi quantis te astringas periculis, quantis te damnis implices. Apparet enim nimis euidenter, *quàm tu sis ipse indicandus & condemnandus, qui de rebus duntaxat vt apparent iudicas.*

Ratio quæ affertur non modo Veritatem in se, sed in te tam aperte probat, vt ex paucis quæ dicentur, manifeste agnoscas, & quàm sit periculosum de rebus ita iudicare, & quam sit verum te in illo versari periculo, te sic sentire de rebus, nec aliter de his iudicare quàm vt apparent. Quod primum itaque dicitur, iam facilè puto concedes si aduertas nihil prorsus in humanis esse rebus, quantumcumq; sit illud exiguum & pene nullum in quo velis vltro decipi & deludi. Si quid audis, si quid quæris, vellesne falsum tibi responderi? si quid emis si quid tibi comparas, quanta satagis solicitudine ne aliud quam forte putes & pretio & merito tibi tradatur? *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cùm recesserit, tunc gloriabitur,* Quasi diceret Sapiens, ita sibi timet quisquis aliquid emit, ne infrà quam putet sit deterius, aut carius emat, vt omni modo rem deprimat & vilificet, sicque post magis gaudeat & glorietur se venditorem decepisse, quam ab illo deceptum esse. Sed cur Sapiens in istis tam vulgaribus & obuiis recensendis immoratur? Vt inde scilicet ad sublimiora exurgas, & discas quod si tantillis in rebus numquam te velis decipi, quàm sis grauiter arguendus, quam seuerè iudicandus, & iuste condemnandus, si te in illa quæ est omnium momentosa & maxima, qualis est Diuinus cultus & æterna salus animæ: Te te vltro & gratis vt dicitur velis illudi, decipi & circumueniri. Nonne id fateris quam sit stultum & impium: aut si diffiteris, quid censes de Achitophel, qui cùm de domo sua sapientissime disposuisset, se suspendio suffocauit? An pluris sua quàm se, quàm suam vitam, quàm honorem, quàm salutem æstimare debuit? Sic est omnis qui cæteris quidem sapit in rebus, & in salute animæ desipit; cùm tamen vt te in ista saperet, deberet potius in cæteris rebus desipere.

Prov. 20.

2. Reg. 17.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *qui de rebus vt apparent, iudicat, in hac re omnium momentosa vis decipi.*

Primo quidem iudicandum tibi est quam Tu ille sis qui de rebus vt apparent iudicas. Dic enim quid censes de paupertate præ diuitiis? de humanis miseriis præ temporalibus commodis & deliciis? de abiecta viuendi sorte præ sublimi & fortunata? de viro simplici qui nulli velit resistere, aut de viro præpotenti cui nemo resistit? Quid de longiori vita præ morte immatura? quid de infirma valetudine præ firmis viribus? quid de amicorum aut seruorum ingenti copia præ solitudine? Nonne paupertati præfers diuitias, nonne miseriis delicias, nonne honores calumniis, nonne potentiores infirmis, nonne vno verbo, vitæ præsentis commoda, tam longe antepones incommdis, quàm longe vulgus anteponit & præferenda iudicat? At vnde quæso tale iudicium? Non à Deo, non à Christo, non ex Scripturis, non ex Euangelio, cuius sunt alia de rebus Pronuntiata. Vndenam nisi ex apparenti rerum facie, nisi quia sic res in se apparent, sic videntur oculis, sic sensu percipiuntur, sic opinione dicuntur, sic humano iudicio recensentur?

Nonne iudicatis apud vosmetipsos, inquit sanctus Iacobus, *& facti estis Iudices cogitationum iniquarum?* Id est, nonne ex corrupto vestro sensu potius quàm ex æquo & bono sic inique iudicatis? Iac. 2. Tum sic pergit, *Nonne Deus elegit pauperes in mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem!* Quasi diceret, in hoc apparet quod de rebus aut de personis tantùm vt apparent, non verò, vt verè sunt iudicatis, quod de his aliter prorsus à Deo iudicetur. Vos contemnitis quos Ille eligit: Vos miseros dicitis quos ille beatos affirmat: vos exhonoratis quos ille colit & honorat.

Iam vero quod de rebus sic iudicando, sic vltro velis decipi circa Diuinum cultum & salutem animæ, quod est huius propositionis præcipuum Caput, manifeste hinc patet quod tale iudicium cùm sit corruptum, corrumpat necesse est omnes affectus & actus tuos. Prout enim de rebus iudicamus, sic ad illas afficimur, sic circum illas agimur. Quod in supra dictis sancti Iacobi

Verbis miro modo exprimitur. Quod enim dicit *facti estis Iudices cogitationum iniquarum*, græcè est διαλογισμῶν. Id est, ratiocinationum quibus ex vno admisso infertur aliud, & à speculatiuo vt vocant, fit descensus ad practicum, quasi sic ratiocinaretur quisquis sit Iudex cogitationum iniquarum: Diuitiæ magis in pretio sunt apud homines, Ergo vel ob has solas præferam diuites pauperibus. Diues potest me iuuare, promouere, ditare, non pauper: hunc igitur merito negligam, illum colam. Pauper contemptum sui nequit vlcisci, vt potest diues: huius igitur offensa cauenda est, non illius. A paupere nil expecto: nihil ergo etiam in illum conferam. Pauper mihi est oneri aut dedecori: Diues honori & commodo: Ergo hic colendus, ille fugiendus.

Sic expresse Tirinus & alij, ex quibus aperte videas quantum in salutis negotio te patiaris decipi & illudi; quantumque detrimenti redundet in omnem æternitatem. Quid est enim falsò de rebus iudicare, nisi iudicio falli & decipi? Quid est inordinate affici erga diuitias & honores tamquam erga verum bonum nisi affectu etiam corrumpi, deprauari, decipi & transuersum agi?
Is. 5. Quid nisi deceptum dices qui dicat *malum bonum: & bonum malum: qui ponat tenebras lucem, & lucem tenebras? qui ponat amarum in dulce, & dulce in amarum*, vt est apud Isaiam. Nonne illusum
Ibid. 29. fateberis quem describit Idem Propheta: *Sicut somniat esuriens & comedit: cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit, & postquàm fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est.* Nonne hoc est illudi? Quis porro ille sic illusus nisi tu cum dormieris somnum tuum, & nihil eorum inueneris in manu tua quæ in bonis reputasti?

Luc. 12. *Stulte! hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.* Sic est stultus, quia sic est illusus, sic est deceptus. Vnde apte dictum à Sapiente de beato illo viro qui viuens inter peccatores
Sap. 4. translatus est; *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Mera est fictio, non solida Veritas: vnum hoc agit illa fictio vt decipiat, & decipiat animam, decipiat intellectum & voluntatem, decipiat Iudicium & affectum, decipiat vero non in temporalibus, non in politicis, sed in æternis illis quarum iactura, iactura est animæ. O vere rursus dictum:
Dan. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.*

III. PVNCTVM.

III. PVNCTVM.

APPARET *igitur quàm sis ipse iudicandus qui de rebus vt apparent iudicas:* Cùm in cæteris tuis rebus nihil magis caueas quam decipi: nihil verò minus timeas vbi de fide, de cultu Dei, de salute æterna res agitur, nihil hîc minus caueas quam errare, quam illudi, quam te toto falli. *Transierunt in picturam cordis,* Ps. 72.
Sic legit Cardinalis Bellarminus ex hebræo vbi vulgata habet *in affectum cordis.* Et præclare simul vtrumque redditur, nam inordinatus cordis affectus pictura rei est non vera possessio. Quod te putas amare bonum, non est verum bonum, pictura boni est & mera fictio, deciperis in illo boni iudicio; tantum vero valuit illa fictio & pictura vt non modo iudicium corruperit sed voluntatem, memoriam, sensus, affectus & omnia quibus homo constat vt non iam verus homo sed pictura cordis sed pictus homo dicatur, transierunt in picturam cordis.

Sanctus autem Augustinus sic reddit illud *transierunt*, *EXCESSERVNT*, inquit, *metas humani generis*, Quasi diceret, non sic humanum genus se finit in suis decipi; nihil est humano generi tam proprium & innatum quam nolle falli & illudi: & tamen illi nihil quærunt auidius quàm seipsos decipere, hoc est transire hoc est excedere metas humani generis. Neque aliud contra ipsos decernendum est iudicium quàm vt ipsi se iudicent, ipsi se condemnent, ipsi dicant, ipsi se interrogent, ipsi sibi respondeant: Vellesne à quoquam decipi! *Agnitio vultus eorum respondit eis*, inquit Propheta. Responderunt ipso vultu, se nolle; Is. 3.
& tamen nihil magis volunt: quod certe seipsum est iudicare, sic velle actu, quod vultu dicas nolle. Sic in illo Diui Iacobi iam semel ac iterum memorato loco, *Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum seu ratiocinationum iniquarum*: Græca sic prorsus reddunt, Nonne iudicati estis & condemnati in vobis ipsis: διεκρίθητε: Vulgatus] vero legit διακρίνετε iudicatis. Quod vtrumque etiam simul egregie conuenit, nam dum iudicant iudicantur, dum de rebus iudicant vt apparent, apparet eos se decipere, & se iudicare tamquam preuaricantes qui hoc ipsum velint & faciant quod profitentur se nolle. Hi sunt *praeuaricatores* 2. Reg. 23.
qui quasi spinæ, vt ait Scriptura, *non tolluntur manibus, sed ferro*

& ligno lanceato, igneque succensa comburentur vsque ad nihilum. Id est, quando semel sic deprauatus est affectus ex prauo rerum iudicio, magna vi opus est ad extirpandum illum affectum.

Quamobrem cauendum tale iudicium, nec de rebus aliter iudicandum, quam quod ipsa Veritas iudicat quæ nec falli potest
Ps. 118. nec fallere. *Spreuisti omnes discedentes à Iudiciis tuis: quia iniusta cogitatio eorum. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua. Confige timore tuo carnes meas, à Iudiciis enim tuis timui. Quid est,* inquit sanctus Augustinus, *confige à timore tuo, timui enim. Si enim iam timebat cur adhuc vt à timore suo Deus configeret carnes suas orabat? An addi sibi volebat timorem, vt tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentiis affectibusque carnalibus, tamquam dicens, perfice in me timorem tuum, timui enim à iudiciis tuis:* Iam de rebus non iudico secundum sensum meum sed secundum tuum, quia cum videam tua iudicia meis contradicere, à iudiciis tuis timeo, & sic mea cohibeo; Nunc vero restat vt in refrænandas concupiscentias timor iste inducatur, & hoc est quod oro vehementius, Confige timore tuo carnes meas sicut timore iudiciorum tuorum animam meam concussisti. Opportuna sane oratio.

SABBATO.

DE SITI ANIMÆ QVAM SOLVS EXPLET CHRISTVS.

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Qui vel vni Creaturæ nimis adhæret, duo mala facit de quibus ipse Creator: *Me dereliquerunt fontem aquæ*
Ier. 2. *viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.*

RATIO EST, *Quia qui nimis adhæret Creaturæ, profitetur se aliquod sitire bonum quod in Creatura reperiat potius quam in Creatore.*

Sed qui hoc profitetur, duo mala facit de quibus ipse Creator, me dereliquerunt, &c.

Ergo & qui vel vni Creaturæ nimis adhæret. Quod certe ad perfectam cordis puritatem non parum valere debet.

I. PVNCTVM.

IN octauo & nouissimo eiusdem festiuitatis tabernaculorum die qui erat celeberrimus, stabat in templo Iesus coram omni populo & clamabat, dicens, *si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Quæ sacra verba vt breuius & apertius intelligantur, sic distincte possunt ordinari. Primo quidem tam vehementer ipse Christus omnes ad se vt venirent credendo & diligendo sitiebat, vt quo efficacius eos attraheret, promittit se sitim & desideria eorum qui ad se venirent expleturum. Quod certe genus erat persuadendi potentissimum cum nihil æque desiderent homines quam illud obtinere & expleri quod desiderant.

Secundo deinde exponit modum quo ipse sit hominum desideriis satisfacturus, nempe per Spiritum Sanctum quem effundet in eos tam abundanter, vt non modo ipsi reficiantur intus in animo, sed in eorum actiones externas redundet, quæ totæ futuræ sint spirituales & supra humanum morem euectæ. Neque hic etiam gratiarum & donorum spiritualium copia se continet, sed in quosuis alios ipsam deriuare possint & communicare, sicut flumen se indesinenter effundit & impertit. Tertio denique quod promittit tam verum est, & tam certo futurum vt variæ variis temporibus Scripturæ id ita fore prædixerint, nec minorem suis dictis & promissis fidem adhibeant, quàm ipsis sacris Scripturis sit adhibenda.

Sic itaque res modò habet, qui se totos Christo dedunt, sic eius abundanti replentur gratia, spiritu, cœlestibusque donis, vt his refecti, nihil aliud præter ipsum desiderent Christum; vel si

quid desiderent, in ipso totum reperiant aut desiderare desinant. Quo animi statu quid desiderabilius, cum sit omne completum desiderium? quid facilius cùm ad illum statũ nos inuitet Christus? quid illo firmius & stabilius, cum in ipso sancto firmetur Spiritu: vereque illud Scripturæ possit dici, *Spiritus omnipotentis Dei magnam facit suæ ostensionis euidentiam.*

2. Macch. 3.

Et tamen tam pauci sunt qui sic expleantur, tam pauci sunt qui se à Creaturis ad Christum propterea verè traducant, quin potius tam multi sunt ex ipsis etiam Christianis & Religiosis qui à Christo se conuertant ad Creaturas, vt qua siti premuntur, facilius expleantur: vndenam hoc? Certe hoc tam mirum vt ipsis cœlis sit stupendum: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Quod enim de Iudæis ad Idola, vel de hæreticis ad falsa dogmata, vel de perditis hominibus ad sua scelera se conuertentibus aperte dicitur: hoc proportione quadam potest intelligi, & iam fructuose perpendi de quouis Christiano ac Religioso, *Qui vel vni Creaturæ nimis adhæret:* Duo Ille mala facit, dum se à Christo Creatore tantum disiungit, quantum se *nimis* Creaturæ jungit.

Ier. 2.

Ratio ex illa voce *Nimis* pene tota deriuatur. Nam quod nimis quisquam adhæreat Creaturæ, profitetur quodammodo & declarat se sitire & quærere bonum aliquod quod in Christo non reperiat. Cur enim *nimis* dicitur nisi quia inordinate, vel supra quam debet fieri? Cur autem supra quam debet fieri nisi quod soli debetur Deo vel Christo, datur Creaturæ? Quomodo denique datur nisi per complacentiam alicuius boni sensualis quod in illa potius inesse creditur quam in Deo? Sicut enim non aliter omnino inhæretur Creaturæ nisi ex amore & complacentia boni alicuius quod in illa spectatur; ita non aliter ei nimis inhæretur, nisi ex maiori complacentia, comparatione facta, vt dictum est, ad aliud eius amoris obiectum quod est Deus: non est autem major complacentia, nisi majus aliquod apprehendatur bonum; nam prout bonum apprehenditur, ita placet, neque aliter cuiquam placet quam vt illud apprehendit: vnde si tibi nimis bonum placet in Creatura, nimis illud apprehendis, id est, majus aut aliter quam in Deo, à quo te subtrahis, vt illi magis adhæreas; hic est enim tri-

plex funiculus seu potius hæc se vno funiculo tria connectunt, *nimis, & magis & majus bonum vel malum apprehensum. Nimis odito execrationem*, inquit Sapiens, id est, magis quam placeat; sicut qui fornicatur aut adulterat, in aliena sibi nimis, seu sibi magis placet quàm in vxore propria. *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, mihi autem adhærere Deo bonum est. ADVLTERI, nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri?* O quàm multa his paucis comprehensa! *Eccl. 7. 17.* *Ps. 72.* *Iac. 4.* *Hebr. 12.*

II. PVNCTVM.

SED ***qui hoc profitetur, duo mala facit, de quibus ipse Dominus, Me dereliquerunt, &c.***

Vnius quidem peccati vna propriè est malitia, & vnius malitiæ multo plura sunt mala quam duo. Quis enim mala dinumeret quæ ab vno peccato in Deum, in proximum, in peccatorem, & in reliquas pene creaturas exundent? dicuntur tamen præcipue duo hic fieri mala, quia duplici quadam id ratione valde est iniuriosum Deo & Christo, quòd quis bonum magis quærat in Creatura quam in Creatore. Vel enim bonum quod sitit & quærit putat esse verum bonum vel falsum. Si verum esse putat, nonne est iniuria Dei, verum bonum extra illum quærere qui se dicit & qui reuera est omne bonum? quomodo enim esset finis noster & æterna Beatitudo nisi esset omne verum bonum? Nonne est duplex malum, & quod in Creatura verum quæras bonum, & quod à Deo non exquiras? Quod si dicis te non negare in Deo quidem esse omne bonum, sed non esse ita delectabile, ita sensibile, aut ita modo sensibiliter vtile sicut in Creatura: quæro abs te an illud sensibile bonum sit reuera bonum an falsò. Nam si reuera bonum est, aut in Deo insit necesse est, aut in Deo non sit omne verum bonum, quod nemo nisi blasphemus neget. Quod si falsum id fateris bonum, nonne id etiam iniuriosum Deo, te sitientem boni, falsum potius & inane quoddam bonum quærere in Creaturis, quàm verum & solidum in vno Deo? *Quid inuenerunt in me iniquitatis, quia elongauerunt à me & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt, & non dixerunt, vbi est Dominus?* *Exodi 33.* *Ier. 2.*

Nam si non sitires bonum, aut si non in Deo esset, aut si denique sic in Creatura esset sicut in Deo, nil quereretur Deus: sed

cùm tu ipse sitias & quæras bonum, quod in vno Deo continetur, non autem in Creaturis; certe hoc crimen sine duplici & graui Diuinitatis injuria perpetrare non potes, quod & verum
Ier. 2. bonum in Creatore negligas, & falsum quæras in Creatura. *Et nunc quid tibi vis in via Aegypti vt bibas aquam turbidam: & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis!* Quasi diceret, cùm habeas in me fontem viuum qui explendæ siti longe est aptior quàm quæuis alia cisternæ vel fluminis vel laci aqua: cur me neglecto quæris illam sitim explere vbi offendaris potius quam saneris.

Quid diceres de sitibundo qui turbidas illas aquas aut dissipatas mallet cisternas quam fontem viuum? Contemplare quantum intersit discriminis inter illas viui fontis aquas aut cisternæ dissipatæ.

Primo non semper in cisterna continentur aquæ quando præsertim cisterna est dissipata; fons vero viuus semper fluit: Sic plane, licet aliquando in creaturis esset aliquod gaudium, quam breue illud esset & euanidum, & pene nullum. *Bruchus expansus est*
Nahum. 3. *& auolauit. VELVT somnium auolans non inuenietur, transiet sicut*
Iob. 20. *visio nocturna.* Non sic vero Deus, non sic ille Pater luminum &
Iac. 1. bonorum Author omnium *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. ET gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum*
Ioan. 16. *nemo tollet à vobis. ILLE nobis omnem boni sufficientiam subministrat, cuius non minuitur plenitudo cùm donat*, inquit sanctus Fulgentius.
l. 4. Epist. c. 5.

Secundo, quantumcumque persistent in cisternis aquæ non ita sitim extingunt sicut fontales, quæ cùm natiuo semper subsistant frigore, longe aptiores sunt ardoribus humani corporis mitigandis. Sic neque prorsus humana mentem bona possunt explere,
Ioan. 4. solius Dei est capacem Deo replere animam. *Omnis qui bibit ex aqua hac*, dicebat Dominus, *sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. QVI intra se habet fontem non afficitur siti*, ait sanctus Chrysostomus. *Domine, da mihi hanc aquam vt non sitiam, neque veniam huc haurire.*

Tertio, dum diutius in cisternis seruantur aquæ, sua corrumpuntur & tabescunt diuturnitate, minusque salubres semper potantur quam fontis viui qui suo motu perpetuo puritatem & fa-

lubricatem quandam seruat incorruptam. O impuræ mundi voluptatis & puræ Christi iucunditatis perspicuam imaginem! Quàm sunt illæ quæ à Creaturis hauriuntur voluptates fœdæ & maculatæ, quæ vix vmquam sine peccato vsurpantur! *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Quàm sunt contrà sanctæ & virgineæ suauitates Christi, *Cuius Mater Virgo est, cuius Pater fœminam nescit; quem cum amauero casta sum; cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, Virgo sum*, dicebat Agnes sanctissima. Ier. 2.

III. PVNCTVM.

QVI *vel igitur vni Creaturæ nimis adhæret, duo mala facit de quibus ipse Creator: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Quæ quidem Verba nescio an habeant plus luminis ad illustrandum intellectum, quàm ardoris ad inflammandam voluntatem contra inordinatum quantumuis leuem affectum. Quale enim illud est, Deus immortalis, quale est Illud quod profertur, qualis Ille qui hoc profert, & quales illi de quibus modo etiam non minus dolenter effertur? Hæc tria si attente reuolueris, mirum quantum afficiant. Nec te aliter putes attente reuoluisse nisi sentias quod aiebat Apostolus; *Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem, Christum: sed nunc iam non nouimus.* Id est, tam alieni modo esse debemus ab omni humana re vel persona diligenda, naturali tantum affectu, vt neque ipsum Christum sic oporteat diligere. Magni aliquando ducebam ego Paulus quod Iudæus Iudæum Christum cognatione carnis attingerem: sed modò nil me ista mouet cognatio; nunc de Christo Christique affectu augustius & sublimius aliquid cogito, non iam illum vt mortalem hominem sed vt Immortalem & æternum cogito, Cui tamquam summo Bono semper videndo & fruendo creatus & redemptus sum. 2 Cor. 5.

Aptissima sunt illa etiam quæ habet sanctus Augustinus in hunc Psalmi versiculum, *Qui replet in bonis desiderium tuum: MODO*, inquit, *audis bonum & anhelas, audis bonum & suspiras, & hoc ipsum quod forte peccas, eligendi boni auiditate falleris: & in eo reus detineris, quod bonum consilium Dei non audis, quid contemnendum, & quid eligendum sit. Quod forte negligis discere, si negligendo bona falleris.* Ps. 102.

Vbicumque peccas quasi bonum quaris, quasi refectione desideras. Bona sunt ista qua quaris, sed mala tibi erunt deserto illo à quo bona facta sunt. Bonum tuum quare ô anima. Est enim bonum aliud alteri, & omnes creatura habent quoddam bonum suum integritatis sua, & perfectionis natura sua. Interest quid cuique rei imperfecta necessarium sit vt perficiatur. Quare tuum bonum. Nemo bonus nisi vnus Deus. Summum Bonum, hoc est, tuum bonum. Quid ergo deest cui summum bonum, bonum est? Sunt enim & inferiora bona qua aliis & aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, viuere, sanum esse, generare. Bonum est illi, & vsque ad quendam modum habet boni sui mensuram, tributam & concessam ab omnium rerum Creatore Deo. Tale tu bonum quaris? Dat & hoc Deus, sed noli solum quarere. Cohares Christi q: id gaudes, quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum.

Vide in 1. parte, Feria 5. Hebd. 4. in Aduentu, Vbi hæc explanatur Veritas:

Omnis copia quæ Deus non est, egestas censenda est.

Necnon infrà in hac parte, Sabbato Hebd. 24. Vbi de filio prodigo:

Qui se à Christo subducit, vt fœliciùs viuat, viuit miseriùs ipso misero prodigo.

DOMINICA

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

PARABOLA REGIS MVLTOS INVITANTIS AD NVPTIAS FILII SVI.

Simile factum est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.

DE CHRISTO SPONSO ANIMARVM.

Vide in 1. p. Sabbato Hebdomadæ 6. post Epiphaniam vbi hæc habetur

VERITAS PRACTICA.

Hæc sponsæ fides est, vt sicut neminem præter sponsum velit diligere, sic velit à nullo diligi.

Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, Id est, ad Conuiuium nuptiale.

DE QVOLIBET GENERE VOCATIONIS.

Vide in 1. p. tota Hebdomada 5. post Epiphaniam, vbi de vocatione S. Matthæi.

Et in hac 4. p. Feria 2. Hebdom. 24. vbi hæc rursum parabola proponitur, & inde hæc

VERITAS PRACTICA.

Quocumque nos vocet Christus, vocat ad Conuiuium.

Et nolebant venire. Contra voluntatem propriam.

Vide in superiore Hebdomada, Feria 5. vbi hæc

VERITAS PRACTICA.

Si non agis quod vult Deus, hoc vnum infame habes quod respondeas, *Nolo, non placet.*

Et in 3. parte Fer. 2. Hebd. 9. vbi de tribus hominibus vocatis à Christo:

Affectum probat effectus.

Iterum misit alios seruos dicens, dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, &c. Venite ad nuptias.

DE VITANDA DILATIONE.

Vide in 1. p. Fer. 2. Hebdom. 4. post Epiphan. Vbi hæc

VERITAS PRACTICA:

Quo longiùs differs, difficultatem difficiliùs tolles.

DE FREQVENTI COMMVNIONE AD QVAM CREBRO INVITAMVR.

Vide in 3. p. Fer. 5. Hebdom. 1. Vbi hæc inter plures alias

VERITAS PRACTICA.

Diuina licet magis timenda sint quam humana, in

diuinis tamen minùs timenda est familiaritas, quàm in humanis.

Illi autem neglexerunt; & abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

DE CAVENDIS EXCVSATIONIBVS A SACRA COMMVNIONE.

Vide in 3. p. Dominica 2. Vbi ex parabola cœnæ magnæ hæc eruitur

VERITAS PRACTICA.

Qui se excusat inuitatum, accusat inuitantem.

Et vide ibidem Feriam 3. consequentem.
Nec non in eadem parte, Fer. 5. 6. & Sabbatum Hebdom. 13.

Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos.

DE CAVENDA DIVINA IVSTITIA PROPTER NEGLIGENTIAM COMMVNIONIS VEL NON FACTAE, VEL NON BENE.

Vide in 2. parte, In die Ascensionis Domini vbi ex his Apostoli Verbis, *Videte ne recusetis loquentem: si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis auertimus*, hæc demonstratur Hebr. 12.

VERITAS PRACTICA.

Sedentem in cœlo Christum, & inde nobis loquentem non audire, periculosius est quàm dum in terris loqueretur.

Et in 3. p. Sabbato Hebdom. 2. de Iudiciaria potestate quam Christus Dominus exercet in sanctissimo Sacramento.

Agni vel maxime formidanda ira.

In eadem parte, Sabbato Hebdom. 13. de manna veteri quod recusantes puniti sunt, vnde hæc Veritas

Qui oblatam expellit Sacramenti gratiam, non minus forte peccat quàm qui manna repulerunt.

Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.

DE CÆLESTI BEATITVDINE MODIS OMNIBVS DESIDERANDA.

Vide in 2. p. Feria 6. post diem Ascensionis vbi ex multis cœli desiderandi motiuis, hoc proponitur:

Sic dignum est cœlum nostris desideriis, vt nisi cœlum desideres, cœlo sis indignus.

Intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi, Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

DE PROPRIA CVIQVE DISPOSITIONE AD COMMVNICANDVM REQVIRENDA.

Vide in 1. p. Sabbato Hebdom. 3. post Epiphan. Vbi de conue-

niendo Directore ad debitum Sacramenti vsum, & inde hæc formatur

VERITAS PRACTICA.

Quam ille vestem nuptialem recusat induere qui recusat instrui de debito Sacramenti vsu.

Et in 2. p. Feria 6. Hebdom. 4. post Pascha.

Quàm gloriosum est Sacramento multa in nos posse, si velimus : tam ignominiosum est pauca posse, quod nolimus.

Ne tamen inde à frequenti Communione deterreamur, & ne forte desit nobis Vestis nuptialis, non audeamus ad nuptias accedere, contrà opportunè videtur hæc aliis addi posse

VERITAS PRACTICA.

Non propter vestem nuptiæ, sed vestis propter nuptias.

SENSVS EST, *Quod non idcirco vitari debent nuptiæ, seu sacra non debet deseri Communio, vt sic comparetur vestis nuptialis seu condigna dispositio : At propterea potius aliunde petenda est illa vestis & dispositio, ne sacræ vitentur nuptiæ, ne sacra deseratur mensa.*

RATIO EST, *Quia non est peruertenda subordinatio mediorum ad finem, quin potius omni modo seruanda est & procuranda.*

Sed si sacræ vitarentur nuptiæ, si sacra Communio desereretur vt sic comparetur vestis nuptialis seu condigna dispositio, & non potius aliunde peteretur illa vestis & dispositio ne vitentur nuptiæ: peruerteretur subordinatio mediorum ad finem.

Ergo non propter vestem nuptiæ, non vt comparetur vestis nu-

ptialis sunt vitandę nuptię: sed vestis potius propter nuptias non vitandas, quęri debet.

I. PVNCTVM.

Serm. 5. in Psal. 118. RECTE S. Ambrosius de timore Dei, *Nisi enim, inquit, secundum scientiam sit, nihil prodest; imo obest plurimum: siquidem Iudaei habent Zelum Dei, sed quia non habent secundum scientiam, in ipso zelo & timore majorem contrahunt Diuinitatis offensam. Quod circumcidunt infantulos suos, quod sabbata custodiunt; timorem Dei habent, sed quia nesciunt legem spiritalem esse, circumcidunt corpus, non cor suum. Ignem Sabbato adolere formidabant, cùm lex, sanctificationis die, libidinum ignem prohibeat accendi. Et quid de Iudaeis dico? sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundùm scientiam statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi, consulere disciplinae, opus virtutis exigere: sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturae, non aestimant possibilitatem. Non sit ergo irrationabilis timor: etenim vera sapientia à timore Dei incipit, nec est sapientia spiritalis sine timore Dei, ita timor Dei sine sapientia esse non debet.* Et infrà: *Lege Isaiam: Vide* Is. 11. *quantis subiecerit timorem, vt faceret irreprehensibilem & bonum timorem. Spiritus, inquit, sapientiae & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis! Spiritus sancti timoris. Quantis timorem subiecit, vt haberet quod sequi possit? Informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Tolle timori Domini ista, &* Prou. 2. 5. *est irrationabilis & insipiens timor. Nec otiosum est in prouerbiis: tunc intelliges timorem Domini; Quid est tunc? cùm sapientiam inuocaueris, & prudentiae dederis vocem tuam, & si quaesieris illam vt pecuniam, & vt thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges timorem Domini.*

Quae sacri Doctoris Verba quàm aptè conueniant nostro instituto quis non videat? Quia enim timendum cuique est ne sine veste nuptiali accedat ad nuptias, hunc timorem ita nonnulli commouent & exacuunt, vt prae metu ne desit illa vestis, vix adire nuptias etiam vocati audeant, & quasi propter vestem essent nuptiae, & non potius vestis propter nuptias, idcirco differendam putant sacram communionem vt illa vestis comparetur, cum

Digitized by Google

potius aliis quibus potest modis comparanda vestis esset, ne communio differretur.

Quæ vt Veritas magis elucescat, statuendum primò quod vbicumque est aliqua mediorum subordinatio ad finem, nihil æque nobis cauendum est quam ne peruertatur ille ordo, nihil pari diligentia procurandum quàm vt constanter seruetur & teneatur. Sic enim ipsa rerum docet institutio, sic naturalis suggerit ratio, sic illa denique diuina Sapientia nobiscum agit, *quæ attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter*, non aliter vitam alit humanam quàm ordinatis alimentis; nec aliter alimenta subministrat quàm terræ vel aquarum interuentu; nec aliter terra interuenit quàm præjactis seminibus, adhibitoque cultu. Nonne ita vniuersum sentitur & geritur? Nonne insanum diceres, qui tales rerum vices vellet inuertere? Nonne sapienter quærit Sapiens: *Quæ in Iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?*

Sap. 8.

Eccles. 25.

Quæ si vera sunt in naturalibus, multo magis certò constant in his quæ supernaturalia dicimus & spiritualia, qualis est Sacramentorum institutio, virtus & vsus, in quibus quæ sunt diuinitùs ordinata tantam in se habent connexionem & mutuam inter sese relationem, vt materia nihil vmquam possit sine forma, nec forma quidquam agat sine materia; nec materia vel forma mutari possint; nec si desit Persona idonea, vel personæ agentis intentio, fiat vllum prorsus Sacramentum; & deerit potius gratia baptismatis, peribitque natus in peccato Infans, si aliter ab instituto modo conferatur Baptisma.

Sic proinde Apostolus de sacris agens institutis, *omnia*, inquit, *honestè, & secundum ordinem fiant.* Sic ipse Deus *omnia in mensura & numero & pondere disposuit.* Tune velles contrà ire? Tune velles non sic statutà esse omnia? Tune velles aliam rebus dare mensuram, aliud pondus vel alium numerum? *Numquid Deum docebit quispiam scientiam? Vbi eras quando ponebat fundamenta terræ?* Nempe à te forsan quæsiuisset condendi modum orbis. Quid respondisses?

1. Cor. 14.

Sap. 11.

Iob. 21. 38.

II. PVNCTVM.

SED si sacræ vitarentur nuptiæ, si sacra Communio desereretur vt sic compararetur vestis nuptialis seu condigna dispositio, & non potius

aliunde peteretur illa vestis, & dispositio, ne vitentur nuptiæ; peruerteretur statutus à Deo rerum ordo, siue subordinatio mediorum ad finem.

Expectanda quidem est ætas, præmittenda est Instructio, conferenda baptismatis gratia: præcedat necesse est lethalium expiatio delictorum; De his nemo est qui ambigat: Hæc nos præsupponimus. An sit consultius etiam & decentius perpurgatis omni prauo affectu mentibus ad diuinam Mensam accedere, nemo est qui non affirmet; Sed si forte nondum omnes sint ita compositi mentis affectus, nihil vt incompositum, nihil vt inordinatum rendeat, an sit tamdiu differenda Communio donec illa mentis affectuum moderatio sit plene comparata, hoc est quod quæritur, & hoc est quod negatur, quia hoc est quod peruertit statutum ordinem, & nouum statuit. Statutus enim ordo hic est quem paucis Sess. 13. c. 7. proponit Apostolus, *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Pluribus vero exponit Concilium Tridentinum cuius hæc sunt verba: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Et sequenti post capite, affirmat *eos qui sic probati sint, indutos esse veste nuptiali, satisque esse vt sacramentaliter & spiritaliter Sacramentum sumant.* Quæ communis semper fuit Sanctorum Patrum sententia, qui hanc Vestem nuptialem non aliter interpretantur quàm eam Charitatem quæ repugnans omni peccato mortali, sat gratam Deo facit animam vt sacra fruatur Mensa.

Tu vero qui teipsum hac sacra priuas mensa donec peccare cessaueris, donec prauos affectus exueris; nonne statutum illum immutas ordinem? *Accedant,* inquit statutum Ecclesiasticum, *dum sint rite confessi.* Tu vero, *non accedant nisi suis fuerint exuti affectibus.* Tu quis es qui de diuinis ita statuas? Non modo certe temerarius qui toti te opponas Ecclesiæ, sed plane vecors & insipiens qui tale proponas medium ad Rem omnium desideratissimam quod vix aut ne vix vnquam tibi procurare possis. Dic enim quando peccare desines? Dic quandonam tuos ita composueris animi motus vt te ad malum mouere desinant? *Damnosa hæc est religio quam Diabolus nobis prætendit,* vt expresse ait sanctus Cyrillus L. 4. in Ioan. c. 17. Alexandrinus, cuius hæc sunt egregiè dicta: *Nos vero si vitam æternam consequi volumus, si Largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus,*

desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus: caueamusque ne loco laquei, damnosam religionem Diabolus nobis prætendat. Recte, inquit, dicis: scriptum tamen esse non ignoramus, iudicium sibi comedere atque bibere illum qui de pane comedit, & de calice bibit indignè: Ego igitur probo meipsum, & indignum inuenio. Quando igitur quicumque tu es qui ista dicis, dignus eris? quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis, quis enim delicta intelligit? expers omnino eris viuifica huius sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias, studiose sanctéque viuas, & benedictionem participes, quæ mihi crede non mortem solum, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut Pastor bonus qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu.

In quibus sancti Patris Verbis, quod dixit, *studiosè sanctéque viuas*, sic intelligendum suadent quæ ibi præcedunt & quæ sequuntur, quasi diceret, studeas sanctitati vitæ, proponas sanctè viuere. Sunt hæ videlicet piæ cogitationes quas rogat esse suscipiendas: Illudque est quod promittit futurum participanti benedictionem quæ morbos omnes depellit, quæ sedat sæuientem membrorum nostrorum legem & alia confert subsidia quibus sanctè possit viuere. Sicut autem nullus negat propositum illud sanctè viuendi necessarium esse accedenti ad sacram Mensam, quia & necessarium est pœnitentiæ siue Charitati quam habere debet accedens; ita certe nullus pari iure necessitatis possit exigere vt quis pridem antè sanctiùs viuat quam communicet, nisi forte scandalum præbuisset quod tenetur auferre.

Quamobrem sic vtrosque videtur sanctus ille Cyrillus alloqui: Tu qui paras accessum ad hanc viuificam sanctificationem quæ in altari recipitur, sic persuasum habe, non iam tibi tuis indulgendum esse affectibus, non iræ, non libidini, sed hos omnes compescendos esse motus, cum illa gratia quam suscepturus es in Sacramento. Ne desperes aut diffidas te id posse, nam qui dedit velle, dabit posse. Sed nisi velis ex animo & proponas seriò te deinceps fidelius acceptis vsurum gratiis: ne accedas, ne in vacuum gratiam Dei recipias. At tu qui studiosum sanctioris vitæ à sacra repellis mensa donec ipse sanctiorem illam probarit vitam, caue id feceris, nam sic peruertis ordinem, sic confundis finem &

media, sic consequentia præponis antecedentibus, sic cœlum terræ, terram cœlo permisces. Non enim vita sanctior ita sacram præcedit Communionem sicut sequitur. Non est quippe vita sanctior nisi lex membrorum nostrorum in nobis sæuiens sedetur & compescatur; At cuius est sæuientem illam sedare legem nisi sanctæ Eucharistiæ, nisi Christi per illam in nobis & manentis, & agentis, & nos verè sanctificantis, ac dirigentis? Potestne peruersius aliquid & magis inordinatum cogitari quàm quod dicis dilatione & priuatione cœlestis illius Panis fieri quod non nisi eius vsu, eius sumptione & quam vocamus communione conceditur? Tune de illo spirituali cibo sentias quod de terrenis & corporalibus, quorum abstinentia quam diætam dicunt, prauis humoribus seruiat decoquendis? O sacræ probrum Mensæ, quæ sanandis aperitur mentibus! cur aperitur, cur proponitur, cur ad eam inuitamur si eius priuatio sanitatem, si eius abstinentia sanctitatem confert!

Esto sanè, Sancta sanctè tractentur, sanctitas requiratur ad Diuinum accedenti epulum, sed quibus tandem mediis sanctitas illa præcedens comparatur? an qualem fingis, longè dilata Communione? Nonne præsto sunt alia tam opportuna, præter ipsum pœnitentiæ Sacramentum? nonne Verbi Diuini auditio, lectio, meditatio, & quæ orabat Apostolus, *vt fierent obsecrationes, orationes, postulationes*, & id genus innumera parandis valent ad illam sanctitatem mentibus, quæ Communionem antecedit? Quis nescit proportionem & affinitatem inesse quandam inter finem & media? Quæ vero talis affinitas & proportio, sanctitatem inter & sanctæ priuationem mensæ? Si priuatio requiritur ad sanctitatem, nonne potius eorum priuatio est quæ sanctitati repugnant, quam quæ illam communicant? Quid est media peruertere, nisi hoc sit?

1. Tim. 2.

III. PVNCTVM.

NON *sunt ergo vitandæ nuptiæ, nec diutius differenda Communio, donec nuptialis habeatur vestis, quæ volenti cum gratia, tam præsto est quam ipsum pœnitentiæ Sacramentum, & alia puritatis necessaria media proposita, quæ sunt potius assumenda ne sacræ vitentur nuptiæ.* Sic enim seruatur ille ordo mediorum ad finem, quem alioquin peruertere tam periculosum est quàm à Diuina se subtrahere proui-

dentia quæ suis in donis conferendis se illi astringit ordini. *Cuncta quippe Deus fecit bona in tempore suo*, inquit Sapiens, Id est, quo tempore quibusue modis constituit; Vnde & quod Idem ibidem pergit de cunctis vniuersim operibus Dei, potest particulatim de Sacramentis accommodatius vsurpari, quod *illa scilicet opera quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere nec auferre quæ fecit Deus vt timeatur.* Non est cuiusquam priuati hominis circa hæc tam augusta & Diuina opera quidquam moliri aliud quam quod Deus per se vel per ipsam qua nos regit Ecclesiam, ordinarit. Sic in nobis ordinat Charitatem, & sanctitatem seruatis seruandis mediis. Non est autem, non est hoc ordinatum medium ad habendam sanctitatem vt nos diu sacra priuemus Mensa, quæ idcirco potius frequentanda nobis est vt habeatur sanctitas. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundetur.*

Eccle. 3.

Ibid.

Ps. 33.

Nec dicas optandam esse Confusionem, quæ ex retardato Sacramento gigneretur, cum præsertim ex propriæ retardatur indignitatis aspectu, quod cum sit etiam durum pati, sic pœnitentiæ vis major augeretur. Hoc enim verè dici non potest, nec tale sibi dictum constat; nam quisquis sic retardatur, vel multùm vel parùm esurit ac desiderat cœlestem cibum. Si parùm esurit, parum dolebit de illo retardato, & sic frustra retardatur. Si multùm esurit, profectò signum est multæ in Illo puritatis & probitatis: At vero cur talis puritas retardetur ab illo cœlesti pane, qui vt edatur nihil amplius desiderat, quàm talem puritatem?

Quod si vltrà instes, illum qui parum esurit & parum dolet *forte* in meliorem euasurum: Nonne & peiùs haberi potest, cum præsertim illo destituatur cibo qui robur & vita est animæ? Quis non videt, quis non experitur quàm sit illud quod *forte* dicitur, dubium, & incertum, cùm interim gratiæ Sacramenti, quæ certa est, iacturam facias? Nonne his tandem qui sic certa incertis, & constantia fortuitis objiciunt, illud Prophetæ quadret: *Vos qui dereliquistis Dominum, qui ponitis fortunæ mensam.* Quasi à fortuna vel à fortuito casu expectarent quod præsens & certum Mensa conferret Domini quem dereliquunt: vel quasi Mensam illam, fortunæ subjicerent vt si quis *forte* vehementius desideraret, tum accedat.

Is. 65.

O quàm tutiùs & sapientiùs illud *forte* vsurpabat qui de Imi-

L. 4. c. 3. tatione Christi & de frequentia Sacramenti sic scribebat: *Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere, ne FORTE deficiam in via, si fuero cælesti fraudatus alimonia.* Et paulo post: *Necessarium mihi quidem est qui tam sæpe laboro & pecco, tam cito torpesco & deficio, vt per frequentes orationes & confessiones, ac sacram tui Corporis perceptionem me renouem, mundem & accendam, ne FORTE diutius abstinendo, à sancto proposito defluam.* Vide quæ ibi plura prosequitur.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

DE PAVCITATE SALVANDORVM.

Vide in 2. parte, Dominica Septuagesimæ, vbi hæc eadem occurrit sententia, & hæc inde Veritas sæpe inculcanda proponitur:

Quæ causa est cur pauci salui sint, hæc in te causa est cur ex illis forte non sis.

HAC HEBDOMADA, percurritur Caput octauum sancti Ioannis, vnde Considerationes & Veritates Practicæ depromuntur contra peccandi procliuitatem, & mundanos affectus.

FERIA SECVNDA.

DE MVLIERE ADVLTERA QVAM IVDÆIS ACCVSANTIBVS ABSOLVIT CHRISTVS.

NOCTE transacta in monte Olïueti, diluculoque facto, *Venit iterum Iesus in templum, & omnis populus ad eum, & sedens*

docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharizæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerunt eam in medio & dixerunt ei, Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum vt poſſent accuſare eum: Nempe vt ait ſanctus Auguſtinus, *animaduerterant eum eſſe nimis mitem, dixerunt apud ſe, ſi eam dimitti cenſuerit, Iuſtitiam non tenebit, quam lex iubet: vt vero manſuetudinem non perdat in qua iam populis amabilis factus eſt, eam dimitti debere dicturus eſt; ita nos ad accuſandum occaſionem inueniemus.*

Hæc erat eorum malitia & ſtoliditas; At contrà vide Bonitatem & Sapientiam Chriſti. *Ieſus autem,* inquit Euangeliſta, *inclinauit ſe deorſum ſcribens in terra. Cum ergo perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe & dixit eis, qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra. Audientes autem vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus, & remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans. Erigens autem ſe Ieſus dixit ei, Mulier vbi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo Domine; dixit autem Ieſus, nec ego te condemnabo, vade & iam amplius noli peccare.* Sic vero ad hæc pergit S. Auguſtinus, *Non dixit non lapidetur, ne contra legem dicere videretur, abſit autem vt diceret lapidetur, venit enim non perdere quod inuenerat, ſed quærere quod perierat. Reſpondit ergo, qui ſine peccato eſt, &c. Quaſi dicat, puniatur peccatrix ſed non à peccatoribus; lex impleatur, ſed non à præuaricatoribus legis.*

Sic itaque ſapientiſſime Dominus eluſis aduerſariis ſeruauit Manſuetudinem in liberanda muliere, & Iuſtitiam in condemnando peccato; ſimulque nos ad vberrimam praxim tam multa docuit vt non poſſint vna Veritate comprehendi. Quia vero etiam quæ multæ proponendæ ſunt Veritates, longius eſſet, ſi ſingulæ pro more ſolito probarentur, ſatis hic modo erit vnicuique ſuam breuiter declarationem ſubjicere.

PRIMA VERITAS PRACTICA.

Qui falſò proximum accuſat animo, licet verè, non minùs tamen peccat quàm qui falſi accuſat.

RATIO EST, Quia non minus peccat qui contra Charitatem peccat, quàm qui contra Iuſtitiam.

Sed qui falso proximum accusat animo, contra Charitatem peccat. Hoc est enim falsum habere animum, id est, prauum, fictum, maleuolum, non rectum & sincerum, qualis erat Iudæorum animus cùm hanc mulierem accusarunt, qui contra Charitatem manifeste
Ps. 34. pugnabant. *Loquentes, dolos cogitabant.*

ERGO qui falso proximum accusat animo, licet verè, non minus peccat quàm qui falsi accusat. Et tamen quàm multi sunt, & quàm tu sæpe, quos puderet proximum falsi accusare, falso tamen accusant animo, nec erubescunt, quia scilicet falsus ille animus soli Deo notus est, falsum autem cuius innocentem accusarent, potest hominibus notum fieri; Tu vero minus Deum times quàm hominem! Hæc sunt tamen peccata occulta quæ sæpe Deus citius & grauius punit vt omnes intelligant ipsum nihil latere, nec esse
Apoc. 2. opertum aliquid quod non tandem reueletur. *Et scient*, inquit, *omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuique vestrum, secundum opera sua.*

Obseruandum verò, particulam *minus* in propositionibus contentam, dupliciter posse capi; primo æqualiter vt qui falso proximum accusat animo non minus grauiter peccet quàm qui falsi accusat, quod potest aliquando verum esse, sed non semper propter damna quæ ex falsa possunt accusatione in proximum importari. Secundo similiter, vt non minus suo modo quisque peccet, quod semper verum est & semper cauendum ne sis Diabolo simi-
Apoc. 12. lis qui dicitur *accusator fratrum nostrorum.*

Licet verò verum id esset crimen cuius alium accusares, imò & licet aliquod inde quod accusares bonum proueniret, non esset tamen alieno & malo animo accusandus, nam quæ est

SECVNDA VERITAS PRACTICA.

Malo zelo bonum facere, pejus ex se est, quàm bono zelo malum perpetrare.

RATIO EST, Quia id pejus ex se est, quod scienter & malignè geritur, hoc est enim peccatum malitiæ quod expresse D. Thomas affirmat esse grauius. Vide prima secundæ, quæstione septuagesima octaua, articulo 4.

Sed malo zelo bonum facere, peccare est scienter & malignè. Non

Digitized by Google

enim ignorat nec ignorare debet qui sic peccat, quo ipse feratur animo : qui autem bono zelo malum perpetrat non ita scienter peccat, imo se peccare nescit, quod licet non semper peccantem excuset, excusat tamen sæpius, vel peccatum diminuit, vt ait idem sanctus Doctor in eadem prima secundæ, quæstione septuagesima sexta, articulo 4.

Malo igitur Zelo bonum facere peius ex se est quam bono zelo malum perpetrare. Potest vero ex accidenti contrarium euenire, quod est prudentis aduertere. Quod autem non sint omnino mala facienda vt eueniant bona, Vide in 1. p. Die 2. Ianuarij, & caue ne hic falso illudaris zelo, quod multis procliue est; Quamobrem sit

TERTIA VERITAS PRACTICA.

Quo peccatum zelo perdendum est, hoc peccator est saluandus.

Vel sic

Sic peccator perdendus est vt peccatum, non peccator pereat.

Vel sic

Homo peccator sic est perdendus, vt non homo sed peccator perdatur.

RATIO horum omnium est quia non aliter contra peccatorem agendum est quam ex vero zelo qui vnam Dei spectet gloriam, longe procul à quouis naturali affectu.

Sed ille verus hoc exigit zelus quod in propositionibus continetur.

Ergo & veræ sunt, & in praxim reuocandæ, quoties in peccatum aut peccatores verbo vel facto erit agendum.

Sic S. Augustinus de vero zelo: *Non excutit de area granum, sustinet paleam vt intret in horreum, cùm palea fuerit separata.* Itemque de verbo Domini ad Mulierem, *vade & iam amplius noli peccare,* *DAMNAVIT*, inquit, *peccatum, non hominem : Intendant qui amant in Domino Mansuetudinem & timeant veritatem : etenim dulcis & rectus Dominus.* Apte Petrus Damiani de suauitate qua sunt *In c.3. Ioan.*

4. Reg. 4. peccatores conuertendi, alludens ad factum Elizæi qui cum puerum mortuum baculo non potuisset suscitare; tum per seipsum incumbendo illi, sic ad vitam eum reuocauit. Verba illius sunt, 2. de cont. Ser. c. 28. *Is quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se paruulo accommodauit & composuit, facile erexit & suscitauit.*

Egregium huius zeli exemplum est in Christo Domino apud S. Dionysium Epistola 8. ad Demophilum, vbi de S. Carpo non satis distinguente peccatum à peccatore quem simul cum peccato perditum voluisset. At Christus illi Dominus quasi rursum in flagella paratus, *Extenta*, inquit, *iam manu percute me, quia iterum paratus sum pro peccatoribus pati.* Videri etiam potest D. Bernardus serm. 2. in Resurrectione Domini vbi multa de affectu Compassionis in peccantes; *Alioquin*, inquit, *in spiritu vehementi conterimus naues Thearsis, conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans.* Itemque in sermone de S. Maria Magdalena: & fusius sermone nono & duodecimo in Cantica, vbi de vberibus Sponsi, quæ sunt meliora vino, fragrantia vnguentis optimis, de quibus & serm. 23. Cuius Verba referuntur infrà commodius.

QVARTA VERITAS.

Accusantis lingua velut nouacula: nisi sit illi tanta suæ linguæ cura, quanta est suæ manus curantis vulnus, Tortorem agit non Medicum.

RATIO EST, Quia in hoc differunt Tortor crucians corpus & Medicus sanans, quod ille nonnisi pœnam spectet & mortem, hic vero sanitatem & vitam.

Sed nisi Accusans tantam habeat linguæ curam quantam habet suæ manus qui curat vulnus, pœnam accusati & mortem ciuilem, quæ ex infamia contrahitur, spectabit potius & inferet quàm vllum eius commodum.

Ergo Tortorem potius aget quam Medicum; Quod quam sit infame quis non sentiat? Sic Scriptura passim, Ps. 51. 56. *sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Id est, cultor tonsorius seu scalprum chirurgicum. *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Quia tamen aperiendum

aperiendum sæpe est & secandum peccati vulnus, idcirco sic erga peccatorem se quisque debet gerere sicut Medicus vel Chirurgus erga vulneratum, cuius vnam sanitatem & vitam non dolorem non pœnam respicit, alioquin tyrannum & tortorem aget vt dictum est, contra quos hæc sunt apud Prophetam pauenda Dei Verba: *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod* Ez. 34. *ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis; & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Vide quæ illic plura leguntur, & maxime de turbata pedibus aqua quam Pastores ouibus dant bibendam, Quibus & apte congruit

QVINTA VERITAS.

Non est bona seueritas nisi cùm esset mala suauitas.

RATIO EST, Quia non est bona seueritas in corrigendo vel accusando nisi seruetur ordo Charitatis, de quo expresse S. Thomas 2. 2. q. 33. vbi de correctiona fraterna.

Sed non seruatur ordo Charitatis nisi prius suauitatem quàm seueritatem adhibeas; Aut quod idem est, si seueritatem adhibeas nisi cum esset mala suauitas; Id est, nisi cùm deteriorem faceret peccatorem. Nam primò *in spiritu lenitatis est instruendus*, Et non Gal. 6. procedendum ad extrema nisi in extremis; *Et vos Patres, nolite* Eph. 6. *ad iracundiam prouocare filios vestros. Nolite ad indignationem prouocare. CVM sederem*, inquit Iob, *quasi Rex circumstante exercitu,* Col. 3. *eram tamen mærentium consolator*: Vbi sanctus Gregorius ostendens Iob. 29. authoritatem regiminis iungi debere cum ministerio pietatis, sic ait accommodatè: *Disciplina enim vel misericordia multum destituitur si vna sine alteræ teneatur: sed circa subditos suos inesse Rectoribus debet & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc est quod semiuiui illius vulneribus qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum.* Et quæ plura pergit fusius. 20. Mor. 8. Aptissime verò ad rem nostram Seneca: *Nempe medicus primò in leuibus vitiis tentat non multum ex quotidiana consuetudine inflectere,* l. 1. de *& cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem* ira c. 6. *tantùm mutata vita dispositione firmare. Proximum est vt modus proficiat. Si modus & ordo non proficit, subducit aliqua & circumcidit.*

si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. Si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque si adhærentia nocent & morbum diffundunt, manus affert, Et cætera quæ curandis applicat animis. Non est vero hic omittendus S. Bernardus qui cum vbique melleus & lacteus, tum his præsertim

Serm. 23. in Cant. Verbis: *Audiant hoc Prælati qui sibi commissis semper volunt esse formidini, vtilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram. Dicite subditorum Matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari quàm metui. Et si interdum seueritate opus est, paterna sic non tyrannica. Matres fouendo, Patres vos, corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem: suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant non typho turgeant. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit Conscientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tamquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. Consideret vnusquisque seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin*

Ez. 3. *ille in peccato suo morietur, sanguinem autem eius, ait, de manu tua requiram.*

SEXTA VERITAS.

Nemo bene alium arguit qui non est paratus argui. Tam libenter accusari quam accusare: Tam repugnanter accusare quam accusari: Sunt hæc duo bene arguentis argumenta.

RATIO est duplex. Prima quam diximus, quod nemo bene alium arguit nisi ex vero Dei offensi zelo arguat.

Sed non est iste verus zelus nisi qui alium arguit sit paratus argui, nisi tam libenter velit accusari quam accusare, vel tam repugnanter accuset quam accusetur; nam si offendit Deum æque atque alius, cur ex illo zelo si verus est, non velit argui?

ALTERA vero Ratio magis spectat modum bene arguendi vel accusandi quàm ipsam accusationem; Nemo enim bene alium arguit si contra præceptum naturale Charitatis arguat.

Sed nisi sit paratus argui: nisi tam libenter velit accusari quàm accusare: vel nisi tam repugnanter accuset quam vellet accusari, contra præceptum illud Charitatis arguet. Nam præ-

ceptum illud est, ne quid proximo faciamus quod nollemus ab illo nobis fieri.

Tu ergo qui nolles argui vel non isto modo quo alium arguis: nonne id illi facis, quod tibi nolles ab illo fieri? O quam vere dictum, *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.* Nihil sensibilius quam cùm ab aliis perperam arguimur aut accusamur. Atque hinc *Eccles. 31.*

SEPTIMA VERITAS.

Vix alius est malus minus excusabilis, quàm qui male accusat alium.

RATIO hæc est inter alias, quod vix est vllus malus minus excusabilis quam qui peccat contra notius naturæ lumen. Sic enim scire & videre magis potest quod peccet; aut si non videt, signum est naturæ valde corruptæ & malignæ.

Sed qui male accusat alium, peccat contra notius naturæ lumen, nempe contra istud quo vix est aliud notius, *Ne quid velimus alteri quod nollemus nobis*; Nollemus autem sic malè accusari, vt dictum est. *Hæc est enim lex & Prophetæ.* Id est, hoc vnum vel maxime lex omnis præcipit, hoc vnum vel præcipue legum omnes Interpretes commendant, vrgent, inculcant, nullus vt ignorantiam, impotentiam, aut quiduis demum excuset.

At forte dicet se non ita reum, se non ita culpandum, se non recusaturum argui si se arguendum nosset; Sed hæc est ignorantia sui valde damnosa, quæ vel est causa cur alios tam facile quis arguat: vel quod quis alios tam facile arguat, inde seipsum ignorat: Quod vtrumque est pestilens & valde arguendum; vnde hæc est gemina &

OCTAVA VERITAS.

Major perspicacitas in alienis, major in suis cæcitas.

Vel sic ex opposito:

Major in suis cæcitas, major perspicacitas in alienis.

RATIO vtriusque est eadem, quod quanto se noster animus extra se magis profundit, minùs de se intus sibi reseruat.

Sed cùm se animus ita foras effundit, tunc est major perspicacitas in alienis; & cum minus intra se de se habet, tunc est major in propriis cæcitas. Oportet enim animum sui totius plane compotem, & in se toto collectum vt se suosque defectus probe agnoscat; Quod sancti Patres fuse passim exponunt: In primis Origenes in illud primi Canticorum, *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum.* Sanctus Basilius in illud *Attende tibi.* Sanctus Bernardus in libris de Consideratione ad Eugenium Papam, quem vt applicet ad se cognoscendum, sic primo illum ad se reuocat: *Cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? Vsquequo vadens spiritus & non rediens? Vsquequo non recipis te, & ipse inter alios vice tua?*

L. 1. c. 5.

Iob. 19.
L. 14. c. 13.

Sanctus vero Gregorius in illud Iobi ad suos aduersarios: *Vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis*, egregiè docet sic peruerti ordinem quando prius aut magis ad alios quam ad nos cognoscendos & accusandos incumbimus, cùm nullus alium accusare vel iudicare sit aptus qui se prius non iudicet. Verba eius sunt: *Ordo quippe erectionis in bono iste est, vt primùm contra nos, postmodùm contra malos erigamur. Nam qui contra bonos erigitur, per superbiam inflatur. Contra nosmetipsos enim erigimur, quando mala propria recognoscentes, districtâ nosmetipsos pœnitentiæ vltione ferimus, quando nequaquam nobis in peccatis parcimus, & nullis erga nos cogitationum blandimentis inclinamur. Qui si districtè priùs nostra in nobis mala insequimur, iustum quoque est, vt etiam contra aliena mala vtiliter erigamur: & ea quæ in nobis punimus, etiam in aliis redarguendo superemus. Sed hanc erectionem mali nesciunt, quia se relinquunt, & bonos impetunt. Sibi se intra conscientiam suam mollitie blandæ adulationis inclinant, & contra bonorum vitam districtione asperitatis eriguntur. Vnde amicis beati Iob in eius flagello tumentibus, rectè nunc dicitur: At vos contra me erigimini, id est, vosmetipsos redarguendos relinquitis, & me districtis sententiis increpatis. Qui enim semetipsum prius non iudicat, quid in alio rectum iudicet, ignorat. Etsi nouit fortasse per auditum quod rectè iudicare debeat: rectè tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam iudicij regulam præbet. Hinc est enim quòd insidiantibus quibusdam, & puniendam adulteram*

deducentibus dicitur : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua relique- Ioan. 8.
rant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Hinc est quòd cùm tribus Benjamin in carnis scelere fuisset obruta: collectus omnis Israël vlcisci iniquitatem voluit, sed tamen semel & iterum in belli certamine ipse prostratus est. Consulto autem Domino si ad vlciscendum ire debuissent, iussum est. Qui iuxta diuinæ vocis imperium perrexit, & semel, & secundò perdidit, & tunc demum peccatricem tribum valde feriens penè fundiùs extinxit. Quid est quod in vltionem sceleris inflammatur, & tamen prius ipse prosternitur, nisi quòd prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpa feriuntur: vt ipsi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant: Quod & ipse breuius alibi repetens : *Considere-* L. 23 mor,
mus, inquit, *quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut tales* c. 8.
aliquando fuimus, etsi iam diuina gratia operante non sumus, vt tanto temperantius humili corde corrigamus, quantò nosmetipsos veriùs in his quos emendamus, agnoscimus. Hoc est videlicet quod pridem dixerat Sapiens, *Iustus est prior accusator sui*; vnde ad faciliorem praxim Prou. 18.
formatur hæc

NONA VERITAS.

Si Iustus est prior accusator sui, quanto magis iniustus?

RATIO est euidens, quia iustus non est prior accusator sui quàm quia iustum est eum qui accusat alium prius se accusare, quocumque id modo fieri possit: Non enim esset in hoc iustus, neque propterea commendaretur à Scriptura nisi iustum & æquum esset ita se prius accusare.

Sed quando iniustus accusat alium longe est iustius vt se prius accuset quam quando Iustus accusat. Nam vbi est amplior accusationis ratio, certe est etiam iustior. Quis autem dubitet esse ampliorem in iniusto quam Iusto?

Adde quod, cùm Iniustus in accusando alium facilius peccare possit quàm Iustus, nisi se diligentius temperet: nonne ipsi etiam magis quam Iusto necesse est vt sibi temperando aduigilet? At quo tandem modo aptius se temperare discet nisi se prius accusan-

do & condemnando vt dictum est? Nonne sic Christus Dominus accusantes mulierem temperauit cùm & illis dixit, *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, & tum illis sua cuique peccata monstrauit quorum intuitu statim ab accusando cessarunt. Hoc est enim quod *inclinans se deorsum coram illis digito scribebat in terra, vbi sese inspicientes*, inquit sanctus Augustinus, *& se reos inuenientes, recesserunt.* Nonne hoc ipsum denique est quod ante

Matth. 7. Dominus vnicuique eorum qui sunt in aliis accusandis nimis præ-

Luc. 6. cipites, dixerat: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.*

Hoc est enim reuera hypocritam agere, cum iniustus & peccator se non prius inspecto & accusato proximum arguit, nam Charitatis vel Iustitiæ zelo se id putat & prætendit agere, quod merè fictum & simulatum est, cùm si Charitate & iustitia verè moueretur, à seipso inciperet, & prior esset accusator sui. Si enim iuste Iustus, quanto magis iniustus?

Cæterum, hic considerando quanta prudentia Christus euitarit ancipitem calumniam sibi ab aduersariis paratam vel nimiæ Mansuetudinis vel nimiæ seueritatis, apte occurrit dictum S. Hierony-

Ep. 13. ad Paul. mi quo repræsentetur

DECIMA VERITAS.

Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum.

RATIO EST ex eodem sancto Doctore, quia non multum distat in vitio, si vel prudentiam sine simplicitate habueris, vel sine prudentia simplicitatem: cum vtrumque Christus conjunxe-

Matth. 10. rit dicens, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Sed vel decipere posse, vel decipi Christianum, est habere prudentiam sine simplicitate, vel simplicitatem sine prudentia.

Ergo alterutrum non multum distat in vitio, proindeque tibi ex æquo vigilandum, ne vel quemquam decipias, vel à quoquam te sinas decipi.

Plenior sententia Diui Hieronymi hæc est; *Habeto simplicitatem columbæ ne cuiquam machineris dolos; & serpentis astutiam ne aliorum supplanteris insidiis. Non multum distat in vitio, vel decipere posse vel decipi Christianum.* Quod autem ait *posse*, idem est ac *nolle*, Nam quod non potest licite Christianus, debet ita nolle & ita debet abstinere, ac si omnino non posset, vt alibi fusius declaratur.

Sic porro tres alij conformiter Latini Doctores docent: Sanctus Gregorius vbi de Iobo dicitur, *quod vir erat simplex & rectus, NONNVLLI namque ita sunt simplices vt rectum quid sit ignorent, sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt; quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Hinc est quod Paulus discipulos admonet dicens, Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo. Hinc rursus dicit, Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Hinc per semetipsam Veritas discipulis præcipit dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Vtraque enim necessario in admonitione conjunxit, vt & simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret.* L. 1. Mor. c. 2.

Sanctus Ambrosius; *quia plerisque non virtus sed infirmitas videtur sine ratione simplicitas, vt tu veram suscipias, admoneris, Id est, vt exequaris industria munus naturæ,* Quasi diceret, vt quod naturale est omnibus, nolle decipi: tu virtute, tu id prudentia rationali efficias. L. 7. in Luc. c. 9. Sanctus denique Augustinus, *Duo sunt quæ annexa ad inuicem sunt, vt vnum sine altero, aut parum aut nihil omnino proficiat: simplicitas enim sine astutia, stultitia reputatur: astutia sine simplicitate superbia approbatur.* Serm. 14. ad Fr. in Erem.

FERIA TERTIA.

LVCEM MVNDI SE DICIT CHRISTVS.

Ego sum Lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Qui lucem mundi Christum confiteris, & mundum potius quam Christum sequeris, palpas in meridie.

RATIO EST, Quia ille moraliter dicitur palpare in meridie qui suis in moribus sic aliorsum quàm lux illa demonstret agitur, sicut qui cæcus palparet in tenebris.

Sed qui lucem mundi Christum confiteris, & mundum potius quam Christum sequeris, sic plane tuis in moribus aliorsum quàm lux illa demonstret, ageris.

Ergo palpas in meridie. Quod cùm sit in Scripturis maledictum, sane cauendum est, & mundo magis ac magis renuntiandum.

I. PVNCTVM.

CVM Christus Dominus miro Iudæis modo quæ latebant ipsorum crimina patefecisset, ac in luce palàm vnicuique sigillatim demonstrasset, tum illis opportune dixit se lucem mundi esse, hoc est, se in mundo esse ad illustrandas hominum mentes circa bonum & malum, circa verum & falsum, circa virtutes & vitia, quod solis lumen in mundo est circa res alias denudandas. Non tam mirentur se illustratos quàm admirentur Illustrantem, & quantùm tenebris lucem præferunt, tantùm se Illi totos intelligant addicendos.

Iam hoc ipsum paulò ante Nicodemo dixerat Dominus, vnde sacer Euangelista refert, hoc iterum ab illo dictum, sic expresse narrans consequenter ad historiam de adultera: *Iterum ergo loquutus est Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, Lumen scilicet quo discat hic recte viuere, vt in æternum beate viuat. Ex quibus Verbis cùm multa in Christi gloriam, & in spiritualem profectum deriuare possis, tum illud quod proposita Veritate continetur, multum certe facit ad illam contemptus mundi praxim, quæ nobis plurimùm commendari debet. Mirum enim est, & plusquam

plusquam dici potest stupendum, quod Tu Christianus, tu forte Religiosus, & Ecclesiasticus & Ecclesiastes qui lucem mundi Christum confiteris, profiteris & doces; Tu tamen ipse mundum viuendo potius quam Christum vitæ lumen sequaris! Quid hoc aliud est quam *palpare in meridie*, quid hoc aliud quam *maledictum esse?* Quid est enim palpare in meridie, & quid maledicto similius quam similem esse Iudæis quibus in pœnam eorum desertionis denuntiabat Moses hoc certò futurum: *Percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis; & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris; & non dirigas vias tuas.* Tuis scilicet in vitæ moribus tam obliquè, tam prauè, tam peruersè incedas quam solet ambulare cæcus, aut amens, aut ebrius quaquauersum per deuia periculosè gradiens. Quod & in libro Iob repetitur: *per diem incurrent tenebras: & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Et reuera sic Iudæi, sic Pagani viuunt, sic in media ipsa luce quæ Christianos omnes illustrat, tenebris inuolutum habent animum vt non minus à recta viuendi discedant via, quàm à recto cæcus ambulandi gressu. Deut. 28. Iob. 5.

Sic aperte quondam deplorabat Isaias: *expectauimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis, attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Et Sophonias: *ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Quid clarius non in verbis modo Scripturæ quæ peruersa Iudæorum facta prædicunt, sed in ipsis Iudæorum factis quæ prædictas de se scripturas in suam ipsorum perniciem nimis vere complent. Nonne te miseret miserandi eorum status? If. 59. Soph. 1.

II. PVNCTVM.

SED tu qui lucem mundi Christum confiteris, & mundum potiùs quam Christum viuendo sequeris, sic tuis in moribus aliouersùm quàm lux illa demonstret, ageris.

Nam si mundus quem sequeris ipsi est Christo totus oppositus; nonne de illa Tu oppositione tantùm participas quàtum ad mundi sensum & facta, vitam componis? Quid est enim ille oppositus Christo mundus, nisi qui tali de rebus sentiunt, & viuunt modo quem Christus Verbo damnauit & exemplo? Vnde Tu qui talem

sequeris viuendi modum, Tu quis es, nisi pars eius mundi quem Christus damnat, cum vt dixi non aliter quemuis de mundo damnet quàm quia sibi opposito viuit modo? *Nunc iudicium est mundi,* (Ioan. 12.) dicebat proxime moriturus Christus, non huius aut illius simpliciter hominis est iudicium, sed totius mundi est: eorum scilicet omnium qui de mundo sunt, de quo ipse iam dixerat, *Mundus me* (Ioan. 7.) *odit, quia testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt.*

Atque hinc apte Apostolus, *dum iudicamur, à Domino corripimur,* (1. Cor. 11.) *vt non cum hoc mundo damnemur,* Id est, ne si forte mundum factis sequamur, pœna qua mundus plectitur, nos sequatur, & cum ipso nos in æternam perniciem deuoluat mundo, cuius nos similitudini prius inuoluimus.

Et hæc quidem vniuersim propositionem probant; at vero particulatim Tu accuratius vide quid lux illa quam confiteris demonstret, & quàm inde procul incedas affectibus & moribus. *Væ* (Luc. 6.) *cum benedixerint vobis homines!* Tune id putas infaustum & miserum cùm benediceris? *Omni petenti te tribue:* Nonne tu pluribus negas quam tribuis? *Nolite in sublime tolli:* Tu quò aspiras vehe-
12. mentius quàm in sublime? *Omnis qui non renuntiat omnibus quæ*
14. *possidet, non potest meus esse discipulus:* An vel vni eorum quæ possi-
22. des renuntiasti? *Qui major est in vobis, fiat sicut minor:* Tu cùm sis minor, nonne major esse velles?

Quid porro est aliò ire quàm lux Christi demonstret nisi hoc sit? Et quid aliud dicebatur Balaamo, aut quid aliud loquentem Angelum commouebat contra ipsum, cum diceret, *Ego veni vt aduer-* (Num. 22.) *sarer tibi, quia peruersa est via tua mihique contraria.* Et rursum, *si* (Leuit. 26.) *ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam.* Nihil plane aliud ab illis in te est, nisi quod illi minus habebant luminis quo se viderent aduersari Deo, tu vero magis.

III. PVNCTVM.

QVI *Christum igitur mundi lucem confiteris, & mundum potius quam Christum sequeris, nonne tam euidenter palpas in meridie quàm media ipsa luce apertius tibi Christus lucet, & quàm aperte deuias à recto tramite quem lux illa demonstrat, dum mundum seque-* (Matth. 4.) *ris,* perinde ac si cæcus esses aut in tenebris ambulares? *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam,* dum vidit Christum: Tu

vero ſedens in illa luce nihil niſi tenebras vides, dum nihil niſi mundum in tuis reſpicis moribus. Quid magis poteſt eſſe tranſuerſum & deuium? Deplorabat Infideles Apoſtolus quod *Deus huius ſæculi excæcaſſet eorum mentes vt non fulgeret illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi qui eſt imago Dei:* Nonne tu ſaltem ex illa parte ſimiliter deplorandus qua te idem huius ſæculi Deus, id eſt, Dæmon excæcauit, vt non fulgeat tibi quod contra mundum Chriſtus dixit? Cur putas Dæmon vocatur *huius ſæculi Deus*, niſi quòd dum ſæculares & mundani præferunt illum Chriſto, tamquam Deus ab illis colitur, vel quod eius placitis & inſtitutis tam conſtanter inhæreant, ac ſi diuina eſſent placita & inſtituta. 2. Cor. 4.

Nec tibi palpes in profeſſione Chriſtana, vel etiam Eccleſiaſtica vel Religioſa, ſi mundana ſectaris, nam hoc ipſo atrocius illa ſectando peccas; ſicut illi de quibus Apoſtolus, *qui cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Rom. 1.

Hoc eſt ſcilicet quod timebat futurum in Chriſtianis, & quos propterea tam vehementer admonebat: *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.* Quaſi diceret, niſi ambuletis vt filij lucis & non vt filij tenebrarum, tenebræ vos comprehendent, & retento duntaxat Nomine Chriſtiano vel ritu aliquo exteriori, ſic intus obſcurati & cæci eritis, quantum ad nonnullas Morales Euangelij præceptiones, ſicut ipſi Gentiles ad omne quod ignorant Euangelium. Sic vniformiter ſanctus Petrus poſt Chriſtiana quædam monita, rationem ſubdit quæ ſuprà dicta omnia valdè confirmat, *Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.* Id eſt, ſic viuit quaſi non eſſet conuerſus, quaſi non eſſet confeſſus, vel quando confeſſus eſt quaſi non eſſet profeſſus ſe contra mundum & carnem deinceps victurum, aut quaſi oblitus eſſet ſe tum id fuiſſe profeſſum, quando confeſſus obtinuit ſuorum veniam delictorum. Epheſ. 4. 2. Pet. 1.

Quæ quidem cæcitas conſequens acceptum vitæ lumen, longe eſt grauior quàm ſi antecedens eſſet; nam ſiue conſideretur vt culpa propter quam Chriſtianus & religioſus ſic cæcutit, ſiue conſideretur pœna ſic à Deo conſtituta, profectò perículoſius vtrum-

que est ad sempiternum interitum. Vnde idem ipse sanctus Apostolus paulo post pergens: *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora, deteriora prioribus: Melius enim erat eis non cognoscere viam Iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Ibid. 2.

Vide in 2. parte, Feria 6. Hebd. 4. post Pascha. Et in 1. parte, die 5. Ianuarij, vbi hæc habetur Veritas:

Dum lucet, ambulandum: ne tenebræ fiant.

FERIA QVARTA.

DE IGNORANTIA DEI ET CHRISTI QVAM HABENT IMPII ET MVNDANI.

Neque me scitis, neque Patrem meum. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid de Christo se scire dicant impij & mundani, Christum nescire dicendi sunt.

RATIO EST, Quia Christum nescire dicendi sunt qui de Christo in moribus aliter sentiunt quàm sit reuera sentiendum.

Sed quidquid de Christo se scire dicant Impij & mundani, de illo in moribus aliter sentiunt quàm sit reuera sentiendum.

Ergo Christum nescire dicendi sunt. Quod tamen ipsi nollent si aduerterent, quamobrem hoc illis diligenter expendendum & inculcandum.

I. PVNCTVM.

VM de Patre suo Christus Iudæos instrueret, atque illud in primis affirmaret se non esse solum in testimonio de se ferendo, sed simul Patrem à quo missus erat, testimonium de ipso perhibere; tunc à Iudæis interrogatus est, *Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus, Neque me scitis, neque Patrem meum: Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.*

Patrem Christi carnaliter acceperunt, inquit sanctus Augustinus, *quasi dicerent, nos solum te videmus, ostende nobis tecum esse Patrem tuum.* Theophilactus verò scribit quosdam notare, hoc à Iudæis prolatum velut *ad contumeliam & contemptum Christi, quasi proprium ignoraret Patrem*, vel quod vilis & abiectus esset Ioseph; & addit, *quia ergo non interrogabant scire volentes, non respondet ad eam quæstionem. QVID est autem*, ait S. Augustinus, *si me sciretis, & Patrem meum sciretis, Nisi Ego & Pater vnum sumus; sic enim solemus de similibus dicere, si hunc vidisti, illum vidisti.*

Obseruat porrò sapienter Origenes coluisse quidem Iudæos Deum, *Sed*, inquit, *solet scriptura, qui male viuunt, eos dicere Deum non agnoscere, sic de filiis Heli dicitur, quod Deum ignorabant.* Atque hinc nata Veritas quæ modò perpendenda proponitur, *Quod quidquid de Christo siue de Deo se scire dicant Impij, siue qui solutioris & laxioris sunt vitæ, siue qui mundani dicuntur, Christum nescire dicendi sunt.* 1. Reg. 2.

Et plana quidem est Ratio quoad illam priorem partem qua dicitur eos Christum nescire qui de illo in moribus aliter sentiunt quàm sit reuera sentiendum. Sed tamen vt pateat etiam apertius, distingui possunt tria quædam quæ de Christo sciri debent, & in quibus addiscendis & profitendis bene vel male à nobis de Illo sentiatur. Primum est eorum quæ spectant ad sacram eius Personam, vt quod sit Deus & homo, quod Dei filius, & Virginis: quod duas in vna Persona naturas habeat; quod sit reuera mortuus & resurrexerit, & similia quæ de illo fides Orthodoxa proponit.

Secundum continet ea quæ Christus de suo Patre, siue de Diuinitate ac Mysterio sanctissimæ Trinitatis docuit, de vnitate Dei, de Trinitate personarum, de diuinis attributis & perfectionibus, de adorando Deo in Spiritu & Veritate, atque vniuersim quæ

spectant intellectum & fidem, siue doctrinam quæ speculatiua dicitur, vt distinguatur à practica & morali, quæ Tertium constituit Caput eorum quæ de Christo sciri debent: Nempe illa quæ verbo & exemplo docuit ad mores nostros reformandos, & diuinæ Legi conformandos, qualis est totus ille sermo quem bene longum & totum moralem in monte habuit, & qualis est tota eius vita quam in nostrum exemplum ita instituit vt quemadmodum ipse abstinuit mollibus, & dura sustinuit, sic abstinere & sustinere disceremus, quod paucis hisce verbis totum complexus est, vt alibi fusius
Luc. 9. demonstratur, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Atque hoc tertium est Caput de quo est prima propositio, quod Christum nescire dicendi sunt qui de illo in moribus, Id est, in hac morali doctrina quam Verbo & exemplo docuit, aliter practicè sentiunt quam reuera ipse senserit, docuerit, & voluerit à nobis practice sentiendum. Non quod illa quæ docuit omnia sic à nobis sciri debeant, quemadmodum duo illa quæ dicuntur ad salutem scitu necessaria, Mysteria sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Christi Domini, sed quod nihil in moribus nostris repugnans eius morali doctrinæ sit, quam si propterea edocemur, si de illa instruimur & informamur, vt fieri solet in Christianis Exercitationibus publicis, tunc nos ei totos & mente & affectu & vita & moribus conformemus: atque vt ait Apostolus, *doctrinam Saluatoris nostri Dei ornemus in omnibus*, Id est, Ipsi nos totos eius doctrina
Tit. 2. moresque nostros ornemus, ordinemus & componamus. Aut certe si desimus, si hanc audire doctrinam nolumus, vel auditam non credere, vel ita verbo interpretari & fingere vt facto etiam aliter conuersemur: hoc est quod dicitur sentire de Christo in moribus aliter ac sentiendum est: hoc est quod asseritur quod qui de illo sic secus sentiunt, Christum ignorant & nesciunt. Esto sciant & credant illum esse Deum & hominem, illum esse Dei ac Virginis filium, nec tamen sciant aut credant sicut actu & practice credendum est quod ille docuit de cauendo aspectu mulieris, de continendo corde, de arcta tenenda via, & de similibus quæ ad mores spectant, Christum nescire dicendi sunt. Non est verus Christus quem putant credere, fingunt sibi Christum suo conformem genio, ne suum Christo conforment genium. Fictitius est ille Christus & mendax quem mendacem faciunt, vt sic Ipsi sua tueantur

dicta & facta quæ sunt vero Christo contraria.

Nonne hoc ipsum asseueranter de illo affirmares qui hanc quidem moralem Christi sectaretur doctrinam, sed qui tamen Christum vel Christo non crederet, prout illa duo prima quæ diximus capita credendum statuunt? Quid sentis de Eutychete qui cum esset Monachus, moralem credibile est quod institutionem Euangelij, atque ipsam perfectiorem Christi doctrinam profiteretur: quia tamen Christum non credidit duas habere naturas distinctas & non confusas, nonne Christum ignorasse & nesciisse dicendus est? Nonne Christum hoc ipso sibi finxit à vero Christo alium, quo verum Christum non credidit? Sic plane licet quis in duobus illis primis non erret capitibus, sed in solo duntaxat tertio, quod mores & Veritates practicas continet: licet duas in Christo confiteatur naturas & alia quæ de illius persona proponuntur, nec tamen credat Fide practica quæ per Charitatem & mores Christianos exhibetur, quod Christus eapropter instituit: Christum ignorare & nescire non minus dicendus est atque alius de quo non dubitas.

Sic Iudæi non ignorabant omnino Christum, imo tam vere multa de illo nouerant vt Christus ipsis diceret, *Et me scitis, & vnde sim scitis:* Ioan. 7. At vero cùm cæteris eius dictis non crederent, atque in his præcipue quæ ad vitam in melius transferendam proponeret, illi resisterent: *Neque me scitis*, inquit, *neque Patrem meum*: scientia videlicet practica cuius defectu deficit alia. Quo in sensu dicebat Salomon: *Stultissimus sum virorum, & Sapientia hominum non est mecum. Non didici Sapientiam, & non noui scientiam sanctorum*: Prou. 30. quæ in praxi scilicet & in factis exhibetur, non quæ solo intellectu possidetur. Nam intellectualem illam quam vocant Sapientiam non amisit Salomon cum peccauit, sed practicam, quia non sapienter viuebat prout viuendum ex Sapientia nouerat.

O si mundi Sapientes hoc intelligerent!

II. PVNCTVM.

SED quidquid de Christo se scire dicant impij & mundani, cùm aliter viuant ac Christus docuit, aliter de Christo in moribus sentiunt, quam sit reuera sentiendum.

Cùm enim dicant se multa de Christo credere, non sunt ita impij vt ausint illi aperte repugnare, cum non sint vero ita pij vt velint se illi conformare, quid facient? Nam aut illi resistendum, aut se Illi vident conformandos? Neutrum horum vellent, & tamen alterutrum necesse est. Vnde mirum quantum angantur animo quoties Christum loquentem legunt vel audiunt, nam se vel ab eo diuulsos intelligent, vel à mundo diuellendos. Poteritne Christianus se à Christo scire diuulsum? Poteritne vero mundanus non esse mundo addictum? Hic angustiæ sunt vndique de quibus plura vide in hac parte, Feria 4. Hebdom. 17. Interim vero molliendus ille angor, emergendum quoquo modo ex illis angustiis: nam sic viuere inquietos, non est viuere, cùm vt ait
Eccles. 30 Sapiens, *Vita hominis sit Iucunditas cordis:* Nulla vero sit cordis iucunditas vbi talis est angor, vbi tales angustiæ.

Quamobrem vt sibi pacem aliquam inueniant quæ neque dùm Christo, neque dum mundo repugnatur, reperiri potest, inueniunt mediam quandam viam qua cum Christo & cum mundo incedant, qua neque Christo repugnent, neque mundo; qua Christum vna simul & mundum sic inter se concordent, vt dum Christo loquenti obedient, mundum non deserant: & dum mundo adhærebunt, Christum non fugiant nec ab eo disiungantur. Nempe interpretantur Scripturas suo modo; Verba & mentem Christi suis accommodant moribus, non suos Christo mores: Audiuerunt esse quoddam genus interpretandi Scripturas quod *benignum* & facile dicunt, hoc libenter vtuntur; & hoc molli verbo emolliunt quidquid Conscientiam durius alioquin premeret & lancinaret. Si opponas illis Christum, laxiorem viam condemnantem: Respondent vel illud *laxiorem* nihil ad se pertinere, cùm multis ipsi coarctentur rei domesticæ difficultatibus: vel tantum spectare illos qui suis omnino laxent habenas concupiscentiis, quos inter non se annumerant. Si de honore, si de diuitiis, si de aliis quibuslibet mundanis affectibus, ex Christi Verbo & exemplo contendas cum illis & eos vehementius vrgeas, recurrent semper ad illud suum benignum interpretandi genus: non esse illa ex se mala, Christum velle tantum capitalia tollere vitia; naturæ legem à gratia non destrui, legem esse naturæ quæ famam, honorem & vitæ commoda præcipit. Christum velle misericordiam, non sacrificium: Christum peccatores

catores suscipere non expellere: Christo notam esse humanam infirmitatem; Christo bonitatem esse ingenitam cuius est misereri potius & parcere quàm condemnare.

Atque ita, vt vides, iam Christum non habent sibi repugnantem, neque ipsi etiam mundo repugnant cùm vtrumque simul benigne & commodè sic attemperent vt neutrum neutri præiudicet.

Itane vero Christus secum ipse pugnet? Itane Verba eius transeant, cum cœlum & terra potius quam eius Verba excidant? *O præsumptio nequissima, vnde creata es cooperire aridam malitia & dolositate?* Recte omnino Sapiens, nam primò manifesta est præsumptio quæ sic audeat Scripturas deprauare & de Christi sensu sic iudicare. Deinde, mera malitia est & dolositas quam præclare Dauid expresserat cum dixit de prauo quouis homine se in sua prauitate perperam excusanti: *Verba oris eius iniquitas & dolus. Noluit intelligere vt bene ageret.* Si enim intellexisset, quæ à Christo contra mundum & mundanos prolata sunt, profectò sibi magis à mundo timuisset, & ab eo recessisset, sed noluit intelligere, ne sic timeret, & recederet. At ne tamen à Christo se penitus alienaret, Christum ad mentem suam interpretari præsumpsit, in quo est aperta iniquitas & dolus manifestus, quasi sic Christum falleret, quasi sic se tueri posset, quasi sic cum Christo conueniret: cum tamen totus ab illo dissentiat in moribus, quamdiu mores eius mundani sunt.

Matth. 24.
Eccli. 37.
Ps. 35.

O plene omni dolo & fallacia, non desinis peruertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus: Hoc plane illi accidit secundum animam quod Mago illi quem corporali percussit cæcitate Apostolus. Nempe non videt neque sentit quàm longe à Christo sentiat, non videt quàm iniquè & dolosè agat cum se fingit cum Illo consentire. Hæc est scilicet *erroris operatio quam mittet illis Deus*, teste Apostolo, *vt credant mendacio qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Act. 13.
2. Thess. 2.

III. PVNCTVM.

ATQVE *hinc patet quod quidquid de Christo se scire dicant impij & mundani, Christum nescire dicendi sint*; Cum ab Illo in moribus ita longe dissentiant quàm in cæteris credendi articulis

dissenserunt hæretici qui de Illo negarunt vel affirmarunt quod sanæ fidei repugnabat; & de quibus non dubitas quod illi Christum nescirent. Sic expresse dilectus Christi discipulus, vt iam alibi est expositum, *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si man-*
1. Ioan. 2. *data eius obseruemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc Veritas non est.* Qui nempe mandata eius non custodit cum se dicit eum nosse, hoc id animo dicit vt se à mandatis eius non custoditis excuset, quasi diceret, *Noui eum, bonus est & benignus, dissimulat peccata hominum, non ita curat hæc minima.* Mentitur verò qui hoc dicit, nec eum nouit. Sicut tu ipse diceres roganti cuipiam vt mentireris, vt furto consentires, vel quid aliud velles quod omnino nolles: nonne ipsi tum diceres, *Non me nosti. Quid! vt ego furer! vt ego mentiar! non me nosti, non is sum ego quem putas.* Sic plane Christus existimanti aliter de peccatis ipsum sentire quam reuera sentiat: non me
Ps. 49. nosti, peccator. *Existimasti inique quod ero tui similis! arguam te, & statuam contra faciem tuam.* In hoc enim tripliciter arguendus peccator & puniendus. Primò quod à peccato siue à mundano affectu nolit discedere. Deinde, quod vt secure possit in illo permanere, sibi maligne fingit de Christo quæ non sunt, quod est malo dolo agere. Tertio denique, sic vera Christi cognitione priuatur nec magis Filium nouit quam mundus Patrem de quo
Ioan. 17. ipse dicebat filius: *Pater iuste, mundus te non cognouit.*

Nonne hæc ad cautelam sufficiant, seu ad prauos cauendos affectus qui dolos huiusmi comminiscuntur & fabricant? Regula Iuris est, *Quod nulli debet patrocinari sua fraus.* Sunt vero in Scripturis multa quæ malignam hanc mentem exagitant & valdè
Iob. 15. castigandam monent. Iob decimo quinto: *Quantum in te est euacuasti timorem. Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi. Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius Sapientia?* Tum vbi plurimas denuntiauit peccatori pœnas, quasi rationem & causam earum reddens, sic concludit: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.* Id est, quæcumque obieceris contra eius voluptates, paratos habet dolos ad illa omnia diluenda: quod certe est extrema dignum pœna.

Eccles. 1. Sic Ecclesiasticus primo ipso sui Operis capite: *Quoniam, in-*

quit, *accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia.* Insignis vero locus est, & ad rem nostram valde accommodatus Ieremiæ nono; *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt,* Nempe ad excusandas excusationes in peccatis, *Et me non cognouerunt dicit Dominus. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium; Vt iniquè agerent, laborauerunt. Habitatio tua in medio doli. IN DOLO RENVERVNT SCIRE ME, DICIT DOMINVS.* Valde obseruanda Verba. Tum apte quod habet Oseas: *Ego erudiui eos & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam. Reuersi sunt vt essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus:* Qui nempe arcus non rectà dirigitur, vel qui in ipsum dirigentem retorquetur, cum vt excutiat à se iugum seuerioris disciplinæ, sibi fingit non excussum à se iugum: & dum putat se dolose malum à se amoliri, malum in se grauius à suo dolo accersit. Sic nempe *Illusor si fueris, solus portabis malum.*

Ier. 9. *Os. 7.* *Pr. 9.*

Vide in 2. parte, Dominica Sexagesimæ, vbi hæc Veritas exponitur:

Nisi Verbum Dei te conuertat, tu peruertes Verbum Dei.

Et in hac 4. parte, Feria 2. Hebdomadæ 15. ad hanc ibi propositam Veritatem:

Nisi se quisquis Christo conformet, sibi Christum conformabit.

FERIA QVINTA.

DE TREMENDO QVOD CHRISTVS DIXIT, VERBO:

In peccato vestro moriemini. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Illud mundanis præcipue tremendum est Verbum; *In peccato vestro moriemini.*

RATIO EST, Quia illis præcipue est tremendum qui se in peccato esse ignorant, ignorantia inexcusabili.

Sed tales sunt Mundani.

Ergo & illis præcipue tremendum est Verbum, adeoque multis: quia hæc lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem: & multi sunt illi qui vt ait Dominus, intrant per eam.

Matth. 7.

I. PVNCTVM.

DIXIT iterum Iudæis Iesus, Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris.*

INFOELICISSIMA conditio, inquit sanctus Augustinus, *misera sors istorum qui de ore veridico audierunt, In peccato vestro moriemini.* Hoc est enim dicere, maledicti in æternum & damnati estis. Non sic vero dixit quasi decretorium, quasi absolutum id esset, cum hanc simul apposuerit conditionem, *si non credideritis, moriemini in peccato vestro.* Atque ita sicut poterant credere, poterant etiam non mori in peccato: sed quia pauci ex iis erant credituri, aut in fide permansuri, idcirco quasi absolute affirmatur quod sint in peccato morituri. Tale scilicet erat eorum peccatum vt vix ab eo conuerterentur sicque in eo morerentur. Quodnam autem esset, aperuit illis Christus cum dixit, *vos de deorsum estis, vos de mundo hoc estis*, Id est mundani, terreni, mundana & terrena sapientes & affectantes; quales iam sunt multi etiam Christiani, etiam Ecclesiastici, etiam Religiosi de quibus manifeste Apostolus: *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus*, Atque vt apertius illos esse mundanos declaret, sic pergit, *quorum Deus venter est, & gloria*

Phil. 3.

Phil. 3.

in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nempe his tribus dicendi modis triplicem illã Concupiſcentiam de qua S.Ioannes, quæ mũdum & mundanos facit, complectitur: *Quorum;* inquit, *Deus venter eſt,* hæc eſt Concupiſcentia carnis: *Et gloria in confuſione ipſorum,* hæc eſt ſuperbia vitæ: Qui denique *terrena ſapiunt,* hæc eſt concupiſcentia oculorum ſeu cupiditas & appetentia bonorum temporalium, quorum viſu nec oculus, neque Cor affectu ſaturatur. Quamobrem vno verbo Mundanos dicimus quibus præcipue ſit tremendum hoc Chriſti Domini Verbum : *In peccato veſtro moriemini.* 1. Ioan. 2.

Ratio vero cur ita ſit, poſſet illa eſſe quam diximus cauſam, cur nulla ſit pœnitentia, vel cur pauci ſaluentur: nempe Cupiditas non repreſſa dum viuis, quæ nec reprimi poteſt dum moreris quantum eſt ſatis ad bonam mortem. Sed præter illam, Quæ modò profertur Ratio tam certa eſt, vt quia tam certa eſt, minus forte perſuadet iis qui ſe nolunt perſuaderi, aut qui ſe nolunt tàm vehementer vrgeri ad deponendum quod vident neceſſario deponendum, aut moriendum in peccato. Tu tibi tamen conſultius proſpice, & tantò accuratius rationem hanc expende, quanto eſt certior. *In 1. parte Dom 4. Adu. In 2 parte, Dominica Sept.*

Si quis in peccato mortali viuat quod ignoret ignorantia quam vocant vincibili, praua aut etiam affectata, de quo proinde peccato non confiteatur, numquam ipſum pœniteat, nullo vmquam Sacramento, nec vllo virtutis actu abſoluatur: Nonne is morietur in peccato? Nonne id timeres ſi ſciens volens reticeres in confeſſione peccatum? At prorſus idem eſt quando quis illud ignorat voluntaria & inexcuſabili ignorantia, quam ſic definiunt & condemnant ſancti Patres: *Ipſa ignorantia eſt voluntaria,* inquit Diuus Thomas, *vel directè, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua vt liberius peccet: Vel indirectè, ſicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiſcere id per quod à peccato retraheretur, talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam & peccatum dum modo ſit eorum quæ quis ſcire tenetur & poteſt.* 1. 2. q. 76. a. 3.

Sanctus Auguſtinus in Pſalmum triceſimum quintum, *Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo,* vſque ad quartum Verſum de quo heri, *noluit intelligere vt bene ageret,* ſic variis vt ſolet interciſionibus rem illuſtrat. *Numquid non ibi eſt præſens Deus, ſed non eſt timor Dei in conſpectu eius. Meditatur ergo dolos, & ſequitur. Fortè*

latet illum, quia Deus ibi videt, & iam ostendit quod dicere ceperam. Latet illum sed volentem, quia contra se fecit, nolens intelligere. Quoniam dolose egit in conspectu eius. In cuius conspectu? cuius timor non est ante oculos eius qui dolose egit. Vt inueniret iniquitatem suam & odisset. Iste sic egit vt non inueniret. Sunt enim homines qui quasi conantur quaerere iniquitatem suam, & timent illam inuenire: quia si illam inuenerint, dicitur illis, recedite ab illa. Hæc fecisti antequam scires, iniquitatem fecisti cùm esses in ignorantia. Dat Deus veniam, modò cognouisti eam, dimitte illam vt possit facilè ignorantiæ tuæ venia dari, vt Psal. 24. *libera fronte dicas Deo, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. At illam quærit, ac timet, ne inueniat illam, dolose enim quærit. Non sciebam quia peccatum est. Quando dicit homo? cùm viderit quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat verè, sic voluit nosse iniquitatem, vt inueniret & odisset. Nunc autem multi dolose agunt, vt inueniant iniquitatem suam, Id est, non ex animo agunt inuenire & odisse. Sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inuentione defensio iniquitatis erit. Cùm enim inuenerit iniquitatem, ecce iam manifestum est illi quia iniquitas est, noli illam facere. Et ille qui dolose agebat vt inueniret, iam inuenit, & non odit. Quid enim dicit? quàm multi hoc faciunt, & quis hoc non facit? Et nunquid omnes proditurus est Deus? Aut certè hoc dicit, si nollet Deus illa fieri, viuerent homines qui ista committunt? Vides quia dolose agebas ad inueniendam iniquitatem tuam. Nam si non dolose, sed sinceriter ageres, iam inuenisses & odisses, modo inuenisti & defendis. Dolose ergo agebas cùm quæreres. Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere vt bene ageret. Videtis quia voluntati illud tribuit, quia sunt homines qui volunt intelligere & non possunt. Sunt autem homines qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt.*

Iob. 21. Sanctus Gregorius in hæc verba libri Iob, *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus;* N O L V N T, inquit, L. 15. Mor. c. 19. *scire, quod faciant, & quasi minus se vapulaturos existimant, si nesciant quod operari debuerunt: sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse: Nescit namque qui apprehendere vult & non valet: qui autem vt nesciat, aurem à voce veritatis auertit, iste non nesciens sed contemptor* Iob. 34. *addicitur.* Itemque in hæc alia libri eiusdem: *qui quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias eius intelligere noluerunt:* Sic ait co- L. 25. Mor. c. 16. hærenter: *quia sæpe quæ facere despiciunt, etiam scire contemnant, impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum solæ*

superbia caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt quia aliud est nesciisse, aliud scire noluisse. Et tanto magis excusationem non possunt habere, quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant.

Sanctus Bernardus: *Multa profectò scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem.* Et rursum. *Frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui vt liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licet ipse non libenter peccauit quod se per vxorem, tamquam per carnis infirmitatem defendit? Aut primi martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erunt?* Ep. 77. Tr. de duod. grad. hum.

Ex quibus sanctorum Patrum dictis, illud euidentissimum est quod hic erat primo declarandum, nempe illos in suo mori peccato qui hac voluntaria peccant ignorantia, quia non illud confitentur, nec magis confitendo absoluuntur quam si voluntariè peccatum, aliquod retinuissent. Cum enim talis ignorantia sit voluntaria, quidquid inde procedit, censetur pari prorsus modo voluntarium; & tantum abest vt peccantem & ignorantem excuset, quin ex illa sua ignorantia magis perire & puniri peccatores dicantur quasi esset potior perditionis eorum ratio. Sic in libro Iob legitur, *De mane vsque ad vesperam succidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Sic apud Isaiam, *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius*; Nonne ipsi suis in dirioribus clamant tormentis, quod refert Sapiens: *Ergo errauimus à via veritatis, & ambulauimus vias difficiles, Viam autem Domini ignorauimus.* Audisne vt fatentur se ignorasse? Vidésne vt profitentur se inde potissimum cruciari? Quid restat nisi vt etiam quod erat demonstrandum agnoscas, illis vel maxime qui se in peccato esse ignorant ignorantia inexcusabili, tremendum esse Christi Verbum, *In peccato vestro moriemini?* Iob. 4. Is. 5. Sap. 5.

II. PVNCTVM.

SED *tales sunt mundani.* Nempe illi quos ex sanctis Apostolis Paulo & Ioanne supra descripsimus, secundum proprias con-

cupiscentias ambulantes: Illi ex omnibus præcipui sunt qui viuunt in peccato quod tali quam diximus ignorant ignorantia.

Tria hic asseruntur, Primum est illos viuere in peccato. Secundum est illos suum ignorare peccatum. Ac tertium denique, talem ignorantiam esse inexcusabilem. De primo, quod viuant in peccato, necesse est id omnino affirmare cùm mundus & mundani sic in Scripturis condemnentur quasi oppositi Christo Domino qui suum regnum aperte dixit de hoc mundo non esse: qui de mundo suos elegisse affirmat, & qui palàm profitetur se pro mundo non orare, quod idem est atque illum execrari & supremo ferire, quod vocant, anathemate. Quæ certe de mundo & mundanis non dicerentur nisi simul in hac *mundi* voce peccatum inuolueretur, cùm nihil præter peccatum Deus oderit & condemnet. *Diligis enim omnia quæ sunt,* aiebat Deo Sapiens, *& nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.* Solum est peccatum quod non fecit, & quod proinde solum odit cum mundum odisse dicitur.

Ioan 18. *Ib.* 15. *Ib.* 17. *Sap.* 11.

Quod est itaque difficilius explicatu, secundum est, quomodo mundus siue mundani suum ignorent peccatum; nam vel aperte malum est & mortale; vel leue tantum & quod vocant veniale. Si mortale est, id agnoscent, non ignorabunt; si veniale est, quid tanti periculi si forte illud non agnoscant, *Delicta enim quis intelligit?*

Ps. 18.

Respondetur primò, non hic de omnibus Mundanorum peccatis quæstionem esse, quorum multa certe possunt ab illis sciri quæ peccant mortalia, vel si alia leuiora non agnoscantur, non tanti refert. Sed de certo quodam peccato agitur, quo & mundani sunt, & quo ignorant se tales esse, vel peccatum esse quod tales sint.

Quapropter Respondetur secundò, sic vt plurimum fieri, quod peccatum illud sit primò tantum veniale: deinde mortale fiat actu vel habitu. Veniale tantum est in pueris, quorum affectus non circa multum grauia versari solent obiecta, nec satis habent intelligentiæ qua possint à malo bonum discernere. Sic vero etiam in ætate qualibet prouectiori, dum primò affectus se ad quidpiam praué applicat, non est tanta plerumque applicatio vt lethalem contrahat culpam, sed nisi cum diuina gratia sibi quisque inuigilet ac reprimendæ seriò Concupiscentiæ vacet & studeat, *Concupiscentia*

Eccl. 5.

piscentia quasi ignis exardescit, vt ait Sapiens, id est, semper crescit, crescendo roboratur, roborata sanctis resistit gratiæ motibus, & prauis facilius consentit Inimici suggestionibus, & in obiecta quæ occurrunt grauiora libentius sese profert, sic tandem fit vt mortalis illa sit culpa quæ vel nulla vel venialis tantum putaretur. Sic impudicitia, sic ambitio, sic auaritia, sic odium, sic aliæ vitiorum pestes sese insinuant: vel actu vt dictum est, quando non leuis occurrit peccandi occasio, quæ profecto frequenter occurrit, vel habitu siue in dispositione animi, quando sic est infecta paulatim & affecta voluntas vt occurrenti consentiret obiecto mortalis culpæ: tunc in continuo viuit peccato quod ignorat quia versatur circa obiecta quæ sunt ita naturalia, ita naturæ conformia, ita delectabilia, ita vtilia, ita honorifica, ita quotidiana & domestica vt quam vocant sensationem & aduertentiam animi non excitent. *Bibitur subsannatio tanquam aqua*, INVNDATIONES *maris* Iob. 34. *tanquam lac sugunt*. Mutatur præterea nomen vitij, non est vt Deut. 33. putant impudicitia, sed mutuus animorum amor; non est illis ambitio, sed iusta sui iuris ac status retinendi cupiditas: non amant auaritiam cum pecunias ament; non dicunt esse odium cum vindictam reposcunt; sic se à seipso vnusquisque abscondit, & sic quod ait Propheta Oseas: *Absconditum peccatum eius*. Quod & paulo Osee 13. ante sic fusius expresserat: *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesci-* Ibid. 7. *uit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Et factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.*

Adde quod si ad suum attentius peccatum aduerterent, cogerentur quodammodo vel illud deponere vel non confiteri, nec conteri, vel non pacatè viuere, quæ cum omnino nolint, malunt de peccato non cogitare, sicque fit illa *Conscientia cauteriata*, nec non Hebd. 3. illa *indolentia* seu insensibilitas animi de qua fuse in prima parte. post Epiph.

Neque parùm ad id confert quod talis est omnium viuendi ratio, vt quod omnes faciunt, impune se quisquis putet facere: nec suum vnus peccatum reputet quod est commune omnibus. Sic *totus mundus in maligno positus est*, vt suam nullus malignitatem no- 1. Ioan. 5. rit, quia totius est mundi malignitas. Sunt quidem aliis alij maligniores, sed majoris gradum malitiæ nullus sibi ascribit, nullus non modo dicet se auarum esse, sed quando etiam se talem nosset, non censeret hoc peccatum tam graue quàm vanitatis, immunditiæ vel cuiuslibet alterius vitij, nec proinde se peccatorem

agnosceret, qui quod alij peccant peccare nollet; quasi esset iustus in suo quisque peccato, qui non in cæteris esset iniustus. *Sic obscuratum est insipiens cor eorum*, & sic magis ac magis quod ait Psaltes, *obscurantur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurvat Deus.*

Rom. 1.

Ps. 68.

Verùm, quod erat tertiò demonstrandum, talis obscuritas & ignorantia planè est inexcusabilis, quia quod expresse notauit sanctus Thomas, *eorum ignorantia est quæ scire tenemur & possumus*, quantum enim tenemur ad æternam nostram procurandam salutem, tantum certe obligamur ad cognoscendos illius nostræ salutis hostes, & cognitos expugnandos. At quis nesciat aut quis scire non possit Mundum ex illis esse hostibus? Quis non possit scire quod tam aperte toties in Euangelio Christus docuit, declarauit, exposuit, & in toto vitæ decursu factis & exemplis confirmauit? Sic præclare sanctus Gregorius postquam quæ supra relata sunt, dixit, *Et tanto magis excusationem non possunt habere quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant*, sic consequenter pergit: *Vnde per Salomonem dicitur, Numquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus super viam in mediis stans semitis? Transire fortasse per viam vitæ temporalis, cum eius ignorantia poteramus si hac eadem Sapientia in semitæ angustiis constitisset. Inuestiganda fuerat si occultari voluisset: Sed postquam Incarnationis suæ mysteria publicè ostendit; postquam humilitatis exempla superbientibus præbuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in mediis semitis fixit, vt videlicet in eam quam quærere nolumus, impinguamus, & quam transeuntes videre negligimus, tangamus offendentes.* Quasi diceret, tam commodè possumus id euidentius scire quod nescimus, vt ipsa rerum euidentia sciendarum, sese vltrò nobis objiciat, vnde si quid ignoramus, nulla ignorantiæ superfit causa, quàm quia scire nolumus, quæ certe causa quàm sit inexcusabilis quis non videt? *Si non venissem*, inquit, *peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

L. 25. Mor. c. 16.

Ioan. 15.

III. PVNCTVM.

ILLVD ergo *mundanis præcipuè tremendum est Christi Verbum, In peccato vestro moriemini*: quia se in peccato esse ignorant ignorantia inexcusabili, vnde à peccato numquam absoluuntur, &

in illo propterea pereunt, ac quidquid dum viuerent excusauerint, mortui tandem coguntur cognoscere quod refert Sapiens se audiuisse, *In malignitate nostra consumpti sumus.* Mera nempe malignitas sic affigi rebus caducis & non æternis: sic affixos voluntarie detineri vt quid peccarent non aduerterent, neque quod inde damnum incurrerent. *Quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Sic apte Sapiens mundanum quemlibet exprimit qui vel mulieris vel pecuniæ, vel honoris affectu ducatur inordinato. *Via inferni domus eius, penetrantes in interiora mortis,* Id est, secum inuehentes certissimam mortis æternæ caussam. Sap. 5. Prou. 7. Ibid.

Peccatum illud ad mortem est pro quo non orandum dilectus admonebat Discipulus: *Voluntarium* illud peccare est pro quo iam non relinqui hostiam sed terribilem quandam Iudicij expertionem affirmabat Apostolus. Illa in Spiritum sanctum noxa inexpiabilis est de qua Christus & nos alibi satis frequenter. Illud denique pertinax & inueteratum vitium, illa mens *dura quæ male habebit in nouissimo,* vt testatur Ecclesiasticus. 1. Ioan 5. Hebr. 10. Matth. 12. Prou. 28. Ecclesi 3.

Ex quibus certe Scripturæ locis, nemo saltem dubitare possit quin sit aliquod peccati genus præ cæteris in quo qui viuunt procliue sit eis mori. At quodnam illud esse posset nisi cuius eos non pœniteret? Cuius autem peccati peccatorem moriturum non pœniteat nisi cuius non meminerit, & cuius non meminisse sit æquè voluntarium & noxium atque ipsum perpetrasse peccatum?

Quamobrem non est diutius vniuersim probanda Veritas, sed particulatim vnicuique modò applicanda vt videat, & sero tandem agnoscat nùm sit ille mundanus, num sit ille inueteratus in vitio cui tale paratum est quod nunc audiuit, exitium?

Est autem id facillimum indagare, nam vnum proponit Apostolus, quod rem omnem conficiet, *Qui volunt,* inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Tim. 6.

Iam ergo quære à teipso, Lector, quære ab Auditore Concionator, num velit esse diues? Non negabis profecto, sed simul dices te nolle esse cum peccato, te nolle aliquid iniustè possidere: Tibi tantum vel tuo necessaria statui quærere; malas non esse di-

uitias. Hoc omnes ſcilicet dicunt, & hoc putant ſe dictos tutos aduerſus cupiditatem diuitiarum quam hic eſſe *interitus & perditionis* cauſam docet Apoſtolus. At certe fruſtra, nam vel deciperetur & nos deciperet magnus Paulus, vel illi profectò errant. Non dubitabat quippe Apoſtolus quin illi omnes Chriſtiani quibus loquebatur hoc ipſum dicerent, ſe nolle malo dolo & ſine diuites fieri: ſe velle tantum quod non putant poſſe nolle, ſibi ſuiſque ſcilicet prouidere. Et præciſe tamen pronuntiat *qui volunt diuites fieri:* Quaſi diceret, quidquid dicant quidquid objiciant, ſi diuitias appetunt cupiditate naturali quam non ratione reprimant ac diuina moderentur gratia, peribunt in illa ſua cupiditate. Non id quidem putant, non id ſentiunt, non id vident: At idcirco peribunt certius, quia non putant quia non ſentiunt. Nam ſic facilius *incident in tentationem, & in laqueos Diaboli, & in deſideria illa nociua quæ mergunt homines in ſempiternum interitum.* Non id putant, cum id audiunt quia tum forte talis tentatio non occurrit: ſed cum in media venerint negotia, cum ſe dabit lucri vel iacturæ occaſio, cum æſtus cupiditatis totum abſorpſerit animum, tunc illi laquei Dæmonis, tunc illa nociua deſideria quæ vel inique aliena ſi poſſint rapiant, vel ſi non poſſint ardentius appetant, aut ſua etiam auidius retineant, cum eſſent pauperibus vel debitoribus relinquenda. Quàm multis denique modis peccari poteſt cupiditate non repreſſa quæ eſt omnium malorum radix, tam multis peccant qui volunt diuites fieri, niſi diligentiſſimè ſibi caueant; ſibi autem non cauent qui non id timent, qui non credunt Apoſtolo, qui ſe quidem ſentiunt velle diuites fieri, ſed nulla inde præſentiunt pericula, nulla damna, nullum interitum.

Vnde tu cum fatearis ex his eſſe, quid reſtat niſi vt ſimul agnoſcas te ex illis cenſeri qui de mundo ſunt qui de deorſum ſunt, & quibus ſemel iterum ac tertio repetit Dominus, *In peccato veſtro moriemini?*

Decretoria prorſus ſententia eſt contra mundum & mundanos, contra concupiſcentes inordinate diuitias vel honores vel voluptates, nam eadem triplicis huius concupiſcentiæ ratio eſt, quantum ad infauſtam quæ inde ſequitur mortem. Non eſt quidem ratum te in tuis moriturum concupiſcentiis, imo ne hoc in ſtatu moriaris, admoneris inde emergere, inde indomitas cum gratia refrænare velle cupiditates. En vt omnes inuitat Princeps Apoſto-

lorum Petrus, *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum Eum qui vocauit vos, sanctum.* At si hæc sancta contemnis monita, si pergis eo semper res humanas affectu quo soles prosequi, tam verum est te male moriturum, quam certum est te aliquando moriturum. 1. Pet. 1.

Cur enim certum est te moriturum, nisi quia mortalis es, nisi quia naturalem in teipso tuæ mortis habes causam? Sed quamdiu mundanus es, sic latentem habes in animo malæ tuæ mortis causam & radicem quæ est cupiditas non repressa. Quid ergo dispar in vtraque morte? Quid in vna certius, quod non in altera?

Quid sentis de malo Diuite, de illo inquam Epulone qui teste Christo sepultus est in Inferno? Nonne hunc credis in peccato mortuum, & damnatum? Cur porro credis, nisi quia Christus dixit, nisi quia latentes erant in ipso damnationis causæ quas Christus norat? At ipse idem Christus affirmat te male moriturum qui de mundo es, qui cupiditati seruis potius quam domineris: Cur non ei pariter de te loquenti credes, atque de alio? Putasne minus à Christo verè dictum quod est futurum, quam quod præteritum? Nonne saltem timeres si serio Medicus præsentem tibi mortem denuntiaret, licet ipse secus sentires? Nonne Architecto crederes, si quem tuæ domus casum prædiceret? Et certe si quid mihi à te secundum illam quam profiteris artem suggereretur, vellem etiam contra sensum meum tibi assentiri; Cur non mihi de salute tua, cur non Apostolo, cur non Christo credes? Minusne sunt illi credibiles? Minusne seriò agitur cum de sempiterno interitu agitur, quam si de temporali damno vel etiam corporali morte? *O mors*, clamabat Sapiens, *quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* O mors in peccato! quàm hoc verissimè de te inclamandum! Si mori durum est, quanto magis in peccato mori! Si vel ipse infernus sine peccato posset adiri, non esset ita durus inferorum aditus, quam durum est in peccato mori! In peccato coram Christo Iudice reum apparere! Reum accusari, reum iudicari, reum condemnari, reum maledici, reum expelli, reum hac sententia detrudi ad inferos, *Ito maledicte in ignem æternum!* Vellesne hoc audire? Vellesne mori sine Confessione, sine dolore peccati, ne hoc forte audires. At idem prorsus est velle mori cum concupiscentia quam viuendo non studueris cum gratia refrænare.

Luc. 16.

Ecclesi. 41.

Matth. 25.

Vide in 1. parte, Dominica 4. Aduentus. In 2. Dominica Septuagesimæ. In 3. Dominica septima. In hac 4. tota Hebdomada 17. & 24.

FERIA SEXTA.

DE DVRA SERVITVTE PECCATI.

Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Vnde est in seruo peccati, seruitus suauior; inde est in seipsa durior.

RATIO EST, Quia in seruo peccati suauior est seruitus, quod sit libera & voluntaria.

Sed inde in seipsa est durior.

Ergo & vnde est in seruo peccati suauior, inde est durior seruitus. Ac proinde cauenda talis suauitas, & talis excutienda durities.

I. PVNCTVM.

LOQVENTE Domino quæ præcedentibus Feriis considerata sunt: *Multi crediderunt in Eum,* inquit Euangelista. *Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vmquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?*

Respondit Iesus, Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

Hic hæreamus, multæ nimirum est & fructuosissimæ considerationis ista sententia, *Multumque commendat*, vt ait sanctus Augustinus *quod eam sic Christus pronuntiat, Amen, amen dico vobis. Veritas dicit, verum dico vobis, quæ mentiri omnino non potest, tamen inculcat dormientes excitans.*

Et verò quomodo qui facit peccatum sit reuera seruus peccati, tripliciter potest intelligi. Primò quia qui facit peccatum, superatus est à sua concupiscentia quæ peccatum ab Apostolo dicitur, id est, causa peccati: *A quo autem quis superatus est, huius & seruus est*, inquit sanctus Petrus, & conformiter Coapostolus eius Paulus, *Cui exhibetis vos seruos ab obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad Iustitiam.* Rom. 7. 2. Pet. 2. Rom. 6.

Secundo, quia quamdiu peccatum manet in anima, dominatur ei quodammodo & vires suas sic in illam exercet vt in *aliud suo pondere trahat peccatum: In malis volutetur, & de malis ad mala præcipitetur*, vt ait S. Augustinus. In Enchir.

Tertio denique quia peccatum peccatorem ita tenet obnoxium æternæ morti ac pœnæ, vt se inde numquam ex se solo possit eripere, vnde hìc consequenter ad Iudæos Dominus, *si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*, Quasi diceret, non potestis aliter verè liberari. *Solus de peccato liberare potest*, inquit sanctus Augustinus *qui venit sine peccato, & factus est sacrificium pro peccato.* In hac verba Ioan. 8.

Quid sit autem in hac seruitute peccati quod sit ita peccatori suauis, vt ne quidem seruitutis hoc iugum sentiat, nunc indagandum est accuratius in hunc finem practicum, vt dum agnoscemus inde potius illam esse iudicandam seruitutem durissimam & intolerabilem, tùm fallaciam peccati detegamus, ac ne ij simus quibus à Propheta væ intentatur, *qui dicunt malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Is. 5.

Hoc vnum porrò est quo peccatori dulcis efficitur peccati seruitus, quod sit ei libera, quod sit voluntaria, quod ita peccare velit, & peccando fieri seruus, vt nollet non peccare, ac doleret non seruire. Sunt enim in hac seruitute tam aperte multa quæ quodlibet aliud graue ac molestum seruitutis genus grauitate sua superent, vt nisi esset illa differentia, quod inuiti aliam seruirent

seruitutem, hanc vero voluntarij seruiant, planè puderet eos vel ipsius nominis seruitutis.

Propone tibi compedes, vincula, remiges & quidquid arctiori seruitutis iugo nobilem & Ingenuum potest addicere: nihil videbis terrius, nihil strictius, & vno Verbo nihil vere seruilius & abjectius quàm peccatorem suæ libidini seruientem.

Triplex ad Caput malorum quidquid tota seruilis condicio patitur, referri potest: Primò seruus non facit quæ vellet. Secundo, quæ nollet facit & patitur. Tertio, tamdiu & tanta patitur ab eo Domino cui se non à natura sed à fortuna subjectum videt. Hæc sunt sanè dira, sed in peccatore dirissima. Nam primò seruus peccati peccato implicatus non facit bonum quod sæpe à Conscientia monetur facere; & quò erat ante peccatũ Conscientia religiosior, eò pòst stimulus acrior, eò status animi calamitosior cum hinc ad bonum trahitur, inde retrahitur: quo certe cruciatu caret quiuis alius seruus qui licet non omne quod vellet agat, potest tamen si velit semper bene agere, semper Deum diligere, semper pati propter ipsum, quod est bonorum optimum.

Deinde vero seruus peccati quàm longe multa præ aliis quæ nollet patitur! Quanti metus, quanti angores, quanti stimuli, quantæ angustiæ! Vel ab omni generatim peccato, vel particulatim à singulis, à superbia quæ suum vermem habet, ab inuidia, luxuria, gula, ira, pigritia & auaritia quibus singulatim vitiis annexæ sunt suæ pungentes spinæ, suæ mordaces curæ, suæ furiæ subsequentes, quas quiuis alius non sentiet qui peccato non seruiet.

Denique vel vni tantum seruus seruit Domino, vel non vbique; vel non semper, vel solis duntaxat hominibus à quorum statu non multum distare potest cum sit ipse homo. Sed peccator tot seruit Dominis quot vitiis, vbique & semper suæ seruit libidini, vel si non semper, hinc grauius dolet! *O miserabilis seruitus*, inquit sanctus Augustinus, *seruus hominis aliquando Domini duris imperiis fatigatus fugiendo requiescit; seruus peccati quo fugiat? Secum se trahit quocumque fugerit, peccatum enim intus est; voluptas transiit qua delectabat, remansit peccatum quod pungat.* Quinam vero sunt Domini quibus seruit, quàm abjecti, quàm viles, quàm longe ab hominis Christiani dignitate distantes, nempe appetitus naturales, quibus se bestiis similem facit, quibus se Dæmoni subjicit, quibus se infra

se infra ipsum peccatum quo nihil detestabilius, se tamen infra supponit qui peccato seruit, quia Domino seruus est inferior; Poteſtne cœlum intueri parem seruitutem, qua carni Spiritus subjicitur, Ratio concupiscentiæ, Deus mundo, Christus Dæmoni, & momento Æternitas!

Possetne vero tam miserandam homo pati seruitutem nisi quia sic libera & voluntaria est, & hac vna libertate possessus, & velut ebrius mala illa non sentiat, & esse *sub sentibus delicias computet,* Iob. 30. vt est in libro Iob? Sic illos Sapiens sese mutuis acuentes vocibus ad laxandos libertati frænos inducit: *Venite fruamur bonis quæ sunt,* Sap. 2. *& vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter: vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ.*

Hæc & plura quæ habentur *cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum.* Aptè profectò *excæcati* dicuntur quia non vident vincula quibus se implicant, & quod sibi iugum imponunt.

II. PVNCTVM.

SED *inde in seipsa est durior seruitus, quod sit ita libera & voluntaria.*

Nam sic reipsa, coram Deo & in effectu dedecorosa est seruitus, infamis est & damnosa, vt expresse sanctus Gregorius, *quanto aliquis liberius peragit quæ vult, tanto iniquitatis seruitio obnoxiùs obligatur.* 25. Mor. 20. Quod quidem tripliciter intelligi potest. Primo sicut qui miles vel alius subditus vltrò & sponte à suo vero Domino deficeret, & se in seruum & captiuum dederet hostibus; Nonne illa seruitus & captiuitas tantò esset magis injuriosa Domino, & tantò magis damnanda, quanto esset libera & spontanea? Nam si casu fortuito vel iure belli sic captus esset miles, tolerari posset; at cum se vltro dedidit, nulla vrgente necessitate, nullis pressus angustiis sed sola voluptate illicitus vel mera voluntate transeundi ad aliena castra: Tunc manifesta defectio est, tunc mera rebellio, & infame crimen proditionis. Quod quidem tanto est probrosius, quantò est longius dignitatis interuallum inter suum verum Dominum à quo deficit, & alium cui se vltro mancipat.

Sic plane ratiocinandum est de seruitute peccati quæ quantò est liberior & magis voluntaria, tantò est magis odiosa Deo & hominibus, quia sic propriè se peccator à Deo subtrahit, & suo vero Domino sic grauem infert iniuriam, cùm neque aliter peccatum, nec offensa Dei, nec animæ damnum in adultis incurratur quàm per voluntatem seu voluntariam consensionem in
Osee 10. actum qui culpæ & peccati dicitur. *Confundetur Israël in voluntate sua*, Id est, hæc eius confusionis causa quòd seruire peccato voluerit: hoc est quod ipsam propriè seruitutem peccati facit quod confundatur Ratio cum appetitu, quod spiritus carni subdatur, quod infimo cedat supremum; & inde est quod erubescat seruus peccati & rubore confundatur, quia sic voluntate sua confuderit quæ in se Suprema erant & Diuina cum infimis & terrenis.

Secundo sic intelligi potest voluntariam seruitutem esse in seipsa duriorem, quatenus sic omni miseratione prorsus indigna est, & inde multo magis miserior. Nam sicut in aduersis multum consolatur afflictos qui se illorum miseriæ miseratione commotum indicat; sic augetur & duplicatur quodammodo miseria quando miseri nullum miseret. Hoc autem accidit cum miseria est voluntaria; tunc in voluntarium sua retorquetur miseria; cur
Eccles. 12. sic voluerit, cur se miserum fecerit. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis?* Vnde & aliud sequitur damnum, quòd cùm miseratio sit exhibendæ causa misericordiæ, nec non subsidij deferendi; si nulla est miseratio, nulla erit misero misericordia, nullum subsidium deferetur; sicque ad extremam deuoluetur inopiam. O verè duram ac miseram, hoc tali sensu, voluntariam peccati seruitutem!

Rom. 7. Certe quando se infirmitate naturæ captiuum in peccati legem deflet Apostolus, non est dubium quin humanam in se simul & Diuinam excitet miserationem & misericordiam; sed cum vltro peccator, se peccati lege implicat, cum se voluntario peccati actu, peccati legibus reddit obnoxium, quis tum eius ita miseretur qui nec ipse suam nosse velit miseriam, nec alienam imploret misericordiam, imo tum se beatum & fœlicem prædicet?
Iudith 8. *Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Sic præclare Iudith suis Bethulitis qui se ac ciuitatem hostibus dedere præfestinabant.

Tertio denique, quò magis est voluntaria peccati seruitus, eo

magis est firma, magis robusta, magis diuturna; nam illa voluntaria summissione sic fouetur & sustentatur seruitus, vt vix post vnquam possit deponi. Quod certe quam sit durum & per se patet, & in se nimis expertum fuse deplorat sanctus Augustinus: *Suspirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa, facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obstrictum dura seruitus. Voluntas autem noua quæ mihi esse cæperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua, illa carnalis, ista spiritalis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo experimento id quod legeram, quomodo caro concupisceret aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem. Ego quidem in vtroque sed magis ego in eo quod in me approbabam, quam in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis iam non ego quia ex magna parte id patiebar inuitus quod faciebam volens. Sed tamen consuetudo aduersus me pugnatior ex me facta erat. QVONIAM VOLENS QVO NOLLENS PERVENERAM.* L. 8. Conf. c. 5.

Videsne seruitutis duritiem? Videsne causam à voluntate profectam?

III. PVNCTVM.

VNDE *est igitur in seruo peccati seruitus suauior, inde est durior.* Nempe à libera voluntate qua fit vt quidquid volumus licet in se amarum & durum sit, nobis tamen dulcescat & suaue fiat; Sed tantum abest vt sic desinat in se amara & dura esse peccati seruitus, quin hoc ipso potius quò sic libere & voluntarie se illi peccator addicit, magis amara fiat, & magis dura seruitus; quia strictius suum sibi seruum ligat, & ligatum torquet crudelius: nam si postea se hac seruitute peccator eximere voluerit, mirum quantum ex seipso crucietur. Tunc enim volet & nolet, tunc placebit peccatum & displicebit; tunc ita fiet amara iucunditas, vt quia iucunditas est, semper ametur: quia verò

amara est sic semper amari doleat. Qua sibi oppositi & contradicentis animi repugnantiâ quid amarius, quid crudelius?

Hinc Sapiens factus etiam seipso Sapientior, & factus Ecclesiastes siue Concionator, qui suo nos erudiret exemplo, postquam se mancipium fecit voluptatis, & in voluntariam mulierum seruitutem se nimis abjectè constrinxit, quàm amarum id senserit quod suaue prius ducebat, sic præclare docet: *Lustraui vniuersa animo meo vt scirem & considerarem, & quærerem Sapientiam & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium: & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est capietur ab illa.* Eccle. 7.

Poteratne dici aptius aliquid non modo ad propositæ Veritatis intelligentiam, sed quod est Caput, ad accuratam eius Praxim? Sic enim non modo cauendum discimus peccatum quodlibet, ne in hanc miseram deuoluamur seruitutem, sed quo id modo caueamus edocemur, nempe sicut laqueos, sicut decipulam, sicut fallaciam, sicut paratos dolos.

Ecclesi. 9. Sic sanctus egregiè Chrysostomus: *Etenim multa nobis munitione opus est: quia multæ sunt vndique insidiæ, sicut ipse Salomon rursum sic admonens dicebat: Agnosce quòd in medio laqueorum transis, & super propugnacula vrbium ambulas. Papæ! quot bonorum plenum est hoc verbum, nec minus quàm superius. Ipsum igitur in mente quisque nostra scribamus, & semper in memoria circumferamus, & non peccabimus facilè. Inscribamus prius ipsum cum omni diligentia discentes. Non enim dixit: Aspice quòd in medio laqueorum pertransis, sed, agnosce. Et quare dixit, agnosce? Obumbratus est, inquit, laqueus: hoc enim laqueus est quando non apertè mors apparet, neque manifesta clades, sed vndique obtecta adiacet: propterea dixit, agnosce. Multa tibi opus est consideratione, & diligenti scrutatione. Sicut enim pueri terra laqueos, sic Diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit.* Et post multa quæ particulatim prosequitur, in quibus sub illecebra lucri vel voluptatis cauendum est peccatum & peccati damnum, sic pergit. *Quam igitur veniam habebimus, quam verò defensionem, cum brutis simus dementiores? Auicula namque semel capta laqueo, mox elapsa, & ceruus in rete decidens & effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur: nam cuique fit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti, in eadem cadimus: neque brutorum prouidentiam & solicitudinem nos ratione de-*

corati imitamur. Sæpius quippe mulierem conspicati, innumera passi sumus grauia, domum concepta reuersi cupiditate, & multis dolore diebus confecti: veruntamen non corrigimur, sed vix priore curato vulnere, rursus in eadem labimur, & ab iisdem expugnamur, & propter breuem visus voluptatem, diuturnum quendam & continuum dolorem sustinemus. Sed si continuè nobis hoc repetere dictum didicerimus, omnibus malis abstinebimus. Laqueus maximus mulieris forma: imò verò non mulieris forma, sed lasciuus aspectus. Non enim res calumniemur: sed nos, & nostrum torporem. Neque dicamus, ne sint mulieres: sed, ne sint adulteria: neque dicamus, ne sit pulchritudo, sed, ne sit fornicatio, neque dicamus, ne sit venter: sed, non sit crapula: non enim venter crapulam facit, sed negligentia nostra.

Vide Paulinam ad Galatas c. 4. & 5. Vbi fusè de seruitute legis Mosaicæ non ferenda, multóque minus de seruitute peccati. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Nec omittendus Diuus Gregorius qui totum opportune discursum his concludet Verbis: *Omnis qui peccat seruus est peccati, quia nimirum si quis se prauo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum, libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus cùm iniquitati quæ nos ceperat, reluctamur, cum consuetudini violenter resistimus, & desideria peruersa calcantes, contra hanc, ius nobis libertatis ingenitæ vendicamus.* Gal. 5. L. 4. mor. c. 3.

Videri etiam debet in 2. parte, Sabbatum sanctum, vbi hæc declaratur Veritas:

Nemo liberior quam qui minus est liber.

Et in hac 4. parte, Feria 4. & 5. Hebdomadæ 24.

SABBATO.

DE CHRISTO A NOBIS ETIAM MAGIS INHONORATO QVAM HONORATO.

Et vos inhonorastis me! Ioan. 8.

amara est sic semper amari doleat. Qua sibi oppositi & contradicentis animi repugnantiâ quid amarius, quid crudelius?

Hinc Sapiens factus etiam seipso Sapientior, & factus Ecclesiastes siue Concionator, qui suo nos erudiret exemplo, postquam se mancipium fecit voluptatis, & in voluntariam mulierum seruitutem se nimis abjectè constrinxit, quàm amarum id senserit

Eccle. 7. quod suaue prius ducebat, sic præclare docet: *Lustraui vniuersa animo meo vt scirem & considerarem, & quærerem Sapientiam & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium: & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est capietur ab illa.*

Poteratne dici aptius aliquid non modo ad propositæ Veritatis intelligentiam, sed quod est Caput, ad accuratam eius Praxim? Sic enim non modo cauendum discimus peccatum quodlibet, ne in hanc miseram deuoluamur seruitutem, sed quo id modo caueamus edocemur, nempe sicut laqueos, sicut decipulam, sicut fallaciam, sicut paratos dolos.

Ecclesi. 9. Sic sanctus egregiè Chrysostomus: *Etenim multa nobis munitione opus est: quia multæ sunt vndique insidiæ, sicut ipse Salomon rursum sic admonens dicebat: Agnosce quòd in medio laqueorum transis, & super propugnaculis vrbium ambulas. Papæ! quot bonorum plenum est hoc verbum, nec minus quàm superius. Ipsum igitur in mente quisque nostra scribamus, & semper in memoria circumferamus, & non peccabimus facilè. Inscribamus prius ipsum cum omni diligentia discentes. Non enim dixit: Aspice quòd in medio laqueorum pertransis, sed, agnosce. Et quare dixit, agnosce? Obumbratus est, inquit, laqueus: hoc enim laqueus est quando non apertè mors apparet, neque manifesta clades, sed vndique obtecta adiacet: propterea dixit, agnosce. Multa tibi opus est consideratione, & diligenti scrutatione. Sicut enim pueri terra laqueos, sic Diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit.* Et post multa quæ particulatim prosequitur, in quibus sub illecebra lucri vel voluptatis cauendum est peccatum & peccati damnum, sic pergit. *Quam igitur veniam habebimus, quam verò defensionem, cum brutis simus dementiores? Auicula namque semel capta laqueo, mox elapsa, & ceruus in rete decidens & effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur: nam cuique fit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti, in eadem cadimus: neque brutorum prouidentiam & solicitudinem nos ratione de-*

corati imitamur. Sæpius quippe mulierem conspicati, innumera passi sumus grauia, domum concepta reuersi cupiditate, & multis dolore diebus confecti: veruntamen non corrigimur, sed vix priore curato vulnere, rursus in eadem labimur, & ab iisdem expugnamur, & propter breuem visus voluptatem diuturnum quendam & continuum dolorem sustinemus. Sed si continuè nobis hoc repetere dictum didicerimus, omnibus malis abstinebimus. Laqueus maximus mulieris forma: imò verò non mulieris forma, sed lasciuius aspectus. Non enim res calumniemur: sed nos, & nostrum torporem. Neque dicamus, ne sint mulieres: sed, ne sint adulteria: neque dicamus, ne sit pulchritudo, sed, ne sit fornicatio, neque dicamus, ne sit venter: sed, non sit crapula: non enim venter crapulam facit, sed negligentia nostra.

Vide Paulinam ad Galatas c. 4. & 5. Vbi fuse de seruitute legis Mosaicæ non ferenda, multóque minus de seruitute peccati. *State* Gal. 5. *& nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Nec omittendus Diuus Gregorius qui totum opportune discursum his concludet Verbis: *Omnis qui peccat seruus est peccati, quia nimirum si quis se prauo desiderio* L. 4. mor. c. 3. *subjicit, iniquitatis dominio dudum, libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus cùm iniquitati quæ nos ceperat, reluctamur, cum consuetudini violenter resistimus, & desideria peruersa calcantes, contra hanc, ius nobis libertatis ingenitæ vendicamus.*

Videri etiam debet in 2. parte, Sabbatum sanctum, vbi hæc declaratur Veritas:

Nemo liberior quam qui minus est liber.

Et in hac 4. parte, Feria 4. & 5. Hebdomadæ 24.

SABBATO.

DE CHRISTO A NOBIS ETIAM MAGIS INHONORATO QVAM HONORATO.

***Et vos inhonorastis me!* Ioan. 8.**

VERITAS PRACTICA.

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes comparentur, plus nostris vitiis inhonoratur Dominus, quàm nostris virtutibus honoretur.

RATIO hæc est inter alias, quod nostra vitia sint magis mera vitia quàm sint nostræ meræ virtutes.

Sed meris vitiis magis inhonoratur Dominus, quàm his honoretur virtutibus quæ non sunt meræ virtutes.

Ergo & certa Veritas, & ad fugam vitiorum, ac virtutum praxim peropportuna.

I. PVNCTVM.

QVOD se facturos impij contra Iustum in libro Sapientiæ iactitabant: *Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius:* hoc in Euangelico apparet textu, Iudæos contra Dominum cumulatè præstitisse. Quid enim grauius ad contumeliam & tormentum quam quod illi audent oblatrare: *Nonne benedicimus nos quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* Quid vero mitius quam quod respondet Dominus: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.* Quam Christi patientiam & mansuetudinem sic apte declarat sanctus Chrysostomus: *Vbi oportebat Dominum eos docere, & contra eorum superbiam inuehi, asper erat: vbi vero exprobrantes sufferre, multa mansuetudine vtebatur, vt scilicet disceremus quæ ad Deum pertinent vindicare: quæ vero ad nos, despicere.* Sic & sanctus Gregorius; *Ecce iniuriam suscipiens Deus, non contumeliosa verba respondet: cùm à proximis contumeliam accipis, etiam eorum vera mala tacere debes, ne ministerium iustæ correptionis in arma vertatur furoris.* Quasi diceret, caue iram dum arguis proximum, ne sit ira tua grauius malum, quam bonum esset tunc peccantem arguere, neue plus tuo Christum inhonores vitio, quam virtute honores. Sic enim est, nisi diligenter aduertamus, non solum quando zelus in iram transit, sed vniuersim, *Si cum vitiis nostris*

Sap. 2.

nostræ virtutes comparentur, plus nostris vitiis inhonoratur Dominus quàm virtutibus honoretur: Quod sane est non leuiter expendendum. Et cum multis posset demonstrari rationibus, tum hæc videtur commodior, quod si diligenter nostra discutiamus opera, siue quæ mala sunt, siue quæ dicuntur bona, reperiemus vere dictum à sancto quodam viro, *Nostra bona, nec esse mere nostra, nec mere bona; Nostra autem mala, & mere esse nostra & mere mala.*

De primo quidem patet ex fide, quantum ad illam partem qua nostra dicuntur bona, non esse mere nostra, nam plus gratiæ debentur sine qua nihil quidquam possumus, quam nostræ cuiusquam operæ. *Non enim sufficientes sumus ex nobis tanquam ex nobis aliquid cogitare, sed nostra sufficientia ex Deo est;* Vnde cum Propheta debemus omnes id profiteri, *omnia opera nostra operatus es nobis, Domine Deus noster.* 2. Cor. 3. Is. 26.

Quoad alteram vero partem, quod non sint mere bona propter imperfectam quam adhibemus operam, sic compertum hoc habuit & testatum reliquit Diuus Hieronymus, vt sæpe dixerit, *quod maxima & tota nostra perfectio sit imperfectionis nostræ cognitio.* Vide in 3. parte, Dominica 7. vbi hæc habetur Veritas:

Qua ratione fit vt plures dici possint malæ quam bonæ arbores, eadem prorsus fiet, ni caueas, vt mala potius quam bona sis arbor.

Hæc autem ratio est quod idcirco plures dici possint malæ quam bonæ arbores quia cum bonum fit ex integra causa, malum autem ex quouis defectu, facilius est in opere reperiri defectum quàm integram causam. Neque enim solum si desit aliqua ex quatuor quæ ibi recensentur causæ necessariæ ad bonum aliquod opus, bonum esse opus desinet, sed tametsi omnes adessent causæ, cum & ipsæ suos habere possint nœuos, tot erunt in opere bono defectus, quot erunt in sua integritate Boni, deficientes causæ; quod quàm sit multis commune satis hæc probant Scripturæ Verba, *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum,* id est, tam pauci sunt vt vix vnus coram Deo censeatur: quod & alibi, stupendo refertur dicendi modo: *Et facti sumus,* inquit Isaias, *vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ Iustitiæ nostræ: & cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Id est, quasi nihil boni nobis restaret, quocum possemus præsentari Deo. Ps. 52. Is. 64.

Apoc. 3. Nonne hoc ipsum est quod vni ex illis Angelicis viris dicitur; *Scio opera tua quia nomen habes quod viuas & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant: Non enim inueni opera tua plena coram Deo, meo.* Pauenda sane verba.

Iam vero secus plane habet de nostris vitiis quæ mere nostra sunt & merè vitia. Nam primo quantumcumque nos ad illa Dæmon impellat, & quæcumque nobis à mundo proponantur illecebræ, sola nostra culpa est, solum est nostrum vitium. Quod sic egregiè sanctus Augustinus de peccatore culpam à se in aliud transferente: *Ad manum*, inquit, *Satanam habet quem accuset. Satanas fecit, dicis, ipse mihi persuasit, quasi Satanas habeat potestatem cogendi. Astutiam suadendi habet: Sed si Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes vnde te excusares: modo aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum & suggerentem serpentem: quare huc flectuntur, hinc auertuntur? Non cessat Satanas suadere malum, sed nec Deus cessat suadere bonum. Satanas autem non cogit inuitum:* IN TVA POTESTATE EST CONSENTIRE, AVT NON CONSENTIRE. Tum paucis interiectis: *Deinde multi non accusant Satanam, sed accusant fatum. Fatum meum me duxit, dicit. Quæris ab illo quid sit fatum, & dicit, stella mala. Quæris ab illo quis fecit stellas, quis ordinauit stellas? Non habet quid tibi respondeat nisi Deus. Restat ergo vt siue per transennam, siue per cannam longam, siue per proximum, Deum accuset: & cùm Deus puniat peccata, Deum facit autherem peccatorum suorum. Non potest enim fieri vt puniat quod fecit. Punit quod facis vt liberet quod fecit. Aliquando autem missis omnibus omnino directè eunt in Deum, & quando peccant, dicunt, Deus hoc voluit: & si nollet Deus, non peccarem. Ergone ad hoc monet Deus, vt non audiatur vt non pecces, sed accusetur quia peccas?*

In Ps. 91.

Hæc ad verbum sanctus ille Doctor qui & aliud quod hîc restat explanandum, nempe vitia nostra merè esse vitia, sic paucis quidem sed aptis exponit verbis dum quæ à Psalte Regio dicuntur *incensa igni & effossa quæ à facie Dei peribunt*, ait esse peccata, quæ sicut omnino pereunt à facie Dei, nihilque prorsus ex illis restat quod non succendatur vel effodiatur, sic aliud in illis plane non est quam merum malum, nam si quid aliud esset non periret sed seruaretur, at vero tota pereunt: *Succensa*, inquit, *igni sunt quæ facit male ardens cupiditas, & effosa sunt quæ facit male iacens timiditas. Hinc enim peccata omnia aut cupiendo, aut timendo.* Quasi diceret, sicut inde peccata sunt omnia, quod quis vel male cupiat vel male timeat,

Ps. 79. In Ps. 38.

meat, ita cum quis male cupit aut timet, omne id peccatum est, & merum vitium; licet res in se quam cupit non sit mala, licet non malo, vel etiam bono fine quid cupiat, si quid tamen inordinate, si diuitias si honorẽ si voluptates ardentius cupiat, cupiditas ista vitiũ est, & merum vitium quod nihil boni contrahit ex quouis adjuncto bono, cum vt supra dictum est, nil sit bonum nisi ex integra causa, malum vero ex quouis defectu, nec si fiant mala vt bona
1 eueniant, mala vmquam esse desinent, vt habetur expresse declaratum in 1. parte, Die 2. Ianuarij.

II. PVNCTVM.

SED meris vitiis magis inhonoratur Dominus, quàm his honoretur virtutibus quæ non sunt meræ virtutes.

Nam quod dicitur *simpliciter* fieri, magis dicitur fieri quam quod vocant, *secundum quid.* Simpliciter enim fieri perinde est ac totaliter, omnino, & ex toto fieri: Secundum quid vera, quod ex aliquali tantum parte fit: vnde quantum à parte totum differt, seu quanto est majus totum sua parte, tanto magis dicitur fieri quod fit simpliciter & ex toto, quam quod secundum quid & ex parte: ac propterea in Scripturis idem est ex simplici vel ex toto aliquid corde fieri.

Sic autem meris vitiis inhonoratur Dominus vt simpliciter & omnino illis inhonoretur, nec sit quidquam in vitio quo non inhonoretur, cum alioquin non esset merum vitium, si quid in illo esset quo coleretur Dominus; aut dicendum esset esse aliquid in vitio quod placeret Deo, qua quid scelestius blasphemia cogitetur? *Nam similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius,* vt ait Sapiens. Sap. 14.

Quæcumque porro virtutes, quæ meræ non sunt virtutes, honorem Domino deferre videantur; aut nullus reuera est ille honor, aut ex parte tantum est, sicut ipsæ virtutes, ex parte tantum sunt & non totæ Virtutes. Cum enim non sint meræ seu puræ Virtutes, profecto simul cum illis oportet aliquid aliud esse permixtum quod non sit virtus sed vitium, sicut si aurum vel argentum non esset purum, quod alio infuscaretur metallo, sic plane non est pura humilitas, quia nonnihil habet superbiæ: non est mera mansuetudo, quia nonnullas simul habet inordinatas commotiones

animi. Non est simplex Charitas, quia quærit quæ sua sunt, & sic de cæteris: Vnde illud aperte patet quod qua parte virtutes à perfecta virtute deficiunt in oppositum sibi vitium, eadem prorsus deficiunt ab honorando Domino, qui tanto minus à virtute honoratur, quanto minus est mera virtus, & quanto magis habet oppositi vitij.
2. Cor. 6. *Quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? propter quod separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Nonne olim propterea cùm quid offerendum Deo esset, tam singulariter commendabatur, nihil vt vlla esset parte mancum, vel mutilum vel maculatum vel non integrum, vt nihil potius offerendum esset, quam non esset sanum & integrum quod offerretur?
Leuit. 22. *Si maculam,* inquit, *habuerit non offeretis, neque erit acceptabile. Homo qui obtulerit victimam; immaculatum offeret vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.*

O quàm vere dictum à Propheta de bonis non tantum temporalibus, sed multo magis de spiritualibus:
Ier. 5. *Iniquitates vestræ declinauerunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Quid enim nobis melius quàm si à nobis Dominus virtute coleretur? Quid autem hoc bonum impedit quàm vitia quæ se virtutibus inserunt?

III. PVNCTVM.

Si cum nostris igitur vitiis nostræ virtutes comparentur, plus nostris vitiis inhonoratur Dominus, quàm nostris virtutibus honoretur. Quia quod Dominum inhonorat, merum est vitium, merum est malum, merum est dedecus: Quod autem illum honorat, non est mera virtus. Non est honoris sincera species, non est quam puram & simplicem vocamus obseruantiam.
1. Reg. 2. *Magis honorasti filios tuos quam me!*

Honorabat certe Dominum multis virtutibus Heli Sacerdos cui sic Dominus loquitur, sed quia naturali quodam vitio nimis indulgebat suis filiis, tanto minus honorare Dominum dicitur quanto magis colebat filios, quin & suo illo vitio magis inhonorabat Deum quàm suis Illum virtutibus honoraret; nam in consequenti sermonis textu non modo se Deus minus honoratum conqueritur, sed & contemptum asserit dicens: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Quæ quidem omnia plurimum confirmantur hoc vulgari dis-

cursu: Quando de honore reddito vel negato agitur, seu quod idem est, quando de grauitate vel leuitate iniuriæ circa honorem illatæ quæstio proponitur, spectanda est maxime ratio seu condicioPersonarum quæ reddunt aut recipiunt honorem vel iniuriam. Quanta est enim vnius ab altera personæ distantia, tantum esse honoris vel iniuriæ reputatur incrementum vel decrementum; opposito tamen in vtrisque modo. Nam quanto est inferior persona quæ alteri defert honorem, tanto inde magis decrescit honor; cùm è contra tanto magis crescat iniuria, quanto est persona inferior quæ iniuriam infert: nec certe liceret seruo suum iisdem verbis compellare Dominum quibus Domino suum licet vrgere seruum; aut profectò non esset par vtrimque iniuria.

Quibus ita propositis, sicut nemo nescit quanta sit inter Deum & hominem distantia, sic plane omnibus patet quantum hinc decrescat honor qui à nobis tanto interuallo inferioribus per virtutes exhibetur Deo tam potenti, tam excelso, tam glorioso: Contrà vero quantum inde crescat quæ à nostris iniuria vitiis tantæ infertur Majestati: Vnde licet ex æquo cum meris nostris vitiis meræ nostræ virtutes essent, tamen ex longo illo quod interest inter Creatorem & creaturam interuallo, numquam posset nostra virtus tantum honoris afferre Deo, quantum nostris auferretur vitiis: Quantò id ergo verius, & quanto id magis deplorandum cùm Virtutes nostræ non sint ita virtutes, neque ita nostræ, sicut nostra sunt & mera vitia?

Quid, quod probatissimi docent Authores tantam esse vel vnius peccati lethiferi malignitatem, vt in Lance diuini Iudicij posita præponderet omnibus omnino virtutum actibus, ac quibusuis Sanctorum omnium bonis operibus, propter allatam scilicet rationem, quod quidquid pura possit in honorem Dei creatura præstare, non tanti possit fieri, quanti quod contra eius honorem ipsa peccet creatura. *Quid enim mirum*, inquiunt, *si creatura Creatorem colat? sed quod ipsum offendat; hoc est quod ipsi obstupescant cæli!* Numquid & seruo suo Princeps multum debebit si ab illo colatur? at si forte contemnatur, & ab illo præsertim quem singularibus sibi demereri volebat beneficiis, potestne quidquam accidere Principi grauius? *Ier. 2.*

Sic Lessius, sic Salianus citatis locis & alij quorum sententia sic nostram corroborat Veritatem, vt si tamen eorum deesset senten *Less. de perf. diu. l. 13. n. 26.*

Sal. tr. de tim. Dei l. 2. c. 10. tia, non desineret nostra Veritas, quæ non tantum ex varia qualitate personarum comprobatur, sed multo magis ex disparitate virtutum cum vitiis, vnde illud ad profectum accedat facilius vt qui humanam nostram naturam non possumus nec debemus cum diuina coæquare, de nostris potius adaugendis virtutibus, & diminuendis vitiis cogitemus, vt si forte virtutes non superent vitia, ne à vitiis saltem superentur, neque nobis vmquam possit obijci quod quam mera sunt nostra vitia non sint tam meræ nobis virtutes. *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ:*
1. Cor. 5. *sed in azymis sinceritatis & Veritatis.*



DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

DE FILIO CVIVSDAM REGVLI SANATO A CHRISTO DOMINO.

Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan. 4.

VERITAS PRACTICA.

Potentes potenter tormenta patientur: & Fortioribus fortior instat cruciatio. *Sap. 6.*

RATIO *quæ de præsenti etiam vita Veritatem probat, hæc est quod illis fortior instet cruciatio qui minùs parati sunt ad illam subeundam.*

Sed Fortiores prout hîc intelliguntur, minus parati sunt ad cruciationem sebeundam.

Ergo & fortioribus fortior instat cruciatio: quibus propterea diligentius prospiciendum est.

I. PVNCTVM.



QVALISNAM certò hic esset Regulus cuius filius infirmabatur, non constat apud Authores: quia vox illa *Regulus* variis sumitur significatis. Primo enim dici posset Virum fuisse nobilem qui potentia, diuitiis, magnificentia, vel quibusuis nobilitatis insignibus se præstantem redderet & eximium. Nam Græci tales vocant regios seu regales & regulos, id est, insignes & illustres.

Secundo non est minus probabile quod alij volunt sic dictum Regulum quasi regium, seu quasi aulicum & palatinum, quod de familia esset Herodis Regis Galilææ.

Tertio denique quod plures sentiunt, Regulus idem est ac Dynasta seu serenus Princeps ac supremus Dominus cuiusdam oppidi circa partes illas Galilææ, vbi tùm erat Dominus.

Quidquid sit, non est dubium quin aliquo nobilitatis & potentiæ nomine, suos inter, illustrius emineret. At numquid propterea præsentis vitæ molestiis careat? Ingredere domum eius, intuere iacentem in lecto filium, maligna febri correptum, lethalique iam tabo fatiscentem. Vide vt nihil artis medicæ prosit infirmo. Circumspice quaquauersùm vt domi perstrepunt omnia, quo mœrore Pater, quibus Mater lamentis sese conflictent, qui cæteros teneat pauor domesticos! Estne hoc carere molestiis, an abundare? Non est, non est mundi potentia, mundi malis exempta, sed potius, *Qui potentes in eo sunt potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio*, Quæ sunt Verba Sapientis seu Diuinæ ipsius Sapientiæ, cuius est illa insignis quæ sexto Sapientiæ capite legitur admonitio ad quosuis mundi Regulos, Principes, Magistratus & Iudices: *Horrende, inquit, & cito apparebit vobis, quoniam Iudicium durissimum his qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia: POTENTES AVTEM POTENTER TORMENTA PATIENTVR. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. FORTIORIBVS AVTEM FORTIOR INSTAT CRVCIATIO.* Quæ quidem non in futuram duntaxat denuntiantur vitam, sed

de præſenti etiam hęc Veritas ſic intelligenda eſt, vt verè de noſtro Regulo, vel de quouis alio mundano Nobili dicas, plus illum cruciari quando cruciatur, quam alium minoris notæ hominem quem ſimili contigerit pœna torqueri.

Ratio eſt inter alias à præparatione animi quæ quantò minor eſt ad quæuis aduerſa toleranda, tanto illa minus tolerantur, tanto illa magis animum cruciant, tanto cruciatus acerbior, & diuturnior. *Das in te vires rebus aduerſis*, inquit Seneca, *quas infregit quiſquis prior vidit.* Nam quod eſt valde notandum, tota difficultas in aduerſis, non eſt ita in rebus oppoſitis & aduerſis, ſicut in animi repugnantia cum ipſis rebus, quod vel ex eo manifeſtè patet quòd ſæpe difficiliora patiamur libentius, quia non ita cum illis naturaliter repugnat animus, ſicut cum aliis: vnde illud ad rem noſtram efficitur, vt quanto quis minorem ad quælibet aduerſa repugnantiam ſentiet, tanto illa facilius tolerabit. Facit autem præuiſio & præparatio animi, vt quidquid contra ſentitur repugnans, mitigetur & peruincatur; quodque alij diu patiendo leue faciunt, Vir conſideratus ſibi læuiget diu cogitando. Sic aptè ſanctus Gregorius: *Malum quod conſilio præuenitur, decertanti contra ſe animo ex ratione ſubjicitur, quia tanto quiſque minus aduerſitate vincitur, quanto contra illam præſciendo paratus inuenitur. Sæpe enim graue timoris pondus vſu læuigatur, ſæpe mors ipſa ſicut inopinata perturbat, ita deliberatione præuenta lætificat.* L. 31. Mor. c. 16.

Quæ & multò plura referuntur in 2. parte, Feria 6. Sexageſimæ: & Feria 4. Hebdom. 2. in Quadrageſima, vbi hæ proponuntur Veritates:

Quantum obeſt aduerſitas improuiſa, tantum præuiſa prodeſt.

Qui ſupra mortem eſt, infra ſe videt omnia.

II. PVNCTVM.

SED *Fortiores prout hic intelliguntur, minus parati ſunt ad ſubeunda quæuis aduerſa.*

Hîc enim intelliguntur potentiores ad ſuas, iure vel injuria, cupiditates explendas, quorum cogitatio tam aliena eſt ab aduerſis præuidendis, quam ipſa illis aduerſa ſunt odioſa.

Primo quidem cùm abundent domi bonis, & foris gratia valeant apud omnes, nihil oppositi cogitant sibi euenturum. *Quasi nihil posset facere Omnipotens æstimabant eum: cum ille impleßet domus eorum bonis.* Sic de illis in libro Iob. Iob 22.

Deinde, cum natiuas suas voluptates nulla velint temperare mœstitia, nullo miscere metu, nullis turbare angoribus, hinc fit vt ne ipsum quidem aduersitatis nomen ferre possint: & si quis apud ipsos de Diuinis verba flagellis faciat, statim cum Achabo dicent, *Odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* 3 Reg. 22.

Denique, cum vix vmquam sibi vacent, vixque aliis quàm caducis & temporalibus occupentur negotiis, quandonam se aduersis præpararent? Longe alia voluunt animo sibi suisque consilia, tantumque abest vt de aduersis cogitent, quin solis potius intendant prosperis, nouasque in singulos dies sese vlterius promouendi excogitent vias. *Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.* Sic miser Aman sibi lætiora promittebat, cum instarent tristiora. Sic vniuersim fortiores illi *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, Id est, incogitantes, imparati, qua minus hora putant, tunc pereunt: quia numquam se perituros putant. Esther 5. Iob 21.

III. PVNCTVM.

FORTIORIBVS *igitur fortior instat cruciatio*; Non in futuram tantummodo sed in præsentem quoque vitam, quæ cùm variis consignata sit crucibus, nulli hominum duriores obtingunt cruces quam quibus improuisæ contingunt; nullis autem magis improuisæ obueniunt, quàm fortioribus illis quibus inuisæ sunt. *Quos sæpe dicebam vobis*, inquit Apostolus, *nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt*: Quasi diceret, sic totum effundunt animum ad illa quæ dicuntur mundi bona, vt si quæ opposita contingant mala, nihil illis supersit quàm vt confundantur & doleant, atque illo dolore velut æstu quodam abrepti misere langueant, solumque illud suis in miseriis habeant vt quo se beatiores esse cogitabant, eò se miseriores sentiant: tum quia durius est ab vno extremo in aliud derepente labi, tum quia Phil. 4.

quidquid

quidquid amaueris tanto acerbius relinquitur quanto id suauius amaueris; illi autem sua suosque sic efflictim sic effuse suauiterque prosequuntur, ac si Numen ipsum esset, ac si Deus ipsorum esset voluptas, diuitiæ, gloria, coniux, filij, quibus sublatis vel læsis, sibi perdita queruntur omnia, nec magis acquiescunt se contra commonentibus, quàm sui Michas idoli Raptoribus, cuius hæc verba sunt, *Deos meos quos mihi feci, tulistis, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi est?* Iud. 18.

Diceres esse serpentem illum quem vocant Regulum seu basiliscum qui nisi ante præuisus sit, tam pestilens virus afflat, vt obuios quosque suo necet obtutu. Sic plane mundi aduersa non præuisa, mundanum quemque tangunt, penetrant, & interimunt, quo sensu dicitur in libro Iob, *panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* O præclarè dictum! sicut enim deuorare diuitias & delicias nihil aliud est quam illas auide atque intrepide consectari; sic prorsus eas euomere aut à se vi extractas projicere, hoc ipsum est quod dicebatur, quanta fuerit rerum possessarum cupiditas, tanta fiet amissarum cruciatio; Vnde in textu Iobi sequitur, *Iuxta multitudinem adinuentionum suarum sic & sustinebit:* Quasi nihil aliud fortiores illi, suis illis conquisitis bonis agerent quam vt mala sibi conquirerent, iam vt illorum cuique decernatur quod scriptum est: *quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Iob 20. Apoc. 18.

Itane verò magis gaudeas vt magis doleas! O quam sapientius & fœlicius mihi contingat si gaudebo minus & minus dolebo. Neque enim ad eam quæ possideri potest in hac vita fœlicitatem tanti vnquam æstimari debet, abundare gaudiis simul & doloribus, quanti carere doloribus nec abundare gaudiis. *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.* Ps 36.

Vide in 2. parte Dominica 2. Quadragesimæ, vbi hæc Veritas exponitur:

In die bona nisi memores mala, non erit dies bona.
Et in die mala si memores bona, non erit dies mala.

Hic cùm audiſſet quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæã, abiit ad Eum, & rogabat Eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius, Incipiebat enim mori.

DE CVRA PATRVM CIRCA FILIORVM SALVTEM.

VERITAS PRACTICA.

Qui non magis ſalutem filij quam ſanitatem amat, non amat filium.

RATIO EST, Quia non amat filium qui non amat ordinatè.
Sed qui non magis ſalutem filij quam ſanitatem amat, non amat ordinatè.
Ergo nec amat filium. Quod tamen Pareus non crederet.

I. PVNCTVM.

FOELICITER huic Patri contigit quod ſalutem filij ſimul ac ſanitatem à Christo Domino retulerit; Multi ſunt enim Patres qui de ſalute filiorum parum ſoliciti, vnam eorum proſperam ſanitatem vel fortunam ampliſſimam curant. *Ac illi filios dum ſic amant, non amant.*

Non enim amat filium qui non amat ordinatè. Nam inordinatus amor non eſt amor, ſed amoris peruerſio. Sentitur quidem & videtur eſſe amor quantumcumque ſit inordinatus, imo quo magis eſt inordinatus, plerumque major eſſe ſentitur, ſed amor ille vitium eſt, malum eſt, probrum eſt, quo qui amat male amat, peruerſe amat: qui ſic autem male & peruerſe filium amat, non illum amat, quia vt præclarè ſanctus Auguſtinus, *Amor ipſe ordinate amandus eſt quo benè amatur quod amandum eſt, vt ſit in nobis virtus qua viuitur benè. Vnde mihi videtur quod definitio breuis & veræ virtutis, ordo eſt amoris, propter quod in cantico canticorum cantat Sponſa Chriſti, ordinauit in me Charitatem.* Quaſi diceret, qui tollit ordi-

l. 15. de Ciuit. c. 22.

nem Charitatis, siue amoris, tollit omnem virtutem; qui vero tollit virtutem, tollit id quo bene viuitur, hoc autem sublato quid restat quàm male viuere, quàm male agere, quàm male esse? Itane vero viuere, amare est?

Sanctus vero Thomas qui expressam de ordine Charitatis quæstionem proponit, sic illum ita demonstrat esse necessarium vt non sit Charitas, nisi sit ordo. *Nam vbi est prius & posterius, ibi esse debet ordo, cum alioquin esset confusio: Vbi autem est principium aliquod, vnde alia pendent & quò referri debent, ibi est prius & posterius. Iam verò Charitatis principium quoddam est quo eius omnes actus referri debent, nempe Deus qui primo super omnia & propter se est diligendus, tum alia quæuis propter ipsum, & quatenus participant rationem eius dilectionis, seu quatenus referuntur ad ipsum, in qua relatione idcirco fundatur ordo quia id alio prius est diligendum quod magis accedit ad Deum, quod in Deo magis reperitur, vel in quo Deus magis consideratur.* 2. 2. q. 26. a. 1.

O vere viam Charitatis excellentem quando sic ordinatè procedit Charitas! Sicut ordinata Charitate nihil excellentius, ita nihil deterius inordinata. 1. Cor. 13.

II. PVNCTVM.

SED *qui non magis salutem filij quam sanitatem amat, non amat ordinatè.*

Nam ex præcedenti discursu, tunc ordinatè amatur quando quod prius est amatur magis quam quod posterius, vnde à contrario, non ordinate amatur quando quod est posterius magis diligitur quam quod est prius. Quis autem non videat salutem animæ prius aliquid esse coram Deo seu facta relatione ad Deum & ad finem supernaturalem, quàm sit sanitas corporis quæ hanc duntaxat spectat vitam? *Nonne anima plusquam esca*, seu plusquam vita temporalis? *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* An si Pater suam ipse magis diligeret sanitatem quàm salutem animæ, se ordinate diligeret? An seruaret quod iubet Sapiens: *In mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum?* Nonne ille peccaret in animam suam? Nonne ille suam exhonoraret animam? Nonne ille esset in quem sic consequenter idem inuehitur Sapiens: *Peccantem in animam suam quis iustificabit? quis honorificabit exhonorantem animam suam?* At Matth. 6. Eccles. 10. Ibid.

vero si se Pater sic deberet diligere, vt diligeret ordinate: nonne sic ex consequenti filium? Aut si filium non ita diligit, quomodo dicetur illum ordinate diligere cùm se ordinate non diligeret si seipsum sic amaret?

Quod vel maxime verum est de amore Patris in Filium, cùm sit vniuersim verum de amore cuiusuis proximi. Plus namque quiuis proximus quoad salutem animæ debet à nobis diligi quam proprium corpus, quia plus animæ cuiusuis salus Deum spectat
2. 2. q. 26. a. 5. quam nostri sanitas corporis. Sic expresse sanctus Thomas post
L. 1. Doct. Diuum Augustinum. Atque ita sicut se ordinate non amaret qui
Chr. c. 2. corpus magis suum quam salutem proximi diligeret, sic plane qui sanitatem filij plusquam eius salutem amat, non amat ordi-
1. Cor. 13. nate nec prudenter sed perperam, Quod vera Charitas numquam agit.

III. PVNCTVM.

QVI *non ergo magis salutem filij quam sanitatem amat, non amat filium.* Quia non amat ordinate, non amat magis quod prius est, siue quod magis est diligendum; Confundit ordinem, peruertit Charitatem, videtur Charitas sed est magis carnalitas. *Non est ista vera dilectio sed apparens*, inquit Diuus Thomas, vbi agit de dilectione qua se peccator diligit. *Non se peccator vere diligit*, ait sanctus Doctor, cur porro? *Quia*, inquit, *non se ita diligit secundum animam ac secundum corpus.* Quæ si ratio vera est vniuersim de peccatore circa seipsum, profecto & certa est particulatim de Patre circa filium cuius corpus magis amat quam animam.

Sed operæ pretium est, ipsum audire sanctum Doctorem ex cuius discursu non id modò quod declarandum suscepimus confirmatur, sed multa insuper additur moralis doctrina quæ virtutum praxim contra opposita vitia multum promoueat. *Principale*, inquit, *in homine est mens rationalis, secundarium est natura sensitiua, & corporalis: quorum primum Apostolus nominat interiorem hominem: secundum, exteriorem, vt patet, ad Cor. 5. Boni autem æstimant principale in seipsis rationalem naturam, siue interiorem hominem vnde secundum hoc æstimant se esse quod sunt. Mali autem æstimant principale in seipsis naturam sensitiuam, & corporalem, scilicet exteriorem*

hominem, unde non recte cognoscentes seipsos, non vere diligunt seipsos, sed diligunt id quod seipsos esse reputant. Boni autem verè cognoscentes seipsos, vere seipsos diligunt. Et hoc probat Philosophus in 9°. Ethicor. per quinque quæ sunt amicitiæ propria. Vnusquisque enim amicus primò quidem vult suum amicum esse & viuere; secundò vult ei bona: tertiò operatur bona ad ipsum; quartò conuiuit ei delectabiliter; quintò concordat cum ipso quasi in iisdem delectatus & contristatus. Et secundum hoc boni diligunt seipsos, quantum ad interiorem hominem, quia volunt ipsum seruari in sua integritate, & optant ei bona quæ sunt bona spiritualia, & etiam ad ea assequenda operam impendunt: & delectabiliter ad cor proprium redeunt quia ibi inueniunt & bonas cogitationes in præsenti, & memoriam bonorum præteritorum, & spem futurorum ex quibus delectatio causatur. Similiter etiam non patiuntur in seipsis voluntatis dissensionem; quia tota anima eorum tendit in vnum. E contrariò autem mali non volunt conseruari in integritate interioris hominis, neque appetunt eius spiritualia bona, neque ad hoc operantur: neque delectabile est eis secum conuiuere, redeundo ad cor quia inueniunt ibi mala & præsentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent; neque etiam sibi ipsis concordant, propter conscientiam remordentem, secundum illud Psalmi: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Et per eadem probari potest quod mali amant seipsos secundum corruptionem exterioris hominis: sic autem boni non amant seipsos.

Et respondens ad secundum argumentum contrà propositum, *Naturalis*, inquit, *amor etsi non totaliter tollatur à malis, tamen in eis peruertitur per modum iam dictum, nempe plus diligendo corpus quàm animam*; Obserua illud *peruertitur*; Nam hæc est ipsa quam diximus illius amoris peruersitas, quo pater sanitatem filij plus diligit quam salutem; Vnde non magis dicendus est diligere filium quam peccator seipsum.

Quod de sanitate non tantum intelligas, sed de fortunis, de dignitatibus, de cunctis mundi concupiscentiis quas multi Patres auidius suis exoptant & procurant liberis quàm eorum salutem cuius sæpe iacturam faciunt pro illis temporalibus commodis conquirendis. Quod quidem patebit infra clarius. Vide in 2. parte, Feria 3. Hebdomadæ sanctæ, satis conformem his Veritatem:

Qui nimis suos diligit, non satis diligit.

NE vero Patrem vllum latere possit quo constringatur præcepto circa salutarem filiorum institutionem, licet nullum exprimatur in diuinis præceptis, hæc opportunè præcedenti connectenda est Veritas:

Diuina licet præcepta certis Parentes erga filios non ligent verbis, non minùs tamen Parentes obligantur.

RATIO EST, *Quia qui lege naturæ obligantur ad aliquid, non minus obligantur quàm si Diuina præcepta certis & expressis eos ligarent Verbis.*

Sed parentes erga filios lege naturæ obligantur.

Ergo non minus, imo & quodammodo magis obligantur.

1. 2. q. 100. a. 5. Totus discursus ex Diuo Thoma sumitur, qui vbi agit de præceptis decalogi, rationem reddit cur non æque ponatur præceptum parentibus de diligendis & educandis filiis, sicut datur filiis de honorandis parentibus, *Quia videlicet filij sunt aliquid patris, vt expresse docet Aristoteles in Ethicis; vnde sicut non ponitur expressum de amore nostri præceptum, sic neque debet poni parentibus pro amore filiorum, quia hoc ipso quo se pater diligit, diligit filios qui sunt ipsius aliquid. Vnde eisdem rationibus*, inquit sanctus Doctor, *non ponuntur aliqua præcepta decalogi pertinentia ad amorem filiorum, sicut neque etiam aliqua ordinantia hominem ad seipsum.* Quænam sunt autem rationes cur non ponatur præceptum in decalogo de amore nostri? Hæ nempe inter alias, *Quia præceptum hoc satis euidens est ex lege naturæ, lege æterna, lege Diuina, cuius signatum est super nos*

Ps. 4. *lumen quod dicitur vultus Dei*, Quasi Deus ipse cerneretur qui hoc præciperet quod lege naturæ præcipitur, seu quod naturali videtur lumine non corrupto nec deprauato. Vnde idcirco appella-

Sap. 18. tur, *Incorruptum legis lumen.*

Sicut itaque diceretur vnicuique de amore rationabili sui ipsius quod quanto minus expressis in lege positiua Verbis producitur hoc præceptum, tanto expressiùs obligat quia lex positiua supponit esse præceptum naturæ tam euidens, tam per se notum,

& ex se obligans, vt non modò necesse non fuerit illud exprimere, sed idcirco potius expressum non fuerit vt inde magis liqueret quàm id satis superque prouisum esset à lege naturali; tantoque expressius per illam legem singulos obligari ad rationabilem sui ipsorum amorem, quanto minus illum expressis Lex alia verbis præciperet. Sic plane de præcepto diligendi filios, quod est ipsum naturæ præceptum de se diligendo.

Quæ cum sint satis perspicua, quid contra peccetur à parentibus paulo latius esset producendum; videturque commodè, si Deus annuat, ex his Euangelij Verbis posse depromi:

Incipiebat enim mori.

FORMATA INDE HAC PRACTICA VERITATE:

Ex Patre, vulnus est, quo mori filius incipit.

SENSVS ET RATIO EST; Quod vulnus seu causa propter quam vt plurimum Iuuenes incipiunt mori gratiæ, rebusque spiritalibus ac Diuinis, est mundanus affectus siue mundi concupiscentia.

Sed mundanus hic affectus vt plurimum à Patre est seu à Parentibus propriis.

Ergo inde vulnus est, quo mori filius incipit, & quod propterea diligenter ab omnibus præcaueri debet.

I. PVNCTVM.

SICVT est vita gratiæ, vita spiritus, vita spiritualis & Diuina de qua dicebat Dominus, *Ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant*; Ita mors est illi vitæ opposita, mors gratiæ, mors spiritus, siue mors spiritualis de qua vniuersim dicitur: *Prudentia carnis mors est, & quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Antequam vero quis mortem illam moriatur, solent vt plurimum præcedere in animo quædam dispositiones, velut febres in corpore quibus paulatim languescens animus deficit

Ioan. 10.
Rom. 8.
1. Tim 5.

& incipit mori suo modo, sicut filius hic Reguli de quo est hodierna narratio. Tum vero sic dicuntur peccata venialia dispositiones ad mortale; sic naturalis libido non repressa disponit ad deprauatam consuetudinem; & consuetudo ad obstinatam peruicaciam; sic illi denique de quibus hic potissimum agitur, mundani affectus disponunt animum iuuenilem ad hanc prudentiam carnis quæ mors est qua mundus pene totus interit, & de qua ipse Dominus,
Matth. 8. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

Ad majorem autem intelligentiam, possumus hic tripliciter mundanos istos affectus distinguere: Primò vt sunt purè naturales, ipsaque est Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, quæ cum innata sit vnicuique nostrum, tam naturalis est in suo primo motu qui rationem omnem anteuertit, quàm motus illi omnes qui dicuntur primo primi. De hac sic lo-
Rom. 7. quitur Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati*, suis videlicet motibus & affectibus nisi per Christi gratiam illis resisteret, nam
Ibid. 8. quando illis resistitur, *Nihil*, inquit, *damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.*

Secundo considerari possunt isti affectus vt sunt omnino voluntarij, & in materia satis graui, ac modo seu fine sic inordinatis vt mortale peccatum constituant, de quo sic sanctus Iacobus
Iac. 1. Apostolus: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem.* Primo quidem per lethalem actum, tum vero pòst grauiùs per contractos inde habitus, & comparatam illam carnis prudentiam quæ mortis genus est longe damnosius, & vnde minus exurgitur.

Tertio dicendi sunt medij quidam affectus inter illos duos positi, qui nec omnino sunt naturales & inuoluntarij, nec omnino mortales aut ita inueterati vt extremam illam generent & nutriant prudentiæ carnis mortem; sed cum mentem solicitant & illiciunt ad peccandum, mens nondum quidem se totam illis permittit & abjicit, at non etiam se negat illis totam; verum ex parte dissentit & consentit, vult & non vult, pugnat & cedit, in duas claudicat partes. Primo quidem quæ pars est mentis superior videbatur palmam referre, tum vero pòst inferior incalescenti ætate roborata, vires assumit à tempore, & pedetentim assurgens

assurgens seipsa redditur in dies fortior, fitque illud quod de se nondum conuerso narrat Apostolus, *Cum essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, O P E R A B A N T V R in membris nostris vt F R V C T I F I C A R E N T morti.* Hoc est, contendebant, enitebantur, nondum quidem efficiebant, sed eò tendebant vt efficerent tamquam fructum mortis, peccatum quod mortale dicitur, quod est mors animæ, mors gratiæ, mors Dei viuentis in anima, mors illa quadruplex de qua in die parasceues in 2. parte. Rom. 7.

Tunc autem quando in pueris & adolescentibus sic incalescunt affectus vt quæ sunt mundi appetant, delicias, honores, & diuitias, atque in illo appetitu quando sic pugnant & contendunt vt dictum est, fit quoddam vulnus in animis vnde plurimum debilitantur, & paulatim incipiunt mori: nempe incipiunt mundanis illis plene affectibus cedere, plene velle quod suggerit cupiditas, quod libido, quod ambitio; sic *omne caput languidum & omne cor mærens; à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Sic forte Dauid propterea de illo dixit quem nondum mortuum sanare volebat Deus, *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum.* Id est, cum superbire inciperet, & nonnullis superbiæ telis cùm iam vulneratus esset, ne illis plane moreretur, seu ne insolentius superbiret, tu humiliatione tamquam salubri medicamine sanasti vulneratum, & ad meliorem mentem reuocasti. Is. 1. Ps. 88.

O vel numquam à superbia sic vulnerer; vel vulneratus sic humilier, ne in tali vulnere moriar.

II. P V N C T V M.

SED *tale vulnus à Patre est: talis inquam affectus mundanus quo incipit mori filius, vel quo ad mortem vulneratur filia, non aliunde frequentius prouenit quàm à parentibus propriis.*

Non tantùm quia Genitores ipsi cùm toti sint in his mundanis affectibus, transfundunt virus in filios quos generant: sed quia dum inter illos adolescunt domi filij, venenum hauriunt ex ipsorum dictis, exemplis, & factis. Quis enim nescit quantam exempla vim habeant ad exprimendam sui similitudinem, exempla

præsertim domestica, præcipue vero parentum in filios, si vel maxime filij sint adhuc teneri, molles & cerei, ac denique si tantum eò trahant exempla quò ipsa naturalis propendet indoles: mirum profectò esset si tum filij non id saperent quod parentes; si tum filij non essent superbi & mundani cum superbis & mundanis parentibus. *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem vt faciant placentas reginæ cæli*, hoc est lunæ vel fortunæ, *& libent diis alienis, & me ad iracundiam prouocent. Numquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui?*

Ier. 7.

O quàm nimis hæc apte conueniunt parentibus qui iam satis procliues in mundana filios, ipsi vltro impellunt eos, accendunt, vrgent & acuunt, quà verbis dum aliud domi nil resonat quam voces istæ, *Mundus, honor, diuitiæ:* quà factis, dum in filiis nihil parentes curant ambitiosius quàm si fuerint splendidi, si exculti, si venusti, si ad mundanos mores compositi; quà denique prauis exemplis, dum ipsi vt dictum est toti sunt parentes in illo mundano fastu, vanoque rerum splendidarum apparatu.

Num. 26. *Factum est grande miraculum*, inquit Scriptura, *vt Core pereunte, filij illius non perirent.* Grande scilicet miraculum quod filij non fuerint similes Patri, nec eisdem culpis & pœnis fuerint inuoluti. Non id ordinarium, non id solitum, non id cæteris commune familiis vbi Patrum facta sectantur filij.

Ecclesi. 41. Sic propterea sapienter Ecclesiasticus, ***Filij abominationum sunt filij peccatorum, De Patre impio queruntur filij, quoniam propter illum sunt in opprobrio.*** Numquid propter Patrem in opprobrio fuit ille adolescens Romanus de quo sanctus Bernardinus, Gerson parisiensis, & alij scribunt qui cùm extremo supplicio damnatus esset, iam iamque tollendus è medio, sic Patrem voce libera est affatus: ***Tu me Pater suspendis, tu me interficis: dum enim flagitiosam meam vitam non emendasti, tu me in hanc contumeliosam mortem impulisti.*** Non ait filius se ad flagitia fuisse impulsum à suo Patre, sed tantum non fuisse correctum & emendatum: quid dicet igitur Patri filius quem ipse Pater in vitium & in mortem prouexit? Rara sunt quidem illa supplicia, rara sunt illa flagitia quibus in publicum & infame deuenitur opprobrium: Sed tamen veram esse oportet Sapientis sententiam, quæ vox ipsius est Veritatis: certum & constans id esse oportet quod ille Sapiens dixit *propter Patrem*

fore in opprobrio filium: siue sit huius vitæ, siue alterius opprobrium, nonne certo constat fore opprobrium? Et nonne hoc tanto grauius timeri debet probrum in altera, quanto minus in hac timetur vita?

Quod vt apertius tibi pateat, recole quod alius dixit Sapiens in Prouerbiis, *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur; tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Aut certe nisi percutias, nisi corrigas, nisi emendes; tu animam eius ad inferos rapis, tu in illud opprobrium eam conjicis de quo Propheta Ieremias: *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod numquam delebitur.* Confusio certe vehemens cum dicet patri filius, cum matri filia: Infœlix Pater, infausta parens, cur me huc tecum deuoluisti? *Hos ego patres*, inquit sanctus Chrysostomus, *parricidis ipsis immaniores & sceleratiores dixerim: illi enim corpus ab anima separant, isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt.* Prou. 23. Ier. 20.

III. PVNCTVM.

HINC *ergo patet, non tantum quod à parentibus illud sit vulnus quo incipiunt mori filij qua morte diximus, nec quàm solummodo sit filiis damnosum istud vulnus: at verò etiam quàm sit ipsis parentibus luctuosum, infame, pauendum, & omni modo cauendum* sicut Scripturæ sanctique Patres admonent.

Filij tibi sunt, ait Ecclesiasticus, *erudi illos & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Quod & postea grauius repetens: *Equus*, inquit, *indomitus euadit durus & filius remissus euadet præceps. Lacta filium, pauentem te faciet. Lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Eccles. 7. Ibid. 30.

Quibus conformiter sanctus Chrysostomus: *Heli propter filios periit: illos quippe cum acrius coërcere debuisset, verbis tantum lenibus monuit. Quocirca dum illis molestus esse seuera increpatione recusat, & illos & seipsum vnà perdidit. Audite hæc Patres, vestrosque filios in* Hom. 9. in 1. ad Tim.

disciplina & correptione Domini erudite summa cum diligentia. Et multa inter alia, quæ ibi fusè prosequitur, notandum istud quod vrget vehementius: filiis non rectè institutis præstat pauperes esse quàm diuites. Nam paupertas, inquit, vel inuitos coercet atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè, temperanterque viuere sinunt, verum exorbitare faciunt, atque peruertunt, *malisque innumeris subjungunt,* quando scilicet male instituti sunt, nam paulo ante dixerat: *Si quidem illi fuerint improbi, nihil eis pecuniæ proderunt, sin autem probi, nihil ex paupertate*

Iob. 1. *lædentur.* Et alibi perpendens illud quod de Iobo dicitur, *Offerebat holocausta pro singulis, dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei: VLLANE,* inquit, *iam nobis erit excusatio quando is qui ante gratiam, ante legem fuit, nullo sacrarum literarum magisterio instructus, tantam filiorum ostendit gessitque prouidentiam, vt de incertis quoque eorum, & occultis tremeret, paueretque delictis.*

In 1. Reg. c. 14. Sic sanctus Gregorius Verba hæc Saul exponens, *viuit Dominus, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur: ANTIQVI patres,* inquit, *vt Deo placerent, ad mortem filiis etiam non parcebant: Nos autem eos quos secundum carnem diligimus, etiam tenui asperitate verborum insequi non audemus. Ecce qui ad regnum, filium nutriebat, dicit, quia si per eum peccatum factum est, absque retractatione morietur: nos peccantes cernimus, & objurgare peccantes aut nolumus, aut timemus! Cur ergo hoc facimus, nisi quia Deum sicut illi nequaquam diligimus?*

Apte autem sanctus Ambrosius: *Naturæ pignora, Dei beneficia sunt, nec quisquam debet plus amare beneficium quam Benefactorem.*

L.2. Ep.15. Sanctus verò Hieronymus, ad Lætam de institutione filiæ plurimus est in hoc argumento, vnde hæc sparsim collecta sunt. *Non sunt,* inquit, *contemnenda quasi parua, sine quibus magna consistere non possunt. Ipse elementorum sonus, & prima institutio præceptorum aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Vnde & tibi est prouidendum, ne ineptis blanditiis fœminarum, dimidiata dicere verba filia consuescat, in auro atque purpura ludere: quorum alterum linguæ, alterum moribus officit: ne discat in tenero quod ei postea dediscendum est. Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in*

Horat. *pristinum candorem reuocet? recens testa diu & saporem retinet, &*

Plutarch. in Alexan. *odorem quo primum imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum, potentissimum regem, orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu,*

Leonidis pedagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuerat infectus: procliuis est enim malorum æmulatio: & quorum Virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. Caue ne aures eius perfores: ne cerussa & purpurisso consecrata Christo ora depingas: nec collum auro & margaritis premas: nec caput gemmis oneres: nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris: habeat alias margaritas, quibus postea venditis, emptura est pretiosissimum margaritum. Prætextata, nobilissima quondam femina, iubente viro Hymettio, qui patruus Eustochij Virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens & Virginis propositum, & matris desiderium: & ecce tibi, eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput Virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto, ad inferna ducêris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit. Et hoc retuli, non quod insultare velim calamitatibus infœlicium, sed vt moneam, cum quanto metu, & cautione seruare debeas, quod Deo spopondisti. Heli Sacerdos offendit Deum ob vitia liberorum. Episcopus fieri non potest, qui filios habuerit luxuriosos, non subditos. At è contrario de muliere scribitur, quod salua fiet per filiorum generationem, si permanserit in fide, & Caritate, & sanctificatione cum pudicitia. Si perfecta ætas & sui iuris, imputatur parentibus: quanto magis lactens & fragilis, quæ, iuxta sententiam Domini, ignorat dextram & sinistram, id est, boni & mali differentiam? si solicita prouides, ne filia percutiatur à vipera: cur non eadem cura prouideas, ne feriatur à malleo vniuersæ terræ? ne bibat de aureo calice Babilonis? ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ? ne ludat pedibus, ne trahat tunicas? venena non dantur, nisi melle circumlita: & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraque virtutum. Et quo modo, inquies, peccata patrum filiis non redduntur, nec filiorum parentibus, sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur? Hoc de his dicitur, qui possunt sapere, de quibus in Euangelio scriptum est: ætatem habet, loquatur pro se: qui autem paruulus est, & sapit vt paruulus, donec ad annos sapientiæ veniat, & Pythagoræ litera Y eum perducat ad biuium, tam bona eius, quam mala parentibus imputantur.

Matth. 13. 1. Reg. 2. 1. Timo. 3. 1. Tim. 2. Hier. 50. 51. Gen. 34. Ezech. 18. Ioan. 9. Virgil. de lit. Pythagor.

Nisi forte existimas, Christianorum filios, si baptisma non receperint, ipsos tantum reos esse peccati, & non etiam scelus referri ad eos qui dare noluerint, maxime eo tempore, quo contradicere non poterant, qui accepturi erant: sicut è regione salus infantium, majorum lucrum est. Denique quod ad rem propius, & quod concludat omnia: *Nihil in te,* inquit, *& in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes Virginis, magis eam exemplis doceri posse quam voce. Cito flores pereunt: cito violas & lilium, & crocum pestilens aura corrumpit.*

Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa & prodigia videritis, non creditis.

CREDEBAT Regulus Christum Dominum, Virum esse quidem eximiè sanctum, cum alioquin ad illum non accessisset sanandi sui filij causâ. Sed cum rogat Eum vt propius ad infirmum accedat, non credit illum esse Messiam, illum esse Christum, illum esse Deum, qui possit æque absens ac præsens quod velit facere, sicut proximè crediderunt Samaritani sine vllo quod viderint signo & prodigio; vnde hic merito arguitur & omnes vniuersim qui modicæ fuerint fidei, contra quos multa passim in singulis partibus, ac præsertim in tertia, in die Transfigurationis Domini, vbi hæc Veritas numquam satis perpensa proponitur:

Nullus est Christianus qui non credat Christum esse filium Dei, & vix vllus est Christianus qui hoc verè credat.

Vide & suprà in hac parte, Fer. 2. Hebdom. 15.
Quibus adiungi potest & fusius explicari hæc Veritas:

Major est insania, non credere Christo quam Christum.

SENSVS & RATIO EST, Quod sit illa major insania quæ à sana mente magis exorbitat. Nam cùm insania sit sanæ menti opposita, profectò illa major est insania quæ sanæ menti magis opponitur.

Sed non potius credere Christo quàm Christum, magis à sana mente exorbitat. Id est, posito quod credas Christum esse Dei filium, ma-

gis opponitur sanæ menti quod Christo loquenti non credas, quàm si non crederes illum esse Deum. Si enim Christum crederes Deum cui tamen non crederes: crederes Deum vel decipi vel decipere: crederes Deum vel non sapientem vel non veracem. Nam si non credis quod dicit Christus, idcirco non credis quia non id putas verum: si autem non putas verum, non aliunde est quàm quod ipse vel nesciat, ac proinde non sit sapiens & decipiatur: vel quod te decipiat, & non sit verax. Quæ omnia sic sanæ menti aduersantur vt nil sit illi magis oppositum. Potuit namque Christus non esse, potuit Deus non esse homo qui dicitur Christus. Sed posito quod Christus sit, non potest non esse sapiens, non potest non esse verax, non potest falsum dicere, non potest sanè non credi. Ac proinde quisquis illum credat esse Deum, & tamen loquenti non credat, magis à sana mente exorbitat quàm si non illum credat Deum. Sic eruditè & Christianè Ioannes Picus Mirandulæ Comes qui authore Bellarmino vir ingenio fuit & doctrina, pro ætate, maximus; Vixit enim annos solum triginta tres, & obiit anno Dom. 1494. Docet autem non modo hanc esse majorem insaniam, Christo non credere, sed multos Christianos hac insanire insania, quos inter, vide Lector, vel Auditor, nùm te annumeret. *In Script. Ecclesiastic.*

Tenet me, inquit, *Deum testor, aliquando ecstasis quasi, & stupor quidam, cùm mecum incipio studia hominum, aut vt dixerim significantius, meras insanias, nescio an cogitare potiùs quàm dolere, mirari an deplorare? Magna enim profectò insania Euangelio non credere, cuius veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, Dæmones confitentur. Sed longè major insania si de Euangelij veritate non dubitas, viuere tamen quasi de eius falsitate non dubitares. Nam si illa sunt vera, difficillimum esse ingredi regnum cælorum, quid cumulandis quotidie diuitiis inhiamus? Et si illud est verum, quærendam gloriam, non quæ ex hominibus, sed quæ ex Deo est: cur de iudiciis hominum semper pendemus? Deo placere nemo est qui curet. Et si firma in nobis est fides, futurum aliquando, vt Dominus dicat, Ite maledicti in ignem æternum: & rursus, Venite benedicti, possidere regnum paratum vobis à constitutione mundi: Cur nihil minus aut timemus quàm gehennam, aut speramus quàm regnum Dei? Quid possumus aliud dicere quàm multos esse nomine Christianos, sed re paucissimos?*

Dicit ad eum Regulus : Domine descende priusquam moriatur filius meus.

De constanti & efficaci oratione, Vide quæ multa producuntur in 2. parte, Feria 2. Hebdom. 5. post Pascha, in Rogationibus.

Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.

Illâ enim ipsâ horâ, reliquit eum febris, & benè habuit. Cur porrò febres animi non sic iubente Christo sanantur? Quia nempe febricitans non sic æquo animo vult sanari. Quem in sensum satis aptè conueniunt hæ Veritates:

Febris animi, animo longè periculosior, quàm febris corporis, corpori.

In 1. parte, Feria 5. Hebdom. 2. post Epiphan.

Non dixeris, per Deum abest.

In eadem parte, Dominica 3. post Epiphan.

Quod grauius in te est malum, hoc minus vis sanari.

Ibid. Feria 5. Hebdom. 6.

Quod videris tibi velle, velles quidem, sed verè non vis.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 12.

Cognouit ergo Pater quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit : Et credidit ipse, & domus eius tota.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Qualis Paterfamilias, talis tota plerumque familia. Si quid à tuis velis, id primum à te.

RATIO EST, Quia si quid à tuis obtinere velis, oportet illos esse persuasos, hoc esse bonum quod velis, & te id vere ac rationabiliter velle. Nonne est ita?

Sed nisi hoc primum à te obtineas, non erunt ita persuasi: Nam si bonum esset, cur tibi non procurares? aut si bonum non est, quomodo id eis rationabiliter potes velle? Quomodo increpare si nolint? Nonne sic ratiocinatur Apostolus contra id docentem quod non facit? *Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?* Et quæ alia prosequitur, quasi diceret, quomodo id te putas suasurum aliis quod persuasum tibi non habes? Hic est primus inter duodecim abusionis gradus qui apud sanctum Cyprianum referuntur, cum quis ad verba non adjungit opera: & redditur ratio, *Numquam enim fit efficax Constituentis authoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis.* Rom. 2.

Sic præclarè sanctus Prosper: *Non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ, futurum cogitate iudicium, quod ipse forte non cogitat: amatoribus sæculi, nolite diligere mundum, si eum mundi amor delectat: ambitiosis, ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat; & quidquid boni non facit, aut mali committit, nec iubebit fieri nec vetabit, quia necessariam dicendi authoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit. NEQUE tam considerantur ea quæ à nobis dicuntur,* inquit sanctus Chrysostomus, *quàm quæ à nobis geruntur. Et vt scias rem ita se habere, licet infinities tantum philosophemur verbis, & de patientia differamus: & cùm tempus fuerit, eam operibus non demonstremus, non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera.* L. 1 de vit. cont. c. 17. Hom. 8 in Gen.

Quantùm autem ipsa valeant opera, sic Idem alibi profitetur *omni tuba, documenta operum clariora esse, vitamque mundam ipsâ luce clariorem: & multo fidelior,* inquit, *& certior doctrina operum quam sermonum. Nam qui talis est, etiam silens, & cùm non videtur,* Ibid hom. 13. & in Matth. 15.

docere potest, & alios quidem qui illum vident, alios verò qui de illo audiunt: & multa fruetur Dei gratia non solum propter se, sed & propter alios qui illum vident & incitantur vt glorificent dominum.

Eccles. 10. Denique vox illa Sapientis, vox Dei est; *Secundum Iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis est rector ciuitatis, tales sunt inhabitantes in ea.* Quod de priuata posse dici domo quis dubitet? Imo & de vnaquaque seorsum rationali siue intellectuali persona circa cæteras animi seu corporis sui facultates, verum est dicere & fructuosum cogitare:

Qualis est intellectus, talis & reliqua tota intellectualis creatura.

Id est, talis voluntas, talis vterque appetitus, tales affectus, tales oculi, talis lingua, talis denique totus homo interior & exterior. Ab Intellectu tamquam à Rectore ciuitatis, siue tamquam à Patrefamilias, sic pendent omnia, vt quantum Intellectus de Veritatibus practicis fuerit benè persuasus, tantùm de illo ac de cæteris cuiusque personæ partibus dici possit, *Credidit ipse & domus eius tota:* Tota se conformabit intellectui: tota in genere morum quam vocant qualitatem inde sortietur tamquam à primo mouente naturali.

Ratio est, quia tota in genere morum qualitas cuiuscumque persona attenditur ex rationali motu quo illa fertur circa bonum & malum.

Sed ille rationalis motus quo quæuis persona fertur circa bonum & malum, pendet ab intellectu tamquam à primo mouente naturali.

Ergo & eius inde qualitas; ac proinde qualem se totum quisque velit, talem sibi antè cum gratia procuret intellectum.

Discursus extendi potest plus minusue largiter, prout cuique visum erit; nam propositiones ita sunt planæ & fœcundæ vt vel paucis adjectis intelligantur, vel certè pluribus tractari queant; nos hîc paucis singulas attingemus. Prima sic declaratur, nam quod in genere moris, qualitatem cuiuscumque personæ facit, est eius bonitas vel malitia: bonitas autem vel malitia personæ petitur ex eius actibus tam internis quàm externis: Actus vero formantur ex illo rationali motu quo persona fertur in objecta talium actuum. Rationalis porro motus is est qui cum præuia cognitione, cum sufficienti aduertentia & libertate producitur circa id quod æstimatur bonum vel malum morale, id est, quod

meretur laudem vel vituperium, præmium seu pœnam: siue id purè ex objecto, siue ex fine quo illud intenditur, siue ex aliis circunstantiis tale bonum vel malum oriatur, nihil modò refert; satis est quod ex illo actu resiliat fundamentalis quædam ratio qua denominetur Agens coram Deo, & qua in veritate sit bonus vel malus, bonitate vel malitia non entis quam vocant sed moris; vnde ad euidentiam propositionis manifeste patet quod sicut illa bonitas vel malitia qualitatem agentis personæ faciunt, sic ista qualitas attenditur ex rationali quem diximus motu quo fertur circa id quod bonum vel malum ex se est, aut ex præcepto, vel fine intento.

Numquid propterea quæritur in Cantico Canticorum *qualis sit dilectus ex dilecto*; Et respondetur, *Candidus & rubicundus*? Id est, qui sic pure & candide feratur in bonum quodlibet vt nisi sic feratur, erubescat, & ipsum potius effundat sanguinem quo totus purpurascat, quàm non sit totus candidus. *Cant. 5.*

SED, quæ est altera propositio, ille rationalis motus quo quæuis persona fertur in bonum vel malum pendet ab intellectu, tamquam à prima causa mouente naturali. Nam voluntas cuius est bonum appetere, & secum reliquas corporis & animi facultates eò attrahere, non fertur in illud bonum nisi prout est aprehensum, nisi prout est propositum ab intellectu siue id verè bonum sit siue falsum, quale omnino Intellectus voluntati proposuerit, tale voluntas prosequetur; vnde licet ex se malum numquam voluntas velit, si tamen Intellectus proponat illi malum sub specie boni apparentis, statim illud malum tamquam bonum prosequetur, tam ardenti appetitu & affectu perinde ac si verè bonum esset; cum enim cæca sit ex se facultas, totumque suum lumen ab Intellectu hauriat, profectò quale illud cumque fuerit quod Intellectus illi objiciat, siue bonum siue malum, non aliter illud prosequetur aut fugiet nisi prout ab illo sibi fuerit repræsentatum. Et vero tamen quia necessario sed liberè fertur voluntas quocumque fertur, potest quidem nolle bonum quod proponit illi Intellectus: sed, ô miram Intellectus eminentiam, non recusabit illud voluntas bonum nisi prius vt dictum est intellectus bonum illud aliter statuat & proponat vel sub specie mali alicuius, vel sub ratione minoris boni quod præ alio meliori voluntas

Digitized by Google

deserat; adeo verum est & constantissimum quod habet Propositio, rationalem illum motum quo persona quæuis fertur in bonum vel malum pendere ab Intellectu, tamquam à suo naturali mouente seu motiuo.

1. 2. q. 9. a. 1. Quæ omnia fusius apud sanctum Thomam videri possunt ex quo illud vnum præcipue referas quod cum suo etiam modo voluntas 1. p. q. 82. a. 4. ad 3. intellectum præcedat & moueat, ad suorum videlicet exercitium actuum, ne forte inde circulum aut processum in infinitum ar-Ethic. 7. bitreris, sic ad rem nostram peropportunè. *Non oportet*, inquit, *procedere in infinitum, sed statur in intellectu sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis, sed principium considerandi & intelligendi est aliquod intellectiuum principium altius intellectu nostro quod est Deus, qui scilicet primò lumen infundit quo post Intellectus voluntatem illustret & moueat.* Vnde tandem quid sequitur, nisi quod *Qualis Intellectus, talis & reliqua tota intellectualis creatura*, Cuius qualitas est à bonitate ipsius, & bonitas à bono volito, bonum autem non sit volitum nisi prout erit apprehensum, & ab intellectu propositum.

Ioan. 4. *Voca virum tuum* dicebat Samaritanæ Dominus, *Id est*, inquit S. Augustinus, *præsenta intellectum tuum, non me capis, non me intelli-*Marci 9. *gis, absens est intellectus tuus, voca virum tuum.* Nonne propterea di-Hebr. 11. ctum, *omnia possibilia sunt credenti*; & fide Sancti omnes sanctitatem suam sunt assecuti! Hoc primum est quod Deus nobis lar-L. de gr. & lib. arb. gitur donum. Vnde S. Augustinus, *fides, inquit, etiam non petita conceditur vt ei petenti alia concedantur.*

Quapropter accuratè percolendus Intellectus Euangelicis veritatibus quarum ductu totam regat sibi subiectam familiam, id est, cunctos affectus, motus & sensus hominis: nec minori diligentia dissuadendus est falsis mundi ac carnis persuasionibus, quarum tanta vis est in animum vt si totus inde à virtute non abducatur, certe multum distrahitur; & tota quam patitur difficultas in virtutum actibus exercendis, inde vel maxime prouenit quod in diuersas rapiatur partes, nec se plenè totum dedat veritati cogitandæ. Hoc agnouit sanctus Augustinus cùm miratus quare magis obediret corpus animo quam animus sibi, hanc reperit causam quod alius est animus in his quæ spectant ad seipsum mouendum, & his quæ pertinent ad externos corporis motus. *Vnde hoc mon-*

strum, inquit, *& quare istud? Imperat animus corpori, & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur? Imperat animus vt moueatur manus, & tanta est facilitas vt vix à seruitio discernatur imperium. Et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus vt velit animus nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum & quare istud?* Tum vero causam refert partim in intellectum, partim in voluntatem: In intellectum quidem quia non se totum applicat ad id quod si solum cogitaretur moueret plene animum ad virtutem: In voluntatem vero quia distrahit intellectum ad alia cogitanda quæ à bonis operibus animum auocant aut retardant, & hanc vocat *aegritudinem voluntatis* quam sic describit sanctus Prosper: *Aegritudo animi rationalis est, cùm bonis inferioribus delectatus, superiora ex parte appetit, & ex parte non appetit, ideoque in duas diuiditur voluntates, cumque vna est, tota non est; & hoc adest vni, quod deest alteri.* Vndenam vero deest, & quænam origo totius mali? Sic paucis & expedite S. Thomas: *Imperfectum est imperium animi in seipsum, & contingit ex hoc quod ratio ex diuersis partibus mouetur ad imperandum vel non: vnde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat.*

L. 8. Confess. c. 9.

In sent. S. Aug. nu. 178.

1. 2 q. 17. a. 5. ad 1.

Quamobrem in hoc vnum tota tendit praxis, vt quantùm cum diuina Gratia diuinis Veritatibus te addices peruoluendis, tantum humanis contra oppositis falsitatibus excludendis te applices, nihil vt prorsus te impediat, quo minus vni vacare Deo ac virtuti exercendæ possis; atque ex illis sis quos *in intellectibus manuum suarum deduxit Deus.* Habent quippe manus intellectum, quando intellectu cuncta reguntur opera.

HAC HEBDOMADA, Historia cæci nati, à Christo Domino illuminati, prout refertur Capite 9. Ioannis, subministrabit Considerationes & Veritates quæ potissimùm eò spectent vt discamus Lumina seu diuinas Gratias religiosè recipere, nec non fideliter in effectum adducere.

FERIA SECVNDA.

DE QVADAM CÆCITATE NATVRALI, QVAE LIBENTER FERENDA EST, AD DEI GLORIAM.

Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Ioan. 9.

VERITAS PRACTICA.

In tenebris quies: dicendumque cum Iobo, In tenebris straui lectulum meum.

SENSVS EST, *Quod sicut in tenebris siue nocte, post diurnum laborem capitur quies; ita nox quædam est cæcitatis humanæ: sunt quædam tenebræ naturalis ignorantiæ multarum rerum quas & scire vellemus & quas tamen nos nescire vult Deus: in quibus tenebris omnino quiescendum.*

RATIO EST, *Quia ibi omnino quiescendum vbi Diuina voluntas & prouidentia purius agnoscitur & colitur.*

Sed in illa cæcitate ac tenebris naturalibus, Diuina voluntas & prouidentia purius agnoscitur & colitur.

Ergo ibi omnino quiescendum, & cessandum à superuacuis quas Scriptura vocat curis, nec curiosius inuestigandum quod nos latere vult Deus.

I. PVNCTVM.

EXIVIT *Iesus de templo, & præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius vt cæcus nasceretur? Respondit*

Iesus, neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: Venit nox quando nemo potest operari, quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

Non destitit quidem Dominus esse lux mundi, postquam mundo relicto ascendit in cœlum, sed non eo tamen modo lux est quo dum inter homines versabatur, nempe illos docendo quà verbis, quà exemplis, qua miraculis, quale est istud Cæci nati quod tam multis abundat documentis ad Diuinam in nos agnoscendam prouidentiam & diuersam quibus nos regit gratiarum efficientiam, vt vix tota sufficiat illis considerandis Hebdomada.

Cum autem primò hic Cæcus nobis exhibeatur in sua cæcitate natus vt in illo diuina manifestentur opera, sic primum hoc inde considerandum elicitur, quod sit innata nobis quædam naturalis cæcitas & rerum ignorantia plurimarum, quæ nos particulatim spectant, & quas proinde vehementer appeteremus scire ac intelligere, quas tamen nos ignorare melius iudicauit Diuina prouidentia, majoremque Deo gloriam, ac solidiorem nobis vtilitatem inde prouenturam declarauit si quas cognitioni nostræ metas posuit tranquillè seruaremus, neque plura curiosius rescire tentaremus quam Ille ordinasset aut permitteret aut reuelaret.

Quod non modo de arcanis illis & augustis Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ Mysteriis dictum putes, sed de nostro præsentis ac futuræ vitæ statu, deque tot mirandis diuinæ gubernationis effectibus, quorum vel nescitur causa, vel quæ apparet tam aliena iudicatur ab humano sensu, vt vix à Deo procedere crederetur nisi sic fides credendum proponeret. Cur damnatus infans antequam natus, cur ex geminis vnus seruatur ad gloriam, & alter in peccato perit? An amore vel odio digni simus, id est, an viuamus in gratia vel in ea morituri simus: quis hominum certò nouit? Quis se vel vnius veræ virtutis actum exercere cognoscit? Delicta porrò quis intelligit? Quo vel loco vel tempore vel quo tandem modo mors est obeunda? Quo in gradu virtutis simus? An vitia virtutes superent? An vel vnum expulsum vitium, an vel vna comparata virtus? Quid restet ex inchoata perfectionis stadio? Quid, quod nequidem forte est à nobis inchoatum!

Nonne in his omnibus cæcutimus? Nonne hæc grauis & mo-

Digitized by Google

Ps. 38. Iesta est cæcitas? Nonne libenter cum Dauide diceres, *Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi?* Sed in hoc ipso dicendo cæcutires; & quid diceres ignorares. Non enim petebat Dauid, quod verba sonant, vt sibi notum fieret quod latebat, *Quæ vitiosa curiositas*, inquit Bellarminus, *& temeritas quædam fuisset, sed alio sensu dixit, vnde & præmisit, locutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum*; Id est, non sum locutus in lingua quam omnes intelligunt, sed lingua mihi nota, & sensu quo soli Deo loquor. Nempe vt notum habeam finem meum quàm sit breuis & cito venturus, ne vana spe vitæ longioris decipiar, sed sicut reuera est vita citissima, & tempus velocissimum sic de his sentiam & cogitem, meque ad instantem cum tua gratia parare possim exitum.

Quæ quàm sit vera & germana loci huius expositio facile probant sequentes Psalmi versus: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te: Verumtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens.*

Quamobrem de his non est torquendus animus sed potius tranquillandus, atque in ipsis tenebris sternendus cum Iobo lectulus, id est, omnino paranda requies quia scilicet ibi vel maxime quiescendum vbi Diuina prouidentia & voluntas purius ac simplicius agnosci potest, vbi nulla vel rara est rationum humanarum permixtio: vbi cum antiquis illis Patriarchis solùm dicatur,
Gen. 24. *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam*
1. Reg. 3. *aliud loqui*; Vel cum Heli sacerdote, *Dominus est, quod bonum est*
2. Reg. 16. *in oculis suis faciat*: Aut cum Dauide, *Dominus præcepit ei vt malediceret David, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Aut
1. Macch. 3. cum Iuda Macchabæo, *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*: Aut
Matth. 11. denique cum Christo Domino, *Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Nonne sic loquendum & sentiendum? Nonne sic loquendo & sentiendo tum verè quiescitur? Nonne sic olim primi Christiani loquebantur, de quibus in Actis Apostolorum expressè legitur,
Act. 21. *Quieuimus dicentes, Domini voluntas fiat.*

II. PVNCTVM.

SED in illa cæcitate ac tenebris naturalibus, Diuina Voluntas & Prouidentia purius agnoscitur, & colitur.

Quia

Quia videlicet cùm nulla vt supponimus appareat humana ratio vel causa naturalis ad quam proxime referri possint quæ videmus, aut quæ potius non videri diximus: solum hoc restat vt ad vnam Dei voluntatem & prouidentiam recurratur, in eaque sola sistatur, sola consideretur, sola colatur & adoretur, sicut in cœlo Diuinam Beati voluntatem propterea maxime venerantur dicentes, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Sic prorsus dicendum esset in omnibus quorum etiam apparet causa & ratio, sed cum homines visibilibus & humanis magis adhærescant quam inuisibilibus & Diuinis, hinc fit vt tanto minus diuinam voluntatem omnium procreatricem & nutricem agnoscant, quanto magis simul cum illa considerant concurrentes alias causas naturales: vnde id etiam ex opposito fieri dicendum est quod quanto minus naturales & humanæ spectabuntur rationes, tanto magis Diuinæ occurrent, eæque solæ nostros sic occupabunt animos, vt quisquis possit cum Dauide dicere, *Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Apoc. 4. Ps. 70.

Quæ Diuina Iustitia tripliciter ad rem nostram potest intelligi. Primo vt sit æquitas iudiciorum & voluntatum Dei quibuslibet in rerum casibus, nihil vt aliud tam memoretur quam sola illa iustitia de qua sic idem aliter Psaltes Regius, *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.* Secundo vt sit illa quam vocant vindicatiua iustitia quæ quantumcumque nos grauiter puniat, licet peccata non agnosceremus, non tamen repugnemus, non conqueramur, sed illius Iustitiæ memoremur solius quæ semper infra condignum punit, atque intelligamus, vt est in libro Iob, *Quòd multo minora exigamur ab eo, quàm meretur iniquitas nostra.* Ps. 118. Iob 11.

Tertio denique Iustitia Dei quæ sola memoretur in aduersis, illa est qua dicitur Deus solus esse bonus, sanctus, & iustus; in cuius conspectu nihil nisi peccatores simus, nec sit vlla digna nostra iustitia seu virtus quæ coram eo se audeat producere, quasi ex se mereretur vel inflicta nobis flagella procul auertere, vel ampliora conciliare beneficia. *Vere scio quod ita sit*, dicebat Iob, *& quod non iustificetur homo compositus Deo. Qui etiamsi habuero aliquid iustum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor.* Sic & Iob 9.

Dan. 9. Propheta Daniel, *Neque enim in iustificationibus nostris, prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus.* Sic denique sanctus Augustinus in hunc ipsum versum, *Domine memorabor Iustitiæ tuæ solius. O SOLIVS*, inquit, *quid addit solius, rogo vos? sufficeret, memorabor iustitiæ tuæ. Solius, inquit prorsus, vbi meam non cogito. Iustitia tua sola liberat me, mea sola non sunt nisi peccata.*

III. PVNCTVM.

ERGO *in tenebris requies, in quibus diuina puriùs & attentius consideratur voluntas ac prouidentia, cuius sola consideratio sic penitus mentem tranquillat vt quemadmodum ait Sapiens de illa solum cogitare,* Sap. 6. *sit sensus consummatus*, Id est, totum in ea cogitatione contineatur quod meritò possit requiri ad confirmandam animi tranquillitatem. Sic ille alius Sapiens qui Ecclesiasticus dicitur miris loquendi modis & quid sit illam cogitare sapientiam quæ est ipsa Dei prouidentia, & quanta sit in illa cogitatione copia bonorum omnium ac præsertim quietis animi, sic declarat: *Beatus vir qui in sa-* Eccles. 14. *pientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei, qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi inuestigator, & in viis illius consistens: qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens: qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum: statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis eius morabitur; protegetur sub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requiescet.*

Id est, dummodo se quis totum suaque omnia diuinæ dedat prouidentiæ, nec aliam rerum suarum causam & rationem inquirat diligentius, profectò miram inde percipiet pacis & bonorum omnium vbertatem.

1. p. q. 19. a. 5. Verum id quidem quod ait sanctus Thomas, *quod cùm velit Deus effectus sic esse vt ex causis certis proueniant, ad hoc quod seruetur ordo in rebus, non est superuacuum etiam cum voluntate Dei, alias causas quærere:* Sed quando agitur de illis effectibus qui sic ad certas non possunt referri causas, tunc vanum est & temerarium illas inue-

stigare, solique Deo prorsus adhærendum: Vnde hæc apte sanctus Augustinus: *Placuit vanitati Philosophorum etiam aliis causis effectus contingentes tribuere, cum omnino videre non possent superiorem cæteris causam, id est, voluntatem Dei.* Recte item Boetius: *Neque enim fas est homini cunctas diuini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone.* L. 3. de Trin. c. 2. L. 4. Pr. 6.

Ad praxim autem nil aptius quam quod Dauid: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui; manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Ps. 76. Quasi diceret, vt interpretatur S. Augustinus, non aliud aliquid in quo quiescerem exquisiui, sed Deum solum, ac proinde in Illo, quam quærebam inueni requiem. Et rursum: *Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum.* Ps. 118. De quibus qui plura desideret, legat D. Augustinum in Psalmos, ad hunc Psalmi versum, *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius*, Ps. 148. ex quo hæc pauca: *Quidquid hîc accidit contra voluntatem nostram, noueris non accidere, nisi de voluntate Dei, de prouidentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: & si non nos intelligimus quid quare fiat, demus hoc prouidentiæ ipsius quia non fit sine causa & non blasphemabimus. Cum enim cœperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud, & non debuit sic facere, malè fecit, hoc, vbi est laus Dei? perdidisti Hallelu-ia. Omnia sic considera quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quia si intrares in officinam forte fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt: Artifex nouit quare, & si ego non noui. In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum! Ergo quemadmodum ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum eius: sic omnia quæ vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt nisi verbum eius, quia non fiunt nisi iussu eius.*



FERIA TERTIA.

DE MEDIIS QVIBVS VTITVR DEVS AD GRATIAS CONFERENDAS, FIDELITER OBSERVANDIS.

Fecit (Iesus) lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius (nempe cæci nati) Ioan. 9.

VERITAS PRACTICA.

Qui conferendæ dimittit medium gratiæ, mediam is amittit & meliorem gratiam.

RATIO EST, *Quia media gratia seu media pars & melior gratiæ quæ à Deo nobis confertur, ea est quæ spectat interiorem hominem perficiendum seu disponendum circa illud opus quod confertur.*

Sed qui conferendæ dimittit medium gratiæ, partem illam amittit quæ spectat interiorem hominem perficiendum siue disponendum ad illud opus.

Ergo & mediam & meliorem partem amittit. Quod ne damnum obueniat, obseruanda fideliter sunt illa media quibus vtitur Deus ad conferendas suas gratias, licet minus apta & opportuna plerumque videantur, sicut lutum ad cæci oculos aperiendos.

I. PVNCTVM.

HÆC cùm dixiſſet Ieſus, quæ ſcilicet heri commemorata ſunt, *expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos Cæci, & dixit ei, Vade, laua in natatoria ſiloe quod interpretatur miſſus. Abiit ergo & lauit, & venit videns.*

Mira profectò & ſingularis huius Cæci curatio! Non ita quidem in reipſa, ſicut in modo & medio quo Chriſtus vtitur. Nam plures alios illuminauit cæcos, neque hoc magis mirum quam ſuſcitaſſe mortuos: ſed quorſum hic adhibetur lutum, & lutum ex ſputo quod oculis applicetur? Nonne id potius excæcandi vim habebat quàm illuminandi virtutem? Nemo itaque dubitat quin ſit myſticum tale medium appoſitum, ſed varie à variis Myſterium exponitur.

Sanctus Chryſoſtomus ad primam refert hominis creationem quæ ex luto facta eſt & cuius Authorem & Creatorem omnium ſe indicare Chriſtus voluit, ac proinde Sabbati nullis teneri legibus. Sanctus Auguſtinus Incarnationi Verbi Diuini accommodat, docens per ſaliuam intelligi Diuinam naturam, & per terram, humanam, quibus ſimul mixtis *curatum eſt*, inquit, *genus humanum à prima ſui origine per peccatum primi parentis excæcatum*; Quam Ipſe interpretationem ad Catechumenos & Baptiſmi Sacramentum extendit. Sanctus verò Cyrillus ad auguſtiſſimam deducit Euchariſtiam: *Si Chriſti ſaliua*, inquit, *tam medica eſt & ſalutaris, quid de carne eius in Euchariſtia ſperandum?* Alij porrò vtiliter hinc ad vilem & humilem humanæ condicionis ſtatum nos aduocant, vt cùm ſe carnem & lutum quis agnouerit, non alta ſentiat ſed humilibus conſentiat & infimis, quibus ab elato deprimatur faſtu. Alij denique ſapienter rem totam explicant de his mediis quibus plerumque Chriſtus vtitur ad ſua lumina ſeu gratias conferendas, quæ cùm humanitùs appareant aliena potiùs à fine qui pretenditur quàm accommoda, non parum commouent & perturbant animos, atque ab eis etiam vſurpandis, nonnihil auocant.

Sic Iudæis ſcandalum & Gentibus ſtultitia, Crux Chriſti viſa eſt, quando Chriſtus prædicatus eſt Deus. Quid enim inquiebant, Cruci cum Deo, quid cum immortali mors habere poteſt?

Sic quando piscatores Apostoli ad docendos & conuertendos Philosophos; quando ad lupos oues, ad fortes infirmi, & ad locupletes egeni missi sunt, quid minus opportunum ad rem bene agendam videbatur? Et tamen hæc sunt media quibus vsus est Christus: hoc est lutum quo totum vniuersim genus inungit hu-
1. Pet. 2. manum quod *à tenebris vocauit in admirabile lumen suum.* Hoc est lutum quo particulatim singulos tangit & promouet ad quos fines non putarent si sensum humanum consulerent. Quis enim crederet se pietatem & deuotionem ex multis quæ importune sibi occurrunt negotiis posse assequi? Quis castitatem ex horrendis speciebus quas menti Dæmon injicit? Quis honorem suo debitum ministerio ex tolerata confusione? Quis ab ignominia gloriam? à paupertate diuitias, ab infirmitate robur, ab impotentia potentiam, à paruitate magnitudinem, & à nihilo quidquam sperare possit? Hæc sunt tamen, hæc sunt mala quibus tanquam destinatis mediis Christus sua confert bona. Quæ quidem media tam fideliter tam religiose seruanda sunt, vt qui medium quoduis omitteret conferendæ sibi gratiæ, mediam ipsam & nobiliorem totam gratiæ partem amitteret.

Ratio quæ modo expendatur hæc est, quod cùm in nobis duæ sint partes, qui duo etiam dicuntur homines, exterior scilicet & interior, quibus ad omne bonum præstandum de nostro cum Dei gratia conferamus, nemini dubium est quin tanto interior sit exteriori melior ac nobilior quanto animus præstat corpori, &
Ioan. 4. quanto magis animo quam corpore vult coli Deus. *Spiritus nempe est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu oportet adorare.* Non quod exterius sit negligendum, sed multo minus interius: ac si alterutrius iactura intercederet, deriuanda potius esset in exte-
Rom. 2. rius quam in interius detrimentum. *Non enim qui in manifesto Iudæus est:* inquit Apostolus, *neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est & circumcisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo est.* Quasi diceret, si comparatio fiat vtriusque hominis nempe illius qui exterius Iudaismum profitetur, & illius qui animo & corde circumcisus est, tanto is interuallo apud Deum præcedit alterum, vt ab eo solo dicatur coli Deus qui spiritualem & internam circumcisionem obseruat, sine qua quidquid alius coram hominibus agat non placet Deo.

Et rursus alibi de hoc interno loquens homine, *Qui secundum* Ephes. 4.
Deum, inquit, *creatus est*, Id est, ad imaginem & similitudinem Dei, quo nomine quàm multa comprehendantur insignia quibus exteriori præcellit interior, quis non videt? Nam qui creatus dicitur imago Dei viuens, simul dicitur immortalis, intelligens, liber, incorporeus, indiuisibilis, humanæ ac Diuinæ capax Sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, ac visionis Dei, totiusque boni possidendi. Hæc vno imaginis verbo continentur omnia. Quæ cum propriè de interno dicantur homine, quis inquam non videt quàm multis alium excedat partibus? O quam propterea præclare sanctus Petrus comparans vtrumque hominem, 1. Pet. 3.
postquam in eos egit qui externum nimis curant & componunt, tum de interno loquens *sed qui absconditus est*, inquit, *cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus qui est in conspectu Dei locuples.* Ad quæ Verba sanctus Ambrosius: *Verè diues qui in* L. 4. Ep. 2[illegible]
conspectu Dei potest diues videri in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus diuitem nouit qui sit diues æternitatis, qui non opum, sed virtutum fructus recondat.

II. PVNCTVM.

SED *qui conferendæ dimittit medium gratiæ, partem illam amittit quæ spectat interiorem hominem.*

Distinguenda hic sunt quatuor; Primum est, gratia conferenda: Deinde medium quo confertur. Tertio status interior circa vsum illius gratiæ. Quarto denique status huius interioris iactura siue amissio.

De primo, potest considerari Gratia vel vniuersalis quæ ad totum Dei cultum & animi nostri profectum attineat, vel quædam particularis quæ vnam tantum virtutem aut aliquem virtutis actum comprehendat, qualis est exempli causa, deuotio seu pietas in orando Deo.

Secundo, medium quo illam tibi Deus virtutem vult conferre siue sit varia mentis distractio quam permittit in orando, siue diuersa negotiorum moles quæ mentem videatur obruere, atque ipsum etiam orandi tempus subripere.

Tertio, status interior circa vsum illius gratiæ, seu circa praxim illius in orando pietatis, dubitari non potest quin sic patientia, con-

formitas cum Diuina voluntate, Iudicij proprij abnegatio, & libertas quædam interior qua id tantum velis & tentes quod cum Diuina possis gratia.

Quarto denique, iam agnosce quod si tollas medium huius gratiæ conferendæ, si recuses illam mentis agitationem quam pateris, tollis illum statum internum quem diximus nempe patientiam, nempe voluntatis & Iudicij proprij quam tum Deus à te desiderat abnegationem integram & perfectam. Nam si nihil pateris, vbi patientia? Vel si tantum vis pati quod iudicas esse patiendum, vbi voluntatis & Iudicij abnegatio tantopere commendata?

Nec dicas, quorsum hic patientia, quorsum hic Iudicij & voluntatis abnegatio, vbi de orando agitur, vbi de vnienda cum Deo mente negotium mihi est? Non videtur id quidem, vt dicis, opportunum, sed cùm aliter vt supponimus non possis orare quam patiendo quod nolles pati & quod humano iudicio non iudicares tum tibi esse patiendum, profecto nil restat quàm vt humanum illud iudicium abneges, & pro certo habeas tum nil fore Deo gratius quàm vt sic ores, non orando prout velles, neque meliorem tibi cum Deo fore vnionem quàm per illam Iudicij & voluntatis tuæ conformitatem abnegando prorsus quod contra sentis. Idcirco enim præcipuè Deus hoc vtitur medio tui secum vniendi quod tibi minus aptum videtur, vt sic te humilies, te subjicias, te, vno verbo, intus abneges: hic est status interior quem à te in orando tum exigit, & non alius. Ac proinde vt dictum est, si hoc recusas medium talis tibi conferendæ gratiæ, recusas partem illam quæ spectat interiorem hominem, & simul recusas medium quo non est aliud aptius & magis necessarium ad perfectam cum Deo statuendam vnionem.

Hom. 32. in Euang. Sic apte sanctus Gregorius ad illa Domini Verba: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* QVIA, inquit, *nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere quod vltra ipsum est si nesciat mactare quod est. Sic olerum plantæ transponuntur vt proficiant. Atque vt ita dixerim, eradicantur vt crescant. Sic rerum semina in terræ admixtione deficiunt, vt in reparatione sui generis vberius assurgant. Vnde enim videntur perdidisse quod erant, inde accipiunt hoc apparere quod non erant.*

III. PVNCTVM.

III. PVNCTVM.

QVI *ergo conferenda dimittit medium gratiæ, mediam is & meliorem amittit gratiam*, Nempe illam partem quæ ad internum animi ſpectat ſtatum qui cum in abnegatione Iudicij potiſſimum ſiſtat, tam fideliter retinendum eſt huius gratiæ medium, quàm religioſe cauendum eſt ne hæc à nobis excidat gratia. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Hebr. 12. Quænam illa porrò radix amaritudinis niſi iudicium proprium quo repugnamus his quæ à Deo nobis eueniunt, nec tamen opportuna videntur? & quid proinde magis cauendum ne germinet quam tale hoc noſtrum iudicium, quod prorſus eradicare videtur Apoſtolus his aliis verbis: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Numquid velles à Rom. 9. Religione Chriſtiana fidem tollere, vel à fide obſcuritatem & captiuitatem illam in quam redigi debet *omnis intellectus in obſequium Chriſti?* 2. Cor. 10. Nonne ſic reuera meliorem religionis & ampliorem meriti partem tolleres? Quis tam proiectus ad omnem impietatem & audaciam vellet aliis modis & mediis Sacramentorum gratiam recipere quam quibus à Chriſto Domino ſunt inſtituta? Quis non ritu Chriſtiano ſed ſuo ficto baptizari vellet? Quis aliter ſibi peccata dimitti quam per pœnitentiam? Aut quis ad vitam immortalem innutriri quam per illum Panem vitæ qui propterea nobis eſt conſecratus? Nonne ſic certis aliis conferendis gratiis certa ſunt quædam ordinata media, quibus niſi conſtanter adhæreas, iacturam facias illius gratiæ? Nonne propterea dictum à Propheta contra illos qui ſe inde audacius ſubtrahunt, ſuiſque ſe vellent duntaxat conſiliis regere: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me.* Oſee 6. Sic nempe Adam tranſgreſſus eſt pactum ſeu medium quo Deus illi ſtatuerat conſequentes conferre gratias, ſi medium illud ſeruaſſet: ſic autem non ſeruauit cum iudicium ſuum interponere voluit de illa fatali arbore cuius erat eſu prohibitus: ſic enim forte ſecum diſſerebat, ſi bona eſt arbor cur non comedo, ſi mala eſt quid facit in Paradyſo? Sicque liberius in Deum præuaricatus eſt.

O quàm ille conſultior Credentium Pater qui ſuum iuſſus immolare filium non cogitauit quæ multa poterant iuſſum illud re-

tardare, sed suo prius immolato iudicio sic promissæ gratiam hæreditatis accepit dum talis sibi gratiæ conferendæ medium fideliter obseruauit.

Et ne à proposito Cæci nati exemplo longius abeamus, audi ex Diuo Chrysostomo quid ab illo referas ad Veritatis praxim: *In c. 9. Ioan.* *Fides*, inquit, *cæci demonstrata est, qui non contradixit, nec apud se ita cogitauit, lutum magis excæcat, sæpe laui in Siloë, & nihil adiutus sum, si virtutem Christus haberet, præsens curasset; sed simpliciter obediuit.*

Hæc est simplex obedientia, tam fidelis gratiarum Dei dispensatrix quàm totius diuini ordinis quo illæ gratiæ conferuntur, obseruans est religiosissima. Hæc est illa simplicitas qua Euangelici primi nostri parentes in Apostolicæ meritum dignitatis admissi *Serm. de S. Andrea.* sunt, *qui vocati à Domino nihil dijudicantes aut hæsitantes*, inquit sanctus Bernardus, *non sollicisi vnde viuerent, nec considerantes quonam modo rudes homines & sine literis prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni mora relictis retibus & naui, secuti sunt eum.* Hæc est certa perfectionis attingendæ via quam qui velit in- *Ep. 4. ad Rusticum.* cedere, *Ne de majorum sententia iudices*, ait sanctus Hieronymus, *cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse, Audi Israel & tace.*

Vide in 2. p. Feria 4. & 5. infra octauam Ascensionis Domini.

FERIA QVARTA.

DE VERA GRATITVDINE PRO LVMINE SVPERNATVRALI, ET ALIIS ACCEPTIS A DEO GRATIIS.

Ille Homo qui dicitur Iesus, lutum fecit & vnxit oculos meos, & video. Ioan. 9.

VERITAS PRACTICA.

Vera Gratitudo in tenebris apparet clariùs quàm in lumine.

Ad veram propterea Gratitudinem pro acceptis luminibus Deo exhibendam, sic dicendum cum Dauide: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. *Ps. 138.*

RATIO *quæ vtramque simul Veritatem connectit & declarat hęc est, quod vera Gratitudo tunc clarius apparet quando apparet manifestius quod Benefactor magis colitur quam beneficium.*

Sed in tenebris apparet manifestius quàm in lumine quod Benefactor magis colitur quàm beneficium.

Ergo & vera Gratitudo in tenebris apparet clarius quàm in lumine. Ac proinde vt pro acceptis luminibus & gratiis vera exprimatur forma veræ gratitudinis Deo exhibendæ, sic videtur dicendum quod aiebat in Psalmis Dauid: *Sicut tenebrę eius, ita & lumen eius.* Id est, sicut in tenebris magis agnoscitur & colitur Benefactor quam beneficium, sic in lumine magis est agnoscendus & colendus, aut non est vera Gratitudo.

I. PVNCTVM.

ILLVMINATI à Christo Cæci vera in suum Benefactorem gratitudo tunc plurimum apparere cæpit cum inter vicinos & notos multa de eo quæstio facta est, multæque dictæ sententiæ, quas sic Euangelista refert: *Itaque vicini & qui viderant eum prius quia mendicus erat. Dicebant, Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant quia hic est. Alij autem nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat, quia ego sum, dicebant ergo ei, quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit, Ille Homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi, vade ad natatoria siloë, & laua, Et abij, laui, & video.*

Nec ibi porrò desinit, sed vltra semper tantò se Christo Domino gratiorem & fideliorem præbere pergit quantò pòst acrius à

Iudæis impugnatur & prohibetur Christum illum prædicare ac profiteri.

Hoc est scilicet verè esse gratum quando sic beneficium minutatim recolitur vt plura de Donatore quam de dono memorentur; magisque appareat Beneficiarij animum suo tenerius adhærere Benefactori quam suo beneficio. Quod certe rarum est, & vix ab ipsis modo qui perfectionis vias terunt vsurpatum, qui cùm abundent gratiis & diuinis impleantur luminibus, minus se tamen gratos exhibent quam dum versantur in tenebris. Fieri quidem potest vt nec in tenebris nec in lumine se satis gratos præbeant: sed si tamen in tenebris vllam præ se ferunt gratitudinem, hæc est verior & certior quàm quæ ab illis exhibetur in lumine. *Clarius inquam, in ipsis apparet tenebris quam in luce quæ sit vera gratitudo*, nec aliud quidquam aptius & opportunius ad veram in acceptis luminibus exhibendam Deo gratitudinem excogitari potest, quàm vt probe intelligatur & religiose sentiatur quod dicitur; *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

Ratio fundamentalis iam proximè cum de Cæco ageretur, indicata est & per se patet, quod vera nempe Gratitudo tunc apparet clarius quando apparet certius & manifestius quod Benefactor magis colitur ab eo qui accepit beneficium, magis æstimatur & diligitur quam ipsum acceptum beneficium. Sic enim apparet

L. 3. c. 6. esse amor, qui vt ait Gerson, *non respicit ad dona sed ad donantem se conuertit super omnia bona.* Adde quod vera Gratitudo præsertim apud Deum de qua hîc agitur, debet ita respondere menti diuinæ, vt non sit aliter vera nec aliter gratitudo quam vt diuinæ respondet menti. Primò enim nil in rebus verum quam prout ad diuinum refertur intellectum, siue quod idem est, quam prout tale

1. p. q. 16. Deus esse intelligit, vt expressè docet sanctus Thomas. Deinde verò nihil Deo gratum aut à nostra profectum gratitudine dici potest nisi quod ipse probet, nisi quod ipse velit, & quod suis intendat beneficiis vt à nobis ipsi reddatur? Quid est autem quod magis velit & suis in nos collatis beneficiis magis intendat Deus quàm vt magis ametur & colatur quàm ipsa quæ confert dona? Nonne hoc est quod expressè Moses post enumerata sigillatim beneficia quibus abundanter Deus Israelitas affecerat; *Et nunc*, inquit, *&*

Deut. 10. *nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum ac seruias Do-*

mino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?

Emphaticum plane est illud quod præmittitur, *Et nunc Israël*, Quasi diceretur, iam verò quis finis horum omnium? Quorsum tam multa beneficia nisi vt Benefactorem agnoscas & sic toto illum corde, totaque diligas anima, nihil vt supersit cordis & animæ diligendis creaturis nisi ordinate ad ipsum prout velit, prout permittat? Quod quia tamen Israël non erat effecturus, sed contrà plus in donis quam in donante positurus, audi quam propterea grauiter cum illo Deus expostulet, *Incrassatus est dilectus, & recalcitauit: Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum Factorem suum!* Et dolentiùs apud Prophetam: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me!* Non certe aliter quàm quod donis abusi sunt, nec aliter sunt abusi quam quod plus sibi data dona dilexerint quàm Datorem. Ib. 32. Is. 1.

II. PVNCTVM.

SED quando Gratitudo exhibetur in tenebris, tunc apparet manifestius quam quando in lumine redditur, quod Benefactor magis colitur quam beneficium.

Primo hìc per tenebras & per lumen intelligi quælibet aduersa & prospera notius est quàm vt expressius declaretur.

Deinde additur in propositione, quando Gratitudo exhibetur in tenebris, ne alioquin putetur hic vniuersim asseri quod Gratitudo magis exerceatur in aduersis quam in prosperis, quod non est ita: Nam facilius est & vulgarius gratias referre Deo propter accepta beneficia, quam propter inflictas plagas; Cum enim in acceptis beneficiis amor quí dicitur concupiscentiæ siue naturalis amor sui facile reperiatur, hinc statim gaudium ex bono possesso manat, & ex gaudio quædam gratitudo, sed non qualis in tenebris & aduersis. Vbi nihil proprium, nihil concupiscibile, nihil naturale nihil amabile, sed omnia prorsus opposita sentiuntur.

Atque hinc fit, vt quod habet Propositio, quando in tenebris & aduersis Gratitudo exhibetur, magis appareat quam in prosperis quod Benefactor colatur & ametur, plusquam beneficium. Licet enim aduersa poni debeant in beneficiis, non ita tamen sensu naturali percipiuntur sicut prospera, nec proinde lætitia & gratitudo quæ tum in aduersis excitatur, tam naturalis

est sicut quæ sentitur in prosperis; atque ita demùm quando ex vna parte nihil naturale, nihil proprium amor naturalis & proprius reperitur quo lætetur & vnde gratias referat; & ex altera tamen exultat animus & gratias Deo refert, ita inquam euidenter sequitur vt tum magis appareat quod pure & sincere solus spectetur Deus à quo sunt illa quæ patitur naturæ repugnantia, & à quo quidquid est meretur laudem & gratitudinem. Esto enim vt dictum est, illa etiam aduersa respiciat animus tamquam bonum suum, quia tamen non sunt bonum naturale, non caducum, non transitorium, sed æternum & beatum, longe hic purius semper spectatur Deus quam spectari solet in prosperis quando ex his tantum lætamur quod sint huius vitæ bona. Neque enim hanc quæ ex caducis & perituris bonis oritur, lætitiam tam certum est & à Deo prouenire, & ad ipsum redire Deum, sicut quæ sentitur ex bonis spiritualibus, & quæ exuperat omnem sensum.

Quamobrem recte sanctus Hieronymus in hæc Apostoli ad
Ephes. 5. Ephesios Verba, *Gratias agentes semper in omnibus: QVANDO*, inquit, *in Dei beneficiis quæ nobis accidunt gratulamur: hoc & Gentilis facit & Iudæus, & Publicanus, & Ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ aduersa putantur referre gratias Creatori. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias quod de periculis vel miseriis liberati sint: sed iuxta Apostolum hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis ac miseriis Deo gratiæ referantur, & semper dicamus, Benedictus Deus, minora me scio sustinere quàm mereor, hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur, Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Saluatorem quem nec orbitas nec damna debilitant: quem vt Flaccus in Lyrico carmine ait, si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.*

Cur porro hunc esse animum Christiani, sanctus affirmat Doctor nisi quia Christiani est hominis, non naturali, non humano, sed spirituali & supernaturali motu moueri; sicque illi qui mouentur in aduersis ad gratias Deo referendas se vere Christianos profitentur quia sic moueri non est naturale, non est humanum, sed spirituale & Diuinum: non quæ sibi sunt propria seu com-
Col. 4. moda respicimus, sed quæ magis Deum spectant: *Pleni in omni voluntate Dei.*

III. PVNCTVM.

VERA *igitur Gratitudo in tenebris apparet clarius quàm in lumine: ſicque ad veram illam gratitudinem pro acceptis luminibus Deo exhibendam, dicendum cum Dauide, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius:* Sicut in tenebris & aduerſis laudatur Deus, ita in lumine, ita in proſperis eſt laudandus: ſicut in tenebris purè ſpectatur Deus non aliud quidquam, ita in donis purè ſpectandus Deus, non ipſa dona: Maius eſt ipſe Bonum quam quæ bona largitur: magis eſt laudandus quia in ſe eſt bonus quam in nobis: magis denique benedicendus in ſuis nobis collatis bonis quia ſit illa vult nobis conferre, quam quia ſit illa nobis volumus: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei,* dicebat Deo Dauid de homine ſeſe magis amante quam Deum, quod auertat ipſe à nobis Deus *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere,* Cum vt dictum eſt, ex tenebris diſcimus quid in luce dicamus. *Pſ. 48.* *2. Cor. 4.*

Sæpe quidem aliter in Scripturis & in ſanctis Patribus à luce prouocamur ad tenebras, Id eſt, à gratiis quas Deo reddimus in proſperis, excitamur ad eaſdem illi perſoluendas in aduerſis, quia videlicet vt diximus, non ita facile ſemper aduerſa ſicut proſpera de manu Dei accipimus, quo in ſtatu fatendum eſt mentem illam quæ aduerſis repugnat, perſuadendam eſſe non modo ne repugnet, ſed ne minus etiam ſe tùm gratam Deo exhibeat, quàm in luce & proſperis, quia non ſunt illa minus à Deo quam iſta, nec minus in vtriſque eſt beneficium, ſi non minus bene malis vtamur quam bene bonis fruimur. At verò cum animus de his perſuaſus iam cæperit ſuas in tenebris & aduerſis grates depromere, nec ſe minus obſtrictum Deo mortificanti quam viuificanti agnoſcere, tunc illæ tam puræ ſunt & ſinceræ grates quas Deo mortificanti perſoluit, vt inde diſcat oportet pares viuificanti Deo reddere, cum alioquin niſi ſic perpurgentur, & amore proprio qui ſe acceptis ita permiſcet beneficiis, vt hæc potius quam Benefactorem ſpectet, exuantur, non erunt ita gratæ, non erunt ita ſinceræ non ita defœcatæ grates, non erit vera gratitudo quæ ſolum vera eſt cum Benefactor magis agnoſcitur quam beneficium, ac proinde conſtans manet Veritas, Quod ſit diſcendum à tenebris quid ſit in luce dicendum.

Perinde quasi quod de intellectu & voluntate dicitur, hîc agi diceres: nempe intellectum mouet voluntas ad exercitium sui actus, & voluntatem mouet intellectus ad illum suum quem specificum vocant actum: Sic plane à prosperis exercitium: & ab aduersis species seu forma gratitudinis exhibenda discatur.

Quo in vtroque genere vt pares simus animis, animos expedit omnino expeditos esse suis prauis affectibus, nihil vt aliud velint quam quod purè Deus, & cum illo qui dixit, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*, possimus etiam quod proxime sequitur, Deo dicere, *Quia tu possedisti renes meos*, Quod præclare admodum prosequitur sanctus Augustinus, ad illos ipsos Psalmi versus: *Quæ est*, inquit, *lux noctis huius? Prosperitas & felicitas sæculi huius, gaudium temporale, honor temporalis, quasi lux est noctis huius. Aduersitas autem & amaritudo tribulationum vel ignobilitas, tanquam tenebræ sunt noctis huius. In hac nocte, in hac mortalitate vitæ humanæ habent homines lucem, habent homines tenebras: lucem prosperitatem, tenebras aduersitatem. Sed vbi venerit Dominus Iesus Christus, & habitauerit animam per fidem, & promiserit aliam lucem, & inspirauerit, & donauerit patientiam, & monuerit hominem non delectari prosperis, ne frangatur aduersis: incipit homo fidelis indifferenter vti mundo isto, nec extolli quando res prosperæ accedunt, nec frangi quando res aduersæ sunt, sed vbique Dominum benedicere, non solum quando abundat, sed etiam quando amittit: non solum quando sanus est, sed etiam quando ægrotat, vt sit in illo vera illa cantatio, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Si ergo semper & quando lucet nox ista, & quando obscura est nox ista, quando arridet prosperitas, quando tristis est aduersitas, semper sit laus eius in ore tuo, & fiet tibi quod modo dictum est, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Non me conculcant tenebræ eius, quia non me extollit lumen eius. Ecce habes lumen ipsius in Iob, abundabat omnibus rebus: lux noctis in illius diuitiis prima describitur: quantis rebus & quanta copia redundabat, lux erat noctis eius. Putauit inimicus propterea illum talem virum colere Deum, quia illa omnia donauerat ei, & petiuit vt auferrentur ab eo. Factæ sunt tenebræ noctis illius, quæ primò habebat lucem. Nouerat tamen ille, siue lux ibi esset, siue tenebræ, illam noctem esse, in qua peregrinaretur à Deo suo, & habebat interiorem lucem ipsum Deum suum, per quam lucem interiorem indifferenter haberet siue tenebras noctis illius, siue lucem, propterea quia in luce noctis illius, id est, in rerum abundantia colebat Deum,*

Psal. 33.

Deum, ablatis illi omnibus rebus. Posteaquam facta sunt tenebræ illius, quid dixit ille? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. In nocte sum quadam vita huius. Dominus inquit, habitat in cor meum, illuminauit mihi solatiis quibusdam noctem: quando dedit copias rerum temporalium. Subtraxit ipsam lucem temporalem, & quasi tenebrata est nox. Sed quia sicut tenebræ eius, sic & lumen eius, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Non sum tristis in nocte hac, quia sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Vtrumque transit, vt qui gaudent tamquam non gaudentes sint, & qui flent tanquam non flentes sint, quia sicut tenebræ eius ita & lumen eius. Quoniam tu possedisti renes meos Domine. Non sine causa sicut tenebræ eius, sic & lumen eius. Intus est possessor, qui non solum cor tenet, sed etiam renes: non solùm cogitationes, sed etiam delectationes. Ipse ergo possidet vnde me delectaret aliquid lucis in nocte, ipse tenet renes meos: Non noui delectari nisi de luce interiore sapientiæ ipsius. Quid ergo? Non delectaris de prosperitate rerum, de fœlicitate temporum, de honoribus, de diuitiis, de familia? Non delector, inquit. Quare? quia sicut tenebræ eius ita & lumen eius. Vnde, tibi ista indifferentia, vt sicut tenebræ eius, sit sit tibi & lumen eius? Vnde quoniam tu possedisti renes meos Domine, suscepisti me de vtero matris meæ. Et quæ plura pergit quæ videri possunt.

1. Cor. 7.

Nec omittenda illa quæ habet in hunc Psalmi versum: *In noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum. FACILE est*, inquit, *benedicere in diebus. Quid est, in diebus? in rebus prosperis. Nox enim tristis res est, dies res est læta. Quando tibi bene est, benedicis Dominum: quando filium desideras, & nascitur, benedicis Dominum. Liberata est vxor tua à periculo partus, benedicis Dominum. Aegrotabat filius, liberatur, benedicis Dominum. Aegrotabat filius, fortè quæsisti Mathematicum, sortilegum, fortè non de lingua, sed de moribus tuis exiit maledictio in Dominum, exiit de moribus & de vita tua. Noli gloriari, quia lingua benedicis, si vita maledicis. Quomodo, inquis, vita maledico? quia attenditur vita tua, & dicitur, Ecce Christianus, ecce quales sunt Christiani: blasphematur propter te Christus. Ecce cum vita tua maledicat, quid prodest quod lingua tua benedicit? Benedicite ergo Dominum. Quando? In noctibus. Quando benedixit Iob: quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia quæ possidebantur: ablatis filiis, quibus seruabantur, quàm tristis nox! sed videamus, si non in noctibus benedicit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita fa-* Iob. 1.

133.

ctum est, sit nomen Domini benedictum. Quàm nox atrox! percussus vulnere à capite vsque ad pedes putrefactus liquescebat in se, tunc enim vxor ausa est eum tentare, Dic aliquid in Deum tuum, & morere. Audi benedicentem in noctibus: Locuta es, inquit, quasi vna ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non toleramus? Iob 2.
Ecce quid est, in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

Huc etiam referri debent quæ habentur in 1. p. Sabbato Hebd. 4. post Epiph. & in 3. parte, Dominica 13. post Pentecosten.

FERIA QVINTA.

DE BONO LIBERTATIS VSV. SECVNDVM ACCEPTAS GRATIAS.

Dixerunt Cæco iterum, Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quia Propheta est. Ioan. 9.

VERITAS PRACTICA.

Cos bonæ libertatis, mala libertas.

Id est,

Tantò magis acui & excitari debemus ad verum liberè prædicandum & bonum benè agendum, quantò alij liberiores sunt ad illud impugnandum.

RATIO EST, *Quia quantò majus est periculum pessundandæ Veritatis & profanandæ fidei, tanto magis acui & excitari debemus ad illam protegendam.*

Sed quanto alij liberiores fuerint ad impugnandum Verum, tanto

est majus periculum pessundandæ Veritatis & profanandæ fidei. Ergo inde magis acui & excitari debemus ad illam protegendam, sicque fiet Cos bonæ libertatis mala libertas, quando ex malorum libertate, Bonorum libertas exacuetur & excitabitur.

I. PVNCTVM.

CVM vicini & noti disceptarent inter sese ac quærerent de Cæco illuminato quod supra dictum est, *adduxerunt eum ad Pharizæos. Erat autem Sabbatum,* inquit Euangelista, *quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharizæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui & video. Dicebant ergo ex Pharizæis quidam, Non est hic homo à Deo qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant, quomodo potest peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quia Propheta est.* Id est, à Deo missus & verax Doctor, atque idcirco audiendus & colendus. Nam talis Propheta dicebatur licet nihil futurum prædiceret, quale adhuc hic homo cæcus, à Iesu non audierat.

At vero meditare attentius quàm sint in carpendis Christi operibus liberi Pharizæi: & contrà qui cæcus fuit quam sit expeditus & acer Christi defensor. Audent Iudæi primo negare hunc ipsum esse hominem qui cæcus fuerat: Deinde non verentur illum affirmare qui lutum fecit in Sabbato non esse à Deo missum, non esse virum audiendum: Ac denique, quod est tetrius, non alium eum dicunt quàm peccatorem, Id est, hypocritam, Pseudoprophetam, blasphemum & Illusorem. Quanta licentia! Quanta præsumptio! Cæcus autem ex opposito constanter & obfirmatè profitetur se illum ipsum esse qui erat cæcus & mendicus: palam denuntiat omnibus Virum illum à quo lumen accepit esse à Deo, esse Prophetam, esse Doctorem & Magistrum cuius se discipulos Pharizæi omnes debeant profiteri: ac quidquid tandem obstrepant, quidquid minentur, nullis terretur verbis, quin potius tanto audacius pergit loqui, quanto illi vt sileat vrgent acrius. *Sic bonam libertatem mala libertas velut Cos acuit & prouocat,* sicut à Tullio Cos fortitudinis dicitur Iracundia.

Quamobrem in id modò insistendum, vt formatam inde Veritatem diligenter expendamus, & quoties incideret nos inter tales versari homines qui sacra & Diuina liberius carperent, intelligamus nobis non esse liberum tunc silere, sed tanto magis nos acuendos & excitandos ad veram fidem cum bonis moribus propugnandam, quanto illi essent liberiores ad illam expugnandam.

2. Cor. 13. *Non enim possumus aliquid aduersus Veritatem sed pro Veritate*, Quasi diceret Apostolus, sicut nobis non licet aduersus Veritatem loqui, sic neque licet non loqui pro Veritate quando maxime impugnamur. Is. 6. *Væ mihi quia tacui*, serò tandem agnoscit Propheta quod ipsum Regem Oziam non monuisset, & contra profanos ritus pro Veritate non stetisset. Tunc nempe tanto magis exardere contra debuerat quanto majus periculum videre poterat impendens sinceræ fidei, sic peccante Rege. 2. parte Pastor c. 4. *Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit*, inquit apte Diuus Gregorius, *ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat dicens : Canes muti non valentes latrare.* Is. 56. Ez. 13. *Et rursum : Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel, vt prorsus staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire; & in die Domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex Iustitiæ amore resistere.*

Cum enim illi tam audaces & proterui sint contra Veritatem, nonne dolendum esset eos esse timidos & pauentes quibus pro Veritate pugnandum est. Sic planè sentiebat sanctus Ambrosius: Ep. 30. ad Sabin. *Etenim doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in Veritate negligentiam vt confundantur plerique attentiores ad Sacro-sanctam religionem videri, non considerantes vocem dicentis, qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam & ego eum corvm Patre meo qui est in cælis.*

2. Tim. 4. Denique si quod monet Apostolus, *instandum est opportunè importunè*, quandonam opportunius pro Veritate pugnabitur quam quando impugnatur? *Dicturis importunè Apostolus, præmisit opportune, quia scilicet* vt rectè notat sanctus Gregorius, 2. p. Past. c. 4. *apud auditoris mentem ipsa sua vtilitate se destruit si habere importunitas opportunitatem nescit :* At quando talis loquendi sese offert occasio vt vel pessundetur Veritas nisi loquaris, aut seruetur si loquaris: tunc quãta præcedit opportunitas, tãta sequatur necesse est & importunitas.

II. PVNCTVM.

SED *quantò alij liberiores fuerint ad impugnandum Verum, tanto est majus periculum pessundandæ Veritatis, & profanandæ fidei.*

Tunc enim pessundari dicitur Veritas & profanari Fides, quando sic primo à nonnullis vilisit & deprimitur, vt deinde ab aliis sensim contemnatur. Quanto illi autem qui Veritatem impugnant liberiores fuerint in loquendo, tanto certe manifestius & se ostendunt nihili ducere quod ita palam impugnant, & facilius persuadent aliis id ita esse, quando præsertim nemo illos reuincit, nemo illis resistit. Tunc nempe hæc tacita & peruersa subit vnumquemque cogitatio, quomodo illi tam proiectè auderent loqui, vel quomodo illis tam timide resisteretur, nisi res ita esset? Cum iam verò Veritates illæ de quibus ita palam detrahitur, non sint vulgo gratæ & acceptæ, quod naturalibus repugnent concupiscentiis, sic facile veniunt in contemptum & pessundantur: vnde illi gemitus apud Prophetas, & frequentes in Scripturis querelæ: *Corruit in platea Veritas.* Non in angulis, non in recessu, Is. 59. non in occulto, sed in plateis, in vicis, in manifesto coram omnibus, nullum vt lateat, sole vt ipso clarius pateat; hoc est perire Veritatem, hoc est fidem & religionem profanari. Vnde & alius Propheta: *Veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam* Ier. 9. *loqui mendacium.* Id est, non id ioco, non id temere, non leuiter, sed certa quadam ex scientia, sed meditatò, ex industria & quasi subductis hinc inde rationibus contra Veritatem loquuntur vt tanto minus appareat mendacium, quanto ipsi liberiores in loquendo & audaciores in probando quod loquuntur apparebunt.

Hæc est Cathedra pestilentiæ de qua Psalmo primo, *Beatus vir* Ps. 1. *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*, Siue vt Hebræa ferunt, *In cathedra Irrisorum*, Quod eódem prorsus redit, nam & illi simul irrisores sunt & pestilentes, sicut enim pestis facile gliscit & in vulgus manat, sic peruersa dogmata quæ ludicris quibusdam verbis & facetis irrisionibus condiuntur; nihil ad aurem procliuius, nihil ad pectus pestilentius: *Quasi carmen musicum quod suaui dulcique sono* Ez. 33. *canitur.*

Tum vero quis hic bonorum sensus? Quis animus? Quis silere possit? Quis non loquatur potentias & virtutes Domini?

III. PVNCTVM.

COS *igitur bonæ libertatis, mala libertas; Et tanto magis acui, tanto ardentius excitari debemus ad Verum liberè prædicandum, & bonum bene agendum, quanto alij liberiores fuerint ad illud impugnandum:* Quia sic tunc acriter impugnatur Veritas vt expugnetur, nisi contra obsistatur: Tùm verò quando est tale periculum Veritatis expugnandæ & funditus euertendæ, quis eorum non se opponat *quorum labia custodiunt scientiam, & ex quorum ore legem requirent?* Non quidem in contentione & æmulatione, *sed honestè ac secundum ordinem omnia fiant in suauitate, in spiritu sancto, si fieri potest quantum ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes*, Sed si fieri non potest, pacis priuatæ iactura minor est quam Veritatis: *Et melior est contentio pietatis causa suscepta, quam vitiosa concordia*, inquit sanctus Gregorius Nazianzenus.

Mal. 2. 1 Cor. 14. Rom. 12. Orat. 12. & 1. de pace

Et vero si pietatis causa talis contentio suscipitur, cur ipsa pietas deseratur? Cur Charitas deponetur quæ congaudet Veritati quando pro Veritate pugnabitur? Cur male faciet is qui non contendit cum alio nisi vt bene faciat? *Quia sic est voluntas Dei*, ait sanctus Petrus, *vt bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut serui Dei.* Quasi diceret, sic liberi sumus, vt tamen simus serui: sic est libertas assumenda, vt tamen non deponatur seruitus: sic libere quisquis loquatur, vt loquendo seruiat Domino Deo suo. Sic denique causam suscipiat vt non suam, sed Dei causam agat.

1. Pet. 2.

Quod & ipsum paulo post repetens: *Timorem*, inquit, *eorum ne timueritis, & non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, sed cum modestia & timore. Conscientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Videsne timorem hîc vetari simul & præcipi? Vetatur quidem ne desinas loqui: sed præcipitur, ne loquendo quemquam lædas. Sicut itaque non est silendum cum præiudicio Veritatis, sic plane

Ibid. 3.

non est loquendum cum detrimento Charitatis. Quod vtrumque pariter obseruandum, manifeste nobis innuitur in illis symbolis quæ vesti quondam Sacerdotali iubebantur attexi, mala scilicet punica mixtis in medio tintinnabulis, *Quid enim per tintinnabula nisi sonitum loquentis sacerdotis, & quid per mala granata nisi vel fidei vel Charitatis vnionem intelligas: Nam sicut in malo punico,* inquit sanctus Gregorius, *vno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sancta Ecclesiæ populos, vnitas fidei contegit quos intus diuersitas meritorum tenet. Mala punica tintinnabulis iungite, vt per omne quod dicitis, vnitatem fidei cauta obseruatione teneatis. Quæ quidem vnitas fidei multum confert ad fouendam Charitatis vnionem: sed & ipsa Charitatis vnio non minus ducit ad refouendam fidei si forte langueat, vnitatem.* Exodi 18. 2. parte Past. c. 4.

Vide in 3. parte, Sabbato Hebdomada decima, vbi hæc Veritas demonstratur:

Optabilius bonum bellum quàm mala pax.

FERIA SEXTA.

DE COMMVNICANDIS OPPORTVNE LVMINIBVS, ET GRATIIS ACCEPTIS.

Numquid & vos vultis eius discipuli fieri? A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. Ioan. 9.

VERITAS PRACTICA.

Aut sis æquus dispensator, aut iniquus dissipator.

SENSVS ET RATIO EST, *Quod qui seruus à Domino suo rem accepit aliis dispensandam, aut sit oportet æquus rei dispensator, aut iniquus dissipator.*

Sed quas habes gratias gratis datas, accepisti à Christo Domino in alios dispensandas.

Ergo aut sis æquus dispensator, aut iniquus dissipator, prout illas fideliter communicaueris, vel infidè negaris, gratias.

I. PVNCTVM.

QVOD sancti Doctores aiunt illos à Christo sanatos esse animo qui corpore sanabantur, apparet in hoc præcipue Cæco illuminato, qui tantum interni luminis & Diuinæ gratiæ, cum externo accepit oculorum lumine, vt non modo ipse videret Illum esse Virum cœlitus missum à quo curatus fuerat, sed & vellet hanc omnibus communicare gratiam, vt & ipsi Prophetam eum agnoscerent, audirent, & colerent.

Cùm itaque variis Iudæorum interrogationibus vrgeretur vt quid sibi à Christo factum esset ad curationem cæcitatis euulgaret, quanam arte quibusue modis ac mediis aperuisset eius oculos: *Respondit eis; dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire? Numquid & vos vultis eius discipuli fieri? LOQVEBATVR*, inquit sanctus Augustinus, *iam stomachans aduersus duritiam Iudæorum, & ex cæco videns, non ferens cæcos.* At verò cum Iudæi contra obfirmatè niterentur, & se quidem Mosis discipulos dicerent, hunc autem quem prædicabat cæcus, nescirent vnde esset: *Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos! Scimus autem quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Nonne hoc est docere, nonne hoc est acceptas gratias communicare aliis? Nonne propterea Iudæi grauius excandescentes, *Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?*

Sic itaque nobis imitandus est iste non iam cæcus sed multum illuminatus & illuminans, vt quæ in proximiorum vtilitatem accepimus,

cepimus, libenter impendamus, non tantum quando liberiores occurrent alij quemadmodum heri dictum est, in carpendis veritatibus, sed quoties vel officij nostri ratio, vel exhibendæ Charitatis occasio sese dabit. Aut ipsa etiam ignaræ plebis necessitas à nobis exiget, non parcamus dictis salubribus, non retineamus verbum salutis, non abscondamus talentum, non cessemus dare quod dandum accepimus & quod dando numquam minuitur. Caue diligenter, *si accepta gratiæ non fueris æquus dispensator, ne sis iniquus dissipator.*

Alterutrum te horum necessariò tandem futurum, Ratio hæc prorsus suadet. Nam qualis ille cumque sit seruus qui pecuniam aut panem aut triticum aut vestes aut quid aliud acceperit à Domino suo quod vel familiæ, vel mercenariis vel egenis distribuat; nonne hunc esse oportet vel æquum rei sibi creditæ dispensatorem vel iniquum dissipatorem? Nam vel fideliter & ex æquo quibus debet secundum Domini sui mentem distribuet, vel non distribuet; Si primum, æquus est ille dispensator quem Dominus ipse describit, *quis putas est fidelis dispensator & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Luc. 12. Si secundum, iniquus est dissipator, siue in emolumentum suum bona illa transtulerit, siue ad alios fines non malos detorserit, siue in pios etiam vsus impenderit: dissipasse bona dicendus est quia tantum non fideliter illa dispensauit prout dispensanda ex Domini mente acceperat. Et inique dissipasse dicendus est quia non erat bonorum Dominus sed Domini seruus & bonorum distributor ex illius cognita voluntate. Seruus ille est infidelis *qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, & qui propterea vapulabit multis.* Ibid.

Quod & clarius in Villico iniquitatis demonstratur qui expresse bona sui Domini dicitur dissipasse. Luc. 16. Quamobrem verò nisi quod ad Domini mentem bona illa non dispensasset? Cur autem diffamatur hoc nomine, cur illi à Domino dicitur, *quid hoc audio de te, redde rationem Villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare*, nisi quia talis erat iniqua dissipatio, nisi quia qui noluit esse æquus dispensator, factus est iniquus dissipator? O si tam probe nossemus quæ sunt interna & spiritualia, quàm sunt externa hæc & humana, cunctis manifesta!

II. PVNCTVM.

SED quas habes gratias gratis datas, tu illas accepisti à Christo Domino in alios dispensandas: non illas quidem formales gratias, sed illarum operationes & effectus.

Id est, si quid ad æternam aliorum salutem noueris quod possis sine proprio salutis & perfectionis detrimento communicare, sic te puta illud hoc fine accepisse à Domino vt data occasione communices quibus primò debes ex officio, & Iustitia; tum quibus potes ex Charitate, zelo, fidelitate ac pluribus âliis quæ considerari possunt motiuis.

1. Pet. 4. Sic aperte sanctus Petrus: *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*; Quasi diceret, cum sint variæ multiplicesque gratiæ variis distributæ ac diuersis etiam distribuendæ, debet vnusquisque primum videre quid acceperit, ne supra id quod possit tentet; Deinde vero aduertat quibuscum agat, vt quod vnicuique est aptius largiatur. Ac denique vt agnoscat quàm se fidelem præstare debeat in hoc communicandæ gratiæ munere, cogitet se velut dispensatorem Christi esse à quo accepit quod daret, & quod sibi retinere non potest tamquam proprium. Sic enim pergit idem Apostolus: *Si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat tamquam ex Virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum*, Id est, quidquid boni dicat vel faciat, non tamquam suum se putet dicere vel facere, sed tamquam diuinum munus hoc sibi communicatum fine, non vt sibi soli seruet sed vt aliis partiatur; tum ne sibi vsurpet quod non est suum, tum ne sibi gloriam communicati boni vendicet, sed totum referatur Deo, à quo totum est, & ad quem redire totum debet.

1. Cor. 4. Sic coapostolus eius Paulus, *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur.* Nempe vt fideliter quod accepit distribuat, & distributæ etiam gratiæ gloriam sibi non arroget.

Act. 20. Vnde & de seipso suis aiebat: *Dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei*, Quasi diceret, hoc vnum curo: Tum paulò pôst pergens: *Quapropter*, inquit, *contestor vos hodierna die, quia mundus*

sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Id est, si quis vestrum pereat, non mea peribit culpa quia quidquid à Deo acceperam illi dandum ad salutem, non negaui. Quod declarando particularius sic pergebat: *Propter quod vigilate: memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemque vestrum.*

Hoc est facto confirmare quod docebat verbo de communicandis ea fidelitate donis cœlestibus qua dispensator teneretur ad terrena dispensanda pro sui præscripto Domini.

Sic sancti Patres intellexerunt & præstiterunt, quos inter Diuus Gregorius: *Tunc bene,* inquit, *multiformis Dei gratia dispensatur, quando acceptum donum, & eius qui hoc non habet, creditur: quando propter eum cui impenditur, sibi datum putatur: Hinc per Paulum dicitur, per Charitatem seruite inuicem. Tunc enim nos Charitas à iugo culpæ liberos reddit, cùm vicissim nos nostro per amorem seruitio subjicit: cum & aliena bona, nostra credimus; & nostra aliis quasi sua offerentes, exhibemus.* Et rursum alibi explicans illud Ezechielis de mysticis animalibus à Propheta visis, *sub firmamento pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: TVNC,* inquit, *pennæ virtutum sub firmamento rectæ sunt, quando bonum quod alter habet, hoc alteri impendit: vt qui terrenam substantiam accipit, indigentis proximi inopiam subleuet. Qui doctrinæ gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suæ prædicationis illustret. Qui temporali potestate subnixus est, oppressos à violentiis releuet. Qui prophetiæ spiritu plenus est, à vita proximi mala, imminentia bona suadendo, declinet. Qui gratiam curationis accipit: intercessione sua saluti infirmantium piè & humiliter impendat. Qui à terrenis actibus liber soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem sæpe vt qui in terrena substantia nimis occupatur, orationi non quantum debet inuigilet. Et fit plerunque vt is qui ad exorandum Dominum cunctis mundi oneribus exutus vacat, sustentationem viuendi non habeat. Sed dum diues porrigit alimentum atque vestimentum pauperi, & dum pauper orationem suam animæ diuitis impendit, pennæ animalium rectæ alterius ad alterum tenduntur. Nam dum ille mihi verbum prædicationis exhibet, & lumine veritatis ex corde meo ignorantiæ tenebras expellit, dúmque illi ego quia fortasse à mundi huius potente opprimitur, solatium meæ defensionis impartior, atque hunc de violentis manibus euello, vicissim nobis pennas nostras tendimus, vt nos affectu & ope vicaria, ex bono quod accepimus tangamus. Vnde bene primus Pastor ad-*

L. 28. Mor. c. 11.

Ezech. 1. Hom. 7.

1. Pet. 4. *monet dicens: Omnium finis appropinquabit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus: ante omnia mutuam in vobismetipsis Charitatem continuam habentes, quia Charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmurationibus. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Quod ergo apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum Apostolum accepta gratia dicitur. Et quod ille ait: Rectæ pennæ alterius ad alterum: hoc Ecclesiæ pastor dicit, vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Pennæ enim nostræ rectæ iam non sunt, si ad vtilitatem nostram solummodo reflectuntur. Sed tunc rectæ fiunt, cum in vtilitatem proximi dirigimus quod habemus. Quia enim bona nostra non à nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus à quo factum est vt essemus, tanto ea nobis non debemus retinere priuata, quanto ea nobis conspicimus ab Auctore nostro ad communem vtilitatem data. Vnde rectè Petrus Apostolus in exhortatione huius rei subdit dicens: Sicut boni dispensatores multiformis gra-*
Ibidem. *tiæ Dei.* Atque *adhuc adjicit: Si quis loquitur, quasi sermones Dei: Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus. Ac si aperte dicat: Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis non à vobis esse quod habetis. Qualibet enim penna virtutis cùm ad proximum impartiendo tenditur, recta non erit, si humilitate caruerit.*

III. PVNCTVM.

QVISQVIS *igitur accepisti quod aliis ad salutem communicare possis, aut sis æquus dispensator, aut iniquus dissipator*; Quia nisi fideliter illud dispenses, inique dissipas: cum dissipare sit aliud nihil quam non fideliter dispensare vel administrare quod idcirco acceperas vt tamquam bonus dispensator aliis pro suo cuique
Ps. 118. captu disperties, vnde illud Psalmi: *Dissipauerunt legem tuam*, Id est, non eam obseruarunt quo erat seruanda modo; Et libri
Pr. 18. Prouerbiorum: *Qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est opera sua dissipantis.* Id est, illi similis qui sua perdit. Sic plane sua perdit qui sua sola facit quæ aliis communicanda erant: Nam non erant eius nisi essent & aliorum quibus negat: nec vnquam magis eius fuissent nisi cum ea communicasset aliis, quia sic Chri-
Luc. 8. & 19. stus Dominus statuit *Quod omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Id est, vt interpretatur sanctus Augustinus, *omni bene vtenti eo quod accepit ad*

aliorum vtilitatem, tanto id abundantius multiplicatur, quanto hinc copiosius aliis benefacit: Vt è contra non sic vtenti fideliter, nec quidquam quod non habeat acquiritur, nec ipsum habet quod habebat; Qua ratione sanctus Doctor vtitur, vt qui timent ne communicando aliis, sibi prejudicent, timorem pellant, *Non est*, inquit, *metuendum ne Deus dare desinat cætera dum ea quæ data sunt cæperimus impendere. Sicut ille panis quem Christus multiplicauit in deserto, dum frangeretur, accreuit, sic ea quæ ad hoc opus aggrediendum iam Dominus præbuit cùm dispensari cæperint, eo ipso suggerente multiplicabuntur, vt in hoc ipso ministerio non solum nullam patiamur inopiam, sed de mirabili eius abundantia gaudeamus.* 1. De doct. 10.

Recte autem & de his timidis sanctus Gregorius: Diuinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timor timorem expellat. Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Et quæ fuse prosequitur, quæ habentur in 3. parte, Sabbato Hebdomadæ yndecimæ, vbi hæc Veritas exponitur: 3. P. Past. adm. 26.

Rape ad Eum quos potes: Nam si potes, & non rapis, tot cœlo perdis quot Christo lucrari poteras.

Videri & ista præcipuè debet quæ declaratur in 1. parte, Die 18. Ianuarij:

Nemo magis sibi Christum seruat, quam qui minus sibi soli seruat.

Vel è contrario:

Nemo minus sibi Christum seruat quàm qui magis sibi soli seruat.



SABBATO.

DE PROMPTO GRATIARVM VSV NEC DIFFERENDA LVMINVM PRAXI.

Audiuit Iesus, quia ejecerunt eum foras, & cùm

inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit, quis est Domine, vt credam in eum. Et dixit ei Iesus. Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Domine, & procidens adorauit eum. Ioan. 9.

VERITATES PRACTICÆ.

Satius sæpe esset non videre quod facias, quam non id facere quod faciendum videas.

Quia hæc Veritas eundem pene sensum habet atque ista:

Melius erat viam Iustitiæ non introisse quam retroisse.

Vide pro vtraque declaranda in 2. parte, Feria 5. Hebd. 4. post Pascha, Nec non in 3. parte, Feria 2. Hebdomadæ 9. vbi hæc demonstratur:

Affectum probat effectus.

De vitanda porro dilatione, præsto sunt hæ sequentes:

Quidquid offerendum Deo sciet vera Deuotio, differre nesciet.

In 1. parte, Feria 2. Dom. 4. Aduentus.

Dum lucet, ambulandum: ne tenebræ fiant.

In 1. parte, Die 5. Ianuarij.

Quò longius differes, difficultatem difficilius tolles.

In 1. parte, Feria 2. Hebdom. 4. post Epiphaniam.

Si dum adest occasio, virtus abest: vix vnquam aderit.

In 2. parte, Feria 2. Hebd. 2. in Quadragesima.

Præcipitatio animi in statu vitæ diligendo, præcipitium est animæ.

Non euitat præcipitium sed mutat qui ne nimis sit præceps, nimis est lentus.

In 2. parte, in fine vbi de statibus prima & secunda Consideratione.

Verbum Dei non redit vacuum, aut prosit necesse est, aut obsit.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 8. quæ accommodari possent Iudæis excæcatis, & Cæco illuminato.

Quod videris tibi velle si differas, velles quidem, sed verè non vis.

In 3. parte, Feria 2. Hebdom. 12.

Volenti bonum & differenti, præstaret nolle quam differre.

Ratio est, quia præstaret posse facilius culpam agnoscere si qua est in nolendo vel differendo bonum, quàm non agnoscere.

Sed qui nolit omnino bonum, hic poterit culpam cum gratia facilius agnoscere, quam qui velit & differat, Nam *nolle* repugnat manifeste bonæ voluntati sicque facilius malum agnosci poterit: Differre vero licet sit malum, non ita tamen euidenter pugnat cum bona voluntate, quia qui differt etiam sine causa, se semper bonam illam putat habere voluntatem, in quo errat & decipitur, quia non est bona nec vera voluntas quæ quod potest & quod debet non facit. Hoc est enim quod ait Sapiens, *Vult & non vult piger,* Prou. 13. Nam piger ille est qui differt sine causa. Quomodo autem simpliciter & absolute nolit, nec sit vera voluntas, sed velleitas qua se piger dicit velle:

Vide in 3. parte, Dominica 7. vbi hæc Sapientis Verba fuse declarantur in hunc sensum quem diximus.

Quæ in singulis præterea partibus de fide fideliter exercenda tractantur, huc commodè reuocari possunt, siue ad Verba Christi Domini quærentis à Cæco, *Num credat in filium Dei*; Siue ad huius Cæci Verba dicentis, *Credo Domine.* Certe hoc pauci vere possint respondere, vnde est illa hîc in primis opportuna Veritas:

Nullus est Christianus qui non credat Christum esse filium Dei: & vix est vllus Christianus qui hoc verè credat.

In 3. parte, Die 6. Augusti.



DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

DE PARABOLA DEBITORIS DECEM MILLIVM TALENTORVM, AD CONDONANDAS MVTVAS INIVRIAS.

Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Matth. 18.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers ne parcat tibi Deus.

RATIO EST, Quia quidquid profers, vel iniustum & falsum est, vel iustum & verum tibi videtur.

Sed si falsum est, aperte contra est: aut si iustum videtur, illud ipsum habet Deus quod contra te proferat.

Ergo quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers ne parcat tibi Deus; ac proinde potius silendum est, & quidquid contra Charitatem exhibendam offertur, comprimendum.

I. PVNCTVM.

I. PVNCTVM.



SSIMILATVM est regnum cœlorum homini Regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis, & oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Vide quæ plura in sacro habentur textu de illa Parabola hodierni Euangelij, cuius scopus & finis est vt intelligamus Deum simili prorsus modo se erga nos habiturum, quo nos erga proximos gesserimus circa Injuriarum condonationem. Quo de argumento iam suprà multoties actum est; Nunc quia solent semper in particulari casu qui nos attingit, obrepere rationes quas proferimus ne parcamus aliis, contrà est firmiter obsistendum, atque illud quod proposita Veritate asseritur diligenter expendendum; *Quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers ne parcat tibi Deus.* Quidquid enim illud sit, vel falsum est & injustum, vel verum & iustum tibi videtur.

Inter hæc duo, non datur medium, nisi forte dicas cum impiis, *Sic fortitudo nostra, lex iustitiæ:* Quasi diceres te hîc non spectare quid sit falsum aut verum, quid iustum aut iniustum; sed hoc vnum quod de inimicis placet vlcisci, vel quia displicet accepisse injuriam, nunc quantum possis, velis eam referre. At nonne hoc qui audent dicere, tam manifeste dicuntur errare, vt à sua etiam malitia dicantur excæcati. Nec objicias posse aliquid partim esse iniustum & partim iustum, nam malum ex quouis defectu est: & si qua parte Iustum lædatur, tota ruit Iustitia. *Quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras?* Responde Apostolo, vel acquiesce. Sap. 2. Ibid. 2. Cor. 6.

II. PVNCTVM.

SED si falsum est illud quod profers ne parcas proximo, tam apertè contra te profers, quam manifestum est quod sic falsò iniuste proximum vexans, tu Diuinam in te iustitiam prouocas, iuxta illud Scripturæ frequentissimum: *Et reddet illis (Deus) iniquitatem ipsorum: & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.* Nonne hoc est contra se agere, sic se disperdendum proferre? Nonne neganda est prorsus Diuina Iustitia, vel hæc tibi valde formidanda? Ps. 93.

Quod si iusta tibi videntur quæ contra proximum profers ne illi parcas: hæc ipsa tantò iustius contra te proferet Deus ne tibi parcat, quanto tua tibi magis iusta videbuntur. Quid enim ais?
Is. 43. Quid legitime quereris? Quid iuste contrà depromis? *Reduc me in memoriam*, ait ipse Deus, *& iudicemur simul: Narra si quid habes, vt iustificeris.* Dices videlicet injuriam tibi grauem illatam! Tuam ab indigno læsam esse dignitatem! Tuam ab Ingrato proculcatam beneficientiam! Multam esse lædentis hominis, à te læso distantiam! Iam sæpe plures illi condonatas injurias! In abusum verti nimiæ tuæ facilitatis vsum.

Nonne hæc sunt & consimilia quæ tam iusta tibi videntur ne illatas condones injurias: vt quasi te injuste putares agere si eas condonares? At verò vide si hæc apud te valent nec parcas proximo quidquid peccarit, quanto magis apud Deum valere possint ne tibi peccatori parcat. Si hæc iuste profers contra proximum, vide quam iustiùs illa ipsa contra te proferat Deus.

Is. 1. Tu illatam tibi grauem dicis injuriam: At vel vnum peccatum nonne est grauior Diuinæ Majestatis injuria, quàm si vel omnes Creaturæ simul essent ab vno læsæ, quantum grauiter lædi possunt? Quid denarius ad talentum? Quid denarij centum ad decem talenta millia? Quem teipsum facis oppositum Deo? Quæ tua dignitas ad Diuinam à te offensam? Aut quæ illius qui te offendit indignitas, ad tuam, humuncio vilissime, si cum Deo comparéris, indignitatem? Beneficia collata commemoras quæ ingratus ille proculcauit qui te immeritò læsit! Tune vero nihil à Deo te accepisse agnosces? Nihilne Creationis Beneficium, nihil Redemptionis, nihil Conseruationis & sexcenta tot alia quibus abundas existimabis, & quibus cum nihil præter offensam reddas, non te propterea dices ingratum? Non audis quod ipsi audiant cœli, & quod auribus terra percipiat: *Quoniam Dominus locutus est: filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Dic vero quoties idem tibi remissum est crimen? An si quater aut quinquies satis esse putas remissam à te injuriam, nonne satis esse putabis cum tibi millies iam à Deo remissa fuerit? Quod si vel forte toties te non peccasse crederes, Dic sodes an præsumas te non deinceps omnino peccaturum, vel an peccanti nolles tibi Deum parciturum, quoties vt parcat, petes?

Denique quod postremum profers de abusu veniæ quæ quando

frequentior est, insolentiores reddit aduersarios tuos: nonne & tu ex illis es de quibus dicitur: *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia: absque timore vllo filij hominum perpetrant mala?* Nonne in dies *contra omnipotentem roboraris*, vt est in libro Iob; *& aduersus eum tam erecto collo & tam pingui ceruice curris armatus*, quàm si nondum vlla tibi data fuisset peccati venia? Eccl. 8. Iob 15.

III. PVNCTVM.

PATET igitur euidenter quod quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers ne parcat tibi Deus: Nam vel nullum est contra proximum, vel contra te valeat necesse est. Cur enim contra illum nisi quia iustum putas? Cur idem vero non contra te, cùm sit tantò id iustius quantò te major Deus est? Quod si Bonitatem eius in parcendo cogitas, cur non eam imitaris vt sicut ille tibi, sic tu parcas proximo? Nonne hoc est Bonitatem & Iustitiam eius velle peruertere, si ne parcas proximo Diuinam æmuleris Iustitiam: tibi vero vt parcat Deus, Diuinam eius interponas Bonitatem? Quid magis oppositum Diuinis institutis quibus erudimur, spectandam esse Dei benignitatem vt sic inuicem benigni simus: timendam verò Iustitiam, quæ pari certe mensura quà mensi fuerimus aliis, nobis remetietur?

Diligite, inquit, *inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.* Et rursum, *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis. DONANTES vobismetipsis si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. SI autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. IVDICIVM enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Luc. 6. Ephes. 4. Coloss. 3. Matth. 6. Ibid. 18. Iac. 2.

Quid crebrius in Scripturis? Quid frequentius in sanctis Patribus? Quid ad omnem posteritatis memoriam, exemplis comprobatum illustrioribus? Tu tamen è conuerso, quasi nouum velis recudere rebus statum, tu Diuina fretus Iustitia, misericordiam proximo denegabis: & violatæ misericordiæ impunitatem ab ipsa te iactabis obtenturum misericordia? *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Matth. 26.

In Ps. 34. Apte autem ex multis, sanctus Augustinus: *Porrò tibi ea regula*
Matth. 5. *bonitatis præfixa est, vt imiteris bonitatem patris tui, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Numquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? Tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus est: ille verò eum quem creauit. Inimicos ergo Dei malos & iniquos sæpe in Scripturis legimus, & parcit eis ille qui non habet quod ei imputet inimicus, cui omnis inimicus ingratus est: ab illo enim habet quidquid boni habet. Ab ipso enim habet misericordiam, quidquid est, etiam vnde tribulatur. Ad hoc enim tribulatur ne superbiat: ad hoc tribulatur, vt humilis agnoscat excelsum. Tu ergo inimico tuo quem intolerabiliter pateris quid præstitisti? Si ille eum habet inimicum qui ea tanta præstitit, & facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: tu qui nec solem potes oriri facere, nec super terras pluere, vnum aliquid seruare*
Lucæ 2. *amico non potes, vt sit tibi pax in terra homini bonæ voluntatis? Ergo*
Luc 6. *quoniam hæc tibi dilectionis regula figitur, vt imitans patrem, diligas inimicum: Diligite enim, inquit, inimicos vestros: in hoc præcepto, quomodò exerceris si nullum inimicum petereris.*

Et non paucis interiectis: *Cùm aliquid tale patitur Christianus, non debet facilè velut odio ire in eum, à quo patitur, & velle ventum vincere, sed conuertere se ad orationem ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus, opprobria iaculaturus, in conuitiis*
Matt. 5. *sæuiturus. Sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis. Ille in terra geminat conuitia, tu in cœlo lucra. Sed sæuiat amplius, possit & aliquid amplius, quid te securius:*
Mat. 10. *cui dictum est, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere? Quid est ergo timendum quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio, quia diligis inimicum. Etenim ini-*
Ephe. 6. *micus ille homo caro & sanguis, quod videt in te, appetit. Alius autem inimicus occultus rector harum tenebrarum, quas tu pateris in carne & sanguine: alterum occultum tuum petit, thesauros tuos interiores deprædari & vastare molitur. Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos, vnum apertum, & alterum occultum. Apertum hominem, occultum Diabolum. Homo ille, hoc est, quod tu secundum naturam humanam, secundum fidem autem & dilectionem nondum quod tu, sed poterit esse quod tu. Cùm ergo sint duo, vnum vide, alterum intellige: vnum dilige, alterum caue. Namque & inimicus ille quem vides, hoc*

in te vult humiliare vnde vincitur. Verbi gratia, si diuitiis tuis vincitur, pauperem te vult facere: si honore tuo vincitur, humilem te vult facere: si viribus tuis vincitur, debilem te vult facere. Ea ergo attendit in te vel dejicere vel auferre quibus vincitur, & ille occultus inimicus, illud tibi vult tollere vnde vincitur. Homo enim hominem vincit humana fœlicitate, diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi & detruncare, aut auertere fœlicitatem, qua vincitur, sic & diabolus hominem vult vincere auferendo vnde vincitur. Sed cura in corde seruare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæuiat homo quantum potest, auferat quicquid potest: si diligitur apertè sæuiens, victus est occultè sæuiens.

Quæ porrò de hac materia desiderari possunt vberius, subiectæ tibi subministrabunt Veritates suis declaratæ locis.

Inimici nostri magis prodesse possent odio quàm profuissent obsequio.

In 1. p. Die sanctorum Innocentium.

Iniuriosum est Christo si nulli quidem velis inferre iniuriam, nolis autem illatam ferre.

In 1. p. Die 16. Ianuarij, ad illas voces, Ecce agnus Dei.

Qui sibi innocenti factam iniuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiæ iniuriam facit.

In 2 p. Fer. 2. Hebdom. 4. in Quadragesima.

Illustrior de inimicis palma est, mori pro eis ne moriantur, quàm ipsis perditis triumphare.

In 2. p. Dominica Palmarum.

Esto appareant aliquæ irascendi causæ, multo tamen plures sunt & validiores ne irascaris.

In 2. p. Fer. 3. Hebdom. 3. post Pascha.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

In 3. p. Fer. 6. Hebdom. 3. Vide & Fer. 4. Hebd. 4. necnon Dominicam 5. sequentem vbi de ira & odio, &c.

Si naturæ humanæ durum est obedire Christi præce-

pto, longe est durius gratiæ, naturam humanam non obedire Christo.

In 3. p. Feria 6. Hebd. 5. Vide & Feriam 5. præcedentem.

Sicut pauci dimittunt suis Debitoribus, ita & paucis sua dimittuntur debita.

In 3. parte, Fer. 6. Hebdom. 6. Quæ hic plurimum opportuna, sicut & sequens.

Si semel sunt condonandæ iniuriæ, sunt semper condonandæ.

Vel nullas vmquam rectè voles condonare, vel semper omnes condonare voles.

In 4. p. Fer. 5. Hebdom. 16.

POSSENT verò ex nonnullis Euangelij partibus excerpi quædam ad diuersos ordinata fines & status, prout ipsa verborum quæ seliguntur significatio suggeret.

Aßimilatum est regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

VERITAS PRACTICA.

Qui ne fortè terreatur, non cogitat reddendam rationem, magis terrendus est quia non illam cogitat.

In 3. p. Dominica 8. vbi & sequens habetur:

Qui se interrogat ante iudicium, interrogatus in iudicio facilius respondebit.

Eccli. 18. *Iuxta illud scilicet Sapientis: Ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.*

Et cum cæpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta.

VERITAS PRACTICA.

Malo peccati nullum par aliud malum.

In 3. p. in appendice ad missiones cap. 13. fusè.

Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius vænundari, & vxorem eius, & filios, &c.

VERITAS PRACTICA.

Vnde timorem minuis, inde magis tibi timendum est.

In 3. p. in eadem appendice cap. 8.

Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

VERITAS PRACTICA.

Diuinæ debemus patientiæ, quòd non extrema quæque patimur.

RATIO EST, Quia quæ sunt condigna nostris peccatis si non patimur, hoc Dei miserentis & patientis donum est, hoc diuinæ debemus patientiæ.

Nisi enim patientiam habuisset in nos, statim atque commissum est peccatum, merebatur pœnam: & punitum fuisset, sicut in rebellibus Angelis, & in multis aliis peccantibus qui in flagranti delicto perierunt. *Misericordia Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Thren. 3.

Sed sunt extrema quæque condigna peccatis nostris; Imo & infra condignum infernus est, id est, inferior & minor est pœna quam sit vel vna mortalis culpa: nullusque peccator est qui quod in libro Iob dicitur, sibi suis in pœnis vsurpare non debeat: *Peccaui* Iob 33.

& verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi. Vide in appendice missionum de peccato mortali.

Ergo diuinæ debemus patientiæ quod non extremâ quæque patimur, quæ si vel vni peccato debentur, quanto magis tam multis & tam grauibus quæ peccasti: quantóque magis diuinæ te patientiæ debitorem debes agnoscere?

Ps. 144. O quam verè dictum à Dauide, *Misericors & miserator Dominus, patiens seu longanimis, & multum misericors.* O quàm præclare hoc ipsum à Diuo Augustino sic enarratum: *Nisi ille talis esset, de nobis repetitio & reparatio talis nulla esset. Attende ad teipsum, quid merebaris peccator? Contemptor Dei quid merebaris? Vide si occurrit tibi nisi pœna, si occurrit tibi nisi supplicium. Vides ergo quid tibi debebatur, & quid dederit qui gratis dedit. Data est venia peccatori, datus est spiritus & spes iustificationis, data est Charitas & dilectio, in qua omnia bona facias, & super hæc dabit & vitam æternam & Societatem Angelorum. Totum de misericordia. Merita tua nusquam iactes, quia & ipsa tua merita illius dona sunt. Et iustitiâ tuâ exultabunt, misericors & miserator Dominus, qui fecisti omnia gratis, longanimis, quantos enim sustinet peccatores? Misericors & miserator Dominus, in his quibus veniam dedit, in his quibus non dedit adhuc, Longanimis, non damnans* Malac. 3. Ezec. 18. & 33. *sed expectans, ipsa expectatione clamans, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et nimia longanimitate, Nolo, inquit, mortem impij, tantum vt reuertatur & viuat. Ille quidem longanimis, tu autem secundum duritiam cordis tui & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum* Rom. 2. *opera sua. Non enim modo sic longanimis in sustinendo, vt nunquam iustus in vindicando. Distribuit tempora, vocat te nunc, exhortatur te nunc, expectat donec resipiscas & facias, & tu tardas? Magna eius misericordia & in hoc quod diem vitæ tibi incertum fecit, vt nescias quando hinc emigrabis; & cum quotidie speras, te aliquando conuertas; & in hoc eius magna misericordia. Cæterum si statuisset diem, omnibus faceret abundare peccata de securitate. Dedit ergo spem veniæ, ne desperando amplius pecces: Et spes & desperatio timenda est in peccatis; Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata, & quomodo vtrique voci occurrit prouidentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis, Iam inquit, damnandus sum, quare non facio quicquid volo? Audi & vocem sperantis, Misericordia Domini magna est, quando me conuertero dimittet mihi omnia, quare non facio*

cio quicquid volo! Desperat vt peccet, sperat vt peccet. Vtrumq; metuendum est, vtrumq; periculosum. Væ à desperatione, væ a peruersa spe. Vtrique huic periculo, & vtrique malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu qui desperando volebas peccare? Iam damnandus sum, quare non facio quicquid volo? Audi Scripturam, Nolo mortem impij, tantum vt reuertatur & viuat. Hac voce Dei reducitur in spe, sed timendus est alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo & tu dicebas qui spe magis peccas? Quando me conuertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quicquid volo. Audi & tu Scripturam, Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere, Cras me conuertam, cras Deo placebo, & omnia hodierna & hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conuersioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.

Ezech. 18. & 33.

Ezech. 33.

Eccles. 5.

Hæc ad Verbum Diuus Augustinus, quæ paucis sanctus Petrus sic expresserat, *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

2. Pet. 3.

Quia verò reuertendi modus inter alios, nostra est etiam patientia quam propterea Christus à nobis, sicut nos ab ipso, hic exigit: de hac virtute crebrius exercenda serio est cogitandum; & in hunc finem quatuor non vulgaria proponuntur motiua.

Primum est, quod cum peccator Diuinam postulet patientiam, certe hoc æquum ab ipso simul postulat vt suam petenti Deo non deneget. Quid enim videri posset iniquius vt cùm sibi quis patientem Deum oret, ipse Deo patiens esse nolit? *Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo & sustine.*

Eccles. 2.

Secundum est, quod cum Diuinam oret patientiam hac sibi constituta lege vt si Deus patiens fuerit, tunc ei reddat omnia; profectò suam simul pollicetur & addicit patientiam: neque enim poterit reddere omnia nisi perfectè patiens fuerit, quia huius defectu virtutis vix vlla est alia virtus, vix vllum bonum opus: aut quanta quæque fuerit cuiusuis patientia, tantum illius erit viri meritum, tantus illius operum valor, vt Scripturæ passim testantur: *Secundum patientiam boni operis*, ait Apostolus. *Patientia perfectum opus habet*, inquit alius, Et ipse Dominus; *Fructum afferunt in patientia.*

Rom. 2.
Iac. 1.
Luc. 8.

Tertium est, quod cum tantas sibi petat remitti pœnas, qua-

les extremæ illæ sunt quæ peccatis debentur, & quas reipsa Deus pœnitenti remittit; quid tam graue patiendum potest occurrere quod non infinito interuallo sit minus & leuius, & quod non li-
Eccl. 20. bentissime feras, tot aliis redimendis suppliciis? *Est qui multa redimat modico pretio.* Nempe hic sapiens; vt è contra væcordes illi
Iob 6. *qui timent pruinam & irruet super illos nix.* Vide in 2. parte, Dominica Sexagesimæ.

Quartum denique, quod est maximi faciendum, licet cum remissa culpa remittantur æternæ pœnæ, certum est tamen remanere quasdam subeundas temporales: quas inter, quæ spirituales pœnæ dicuntur, longè sunt grauiores; qualis esset perpetua mentis ariditas, desolatio spiritus, scrupulorum anxietas, tentationum importunitas, denegatio quorundam auxiliorum, & similes pro grauitate culpæ remanentes, vt dictum est, etiam remissa culpa: *Peccatum meum contra me est semper:* Donec scilicet plenius
Ps. 50. ac plenius expietur, quod fieri potissimum potest per patientiam; cuius hoc est maxime proprium vt sicut Ignis aurum omnino purgat, & ab omni materia defœcatum reddit purum & probatum: ita patientem patientia perpurgat & suo quodam modo tam plene ac perfecte absoluit ab his peccati reliquiis, vt non modo nihil supersit timendum quod alioquin timeri poterat, quin certa inde spes nascitur Diuinæ numquam defuturæ pro-
Rom. 5. tectionis. Sic euidenter Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio vero spem: spes autem non confundit.*

Quod & illustri confirmatur exemplo illius cui cum dictum es-
Apoc. 3. set à Domino *quod modicam haberet virtutem*; non erat forte dignior præ aliis quem seruaret Dominus in qua illi alij persecutione perierunt: sed quia tamen præ illis patiens fuit, audi quid inde lucri tulerit, audi quid illi propterea Dominus: *Quoniam seruasti Verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis quæ ventura est in orbem vniuersum, tentare habitantes in terra.* Nempe illa fuit Trajani persecutio quæ diu quidem non durauit, sed tam vehemens ac violenta fuit, vt multos à fide, metu tormentorum abduxerit, quos inter inuolutus iste iam esset, nisi patientiæ verbum seruasset. O patientiæ meritum per quam ex futuro Apostata factus est Christi Martyr!

Itaque sicut dices Deo, sic vicissim Deum audi tibi dicentem:

Patientiam habe in me & omnia reddam tibi : Et qualem velis habere Deum vt illi reddas debita, sic te illi patientem exhibeas vt tua tibi reddat, si quæ tua dici possunt.

De reddendis autem Deo debitis, plura commodius Dominica sequenti quæ est 22.

Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios; & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et cet. De hoc seruo.

VERITAS PRACTICA.

Vel non erat tibi petenda debitorum remissio, vel non erat aliis deneganda.

Ratio est, quia non est id petendum vel negandum quod si bene petitur, male negatur; vel si bene negatur, male petitur. Nam ex alterutro sequeretur malum aliquod quod numquam est concedendum.

Sed talis est debitorum remissio quam si tibi bene petisti, tu male aliis denegasti: vel si bene denegasti, tu illam male petisti. Nam vel bonitas petitionis tuæ reperitur in petitione alterius, vel malitia petitionis alterius reperitur in tua. Quod cum sit euidens vbi sunt omnia paria; tanto id etiam euidentius & certius est vbi non sunt omnia paria, tuo defectu, quo fit vt minor sit bonitas petitionis tuæ, quam petitionis alterius. Tu enim seruus debes Domino tuo, & longe plura debes quam conseruus tibi: ac denique cum tu ipse hanc gratiam prior petieris & acceperis, profecto ex omni iure sequitur, te petentibus aliis non posse denegare.

Aut igitur numquam erat, & numquam esset tibi petenda debitorum remissio: vel non esset aliis deneganda : cum sit eadem aliorum ac tuæ petitionis vel negationis ratio, vel si non est eadem, magis inde probetur Veritas, magis inde conuincaris, non id esse aliis petentibus à te denegandum, quod tibi petis concedi; vel id tibi non esse petendum, non concedendum, quod aliis negas.

Iam verò vide quo te inuoluas extremo malorum omnium! Tibi vt non liceat delictorum veniam petere nec sperare! Sic enim, vt alibi fusius est declaratum, in ipsa nobiliori tua petitione conceptis & expressis verbis includitur hæc aperta condicio, vt sicut aliena dimittis debita, sic petas tua tibi dimitti, nec aliter. Vnde huc alia referri potest Veritas, ex 3. parte, Hebdomada 7.

Nisi diligenter aduertas, quod petis à Deo iustius, hoc est quod petis iniustiùs.

Quid enim iustius videris petere, quàm delictorum veniam? Quid vero iniustiùs, quam hoc illam animo petere quo non vis minora petentibus dimittere quàm tibi petas dimitti?

Adde, quod si quid esset negandum, non ita barbarè, non ita crudeliter sæuiendum esset sicut hîc desæuitur à conseruo in conseruum: vnde est alibi declarata hæc Veritas:

Si quid Charitas negat, tam benigna negando est, quàm concedendo.

In 2. parte, Feria 3. Hebd. 1. post Pascha.

Ser. 1. Sed ex ipsa negata patientia satis apparet non esse Charitatem quæ est patiens, sicut ibidem demonstratur hac Veritate proposita:

Qua ratione monstratur Charitas esse patiens: eadem demonstratur extra Charitatem esse, qui est impatiens.

Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant.

VERITAS PRACTICA
TRIPLEX SIMVL CONNEXA.

Quo quis minùs suum videt crimen, eò magis videtur ab aliis.

Quo magis crimen videtur, eò minus debet tolerari.
Qui crimen videt & tolerat, videtur esse reus, nec tolerabitur.

RATIO primæ Veritatis est, quia tanto quis minus videt suum crimen quanto quis ardentius in illud fertur : Excæcat enim affectus vehementia.

Sed quantò quis ardentius in crimen fertur, tanto magis videtur ab aliis; nam in illo ardore multa mouentur & concitantur quæ non possunt in apertam non venire lucem & vulgarem notitiam; sicut patet in hoc seruo de quo hîc agitur, qui cum sit tam oculatus in minutis quibusque sibi crudeliter repetendis debitis, cæcus tamen est in illa sua crudelitate cernenda. Quod & alibi demonstratur hac alia Veritate:

Quò magis est oculata concupiscentia, magis est cæca.

In 3. parte, Sabbato Hebdom. 9.

RATIO secundæ Veritatis est, quod tantò minus tolerari debet crimen, quanto majus inde est scandalum, & major pernicies si toleretur. Hæc enim omni modo debent caueri.

Sed quantò magis videtur & scitur crimen quod tamen toleratur, tanto majus inde est scandalum, & major pernicies; quia indè boni offenduntur, & mali audaciores fiunt impunitate pari suis promissa criminibus, quod certe est perniciosissimum, vnde tam crebro in Scripturis id cauetur, vt in vno Deuteromij libro septies repetatur: *Auferes malum de medio.* *Deut. 13. etc.*

RATIO tertiæ Veritatis præsupponit plures esse modos tolerandi criminis: vel enim à Superioribus quorum est emendare, toleratur; vel ab Inferioribus quorum est non tacere quod vident, dicitur tolerari, quando nec monent nec moneri curant delinquentem, vel emendantem. Tunc itaque qui crimen videt & suo modo tolerat, nihil eorum prorsus agendo quæ debet vt auferatur, sic participat ipsum crimen vt negatiua quædam causa sit malorum omnium quæ inde profluunt. Nam si monuisset, forte illa non profluxissent mala, vel certe quod suum erat fecisset & suam liberasset animam vt Scripturæ loquuntur.

Sed qui sic participat crimen alienum vt dictum est, tamquam reus habetur à Domino, nec tolerabitur quin pari pœna puniatur

2. Tim. 5. qua ipse reus. *Ne communicaueris peccatis alienis*, ait Apostolus, Et rursum: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* NEMO, inquit S. Bernardus, *vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, numquid custos fratris mei sum ego? Nemo quod in se est æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cùm arguere possis; & scimus quia similis pœna facientes maneat & consentientes.*

Ephes. 5.

In Natiu. S. Ioan.

Ep. 109. Sic & sanctus Augustinus ad Monachas: *Si hanc de qua loquor, oculi petulantiam aduerteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed ex proximo corrigantur. Si autem & post admonitionem iterum, vel alio quocunque die idipsum, eam facere videritis, iam velut vulneratam sanandam prodat, quæcunque inuenire potuit hoc: priùs tamen & alteri vel tertiæ demonstratam, vt duarum vel trium possit ore conuinci, & competente seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolas, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si sorores vestras quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eam debes manifestare, ne perniciosius putrescat in corde? Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandisque peccatis diligenter obseruetur, cum dilectione hominum & odio vitiorum.*

Lib. 2. de Bapt. c. 9. Quod & sanctus Basilius egregie: *Reliqua*, inquit, *communicatio, quæ plerosque latet, exacta diuinæ scripturæ inquisitione manifestatur, quando videlicet nec cooperatur quis, nec affectu assentitur operanti malum: cognita verò animi illius malitia, vnde quod malum est facit, obticet, & non arguit, quemadmodum hoc declarant, cùm quæ supra sunt scripta, tum quod ab Apostolo Corinthiis est dictum, nempe, quoniam non luxistis vt tolleretur è medio vestrum qui facinus hoc perpetrauit: quibus subiunxit, Modicum fermenti totam conspersionem corrumpit. Metuamus itaque & obtemperemus dicenti: Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio.*

Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam! omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?

VERITAS PRACTICA.

Si Deum imitari nolumus in reddendo aliis bono quod nobis facit: nos Deus imitabitur in reddendo nobis malo quod aliis facimus.

Hanc Veritatem multi ex sanctis Patribus asserunt, probat vero Diuus Thomas tota quæstione vigesima prima primæ partis vbi misericordiam & Iustitiam in omnibus Dei operibus reperiri docet, vnde hic formatur discursus:

Quidquid in rebus creatis facit Deus, secundum conuenientem ordinem & proportionem facit, in quo consistit ratio Iustitiæ. Sunt expressa sancti Doctoris verba.

Sed conueniens ordo & proportio, siue hæc ratio Iustitiæ quæ consistit in seruando nobiscum ordine ac proportione, id exigit quod proposita Veritas continet. Sic enim Ezechielis toto capite decimo octauo bene longo, Deus in hoc vel maxime declarat æquitatem viæ suæ, seu iustum quem cum hominibus seruat agendi modum, vbi post multa & varia semper illud infert quod intendit: *Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, & non magis viæ vestræ prauæ? Idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus Deus.* Quod & alibi frequentissime, atque in vno Leuitici capite sæpius hæc repetuntur: *si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam, incedam aduersus vos furore contrario.* Leu. 26. Tum in Deuteronomio: *sicut ante lætatus est Dominus super vos bene vobis faciens atque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos atque subuertens.* Deut. 28.

Denique id patet euidentissime in decem plagis Ægyptiacis quæ singulæ singulis respondent tormentorum generibus quæ ab Ægyptiis passi erant Israelitæ, vt videre est in 3. p. Dominica 11. ad hanc Veritatem:

Qui non audit, non audietur.

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.

VERITAS PRACTICA.

Peccatum quodlibet magis semper ac magis est timendum.

Ratio est euidens, quia quod est magis semper ac magis graue malum, magis ac magis semper est timendum.

Sed peccatum quodlibet magis semper ac magis graue fit malum. Id est, secundum peccatum quod committitur grauius est primo eiusdem generis, dum sint cætera paria: Deinde secundo grauius est tertium, tertio quartum: & sic deinceps postremum semper est grauius antecedentibus remissis, siue propter ingratitudinem beneficij accepti per illam quæ antecessit peccatorum remissionem, siue ob majorem notitiam quam peccator de se habet, & cui magis propterea deberet prospicere, siue ob deprauatam magis voluntatem, siue ob quendam ibi latentem Dei contemptum, siue ob aliud denique quod magis Deo displicet: certum est quod cæteris, vt dixi, paribus, postremum peccatum magis est odiosum & grauiori semper punitur pœna quàm quæ præcesserunt; vnde hæc gradatio pœnæ peccati quæ obseruatur in quibusdam Dauidis versiculis, sic refertur ad illam peccatorum multiplicationem vt postrema semper peccata grauius aliis constringantur: *Eripe me de luto vt non infigar, libera me de profundis aquarum, non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Expende accuratiùs.

Ps. 68.

Neque alia melior ratio redditur cur hic seruus immisericors tàm male mulctetur à Domino suo, vt quasi priora eius remissa debita reuocarentur, sic obtrudatur in carcerem & catenam: nisi quia post acceptam illam debitorum remissionem debebat esse mitior suo debitori, ac propterea quam in illum exercuit inhumanitas visa est grauior quàm si ante nullam à suo Domino accepisset humanitatem. Neque enim proprie & simpliciter, vt vocant, remissa reuocantur peccata quemadmodum Diuus Thomas expresse docet in 3. parte: Sed quia fieri potest quod subsequens inde peccatum sit tam graue vt grauitate sua coæquet quidquid ante remissum est, pari propterea pœna puniatur, sicque dicantur prima redire peccata, non quidem quantum ad eorum singularem culpam

q. 88. ar. 1. 2. 3.

culpam & pœnam, sed quantum ad nouæ culpæ ac pœnæ paritatem.

Quod quàm sit timendum quis non videt? Timendum vero non tantum propter pœnam, sed multo magis propter culpam quæ sic in dies crescit non tantum quantitate sed ipsa etiam qualitate & grauitate, vt quod hodie pecces, sit grauius quàm quod heri deliqueris, & sic deinceps peccati grauitas semper augetur & ascendere dicitur; *superbia tua ascendit in auras meas*, ait *Dominus*. 4. Reg 19.
Et rursum, *malitia eius ascendit coram me*. Id est, ita creuit in dies vt Ion. 1.
ipsum dici posset attigisse cœlum. Sic proinde Iobus sapienter: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus* Iob 31.
eius ferre non potui. Sic timetur Deus quando timetur culpa quæ est eius offensa: sic porro timetur culpa quia velut fluctus inundans & intumescens semper crescit, & tantum fit eius pondus siue supplicium subeundum vt vix ferri posse dicatur.

Rectè hîc autem duo nobis expendenda proponit sanctus Gregorius ad illius sancti timoris praxim: nempe vt primo cogitemus quid agant nauigantes dum timent intumescentes fluctus. Deinde si Iob tantopere commendatus sic timuerit Deum, quantò nos miseros æquius tunc oportet metum concipere. Sic porro sanctus ille Doctor: *A pauore tantæ similitudinis pensemus, si possu-* Lib. 21. Mor. c. 16.
mus, quanta in sancto viro fuerit vis timoris. Fluctus etenim cùm tumentes desuper imminent, cúmque eam, quam deferunt, mortem minantur, nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: ea ipsa quoque ex naui projiciunt, pro quibus longa nauigia sumpserunt, cuncta res in despectum mentis veniunt amore viuendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit, quæ hic possidentes portat. Nam velut tempestate deprehensi, pondus nauis abjicimus, quando ab oppressa mente desideria terrena remouemus, fitque vt subleuata nauis enatet, quæ mergebatur onerata: quia nimirum curæ, quæ in hac vitâ deprimunt, mentem in profundum trahunt. Quæ videlicet mens tanto altius inter tentationum fluctus attollitur, quanto sollicitius ab huius seculi cogitatione vacuatur.

Et paucis interjectis, sic alterum prosequitur, quod nos attingit propiùs. *Sed inter hæc pensandum est, quia beatus Iob ista de se loquatur laudatus & flagellatus: Si igitur saltem ad meritorum profectum ita percussus est, qui sic timuit: quomodo feriendus est, qui contemnit*

Quomodo depressura sunt Dei iudicia eos, qui se eleuant, si & illos ad tempus deprimunt, qui hæc semper in humilitate formidant? Quomodo pondus Dei poterit ferre, qui despicit, si hoc & ille in verbere pertulit, qui per timorem præuidit? Vnde summopere formidandum nobis est illud tantæ districtionis examen. Constat autem quia in hac vitâ, cum percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina Patris est, non ira Iudicis: amor corrigentis est, non districtio punientis. Ex ipso ergo præsenti verbere, iudicia æterna pensanda sunt. Hinc etenim perpendere summopere debemus, quomodo feratur illa quæ reprobat, si ferri modo vix valet eius ira, quæ purgat.

HAC HEBDOMADA, Caput decimum sancti Ioannis, vbi se Christus Dominus Pastorem verum probat ouium, percurretur; Atque inde quid bonus ille Pastor nobiscum agat, quidue nos cum illo agere debeamus, expendetur.

FERIA SECVNDA.

DE SINGVLARI CVRA QVAM CHRISTVS DE SVIS HABET.

Proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Ioan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit.

Si quod creditur necessarium, petenti desit, credendum est potius non illud esse necessarium, quam quod petenti desit.

RATIO EST, *Quia quidquid diuina fulcitur authoritate,*

credendum est potius, quàm quod humana tantùm opinione nititur.

Sed diuina fulcitur authoritate quod si quid petenti desit, non sit illud necessarium: & si quid contra sentitur, id humana tantum opinione nititur.

Ergo si quod creditur necessarium petenti, vel quærenti desit, credendum est potius non illud esse necessarium, quàm quod petenti desit. Ac proinde semper magna dicendum ex fiducia: Dominus regit me, & nihil mihi deerit.

I. PVNCTVM.

CVM Pharizæi, se pastores vulgi sic esse fingerent vt quicumq; Christo adhærerent, extra synagogam & ouile Dei statim illos ejicerent, sicut patuit in Cæco nato: contrà se Christus productis notis certissimis, verum esse Pastorem demonstrans & illos tantum esse fures ac latrones, sic pergebat cum Iudæis loqui: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem intrat per ostium, Pastor est ouium, huic ostiarius aperit, & oues eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & vocem eius sequuntur, quia sciunt vocem eius.* Hæc modo satis, in quibus licet de se nihil adhuc expresse dicat Dominus: satis tamen euidenter se indicat cum illa boni Pastoris indicia manifestat, quæ ipsi singulariter competunt, quale est illud eximium, *quod proprias oues vocat nominatim & educit eas, ac pracedit quocumque ducit.* Quis enim fidelius hanc internam & externam curam exhibeat quam ille qui propterea *Pastor & Episcopus animarum nostrarum dicitur, ac pastorum princeps,* in quem vnum *nostram omnem solicitudinem projiciamus, quoniam ipsi est cura de nobis,* vt ait primus Eius in ouili regendo Vicarius. 1. Pet. 2. 5.

Non ita vero in illum omnis solicitudo projicienda dicitur quasi nihil omnino de nostro conferamus, quasi nihil salutem aut perfectionem curemus, quasi nihil etiam quæ circa corpus & quotidiana spectant negotia laboremus, quasi nihil petamus, nihil quæramus nec pulsemus: Hæc enim cum sint expresse ab illo im-

perata, non excluduntur illa ſolicitudinis proiectione quæ ab Apoſtolo Petro commendatur: ſed commendationis apoſtolicæ ſenſus eſt, quod quidquid cum Chriſto paſtore agamus, quidquid laboremus ad ſalutem corporis & animæ, quidquid petamus & quæramus, ſic tam parum de omni euentu ſimus ſoliciti, vt certo id credamus & ſperemus quod quidquid de re tota ſtatuerit, vnum hoc fore melius, vnum hoc nobis vtilius & opportunius: licet vel ipſa tum deeſſent quæ magis neceſſaria viderentur: ſicque niſi nobis deſimus nihil nobis defuturum credamus.

Quod vt apertius explanari poſſit & perſuaderi, ſic inde formata Veritas modò proponitur: *Si quod creditur neceſſarium petenti deſit, credendum eſt potius non illud eſſe neceſſarium, quàm quod petenti deſit.* Nam vt habet declaratio, quidquid diuina fulcitur authoritate, magis credendum eſt, quàm quod humana tantùm opinione nititur: quod perinde eſt ac dicere, quidquid Deus dixit, quidquid Chriſtus promittit, id longe verius ac certius eſt, quàm quod homo contrà ſentiat & opponat: quo quidem dicto quid certius? quid manifeſtius? quid eſt enim homo vel ſi omnes ſimul concurrant homines, quid totum humanum genus ſi comparetur Deo, ſi conferantur humani ſenſus & ſermones cum diuinis?

Sunt enim quatuor præter cæteros prope infinitos, ſunt in quam quatuor inſigniores defectus in quouis homine propter quos parum omnino credi poſſit. Primo eſt rerum ignorantia, & facilitas quædam ingenij ad fallaciam ex obiectis rebus hauriendam potius quàm veritatem. Nam cùm de rebus vix aliud iudicet quam prout foris apparent, ſit vero fallax illa rerum apparentia, nec res vt ſunt in ſe, certò demonſtret, ſic tam facile fallitur humanus intellectus quàm facile ſiſtit in illa ſolum externa ſpecie, quæ eſt
Sap. 4. illa fictio quæ vt ait Sapiens *decipit animam:* ac propterea dicebat
Ioan. 7. Dominus, *Nolite iudicare ſecundum faciem ſed iuſtum iudicium iudicate.*

Secundo eſt praua quædam in homine cupiditas qua fit vt bono ſenſibili ſic adhæreſcat vel à malo contrario ſic abhorreat, vt quidquid naturæ corruptæ placet aut diſplicet ſic illicò bonum vel malum iudicetur: quod quidem iudicium non minus prauum eſt & corruptum, quàm ipſa deprauata voluntas vnde formatur.
Sap. 4. Hæc nempe eſt *faſcinatio nugacitatis quæ obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ quæ tranſuertit ſenſum ſine malitia,* Id eſt, tam na-

turaliter & ordinarie vt non aduertatur; Non id industria fiat sed naturali motu.

Tertio, est prona quædam mentiendi ac fingendi libido qua sic se tegunt & aliud simulant homines, vt vix internoscas quando ficte aut verè loquantur, vnde est illud Psalmi sæpe decantatum: *Mendaces filij hominum in stateris vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ps. 61. Nec modo id naturale est, sed & artificio natura sic exacuitur, vt quo ingenium erit acutius, eo erit mendacius; Vnde apud Prophetam Dominus: *Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij & non veritatis. Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt.* Ier. 9.

Quartò denique cùm vniuscuiusque hominum singulare prorsus ac proprium sit naturæ temperamentum, & inde voluntates circa bonum & malum, ac de rebus humana iudicia sint tam diuersa quàm sint pene diuersi homines, vulgoque tritum illud habeatur, quot capita tot sensus; hinc plane fit vt quid certi ac fixi spectes, in humanis non habeas, si humana tantum spectes iudicia: si quid enim te habere putes quod vni potius acquiescas quàm alteri: nonne & alter contra te habere dicet quod & tibi contradicat & in suam te conuertat sententiam, aut id saltem efficiat vt quidquid de rebus sentias, nonnisi cum formidine, cum dubio, cum suspensione quadam animi, quæ mera potius est inscitia, quàm vlla vera scientia? Quod & facile quiuis intelligat cùm quæ ipse vnus aliquando affirmauit, pòst Ipse neganda esse statuet, & quod ante negauerat, post affirmabit: adeo sunt versatiles hominum mentes, vnde illa Sapientis ad Dominum religiosa confessio: *Seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur? Cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus* Sap. 9.

cum labore, quæ autem in cælis sunt quis inuestigabit?

Audisne quàm sint incerta mortalum omnia, cum & sapientissimus inter fideles agnoscat se minorem ad quidquid certo intelligendum, & inter Ethnicos Consultissimus dixerit, se hoc vnum scire quod nil sciret?

At contrà in Deo Domino quàm sint indubitata omnia, quæ fidem faciant, tum ipsa per se Diuinitas suadet, tum quatuor Attributa opposita quatuor illis defectibus quos in mortali hominum genere iam deprehendimus. Primum est infinita illa Scien-

Eccles. 16. tia propter quam dicuntur in Scripturis, *Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, sic & post per-*

Hebr. 4. *fectum respicit omnia.* Id est, postquam creata sunt. *Et non est vlla*

Is. 6. *creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.*

Secundum est, perfecta illa Sanctitas qua ter *sanctus* dicitur,

Ps. 144. & *iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Id est, Irreprehensibilis, incorruptus, integerrimus cuius

Hab. 1. *mundi sunt oculi ne videat malum; & ad iniquitatem respicere non poterit.*

Tertium est, tanta in loquendo Veracitas vt vno multa verbo

Hebr. 6. complexus dicat Apostolus, *Impossibile est mentiri Deum.* Sed neque à seipso alius vmquam esse potest.

Nam quartum est Immutabilitas quam simul cum eius Vera-

Num. 23. citate Scriptura iungit & humanæ opponit inconstantiæ: *Non est*

Iac. 1. *Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Quibus ita expositis, quid clarius quàm quod prima propositione proponitur: Quidquid Diuina fulcitur authoritate siue id præteritum, siue id futurum sit, longe esse credibilius quàm quod

Amos 3. humana tantum opinione nititur. *Dominus Deus loquutus est quis non prophetabit?* Quis non secure dicet id certo eventurum quod dixit?

II. PVNCTVM.

SED Diuina fulcitur authoritate, quod si quid petenti desit, non sit illud necessarium: & si quid contra sentitur, id humana tantum opinione nititur.

Primo enim Diuina statutum est authoritate, quod *vnum est necessarium*, nempe cultus Dei, salus æterna, voluntas Dei & similia quæ eódem recidunt & vnum atque idem constituunt in æterna Beatitudine, vt infra fusius suo loco explicatur in hac 4. parte, Feria 2. Hebdomadæ 23. Satis hîc sit ad propositionis elucidationem aduertere quod sicut petenti numquam deest hoc necessarium, sic plane si quid petenti desit, non illud esse necessarium. *Non dixeris, per Deum abest.* Vide in 1. parte Dominica 3. post Epiphaniam. Eccles. 15.

Deinde verò quidquid Deus promisit, nonne Diuina fulcitur authoritate? Nonne vero promisit se non defuturum in necessariis. Nonne hinc Apostolus ad confidentiam nos exhortatur: *Ipse enim dixit, non te deseram neque derelinquam, itaut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor non timebo quid faciat mihi homo.* Hebr. 13. Ps. 117.
Verba sunt Dauidis simul & Apostoli, vt in vtroque Diuina confirmetur authoritas. Quid autem ex illa sequitur authoritate nisi aut nihil vmquam nobis defuturum, aut certe si quid desit, non esse necessarium? Nam si quod est necessarium nobis deesset, quomodo Diuina staret authoritas quæ promisit nihil defuturum? Quomodo nihil nobis deerit, si desit necessarium? Nonne aliis potius omnibus careremus quàm necessariis? Nonne hoc vnum necessitatis nomen ad impetrandum quod petimus, magis vrgemus? Nonne sic orabat Dauid, *De necessitatibus meis erue me.* Ps. 24.
Nonne sic eius filius Salomon: *tribue tantum victui meo necessaria.* Prou. 30.
Nonne in confirmationem Diuinæ promissionis de non defuturo subsidio sic semel iterum & amplius in eodem Psalmo dicitur, *De necessitatibus eorum eripuit eos: de necessitatibus eorum liberauit eos: de necessitatibus eorum eduxit eos:* Quasi hac toties repetita necessitatis voce proclamaretur quod qua authoritate firmatur Diuinum non deesse subsidium in necessariis, eadem prorsus confirmatur & fulcitur quod si quando desit, non esse necessarium. Ps. 106.

Tertio denique, quidquid desit quod putetur necessarium, vel

ad æternam vitam vel ad præsentem est necessarium. Non ad æternam cum tibi præsertim nihil desit quod non possis cum gratia petere, & petendo impetrare: Non ad præsentem, cum panis quotidianus quem petimus numquam desit & sufficiat. Sed esto vel panis desit vel alia quæ ad vitam sustentandem sunt necessaria; non est tamen absolute loquendo, quod vocant, non est inquam simpliciter & absolute necessarium illud quod deesse dicitur, ad hanc præsentem vitam: cùm nec ipsa præsens vita sit simpliciter & absolutè necessaria. Numquid necesse est vt viuas? Imo numquid necesse est vt moriaris? *Numquid statutum est hominibus semel mori, post autem hoc iudicium?* Esto sit durum mori defectu rei cuiuspiam ad vitam necessariæ: Nonne si rem illam habuisses tibi etiam aliquando fuisset moriendum? Nonne & ipsis quibus abunde omnia suppetunt Diuitibus non modo est moriendum, sed nonne & illis est grauius mori quam vel ipsis pauperibus? Nonne pauperi Lazaro lætior & facilior fuit exitus vitæ quàm Epuloni diuiti? Sed sit paupertas Lazari durior quam Diuitis epulæ: Vocetur etiam quædam necessitas, ipsa paupertas qua Lazarus moritur; At quo putas sensu, quoue iudicio necessitas appellabitur illa paupertas? Non Diuino certe neque vero iudicio, cùm Deus de Lazaro iudicaret nec vitam ipsi, neque rem vllam tum esse necessariam. Superest igitur vt id humano tantum dicatur sensu, qui dè morte ac vita sic iudicat prout affectus vitæ propendet in ea commoda quibus sustentatur, nec altiùs quam quod sentit recogitat; vnde cum supponat sibi semper esse viuendum, non est mirum si quod vita requirit, vocet necessarium: sed tam falso vocatur necessarium quam falsum est quod supponit, semper esse viuendum. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris:* Quasi diceret, tamdiu laborandum erit quamdiu panis erit necessarius; panis autem tamdiu erit necessarius donec erit moriendum, tunc enim & vitæ labor & panis desinant necesse est cùm ipsa vita desinit: & majori minor cedat necessitas.

Hebr. 9.

Gen. 9.

III. PVNCTVM.

SI quod ergo creditur necessarium, petenti desit, credendum potius non illud esse necessarium quàm quod petenti desit quod sit reuera necessarium;

necessarium; Nam diuinæ authoritati longe magis credendum est quam humanæ opinioni; Hoc autem à Diuina petitur authoritate quod vel in necessariis numquam Deus suos deserat, vel si quando videntur deseri, tunc dicenda non sit necessitas. Et quidquid contrà loquantur & sentiant homines, humana hæc est opinio quæ tanto minus ad faciendam fidem, contra Deum præualere potest, quanto id verius est quod in libro Iob legitur: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Tu desertum illum putas quem ad tempus sinit Deus fame, siti, nuditate, morbis, calumniis & aliis tormentorum generibus exerceri: Deus vero contrà, tunc vel maxime se illi prope adesse affirmat; *Cum transieris*, inquit, *per aquas, tecum ero; & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te; quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël saluator tuus. Noli timere quia ego tecum sum.* Iob 26. Is. 43.

Hoc dicit de Prophetis, de Apostolis, & de Martyribus, qui tamen omnes perierunt in tormentis. Hoc de Laurentiis, & de Vincentiis quos ignis flamma consumpsit. Vbi tunc aderat illa Diuina promissio, vbi tunc illa Diuina protectio? Aderat, aderat & tanto certe propius quanto forte putaretur abesse longius. Non est deseri, non est consumi sic perire flammis pro Christo, quin potius hoc est vel præcipue conseruari, sic fidem Christi seruare in flammis vt flamma potius vitam quam Christum rapiat. Aderat Deus necessitati Laurentij, sed non erat Laurentio tam necessarium viuere, quam pro Christo mori. Non est, non est quam vulgus putat necessitas, commode viuere: sed quam Deus iudicat, vel incommode viuere, vel libenter ipso volente mori. Sic illi ipsi se agnoscunt seruatos, sic sanctus ait Laurentius quod ante Sapiens dixerat: *Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum; quia liberasti me à pressura flammæ qua circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* Quomodo non æstuatus qui æstu periit? Periit quidem corpore, sed non animo, sed non fide Christi. Periit corpus vt seruaretur animus, quo seruato seruatur Deo Laurentius, licet mundo pereat, aut licet mundo perire videatur. Nonne hoc est quod Sapientia tam magnifice nobis descriptum voluit: *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio, exitus eorum; & quod est à nobis iter, exterminium, illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi* Eccles. 51. Sap. 3.

sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.

Et Capite sequenti cum de sublato ex hominibus viro iusto nondum ætate prouecto loquitur: *Consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in praecordiis talia, videbunt finem Sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Deus. Videbunt & contemnent eum: Illos autem Dominus irridebit.*

Videsne Diuinam authoritatem cum humana comparatam opinione? Videsne quàm sint inter se dissonantes & variæ? Videsne cui potius adærere debeas in faciendo de his iudicio quæ necessaria reputentur? Videsne quàm sæpe contra peccaueris? Videsne quàm sit deinceps aliter sentiendum: quàm toto pectore fidendum Christo, quidquid tandem de nobis statuat, hoc vnum æstimando necessarium, velle quod velit, nolle quod nolit; & cum Iobo dicere: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, Id est, Cur me in aduersis corpore & animo crucio quasi aduersa essent quæ Deo permittente nobis eueniunt? Non sunt, nec ipsa mors quantumcumque violenta me impetat, poterit quidem separare corpus ab anima, sed non animam à Deo meo qui me suum tanto magis morte quàm vita faciet, quanto minus ero post vitam meus. (Iob 13.)

Vide in 3. parte, In Festo S. Laurentij.

FERIA TERTIA.

DE CVRA CHRISTI PASTORIS IN PASCENDIS OVIBVS.

Digitized by Google

Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Ioan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Pascentur agni iuxta ordinem suum. Isaiæ 5.

Id est:

Sic in suo quisque pascitur ordine, vt nisi suo quisque se seruet in ordine, non pascatur.

RATIO EST, Quia non pasci dicitur qui gratias suo conformes statui non recipit.

Sed nisi suo quisque se seruet in ordine, non recipit gratias suo conformes statui, quas reciperet si se suo seruaret in ordine.

Ergo nec pascitur; ergo vt pascatur suo se seruet in ordine, quia sicut prædictum est à Propheta, sic pascentur agni iuxta ordinem suum.

I. PVNCTVM.

DIXIT ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit nisi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.

Mira certe Pastoris nostri circa pascendum suum gregem cura: neque enim tantum non perdit gregem sicut latro; neque vt cæteri pastores de grege suo pascitur; sed ita suas oues pascit & fouet vt vitam habeant & abundantius habeant, id est, vt abundent his quæ ad vitam spiritualem & æternam conferunt. Et quod magis mirum, longe plus reipsa præstat quam promittat verbo; Nam oues suas tam variis & exquisitis modis quotidie pascit & nutrit, vt quot Scripturæ sunt Capita, tot sint spi-

ritualia pascua; quot sunt eius Inspirationes & consilia, tot sint diuersa nutrimentorum genera. Per singulos denique dies vnicuique suarum ouium, quantum in se est, suum ipse Corpus in cibum porrigit. *Quis pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico, pastor*, ait sanctus Chrysostomus, *matres multæ sunt quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem Ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.*

Hom. 83. in Matth.

Ez. 34. Hæc sunt videlicet vberrima pascua de quibus apud Ezechielem fusissimè, vbi *suscitatur germen nominatum*, Id est, præter communes & ordinarias, specialis quædam Gratia quæ vnicuique particulatim confertur *iuxta suum statum, & ordinem* in quo iam cœpit vitam agere, iam vacare saluti, iam Christo ministrare.

Hoc est modò diligenter expendendum, vt quanti nostrà refert sic à pastore nostro pasci, tanta seruandi ordinis habeatur cura, cùm alioquin *nisi quis suo se seruet in ordine, non pascatur.*

Ratio hinc tota pendet vt probè intelligatur quid sit vnumquemque pasci & nutriri à Christo ad vitam spiritualem & æternam. Neque verò id melius explicari potest quàm per analogiam & respectum ad vitam corporalem, vt sicut vnusquisque pro suo statu corporis, pro suo gradu ætatis, pro suo vitæ degendæ modo his & aliis cibis alitur & roboratur; sic plane ex variis quos Christus profert cibis, vel ex vno & eodem, tantum quis sibi sumat quantum suo congruit statui, suo gradui, suo vitæ instituto.

Videsne quàm sint varia vitæ agendæ instituta? Quam diuersi status, quàm distincti ordines, & quàm ipsorum etiam multiplices ordinum gradus! Tot esse puta diuersas gratias quibus sic oportet vnumquemque nutriri conformiter suo statui, vt nisi quis sic nutriatur, non possit pasci & nutriri. Sic spiritus qui dicitur esse

Sap. 7. in Sapientia, dicitur *sanctus, vnicus, multiplex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens & qui capit omnes spiritus.* Ipse est autem Christi Domini spiritus qui cum sit vnicus se tam multis tamen modis communicat quàm multi sunt & varij quibus seipsum communicat. Et quia non per seipsum solum sed per homines familiam suam regit & pascit, sic propterea Patremfamilias exoptabat, qui præter cætera nosset suis dare mensuram tritici, id est, cibum vnicuique commensuratum. Talis erat Apostolus qui

Corinthios nutriens: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus*, inquit, *sed quasi carnalibus, tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis*, Quasi diceret, sic se cunctis Christus accommodat, & quisquis Christum repræsentat sic se suis debet conformare alumnis.

Sic præclarè admodum sanctus Gregorius in illa Verba Iob, seu potius Domini Iobo loquentis: *Quis posuit in visceribus Sapientiam, vel quis dedit gallo Intelligentiam? Ac si diceret Dominus*, inquit sanctus Doctor: *In cor hominis humana Sapientis, supernæ Sapientiæ gratiam quis infudit? Vel ipsis sanctis prædicatoribus quis nisi Ego intelligentiam dedit, vt sciant quando vel quibus debeant venturum mane nuntiare? Idcirco enim quando & quid agant sentiunt quia hoc intrinsecus me reuelante cognoscunt.* Et paulo post: *Intelligentiam gallus accepit vt prius nocturni temporis horas discutiat, & tunc demum voces excitationis emittat, quia videlicet sanctus quisque prædicator in auditoribus suis prius qualitatem vitæ considerat, & tunc demum ad erudiendum, congruam vocem prædicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est, prædicatorum merita diiudicare: quasi horas noctis discernere est actionum tenebras apta increpationis voce corripere. Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur quia Doctori veritatis virtus discretionis, vt nouerit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, diuinitus ministratur. Non enim vna eademque cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe enim aliis officiunt quæ aliis prosunt, Nam & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum: aliter namque viri, aliter admonendæ sunt fœminæ: aliter Iuuenes, aliter senes.*

Iob. 30. 30. Mor. c. 5.

Et quæ multa hic habet, plura vero etiam in tertia pastoralis parte; vnde id euidenter patet quod sicut ad pastum & nutrimentum vitæ spiritualis oportet gratias suo conformes statui, sic plane qui gratias illas non reciperet, non pasceretur, non nutriretur, deficeret & periret; *Sicut illi paruuli qui petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; aut sicut Ille *qui percussus est vt fœnum, & cuius cor aruit, quia oblitus est comedere panem suum.* Thren. 4. Ps. 101.

II. PVNCTVM.

SED *nisi suo quisque se seruet in ordine, non recipit gratias suo conformes statui.*

Quatuor hic sunt distincte declaranda; Primum est, sic diuersos esse statutos gratiarum gradus & ordines, vt quod in vno est donum siue talentum, non sit in alio, quod egregiè sanctus Gregorius in gratiis quas vocant gratis datas, ostendit ad illum Iobi locum vbi Dominus ab eo quærit, *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ. Indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius si nosti, vel quis tetendit super eam, lineam.* Sic autem sanctus ille Pontifex ad allegoricum & moralem traducit sensum: *Quis nisi Conditor noster huius terræ mensuras ponit qui interni iudicij secreto moderamine, alij sermonem Sapientiæ; alij sermonem scientiæ, alij plenam fidem, alij gratiam sanitatum, alij operationem virtutum, alij Prophetiam, alij discretionem spirituum, alij genera linguarum, alij interpretationem sermonum tribuit, quatenus in vno eodemque spiritu iste Verbo Sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est, doctrinæ fulciatur: quia sentire atque inuenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in Verbo Sapientiæ conualescat, quia & explere sufficit quantum didicit, & tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ verbo pluuias reddit. Iste operatione virtutum, ad præsentem vitam etiam mortuos reuocat: & tamen Prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, & tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diuersi generis linguas nescit. Ille diuersi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in vna lingua quam nouit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit, & tamen reliquis bonis quæ non habet patienter caret. Sic itaque Creator noster atque dispositor cuncta moderatur: vt qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet.*

Iob. 38. L. 28. Mor. c. 10.

At verò, quod secundum est declarandum, sæpe fit vt suo mi-

Digitized by Google

nime statu contenti homines aspirent ad superiorem gradum vel ad illud donum quo carent, & quo alios eminere vident, sicut ille Diotrephes de quo S. Ioannes in Epistolis, *volebat in Ecclesia primatum gerere:* aut sicut illi Sceuæ Principis Sacerdotum filij, vt est in actis Apostolorum, volebant in Christi nomine Dæmones è corporibus expellere; vel sicut illi Machabæorum æmuli qui non *erant de semine eorum per quos facta est salus in Israel*, volebant sibi nomen facere, nec dubitarunt propterea se bello credere vbi turpiter ceciderunt; nam quod dicit sanctus Gregorius de gratiis illis gratuitis referri potest ad alia quæuis munia siue vacationum genera, vel ad diuersos in vna & eadem Vocatione gradus & quas vocant habilitates. Ioan. 3. Act. 19. 1. Mach. 5.

Atque hinc tertium intelligitur, quod qui ambitione se aliò promouet quam quò vocatus est, non se suo seruat in ordine, quod sibi suisque omnibus diligenter cauebat Apostolus cum *diceret omnibus per gratiam quæ data est sibi, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit, mensuram fidei.* Et alibi: *Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis: Nos autem non in immensum gloriabimur sed secundum mensuram regulæ qua mensus est nobis Deus.* Rom. 12. 2. Cor. 10.

Quartum inde porrò sequitur quod qui se non ita continet intra præscriptos sibi limites, sed vel supra vel infra deflectit & à recto deuiat, non recipit gratias suo conformes statui, quia quas illi Christus offert vt se in suo statu perficiat, negligit: & quas vellet pro alio quem ambit statu, Christus non offert, prout ipse dicebat, *qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est*; Quasi diceret, non sic ambitione transitur ab vno in alium statum, sed prius in minori dato fidelitas est præstanda & probanda; tum deinde in superiorem fiet prouectio. Nam qui fidelem se in vno non probauit, nec fidelis esset in altero & qui primis non bene vtitur gratiis, abuteretur secundis, quod certe est & cum Christo, & secum inique agere. Luc. 16.

Quod tam eloquenter & aptè sanctus Gregorius prosequitur in eundem qui supra dictus est Iobi locum vt licet forte aliàs iam memoratus fuerit, nunc autem quod vniuersim aiebat Sapiens, *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*, particulatim de hoc sancti Pontificis verbo dici potest, qui postquam illud Pr. 25.

1. Cor. 12. Apostoli retulit, *nam & corpus non est vnum membrum sed multa: quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autem multa quidem membra, vnum vero corpus*, sic pergit, *Quid enim sancta Ecclesia, nisi superni sui Capitis corpus est? In qua alius alta videndo oculus, alia recta operando manus, alius ad injuncta discurrendo pes, alius praeceptorum vocem intelligendo auris, alius malorum fœtorem, bonorumque fragrantiam discernendo naris est. Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt, vnum de semetipsis omnibus corpus reddunt: & cum diuersa in Charitate peragunt, diuersum esse prohibent vbi continentur. Si autem vnum quid cuncti agerent, corpus vtique, quod ex multis continetur, non essent: quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diuersitas non teneret. Quia ergo sanctis membris Ecclesiæ virtutum dona Dominus diuidit, terræ mensuras ponit. Vnde iterum Paulus dicit: Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Et rursum: Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensura vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in Charitate: sed cùm miro consilio auctor ac dispositor noster huic illa largitur, quæ alij denegat, alij hæc denegat, quæ isti largitur: mensuras sibi positas egredi nititur, quisquis posse plusquam acceperit, conatur: vt fortasse is, cui tantummodo datum est occultorum præcepta disserere, tentet etiam miraculis coruscare: aut is, quem supernæ virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam diuinæ legis pandere occulta contendat. In præcipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque amittit, & quod poterat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere festinat. Nam & membrorum nostrorum tunc bene ministeriis vtimur, cùm sua eis officia distinctè seruamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem verò auribus audimus. Si quis autem mutato ordine voci oculos, luci aures accommodet, huic incassum vtraque patent. Si quis odores velit ore discernere, sapores nare gustare, vtriusque sensus sibi ministerium, quia peruertit, interimit. Dum enim propriis hæc vsibus non aptantur, & sua officia deserunt, & ad extranea non assurgunt. Bene itaque Dauid Propheta intra acceptas ex diuina largitate mensuras pedem cordis presserat, cùm dicebat: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus, vltra quàm poterat, quæreret. Super se namque in mirabilibus attollitur, qui & in his, ad quæ non sufficit, videri idoneus conatur. Bene*

intra

intra has mensuras etiam in ipsa Paulus prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cùm diceret: Non enim audeo loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Christus. Ne si videlicet ipse Paulus, ipse quantumuis Apostolus, ipse quantumuis Doctor Gentium, sibi statutas prætergrederetur metas, non ita reciperet conformes Apostolatui suo gratias, quemadmodum si se suo seruaret in ordine.

III. PVNCTVM.

SIC *igitur quod dixit Propheta Isaias* pascentur agni iuxta ordinem suum; *sic inquam ordinate pascentur vt nisi se sinant ordinate pasci, non pascantur.* Quomodo enim pascerentur nisi reciperent gratias, suo conformes statui? Quomodo vero illas reciperent si statum ipsi suum peruerterent? *Adam vbi es?* Nouerat profecto vbi esset qui sic illum vocabat Deus: sed vt ipse Adam se nosset, atque vt intelligeret qualem recipiendis deinceps gratiis posuisset obicem ex peruerso suo statu, sic illum ad se reuocat, sic illum vocat, Adam vbi es? Quasi diceret, non vbi te collocaueram, non vbi te statueram, non vbi te pascendum & nutriendum susceperam. Sic paulo post de rebellibus Israelitis ipse inquit Deus, *Dixi, vbinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Quandoquidem se à me subtraxerunt, subtraham eos & à solita mea cura, & ab humana etiam memoria. Gen. 3. Deut. 32.

Sic & Dominus cum leprosos decem curasset, vnusque tantum accepti gratitudinem beneficij demonstrasset, *Nonne decem*, inquit, *mundati sunt? Et nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi, surge, vade, quia fides tua te saluum fecit*; Quasi diceret, Non sic alij, non sic salui fient quia non ita perstiterunt in eo pietatis statu quem præ se ferebant cum sanitatem poscerent. Luc. 17.

Quamobrem caue omni modo fastum & ambitum; Audi hæc Ecclesiastæ, & Ecclesiastici monita: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Id est, quantumcumque agitatus ambitionis æstu, caue quidquam propterea moueas aut loquaris. *Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. Benedictio Dei in mercedem Iusti fe-* Eccl. 10. Eccles. 11.

stinat, & in hora veloci processus illius fructificat. Hoc est, ne labores vel cogites in te altius promouendo, Diuina hæc est cura, nec Deus tibi deerit; dummodo non illi desis, nec te ab illo submoueas.

Quod si forte aliqua tuæ præstantiæ subiret animum cogitatio, statim recogita qualis ex te sis, qualis tu fueris, & qualis esses si te Deus desereret. *Vbi eras*, inquit, *quando ponebam fundamenta terræ?* Rursum profecto hûc reuocandus magnus ille Gregorius, qui postquam fundamentum illud timorem Diuini dixit esse Iudicij, sic ad rem nostram opportune pergit: *Posito itaque prospera formidinis fundamento, cùm virtutum fabrica in altum ducitur, necesse est vnusquisque proficiens vires suas cautè metiatur, vt cùm Diuina constructione magnus esse iam cæperit, semetipsum respiciat sine cessatione quod fuit. Quatenus attendens humiliter quod per meritum inuentus est, nequaquam sibi arroget quod per gratiam factus est. Vnde & nunc beatus Iob per supernam vocem ad semetipsum reducitur, & ne de virtutibus gloriari audeat, de anteacta vita memoratur, eique dicitur, Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Ac si iustificato peccatori Veritas aperte dicat, Virtutes à me acceptas tibi non tribuas: Noli contra me de meo munere extolli. Recole vbi te inueni quando meo timore prima in te fundamenta virtutum posui: Recole vbi te inueni, quando meo te timore solidaui. Vt ego in te non destruam quod construxi, Ipse non cesses considerare quod reperi. Quem enim Veritas nisi aut in flagitiis aut in excessibus inuenit? Sed post hæc bene possumus seruare quod sumus, si numquam negligimus pensare quod fuimus.*

Iob 38. L. 28. Mor. c. 10.

Ex quibus sancti Doctoris Verbis ne vnum quidem non magnopere recolendum, sed illud in primis vel maxime quo dicentem inducit Deum, *Noli contra me de meo munere extolli.* Sic enim fit frequentius apud illos præcipue qui melioribus à Christo pascuntur pascuis, & crebrioribus munerantur donis, vt sese efferant & de Christi munere contra Christum se extollant. Quod quàm sit tetrum & immane, sic ipse Dominus multis apud Prophetas exaggerat: *Incrassatus, dilectus, impinguatus & recalcitrauit: FILIOS enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me! QVOS educaui & enutriui, Inimicus consumpsit eos.*

Deut. 32. Is. 1. Thr. 2.

In quibus Verbis tria sunt ad grauitatem criminis insigniter exhibendam. Primum est, ipsum recalcitrare contra Christum, vel eum spernere! Nonne ex ipsis patet verbis, quam sit graue?

Secundum est, recalcitrare post accepta beneficia, certe id grauius. Tertium vero quod est grauissimum, ex illis ipsis acceptis gratiis & beneficiis sic in Benefactorem insurgere, vt quia virtutem dedit, inde præsumas: quia scientiam largitus est, inde superbias: quia dignitates contulit, inde contemnas infimos: quia longæuos in domo tua tibi produxit annos, inde domesticam ausis disciplinam abjicere. Nihil profecto dolentius in tota patientis Christi repetita memoria, quàm has audire Antitheses, & opposita bonis acceptis mala: *Ego te paui manna per desertum: Ego te potaui aqua salutis de petra, & tu me potasti felle & aceto!* Sic ante per Prophetam querebatur: *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? Responde mihi: quia eduxi te de terra Aegypti & de domo seruientium liberaui te*; Idcirco scilicet iam mihi seruire renuis! ô quàm longe est alius humilitatis sensus quo velut arbor onusta fructibus, sic se humilis tanto magis deprimit quanto beneficiis extollitur. Mich. 6.

Vide in 1. parte, Feria 6. Hebdom. 4. in Aduentu, vbi hæc demonstratur Veritas:

Quo quis est major, eò est humilior.

FERIA QVARTA.

DE BONITATE PASTORIS CHRISTI SVVM PROTEGENTIS GREGEM AB OMNIBVS INIMICIS.

Ego sum Pastor bonus, Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit: & lupus rapit & dispergit oues. Ioan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Quem Christus protegit si ab hoste vincatur, non est victoris virtus, sed victi vitium.

RATIO EST, Quia non tam victoris est virtus seu fortitudo, quàm victi vitium, quando victus victore est fortior, si pugnare velit.

Sed quem Christus protegit, quouis est hoste fortior si pugnare velit.

Ergo si ab hoste vincitur non est victoris virtus sed victi vitium; Quod quam sit ignauum & ignobile iam satis patet, vnde restat pugnandum & vincendum cum Christo.

I. PVNCTVM.

Iob 1. SICVT tres turmæ Chaldæorum dicuntur inuasisse gregem Iobi, sic triplex hostium acies tanta in Christi gregem conspirat audacia, vt qui se aliquando lacessitum non sentiret, timendum illi esset, ne ad Christi hostes potius quam ad eius gregem spectaret.

Tres autem illos hostes tribus distinctis nominibus *lupo, mercenario & fure*, præclarè Dominus designauit; *Lupo* scilicet rapacem Dæmonem; *Mercenario* fallacem mundum; & *fure* latentem amorem proprium, vnde grauiora nobis quam ex aliis damna inuehuntur. Poterat vero Christus Dominus sic illos penitus arcere hostes, vt nulla gregem ex parte possent inuadere, sed maluit inuadendi potestatem sic illis relinquere vt se suum protegente gregem nihil contrà possent, nihil prorsus in quemquam è suis efficerent nisi qui vltro se vellet illis addicere.

Quod quidem Bonitatis & Sapientiæ luculentum est opus, quandoquidem non aliter nos impugnare permittuntur hostes quàm vt à nobis expugnentur, quàm vt in partem victoriæ sic deueniamus, atque in cœlo de illis cum Christo triumphemus. Sic palmas in manu habent quotquot in cœlo sunt vt refert qui

apertum vidit cœlum S. Ioannes: sic nempe omnes pugnarunt, sic vicerunt, sic triumphant. Et nos ad illas inuitamur palmas ac triumphos cum ad pugnam excitamur; vnde si sublati essent hostes, sublatæ simul essent quodammodo palmæ & triumphi, quod nostro certe vertisset damno. Licet enim multi ex nobis vincantur, nullus tamen nisi qui voluit, nullus nisi sua culpa, nullus ad hoste victus nisi qui hostem vincere noluit. *Quem enim Christus protegit, si ab hoste vincatur, non est victoris virtus sed victi vitium:* Vitium voluntarium, vitium ignauiæ, vitium perfidiæ, vitium minime tolerandum. Quis enim malit vinci cum possit vincere, tali præsertim in pugna vbi de summa rerum agitur? *Ego autem non sum turbatus, te pastorem sequens.* Hoc securè dicet cum Propheta qui propositam Veritatem accurate perpenderit, Cuius hæc est aperta ratio, quod in illa pugna qua quis vincitur non tam victoris est virtus quàm victi vitium, quando victus erat victore fortior. Verum id quidem quod aiebat Dauid, *Varios esse belli euentus*; Nec minus certum quod eius vidit filius Salomon, *Non esse velocium cursum, nec fortium bellum*, propter eandem scilicet euentuum varietatem; Sed ponamus in hac pugna nullos euenisse casus nisi qui victo fauerent potius quam obessent, si quod facilè poterat, voluisset oportunitate vti: quis tum manifeste non videat victi culpam & vitium? Quis non vitio Samsonis vertat quod à muliercula deuictus fuerit? *Euagina gladium tuum & percute me*, dicebat Abimelech armigero suo, *ne forte dicatur quod à fœmina interfectus sum.* Sic & alius vehementer eiulans: *Vna, inquit, mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonozor: ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.* Tanto scilicet ducebant probro sic in pugna vinci cùm victus esset vincente fortior.

Apoc. 7. *Ier. 17.* *2. Reg. 11.* *Eccl. 9.* *Iudic. 9.* *Iudith. 14.*

II. PVNCTVM.

SED *quem Christus protegit, quouis est hoste fortior si pugnare velit.* Nam est ipsa Christi virtute fortis, ipsa est Christi fortitudo qua pugnat is quem Christus pugnantem protegit: Ipse est Christus pugnans & vincens. *Quàm lætus illic Christus fuit*, ait sanctus Cyprianus, *quàm libens in talibus seruis suis & pugnauit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere qui* *L. 2. Ep. 6.*

sumit: certamini suo adfuit, praeliatores atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

Credisne Christum cunctis hostibus fortiorem? Cur non te credes aequè fortem, cum in te Christum habeas, cum in te Christus pugnet, cum in te suam Christus contra tuos hostes fortitudinem explicet? Nonne & ipse Christus sic de inuicta sua loquebatur fortitudine, quòd esset eadem cum suo Patre virtus & potētia quae vinci omnino non poterat? Audi & mirare vt loquitur! postquā enim dixit de ouibus suis, *quod non perirent in aeternum & non rapiet eas quisquam de manu mea*, tum subdit: *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei, Ego & Pater vnum sumus.* Quasi diceret: Ego tam fortis & potens sum ad protegendas meas oues, quàm ipse Deus pater est potens, quia mihi cum Illo est vna substantia, vna fortitudo, vna potentia vnde sicut de manu Dei nemo quid rapiat, sic neque de manu mea quae est ipsa Dei manus.

At nonne est eadem prorsus ratio de nobis pugnantibus & de Christo protegente? Non est quidem eadem nobis cum Illo qualis est illius cum patre substantia; sed tamen nobis est eadem cum illo virtus ad pugnandum, vnde si à manu Christi palmam nemo possit auferre, nec à nostra profecto poterit, cum sit eadem Christi & nostra pugnando manus.

Aut prius desinat esse fortis Christus, aut qui fortis cum illo est non magis desinet quam Christus esse fortis. Imo quod est mirum, licet ipse Christus desinat esse fortis, licet infirmetur & paueat, non tamen is propterea quem Christus protegit, minus erit fortis quàm si non esset infirmus Christus; Ipse tum erit Christo fortior, non tamen alia quam Christi fortitudine, nam cum infirmitate nostra suam Christus mutauit fortitudinem; nostra ille est infirmitate infirmus; Nos autem eius fortitudine fortes ac potentes. Sic praeclare ac fuse sancti Patres qui videri possunt in 2. parte, Fer. 3. Hebdomadae primae in Quadragesima. Vnde haec pauca: *Nos in se transtulit, nos in se suscepit*, inquit sanctus Augustinus, vbi de infirmitate Christi tractat. Sic & sanctus Leo; *In nobis Dominus nostro pauore trepidabat, vt susceptionem nostrae infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suae virtutis soliditate vestiret.* Sanctus denique Gregorius: *fortis super omnia, apparuit infirmus inter omnia, vt dum*

Tr. 52. in Ioan. Serm. 3. de pass.

nobis ex assumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suam fortitudinem eleuaret. O quid non possit in nobis fortitudo Christi, si tantum potest eius infirmitas? L. 16. Mor. c. 14.

III. PVNCTVM.

QVEM ergo Christus protegit si ab hoste vincatur, non est victoris virtus sed victi vitium, quo scilicet pugnare noluit, nam si pugnare constanter voluisset, tam certo poterat vincere, quàm certe cunctis erat hostibus fortior cum esset ipsa Christi fortis fortitudine, cui cedunt & subsunt omnia. Sic propheta suos ipse prouocabat aduersarios, tam certus de victoria quam de diuino certus auxilio: *Dominus Deus*, inquit, *auxiliator meus, ideo non sum* Is. 50. *confusus, ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? Stemus simul, quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me?* vel nimiæ scilicet audaciæ si tali confortatus auxilio non ausim congredi: vel nimiæ confidentiæ si tale sperem auxilium quod mihi certò promissum est. Quis est qui non me potius condemnet vel ignauiæ quod turpiter illis cedam hostibus quos possem cum Christo vincere, si quantum possem, vellem: vel malitiæ, quod nolim quantum cum Christo possem?

Quid dices, quid excusabis? Nam fateri te id nolle, vix audebis: negare vero te id posse, quomodo negare poteris, cum te id negātem tot arguant Scripturæ testimonia, quot diuinum pugnanti promittunt auxilium? Vnde in prouerbiis Sapiens: *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit:* Pr. 24. Nihil prorsus eorum quæ possis & quæ debeas agere, nihil eorum quæ nolis, vel quæ dissimules, nihil eorum denique omnium quæ voluntarie pecces; atque ita concludit Sapiens; *reddetque homini iuxta opera sua*. Non tantum iuxta mala quæ puniat, sed & iuxta bona quæ contra illum Iudex opponet & inde malitiā eius arguet, siue quod mala fecerit, siue quod mala quæ fecit excusare ausit, quasi ea non posset euitare. Dic enim impie, dic si audes qua virtute bonum fecisti? Tuane sola virtute, vel Christi simul te adiuuantis? Cur vero non æquè potueris ma-

lum euitare, cum te ad illud euitandum æque Christus adiuuaret? Noluisti scilicet, & defectum voluntatis obuelare contendis defectu potestatis; *sed saluatorem animæ tuæ nihil fallit,* vt quem habere noluisti Saluatorem, Iudicem habeas.

Videndus sanctus Ioannes Chrysostomus homilia 4. ad populum Antiochenum, vbi multis probat, nullarum esse naturam tentationum, sed tentatorum inertiam quæ ruinam faciat.

Apte autem Diuus Augustinus ad hunc Psalmi 34. versiculum, *confundantur & reuereantur requirentes animam meam: OSTENDIT hoc Deus in causa viri illius sancti Iob, quia & ipse Diabolus auferendi hæc non habet potestatem, nisi cum acceperit à summa potestate. Inuidere potuit sancto, numquid nocere potuit? Accusare potuit, damnare numquid potuit? numquid valuit aliquid tollere? numquid vel vnguem, numquid vel capillum lædere nisi Deo diceret, mitte manum tuam? Quid est, mitte manum tuam? Da potestatem. Accepit. Ille tentauit, ille tentatus est. TENTATVS TAMEN VICIT. TENTATOR VICTVS EST. Deus enim qui diabolo permiserat vt illa tolleret, ille seruum suum interius non deseruerat, & ad ipsum diabolum superandum animam serui sui frameam sibi fecerat. Quantum valet hoc? De homine dico, Victus in paradyso, victor in stercore. Ibi victus est à diabolo per mulierem, hic vicit diabolum & mulierem.*

Plura his denique prorsus affinia videri possunt in 3. parte, Feria 5. Hebdomadæ 7. & decimæ: vbi hæ Veritates exponuntur.

Qua facilitate vincimur, eadem vincere possumus.
In spirituali pugna fortior est ouis lupo.

Quia scilicet ouis à Pastore Christo contra lupum protegitur.

FERIA QVINTA.

DE SAPIENTIA ET BONITATE PASTORIS CHRISTI SIMVL IVNCTIS AD CVRANDAS SVAS OVES.

Ego

Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco meas, & cognoſcunt me mea. Ioan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Difficilem quantumuis tui curam, hæc ſi verba cures, facilem reddent: *Cognouit me meus Paſtor, & ego noui eum.*

RATIO EST, *Quia difficilem quantumuis tui curam, facilem reddent quæcumque fidem augebunt de Sapientia & Bonitate tui Paſtoris te curantis.*

Sed ſi hæc cures verba probe intelligere & proferre dum adhibetur curatio, fidem augebunt de Sapientia & Bonitate tui Paſtoris te curantis.

Ergo difficilem quantumuis tui curam, hæc ſi verba cures, facilem reddent: Ac proinde nunc diligenter curandum eſt vt probe intelligantur, & ſuo tempore fideliter proferantur.

I. PVNCTVM.

CVM in malis Paſtoribus hoc præſertim argueret Dominus, apud Prophetam Ezechielem: *Quod infirmum fuit* Ez. 34. *non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis; quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis*; Tum ibidem Ipſe promittens ſe futurum Paſtorem, mox addidit: *Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat, conſolidabo; & quod pingue & forte, cuſtodiam, & paſcam illas in iudicio.* Id eſt, prouidè, ſapienter, diſcrete: prout curandis ſingulis neceſſe fuerit. Sic ſe videlicet opponit his Paſtoribus qui nec ſatis boni eſſent vt vellent, nec ſatis ſapientes vt noſſent ſuas curare oues: quod & ipſum modo Iudæis ſignificat cùm ſuam ſimul Bonitatem & Sapientiam his exponit Verbis: *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco meas, & cognoſcunt me mea.* Quod enim rurſus dicit ſe bonum, propen-

sam in nos indicat suam voluntatem qua id omne nobis curandis velit quod profuturum cognouerit. Cum autem dicit se suas oues cognoscere, & ab eis cognosci, sic se omnium profitetur scire infirmitatem & singularia quibusuis adhibenda remedia, vt illa tam sapienter adhibeat quàm cuique fuerit opportunum: vnde hoc duplex emanabit commodum, Primò quidem vt infirmi perfecte sanentur & integre: Secundò deinde vt quantum difficilis & acerba sit eorum curatio, vt sæpe accidit, facilem tamen & suauem reddat, si hæc Verba sibi curent habere præsentia, familiaria, promptissima: *Cognouit me meus Pastor, & ego noui eum.*

Ratio continetur in his ipsis Verbis prout iam inchoata eorum significatio declarabitur fusius in sequenti puncto: Tunc quippe quantumcumque difficilis & acerba sit tui morbi curatio, plane suauis & facilis redditur si quid menti proponatur quod fidem augeat Bonitatis & Sapientiæ tui Pastoris ac Medici te infirmum curantis. Sic enim experimur in quotidianis nostris corporum curationibus vt quæ sunt acres & acerbæ tum mitigentur si Medicum inter & infirmum intercedat explorata quædam mutuæ cognitionis reciprocatio, cùm videlicet medicus totum ægritudinis & ægrotantis statum perfectè nouit: ac vicissim cum ægrotus medici sapientiam seu scientiam ac singularem in se animi propensionem perspectam habet; tunc quidquid præscribet ad curationem Medicus, nonne illud tanta Infirmus docilitatè sumet, quanta vicissim erit talis in vtroque cognitio? Nonne sic Raphaël qui dictus est medicina Dei se prius Tobiæ cognoscendum dedit, non quidem vt Archangelum, sed vt satis fidelem & peritum virum, cui cæcus Tobias confideret, & à quo libenter pateretur suos liniri felle oculos?

Sic plane de Christo nobiscum est; sic de nobis cum illo res habet: quanto de illo sentimus excellentiùs, tanto quidquid de nobis Ille statuat, minus acre sentimus & molestum: *Quia ipse cæpit, & sanabit nos*, ait Propheta: *percutiet & curabit nos*, quid est, *quia Ipse cæpit?* Nempe quasi diceretur, quod incepit, ipse perficiet, non est enim ex illis insipientibus qui à cæptis leuiter desinunt, quia ergo cæpit nos velle sanare, sanabit profecto & curabit licet percutiat, nam quod inceperit satis aperte declarat se id velle; quod autem nos curando nos percutit, Diuinæ ipsius

Osee 6.

Sapientiæ quoddam arcanum est quo nouit opportunum morbis applicare remedium.

Quod & alibi sic apte exprimitur, *Quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.* Id est, sicut medicus nouit talem esse infirmum vt nisi vulneretur, non sanetur; sic infirmus nouit talem esse medicum vt nisi vellet me sanare ac nisi sciret me vulnerandum vt saner, non vulneraret, non me percuteret. Hoc est certe de Christo sentire vt par est Christianum, & sic de Christo sentire in pœnis, hoc est pœnas penè non sentire. Iob 5.

II. PVNCTVM.

SED *dum in pœnis proferentur hæc Verba:* Nouit me meus Pastor, & ego noui eum, *hoc est ita de Christo sentire, hoc est reuocare in mentem quam sit Bonus & Sapiens, hoc est actum fidei de vtraque eius virtute producere.*

Nam sic æger profitetur se nosse Christum sicut à Christo est cognitus, non ex æquo quidem quia *ex parte tantum cognoscimus,* 1. Cor. 13. Ille vero nos plene totos nouit; sed ex simili quadam relatione vt quemadmodum Christus nouit ægrum quàm sit infirmus corpore vel animo, quantis quibusue potissimum egeat remediis, sic æger norit Christum hoc de se scire, hoc de se nosse, quod dum actu profitetur perinde est ac si diceret, mecum agit Christus sicut agendum est, agit enim sicut nouit, nam me non fallit; nouit vero quo mecum modo sit agendum, nam nec ipse fallitur. Ergo mecum agit sicut agendum est, id est, tam sapienter & prouide quam res omnino postulat; Hoc ego noui, hoc ego me nosse affirmo, hoc me tam firmiter credere profiteor quàm constanter ore pronuntio, *Nouit me meus Pastor, & ego noui eum.* Nouit quid sit opus facto, noui quod ipse faciat quidquid facto sit opus. Nouit me quam parum aut nihil ex me possim: noui quod supra quam possim non me oneret. Nouit quousque se vis morbi extendat: noui quod tantum remedij afferet. Et sicut ille nouit quantum sit amaritudinis ad remedium afferendæ, sic ego noui quod non plus inferet quàm exigat mali remedium.

Hæc enim omnia multoque plura quæ suggerit sanctus Augustinus comprehendunt illa pauca Verba, *Nouit me meus Pastor,*

& ego noui eum. Audi sanctum illum Doctorem, vel recole quod iam ex ipso audieris, vnde pateat quàm non sit nouus & inanis ille discursus qui de tali Pastore ac Medico frequentatur: Disce quàm excelsè, quam sublimiter de illius æquitate ac Sapientia sit sentiendum: *Quibus te*, inquit, *medicamentis curet, ille nouit: quibus sectionibus, quibus vstionibus, ille nouit. Tu tibi ægritudinem comparasti peccando, ille venit non solum fouere, sed & secare & vrere. Non vides quanta homines patiantur sub medicorum manibus, spem incertam homini promittentium? Sanaberis, dicit medicus, sanaberis si secuero. Et homo dicit, & homini dicit. Nec qui dicit certus est, nec qui audit: quia ille dicit homini, qui non fecit hominem, & non perfectè scit quid agatur in homine: & tamen ad verba hominis plus nescientis quid agatur in homine credit homo, subdit membra, ligari se patitur, aut plerumque etiam non ligatus secatur & vritur: & accipit fortè salutem paucorum dierum, iam sanatus quando moriatur ignorans, & fortasse dum curatur moritur, & fortasse curari non poterit. Cui autem promisit Deus aliquid & fefellit?*

In Ps. 85.

Ps. 102. Quod & repetens in illum Psalmi versum, *Qui sanat omnes infirmitates tuas:* siue, vt legit, *languores tuos: languor est*, inquit, *sanat & omnes languores tuos. Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies, sed major est Medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine, manus eius ne repellas: nouit quid agat. Non tantum delecteris cum fouet, sed etiam toleres cum secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte fratres mei in istis languoribus corporis quanta homines tolerent, vt paucos dies victuri moriantur, & hos paucos dies incertos. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum cum à medicis secarentur, aut inter manus medicorum mortui sunt, aut iam sani irruente aliqua ægritudine defuncti sunt. Si tam sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores non susciperent tolerandos. Tu non toleras ad incertum, qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur medicus aliquando, & promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam: nouit quemadmodum recreet quod creauit, nouit quemadmodum reformet quod ipse formauit. Tu tantum sub manibus medici esto: odit enim repellentem manus suas. Non fit hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines & secari: daturi pro incerta sanitate, certum dolorem, magnam mercedem. Deus te quem fecit, &*

tertius curat & gratis. Ferto ergo manus eius ô anima quæ benedicis eam, non obliuiſcens omnes retributiones eius : Sanat enim omnes languores tuos, qui redimet de corruptione vitam tuam.

Nonne hoc ipſum eſt quod agnoſcebat Dauid dum humiliaretur, & dum ſic ſanaretur à Domino ? durum quidem remedium, ſed ſalubre, ſed æquiter ordinatum : *Cognoui Domine quia æquitas Iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* Quid eſt *in veritate tua,* niſi prout me noris iam humiliandum. Hoc eſt enim verum eſſe quod tale Deus nouit, & quale quid nouit Deus, hoc eſt ita verum prout nouit, nec aliter. Vnde in prouerbiis Sapiens : *Pondus & ſtatera, Iudicia Domini ſunt : & opera eius omnes lapides ſacculi.* Quidquid de vnoquoque iudicat & ſtatuit Dominus, id velut appenſum eſt in ſtatera & bilance, vt quantum cuique ſit opus, tantum impendatur, & quidquid circa nos operatur Dominus, tam accommodate, tam iuſte, tam æquiter operatur, ac ſi lapides illos manu geſtaret & ad opus adhiberet quibus olim ponderabantur omnia, & in ſacculis ſeruabantur. Pſ. 118. Pr. 16.

Vel ſic interpretare ; ſic ad numerum, ad menſuram & pondus reuocata ſunt omnia quæ nobiſcum agit Dominus, vt tametſi tota illa lapidea pondera quorum olim erat vſus, è ſacculis depromerentur, non poſſent vmquam æquius proferre computum quàm ſint ad æquitatem omnia computata. Sunt enim ipſa æquitas, ipſa veritas, ipſa Iuſtitia. *Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa*, non egent vt ab alio iuſta demonſtrentur, hoc enim ipſo quo quis nouit eſſe Iudicia Domini, ſatis nouit eſſe vera & iuſta. Pſ. 18.

O qui attentius hæc cogitaret, quam longe aliter ac ſentiunt homines de pœnis ſuis, cogitaret !

III. PVNCTVM.

SIC *ergo ſentiendum & dicendum quibuſuis in difficultatibus*, NOVIT ME MEVS PASTOR, ET EGO NOVI EVM: Sic enim quantumcumque difficilem tui curam hæc verba facilem reddent, cùm te actu inducent in eam mentem vt credas & cogites quam ſit ille fidelis, quam bonus & ſuauis qui te curandum ſuſcepit, & qui te curando minime vulneraret niſi te noſſet vulnerandum : neque id verò noſſet niſi re ita eſſet ; ſi autem ita eſt, *hic vrat, hic ſecet, vt in æternum parcat.* Nihil tam aſperum quod non dul-

Ier. 25. cescat cernenti manum quæ illud asperum porrigit. *Accepi calicem de manu Domini*, dicebat Propheta, & merito; quid enim de manu illa recuses quæ sola salutem operatur & solis illis operatur mediis quæ nouit & iudicat esse aptiora? Quem in sensum beatus Iob quantiscumque plagis iam esset vulneratus, grauiora tamen pati si Deus vellet, sic postulabat: *Qui cæpit, ipse me conterat: soluat manum suam & succidat me. Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.* Hoc est, me diuinis iudiciis & flagellis totum subjiciam. *Nam*, vt ait sanctus Gregorius, *plerumque ad nos verba Dei non sunt dictorum sonitus, sed effectus operationum. In eo enim loquitur quod erga nos tacitus operatur. Beatus igitur Iob sermonibus Dei contradiceret, si de eius percussionibus murmuraret, sed quid de percussore suo sentiat, indicat qui quem ferientem tolerat, Sanctum vocat.*

Iob 6.

L. 7. mor. c. 8.

Expendens vero accuratius Idem sanctus Doctor verba illa Iobi, *soluat manum suam*, & quæ sequuntur, opportunè ad rem nostram ostendit tantum abesse vt quotquot recte sentiunt, pœnas à se auertant, quin potius ne illas auertat Deus, enixè rogant. *Cum amorem*, inquit, *suum Conditor erga nos per verbera non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia manum ligatam tenet. An non affectus sui manum ligauerat cum peccanti populo dicebat, Iam non irascar tibi, & Zelus meus recessit à te. Soluere ergo manum suam dicitur cum exercet affectum.* Et post pauca: *Hinc est quod sancti viri cùm de occulta ergo se dispositione suspecti sunt, plus prospera ipsa pertimescunt, tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus & dolor erudiat, ne in hac peregrinationis via, hoste ex insidiis erumpente, sua eam deterius securitas sternat. Hinc Psalmista ait, proba me Domine & tenta me. Hinc iterum dicit, Ego ad flagella paratus sum. Quia enim viri sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat quod sana cute intus occidebat. Timent ne vltio quæ suspenditur, grauior in fine seruetur; feriri paterna correptione desiderant; & dolorem vulneris, medicamenta salutis putant. Recte ergo nunc dicitur, Hæc mihi sit consolatio vt affligens me dolore, non parcat, ac si aperte diceretur quia ideo hìc quibusdam parcit, vt eos in perpetuum feriat, ideo me hìc feriat non parcendo, vt in perpetuum parcat. Ex afflictione enim consolor, quia corruptionis humanæ putredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor.*

Nonne sic te consolari satius esset, quàm te in lamenta & querelas abjicere? Sic enim tranquillè dolens, minus dolores: & majus tibi meritum comparares; cùm è contra, perturbatus magis doles & doloris tui minus est meritum. *Animæquior esto Ierusalem, exhortatur enim te qui te nominauit. Circumspice Ierusalem ad orientem, & vide jucunditatem à Deo tibi venientem.* Bar. 4.

Vide in 2. p. Fer. 5. Hebdom. 2. in Quadragesima, vbi hæc habetur Veritas:

Quo in cœlis corona gloriæ sumetur vultu, hoc in terra Calix sumendus est.

Et in 3. parte, Die 26. Iulij.

Qui non vult mortificantem Dominum, non vult viuificantem.

FERIA SEXTA.

DE AMORE CHRISTI PASTORIS, TANTI AESTIMANTIS OVES SVAS, QVANTI ANIMAM SVAM.

Et animam meam pono pro ouibus meis. Ioan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Qui animam suam pro mea Christus posuit, tanti æstimabilem fecit animam meam, quanti suam.

RATIO EST, Quia qui animam suam pro mea Christus posuit, redemit animam meam pretio sua.

Sed qui redemit animam meam pretio sua, tanti æstimabilem fecit animam meam, quanti suam.

Ergo & qui animam suam pro mea Christus posuit; Vnde quantum me diligat, & quantum à me diligi debeat, non modo patet: sed quid sit illum à me diligi patenter demonstratur, nempe vt pro ipso nec animæ meæ parcam, nec minoris eam in praxi faciam, quàm Ipse fecit, dando suam.

I. PVNCTVM.

NE quid restaret quod à Pastore circa suas oues ad firmissimam earum incolumitatem desiderari posset, vno verbo complexus omnia Dominus: *Et animam meam,* inquit, *pono pro ouibus meis:* quasi diceret, Nihil prorsus est quod non libentissime pro eis faciam, cùm vel animam meam ponam pro ipsis. Tanti videlicet eas facio, tantumque diligo, non amore solum sensibili, sed qui nobilior est amore quem vocant *appretiatiuo* vt pro ipsis saluandis me exponam, pro ipsarum vita, moriar: pro ipsarum denique anima redimenda, ponam animam meam tamquam petitum & datum redemptionis pretium. O rem certe supra id omne quod admirari possis, admirandam, si præsertim tria hæc considerentur: Primo is qui animam suam ponit: deinde illi pro quibus eam ponit: ac denique modus qua res tota peragitur.

De primo, satis quidem scitur esse Dominum Iesum qui ponit animam suam; sed quis ille sit Dominus Iesus, quantum ad rem spectat de qua hic agitur, non satis ponderatur. Est enim ipse Pastor qui pro grege suo mortem obit, quod quàm sit mirum & insuetum quis non videat, cum potius Pastori grex vitam suam debeat. Vnde licet solum vt homo spectaretur Christus, sic tamen Illum mori pro his qui non nisi per ipsum & pro ipso viuunt, excedit
1. Cor. 9. omnem humanum morem. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* At vero non solum homo est ille Pastor, sed simul est Deus; Quantus quantus est Deus: ô cœli obstupescite, tantus ille est qui humanam &
Phil. 2. mortalem accepit vitam quam pro suo grege poneret. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Denique, quod stupore solem obtenebrat, quod terrore terram concutit vniuersam, & quod

quod petras horrore scindit, Deus est offensus qui se offendentium culpam suo expiat sanguine; qui sibi debentibus omnia debitorem omnium se constituit, qui pro his ipsis animam suam offert à quibus eius aufertur anima! *Vix enim pro iusto quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori! commendat autem Charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus mortuus est.* *Rom. 5.*

Sed quod secundum est expendendum, in illis pro quibus Deus moritur, non illi solum sunt qui iam peccarant, quod certe multum est, sed quod est amplius, illi sunt qui cum etiam audierint tam profusam in se Dei bonitatem vt pro ipsis mori voluerit, tam parum illi tamen moueantur vt si quid grauius pro Redemptore suo sit tolerandum, respuant, nec alia reciprocæ dilectionis monimenta reddant quam in quibus non laborant. O prodigium ingratitudinis! O profusionem diuini sanguinis pro tam ingratis cordibus quæ si amare nesciebant, redamare nolunt. Sed non hîc sistit eorum ingratitudo, non enim solum non amant se amantem Deum sed ipsum & oderunt & insequuntur suis peccatis tam libere ac effuse quàm si de illis morte sua nil esset meritus. *Populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam semper!* *Is. 65.*

Addo vero ad cumulum vel humanæ malitiæ, vel diuinæ bonitatis explendum: non tantum à peccatis propterea non deterrentur homines, sed propterea magis ad peccandum prouocantur, quod tam bonum habeant Dominum qui pro ipsis est mortuus, & qui tam facile ac libenter ipsorum peccata condonabit, quam facilis olim fuit ad ipsa redimenda. *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* *Eccl. 8.* Itane peccator diuina bonitate abuteris? Itane diuina Bonitas tui suffert abusum & contemptum? An oculus noster, nequam esse debuit, quia tu bonus es? An sic bonus esse voluisti, cum oculus noster ita nequam futurus esset? *Matth. 20*

At quod de modo positæ à Christo animæ superest dicere, superat omnem dicendi modum, cum nec vllus fuerit crudelitatis exhibendæ modus qui ad eius tollendam animam non sit adhibitus. Certe quando in vita sua Theantrica siue diuina humana quam viuebat Christus, voluisset tantum in nostri gratiam aliquot annos aut menses, aut dies, aut horas, aut vel vnum momentum ponere; satis erat vt animam suam pro nobis ponere diceretur: Sed totam

ipsam posuit vitam, nec vllum vitæ momentum fuit quod non pro nobis posuerit. Bene habet, quandoquidem ita nobis bene voluisti: Iam ergo viue sic nobis viuens, & in æternum viue, nec talis vita morte vlla concludatur. Non ita, inquit Viuentis bonitas, sed mori me oportet, nec aliter vitam sumpsi quàm vt illam morte profunderem. O mors! poterisne talem absorbere vitam! Sed cum sint varia moriendi genera, genus saltem huius diuinæ mortis eligatur facilius, suauius & gloriosius quod possit eligi! Tantum id vero abfuit, quin quod humano & diabolico excogitari potuit ingenio difficilius, inhumanius, ignominiosius, totum id eius mortis genus fuit.

Tertio quidem post die resurrexit, & vitam resumpsit gloriosam, impassibilem, immortalem; *& mors ei vltra non dominabitur:* sed an ille vltra nobis suam desinet dare vitam? Non desinet, non cessabit vmquam & semper dicet, *animam meam pono pro ouibus meis.* Conuenerunt simul Diuina Sapientia, Bonitas, & Potentia vt inuenirent modum immortalis illius vitæ nobis etiam nunc communicandæ. Quoties nempe sacra offertur Hostia, vel quoties rite recipitur, tunc illa toties vbique, semper & omnibus se totam vita communicat, se totam beata illa Christi anima nostræ se immiscet & infundit animæ, vt illius vita nobis & illi sit vna vita.

O diuinam Pastoris nostri potentiam! ô diuinam Bonitatem! Sed parcat mihi Sapientia si ab illa quæsiuero, satisne prospexerit futuris inde malis euentibus? Satisne præuiderit futuros ex fidelibus infideles & impios qui vel negarent hanc potentiam, vel tantam irriderent bonitatem, vel ipsam etiam probris, sannis, & telis configerent sacratam hostiam? Præuisa, præuisa sunt, respondet Sapientia, quæ tu commemoras, nihilque fuit, aut quidquam futurum vsquam est tam blasphemum & impium quod non præsens esset cùm de illa danda vita deliberatum est. Manifestanda erat diuina mundo Bonitas, patefaciendus amor quo Deus diligit animam; procedat licet contrà quæuis humana impietas vel diabolicus furor, nil contra prorsus efficient, quandoquidem tantò inde major apparebit diuina Bonitas & diuina dilectio, quantò contrà humana impietas vel diabolicus furor desæuient. Audisne anima, nec tota raperis à teipsa in tantam Bonitatem!

Quia verò vera Praxis reciprocæ dilectionis inquiritur, sic illam Bonitatem admirare vt inde ad propositam Veritatem facilius

deuoluaris; hic est enim totius Bonitatis consideratæ fructus præcipuus vt cognoscas quanti animam tuam æstimet, & discas sic eam æstimare, nihil prorsus omittendo quod ad eius perfectionem spectat, cultum & operam. Nil poterat autem bonus Pastor apertius dicere vel facere quo indicaret quanti animam tuam faciat quam dicendo se ponere animam pro tua suam. Sic enim vel majoris vel tanti profecto æstimabilem facit animam tuam, quanti suam.

Nam quo veriori modo suam pro te ponit animam, hoc ipso tuam redimit pretio suæ dato: nempe per mortem, mortem autem Crucis. Nonne te ab illo redemptum confiteris, nonne illum Redemptorem esse tuum profiteris? Nonne illius sanguinis & totius profusæ vitæ pretio, tota hæc emptio peracta est? Nonne ex scripturis id toties audiuisti: *Empti estis pretio magno; VNVS Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. NON corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Quod omnes in cœlo sancti sic agnoscunt, vt hoc vno præcipue Redemptori suo bene precentur, *quia occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.*

1. Cor. 6.
1. Tim. 2.
1. Pet. 1.
Apoc. 5.

Certe nullus est populus, nulla tribus, nulla lingua, vel natio, quæ non ab illo redempta fuerit, cum semetipsum pro cunctis dederit: Sed illi vero, quos inter, te agnosce, magis redempti sunt qui vel plura peccarunt vel plures acceperunt gratias quibus à peccatis desistant, & saluti commodius vacent.

II. PVNCTVM.

ET verò sic redemisse animam tuam pretio suæ, nihil aliud est quàm tanti æstimabilem fecisse animam tuam, quanti suam.

Quando enim Emptor & intelligens rei quam emit æstimator, pretium dedit pro re illa sibi comparanda, quis affirmare dubitet tanti rem emptam, ab illo æstimari Emptore, quantum est pretium quod pro illa dedit? Cur enim tantum dedisset si rem tanti non æstimasset: cum præcipue supponatur esse Emptor intelligens & sapiens, quod certe dubitari non potest de Christo Domino Redemptore.

Matth. 13. Nonne sic Euangelicus ille mercator qui omnia sua dedit vt quæsitam & inuentam emeret margaritam, manifestè demonstrauit se tanti margaritam facere quanti sua omnia quæ pro ipsa distraxit? Nonne sic Dominus qui parabolam illam retulit hoc intendebat vt tanti ostenderemus nos æstimare virtutem vel perfectionem vel salutem, quanti cætera omnia quæ daremus ad salutem consequendam? Nonne sic Apostolus quanti Christum Dominum faceret, indicabat cum diceret se pretiosa quæque *arbitrari velut stercora*, id est, funditus execrari vt Christum sic lucrifaceret, quia sic cæterarum execratione rerum tanto ditior lucrifit Christus, quanto est rerum execratio vel intimior vel generalior.

Phil. 3.

Cur ita ergo non diceretur Christus tanti animam æstimare nostram quanti suam, cum suæ pretio animæ nostram emat? An quia nimis bonus est, an quia nimis nostri amans, an quia nimis prodigus vitæ suæ? Sed an propterea desinit esse sapiens? an propterea desinit sapienter fecisse quod fecit? Quis auderet de illo dicere in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, quis hoc auderet de illo pronuntiare mysterio quod excellenter dicitur diuinæ mysterium Sapientiæ? Sicut itaque nullus ambigendi est locus de perfecta illius sapientia, sic neque de illa emptione, sic neque de illa æstimatione, sic neque de illa quam fecit animæ suæ cum nostra, vt dictum est, æqualitate pretij?

Ps. 102. Sic præclarè & apte S. Augustinus in illum Psalmi versum *qui redemit de interitu*, vel vt ipse legit, *de corruptione vitam tuam? IAM securus esto*, inquit: *Initus est bonæ fidei contractus: nemo fallit redemptorem tuum, nemo circumuenit, nemo premit. Egit hoc commercium, iam pretium soluit, sanguinem fudit, sanguinem, inquam, fudit vnicus Filius Dei pro nobis. O anima erige te, TANTI VALES.*

III. PVNCTVM.

PATET *igitur evidenter quod dixit & quod fecit bonus ille Pastor, qui dum animam suam pro mea posuit, tanti æstimabilem fecit animam meam quanti suam:* sic enim ponendo animam suam, meam emit pretio suæ, meam autem emendo animam, pretio suæ, perinde prorsus est ac tanti meam æstimare animam quanti suam, cum ex communi hominum melius sentientium sensu qua libet rerum emptio sit earum æstimatio, & tanta prorsus æstimatio, quanta

est emptio: nisi forte etiam dici possit, pluris æstimari res emptas quàm earum pretium, cum pretium detur pro rebus, quod certe non daretur nisi res pluris quam quod datur æstimarentur.

Sic de Moyse dicitur quod *majores diuitias æstimauit thesauro Aegyptiorum, improperium Christi*, Quia videlicet regno Ægypti prætulit Christum. Quo quidem facto Moyses manifeste patefecit quanti Christum Dominum faceret, cum tale regnum Christo postponeret. Sed tamen quid Ægyptus, quid terrarum orbis, quid vel ipsa rerum omnium vniuersitas comparata Christo? Vnde si quid ex illa rerum vniuersitate pro Christo reliquisse, multum est ad eam indicandam quam quis de Christo mentem & æstimationem habeat; quale illud, amabo te, quale illud esse debet indicium & argumentum æstimatæ àChristo animæ nostræ, cum pro nostra posuit animam suam, quæ infinito dignitatis interuallo nostram exuperat? Quam dabit homo commutationem pro anima, iam non sua solum sed pro ipsa Christi anima quam pro sua redimenda datam esse agnoscet in pretium? Hebr. 11.

Tu Christe Iesu, quid vidisti tam carum & pretiosum in hominis anima præsertim peccatrice vt pro illa Tuam dares? Responsum accepisse videtur sanctus Augustinus qui ait Dominum vidisse *non quod est sed quod futurum erat*, non quod in se fecerat anima malum, sed quod Ipse in illa facturus erat bonum: sicut in sylua faber aut sculptor videt lignum tortuosum & male quidem compactum & formatum, sed benè ac commodè secundum artem suam efformandum: videt quippe se ex illo insignem Petri vel Pauli vel quem velit alterius Sancti formare posse imaginem, vnde lignum illud amat, & tanti æstimat quanti ex illo futuram videt imaginem æstimandam. Sic Christus Dominus vidit in anima quid per gratiam fieri poterat, vidit ipsos Petrum, Paulum & quoslibet futuros sanctos ad Diuinam ipsam imaginem in melius reformandos: *Vidit maxima illa & pretiosa quæ per ipsum nobis donata sunt, vt per hæc efficiamur Diuinæ consortes naturæ*, sicut ait princeps Apostolorum Petrus. Ex quibus anima donis & gratiis, vnde maxima Dei Gloria refulgeret, tam cara fuit & pretiosa in oculis Domini, vt quandoquidem redimenda erat, non alio poterat redimi pretio quàm ipso Christi Sanguine, quam ipsa data in mortem Christi Anima; Nil prorsus aliud in humanis æquiualere poterat. In c. 8. ep. ad Rom. 2. Pet. 1.

In Ps. 125. *Vendere nos potuimus*, inquit sanctus Augustinus, *redimere nos non possumus, vendidimus nos consensione peccati, redimimur in fide iustitiæ. Sanguis enim innocens datus est nobis vt redimeremur*, A peccato scilicet ad gratiam; à seruitute Diaboli ad libertatem filiorum Dei; ab inferorum suppliciis ad sempiternam Cœli beatitudinem. Talis à summo malo ad summum bonum redemptio fieri non poterat, nisi summo etiam tradito pretio: Tradi debuit quidquid tradi potuit. Et hoc vnum erat, Sanguis innocens Christi fusus, sanctissima Christi anima per mortem data. Hoc vno talis redemptio transigi poterat, atque hoc vnum ita datum est totum, nihil vt prorsus superfuerit quod vel exigi vel dari posset. Ps 29. Serm. 256. de temp. *Conscidisti saccum meum*, inquit Patri filius Redemptor hominum, vt sanctus Augustinus interpretatur, his valde memorandis Verbis: *Non tibi vilescat quod ait saccum meum, Ibi erat inclusum pretium tuum: Euasimus ad saccum istum. In passione conscissus est. Quomodo Patri dicatur vis audire, conscidisti saccum meum? Quia proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum. Fecit enim per Iudæos nescientes vnde redimerentur scientes & confunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo, suspensus est saccus, & quasi lætatus est impius. Conscidit saccum lancea persecutor, & fudit pretium nostrum Redemptor.* Quasi diceret, sicut ex conscisso sacco tota quæ in eo continebatur pecunia profunditur, sic in cruce conscissus Christus totum quod continebat, effudit salutis nostræ pretium.

O vere pretiosam salutem, ô vere pretiosam mihi deinceps habendam animam meam quæ tali redempta pretio non potest negligi nisi simul hoc pretium, nisi simul redemptio, nisi simul Redemptor negligantur? Fierine posset, anima mea, vt si tali te sumptu redemptam credas, te rursus tam vili pretio quale est cupiditatis oblectamentum, te rursus vendas? In Ep. ad Rom. *Vnusquisque peccando videlicet*, vt ait sanctus Augustinus, *Diabolo animam suam vendit, accepto tamquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* Tu te ita vilifacias quam ita Christus magnifecit! ô impietatis prodigium! Pergendum vltra longius in tali concitando affectu cum gratia, atque idcirco videri potest in 2. parte, Feria 6. quæ Parasceue dicitur, ad secundam quæ ibi proponitur Veritatem: Et Dominica 2. post Pascha, vbi hæc declaratur:

Nihil æstimatione speculatiuâ pretiosius anima nostra: sed practicâ, nihil vilius.

Ne vero te persuaderi sinas quod quidam aiunt ex sancto Augustino, non omnes esse redemptos, nec te forte ex illis vnum esse: audi quàm Ille sanctus Doctor contrà sentiat, audi quàm acriter in sui temporis hæreticos ita garrientes inuehatur: audi quàm apte vel ex tanto quod dedit Christus pretio concludat, vniuersum terrarum orbem, id est, vniuersos esse redemptos. *Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quaritis quid emerit? Videte quid dederit & inuenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo aut multum superbi sunt qui dicunt aut illud tam paruum esse, vt solos Aphros emerit, aut se tam magnos esse pro quibus solis illud sit datum! Non ergo exultent, non superbiant: Pro toto dedit quantum dedit. Nouit quid emerit, quia nouit quanti emerit & quanti dederit.* In Ps. 95.

Non est igitur hoc timendum, ne sis redemptus: sed ne te perdas redemptum, & ne à tuo longius Redemptore discedas. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum. IVSTVS autem meus ex fide viuit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.* Id est, tales esse non debemus qui nos à Christo subtrahamus dubitantes ne quid ab illo desit, vnde perditio timenda esset; sed plene credentes & confidentes Ipsi numquam nobis defuturo, videamus & id solum cogitemus ne nobis ipsi desimus, & ne vllam acquirendæ salutis animæ prætermittamus occasionem. Vide in 3. parte, Dominica 6. Osee 13. Hebr. 10.

Non quod times, timendum est, ne desit tibi Deus, sed ne tu desis Deo.

SABBATO.

DE FIDELITATE ANIMÆ IN AVDIENDA PASTORIS VOCE.

Oues meæ vocem meam audiunt. Ioan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Sicut Imaginem aut Faciem Christi, sic eius Vocem fidelis anima reueretur.

RATIO EST, *Quia idcirco Imaginem Christi fidelis anima reueretur quod sit eius repræsentatio.*

Sed vox Christi, quædam est eius repræsentatio.

Ergo sicut eius Imaginem sic eius vocem fidelis anima reueretur, non modo ad cultum quendam religiosum, sed ad obedientiam & ad omnium Virtutum praxim quam Pastor inspirabit.

I. PVNCTVM.

ET *alias oues habeo*, inquiebat bonus Pastor, *quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor*, Tum illud de voce sua audienda paulo post repetens: *Oues meæ*, inquit, *vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum:* Dum videlicet fideles sint in illa voce audienda & seruanda. Quod vt fiat religiosius, multæ possunt proponi Veritates quarum Prima hæc est, *Quod sicut faciem aut imaginem Christi Domini reueremur, sic ipsam eius vocem: non modo quæ ab ore eius sensibiliter profertur sed quæ iam olim ab illo prolata est, & in sacris continetur Euangeliis, vel quæ in imo corde auditur, aut quæ à Superioribus declaratur, aut quo denique modo innotescat:* Quia eadem est ratio vocis & imaginis Christi quantùm ad cultum & venerationem suo vtrique modo exhibendam. Quænam porro est illa ratio? Cur imaginem Christi reueremur? Quia scilicet eius est repræsentatio cui proinde tantum religiosæ venerationis debetur, quantum ipsi Christo. Sic sanctus Basilius: l. de Sp. S. c. 18. *Rex dicitur regis imago, non autem duo reges. Neque enim potestas scinditur, neque gloria diuiditur. Quemadmodum autem principatus ac potestas nobis dominans vna est, sic & glorificatio quam illi deferimus*

rimus vna est non multa. Itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur.

Quæ sancti Patris verba sic sanctus Ioannes Damascenus commendat: *Nam, vt inquit Deifer & magnus in Diuinis Basilius, imaginis honor ad Exemplaris transfertur honorem. Exemplar autem est quod imaginem efformat, & ex quo, quod deducitur, fit.* Hos autem duos Patres nominatim citat & sequitur Diuus Thomas, expressè docens eodem cultu imaginem Christi quo ipse Christus colitur, esse colendam, sicque rem totam explicat: *Duplex est motus animæ in imaginem. Vnus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quædam est: alius autem in imaginem secundum quod est imago alterius. Et inter hos duos motus est hac differentia, quod primus motus quo quis mouetur in imaginem, vt est res quædam, est alius à motu qui est in rem quæ scilicet repræsentatur: Secundus autem motus qui est in Imaginem inquantum est imago, est vnus & idem cum illo qui est in rem repræsentatam. Sic ergo dicendum est quod imagini Christi, inquantum est res quædam, putà lignum sculptum, vel pictum, nulla reuerentia exhibetur, quia reuerentia nonnisi rationali creaturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reuerentia, solùm inquantum est imago, & sic sequitur quod eadem reuerentia exhibeatur imagini Christi & ipsi Christo.* L. 4. Orth. Fid. c. 17. 3. p. q. 25. a. 3.

Addit vero in responsionibus ad obiecta: *non propterea tamen homini qui est imago quædam Dei, parem adorationis exhiberi cultum ac ipsi Deo; Nam posset esse,* inquit, *erroris occasio, vt scilicet motus adorantis sisteret in homine inquantum est res quædam, & non referretur in Deum, cuius est imago. Quod non potest contingere de imagine sculpta vel picta in materia sensibili.* Resp. ad 3.

De hac porro relatione Imaginis ad suum primum exemplar sic ante hos omnes præclare scripsit magnus ille Athanasius qui se pro domo Domini murum opposuit contra insectantes Arrianos. *In imagine, regis species & forma apparet: & in rege, imaginis species: sine enim omni discrepantia vultus regis in imagine expressus est, vt qui videt imaginem, videat in ea regem: & vicissim qui regem intueatur, agnoscat illum ipsum eundem esse qui in imagine repræsentatur. Ceterum quia in ambobus nulla est dissimilitudo, si quis post conspectam imaginem velit regem videre, huic ad eum modum ita imago iure loquetur: Ego & rex vnum sumus: ego enim in illo sum, & ille in me: & quod in me animaduertis, id quoque in eo animaduertas, & quod videris in illo, videas & in me.* Nonne id credis? nonne id profiteris? Serm. 4. contra Arr.

nonne id contra quoslibet impugnantes tuereris?

II. PVNCTVM.

SED *vox Christi sic quædam est eius repræsentatio.* Non vox simpliciter sonans siue vt sonus est, sed vox significans, vox verbis expressa, & verba per vocem edita, Verba de quibus ipse dicebat Dominus: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hæc inquam verba, vox eius est, & vox eum repræsentans quodammodo sicut ipse Filius dicitur Verbum Patris quia est eius imago, & quia verbum imago quædam est & repræsentatio personæ cuius est verbum: nonne quando loquentem audis, etiamsi non sit præsens, vel quando absens tibi sua scribit animi sensa, nonne tibi videris illum videre quasi præsentem? Quid illius sermo scriptus nisi significatio mentis ipsius, nisi illud ipsum quod in mente habet & quod tibi per sermonem ita communicat vt ipsa communicatio sit quædam eius similitudo & repræsentatio? Nam quod ille cogitat, quod sentit, & quod sapit, totum illud profusum est in illum sermonem quem ad te dirigit, vnde fit vt ille ipsius sermo sit illius sensus, illius sapientia, illius animus atque vno verbo, Ille Ipse expressus & repræsentatus, longe veriùs quàm per imaginem, quæ tantum corpus exprimit, sermo autem animum & eius arcana, quæ solo reuelantur sermone palam prolato vel particulatim scripto.

Ioan. 6.

Sic sanctus Basilius ex epistola quam acceperat à familiari suo sancto Gregorio Nazianzeno scribit se eum cognouisse sicut ex filiorum vultu parentes cognoscuntur, quia videlicet sermo est character quidam Ingenij & internæ mentis, vt diximus. Quæ si vera sunt de nobis quanto magis de Deo & de Christo Domino, qui suis seipsum verbis longe magis communicare & repræsentare potest quam nos nostris? Cum enim nihil sit Dei quod non sit Deus, hinc omne Dei Verbum dici potest Diuinum aliquid cum & ipsi ad quos fit Dei sermo dicantur Dij, ipso probante Christo.

Ioan. 10.

Sed quid expressius ad rem nostram quàm quod scribit Apostolus ad Hebræos: *Viuus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum atque intentionum cordis:* quæ certe admiranda effecta, & quæ plura ibi refert

Hebr. 4.

Apoſtolus, ſoli Chriſto ſeu Deo conueniunt: & tamen illa ſermoni eius attribuit, quaſi diceret, Chriſtus & ſermo eius vnum & idem ſunt. Sic quando dicitur in Euangelio, *quotquot eum receperunt, filios Dei fecit*, non de *hoſpitio* inquit ſanctus Auguſtinus ſed de *auditu* debet intelligi, quotquot eum receperunt vel non receperunt Euangelium, tot Chriſtum recepiſſe vel non recepiſſe dicendi ſunt, quo etiam ſenſu dicitur quod *nati ſumus non ex ſemine corruptibili*, vt ait S. Petrus, *ſed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in æternum, hoc eſt verbum quod Euangelizatum eſt in vos.* Vnde apertè patet quod vox ſeu verbum Chriſti ſit eius quædam repræſentatio cum ſit ipſa eius virtus, ipſa eius ſapientia, ipſa bonitas & pene quidquid eſt: Vnde vere *beati ſunt qui audiunt verbum illud & faciunt.*

Ioan. 1. 1. Pet. 1. Luc. 11.

III. PVNCTVM.

SIC igitur Vocem ſeu Verba Chriſti ſicut eius Imaginem fidelis anima reueretur, quia ſicut Imago repræſentat exteriorem Chriſti faciem, ita eius verbum, interiorem exhibet; ac proinde ſi propter repræſentationem, Imago Chriſti colitur, non minus debet coli eius Verbum quod æque Illum nobis repræſentat: Sic in Canticis non minus deſideratur vox Sponſi quam eius facies: nam vbi dictum eſt, *oſtende mihi faciem tuam*, ſtatim additur, *ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*, quaſi diceret ſponſa cuius hæc verba magis quam ſponſi eſſe affirmat S. Gregorius Nyſſenus & alij apud Tirinum Interpretem: ſi fieri poſſet dilecte mi, vt te ſimul viderem & audirem, pergratum mihi valde foret: quod ſi tamen vnum negatur, at ſaltem concedatur alterum: ſi te videre non poſſim, ſaltem te audiam, vt ſic vox tua tuam ſuppleat faciem, & te quocumque modo præſentem habeam.

Cant. 2.

Nouerat enim ſponſa nouerat hunc diuinæ modum præſentiæ per vocem Dei, non minus eſſe celebrem & frequentem quàm per eius faciem. Sic enim dum prius Moſi Deus apparuit in monte Horeb, viſus eſt quidem ardere rubus, ſed tantum abeſt vt quid de Deo Moſes viderit, quin potius de illo expreſſe dicitur: *Abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum.* Quo igitur illi modo Deus apparuit niſi per vocem? Sicut cum in eodem ipſo monte, ſed multo pòſt tempore Deus apparuit Heliæ non in

Exod. 3.

3. Reg. 19. facie sed in voce, non visu sed auditu, *Et ecce*, inquit Scriptura, *vox ad eum.*

Quod luculentius etiam patet in illa omnium celeberrima Dei ad cunctum populum apparitione facta, cum ei legem digito suo scriptam in duabus tabulis tradidit. An per faciem apparuisse Deus dicitur, an per vocem? Audi Moysem de re tota vt expresse populum postea monuit: *Vocem*, inquit, *verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.* Quasi aperta voce diceret, sic apparuit vobis Deus per vocem suam sicut per faciem, quia vox scilicet non minus personam repræsentat quam facies, nec minorem à nobis exigit cultum Deus auditus quàm visus.

Deut. 4.

Itane vero id tibi persuasum in praxi habes? Itane Verba Christi, sicut si præsens Ipse adesset, veneraris? An velles vel eius Imaginem sic proterere sicut Verba eius à te proteruntur cum negliguntur, cum effectum nullum in te habent, cùm opposita mundi Verba plus in te valeant? *Qui spernit me*, inquit ipse Dominus, *& non accipit Verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum.* Mira certe est sententia Diui Augustini asserentis nihil minus esse Verbum Christi quam eius Corpus, nec minori pœna dignum esse *qui Verbum Christi negligenter audierit quàm qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.* Sunt eius Verba quæ plura referuntur in 3. parte, Feria 2. Hebd. 8. vbi exponitur Parabola seminis seminati in terram quadruplicem. De qua item Parabola & de Verbo Christi fusius in 2. parte, Dominica Sexagesimæ.

Ioan. 12.

Quæ vt firmius corroborentur, addi posset & exornari ditius hæc Veritas:

Semel locutum esse Christum, fideli satis est animæ vt Vocem eius semper audiat & sequatur.

Ratio est, quia fideli animæ satis est ad Christi sui vocem audiendam & sequendam, si semel eius voluntatem & propensionem intelligat. Quid enim aliud opus, cùm non aliter eum sequatur anima quam quod intelligat Ipsum velle, nec aliter ipse loquatur quàm vt declaret animæ quid ab ipsa velit? *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Quid scilicet à me velis, & quò me ire iubeas.

Cant. 1.

Sed semel locutum esse Christum satis est ad indicandum quid velit;

Semel olim dixisse Christum dum inter homines ageret, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*: satis est ad indicandum vnicuique fidelium vnoquoque loco & tempore, quòd ab ipso velit hanc abnegationem sui & quotidianam suæ Crucis tolerantiam. Sicut enim suis discipulis tum dixisse sufficit vt nobis etiam dictum putemus, sic semel dixisse satis est vt semper nobis dictum putemus, seu potius vt semper ita præstandum quod semel dictum est, cogitemus. *Nec dubitare debemus*, inquit sanctus Leo, *hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in iis qui aderant, vniuersaliter audiebat. Sicut ergo totius est corporis piè viuere, sic totius est temporis crucem ferre, quæ merito ferri vnicuique suadetur quia propriis modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur. Vnum nomen est persecutionis, sed non vna causa est certaminis, & plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto.* Quasi diceret, sicut insidiator ille occultus numquam nos cessat persequi, sic numquam à resistendo cessandum est, & sic semper pugnando crux est ferenda. Sic enim nos sibi tam præsentes Christus habebat cum hæc diceret, quàm quos habebat præ oculis: & nobis vt prodesset ad singula quæque momenta non minus intendebat, quàm quibus loquebatur; cur non igitur similiter Illum nobis præsentem exhibeamus cum expresse propterea nobis sit dictum: *Vobis ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis?*

Luc. 9.

Serm. 9. in Quadrag.

1. Pet. 1.

Denique quod rem totam concludit, sic est authenticè dictum in libro Iob, *Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit*, quasi non sufficiat quod semel locutus est. *In Scriptura quippe eius eloquio*, inquit ibi S. Gregorius, *causas nostras singuli si requirimus, inuenimus: nec opus est vt in eo quod specialiter tolerat, responderi sibi Diuina voce specialiter quærat. Ibi enim nobis omnibus in eo quod specialiter patimur, communiter respondetur. Ibi vita præcedentium fit forma sequentium. Ibi videlicet inuenimus quod Paulus, carnis suæ infirmitate tentatus audiuit, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quod idcirco illi in infirmitate propria dictum est ne sigillatim nobis omnibus diceretur. In Scriptura igitur sacra vocem Dei afflicto Paulo audiuimus, ne cum fortasse affligimur, singuli audire eam priuata consolatione quæreremus: quia semel loquitur Deus & idipsum secundò non repetit, quia in Scriptura sacra quidquid potest singulis*

Lib. 33.

euenire, comprehendit, atque in illa per exempla præcedentium etiam vitam sequentium informare curauit.

Tùm verò ibidem pergens sanctus Doctor Verba illa explicare de Diuino Verbo quod semel loquitur Deus, vnigenitum semper gignens filium: copiosam subministrat materiam idipsum transferendi ad propositam Veritatem ob analogiam multiplicem quæ in vtroque Verbo & intrà genito, & extra prolato conuenit, Vnde tandem concludatur quod sicut ad fidem nobis est satis, vel semel audiuisse quæ sunt credenda vt credantur, sic plane ad charitatem vt quæ agenda sunt, fiant. Quod fuse declaratur in 2. parte, Feria 4. Hebd. 4. post Pascha. Videri etiam debet in eadem parte, Feria 3. Sexages.

Quod Christus semel suis, hoc in omni semper casu tibi dicit, *Non turbetur cor tuum.*

Quæ item de non differendo, passim in singulis partibus. Ac denique cùm sit proprius hic character ouium Christi, *Vocem eius audire*; Quàm sint paucæ oues quæ illam audiant, quam sint pauci qui saluentur, quàm sint pauci qui Christo credant: Vide in 2. parte, in Septuag. Et in 5. In Transfiguratione Domini. Nec non in appendice ad Missiones, de præjudiciis saluti oppositis, capite 4. & sequentibus.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

REDDENDA QVÆ SVNT CAESARIS CAESARI, ET QVAE SVNT DEI, DEO.

Abeuntes Pharizæi concilium inierunt vt caperent Jesum in sermone. Matth. 22.

VERITAS PRACTICA.

Deus non irridetur. Ipse deludet illusores. *Prou.* 3.

RATIO *primæ partis que magis ad praxim spectanda est, sic ex secunda parte formatur : Deus non irridetur si deludat illusores.*

Sed ipse deludet illusores, vt ait Sapiens in Prouerbiis.

Ergo Deus non irridetur ; Ergo cauenda dolositas, simulatio, duplicitas, hypocrisis, & quidquid simplicitati Christianæ aduersatur.

I. PVNCTVM.

CVM Christus Dominus Ierosolymis Parabolam de inuitatis ad nuptias enarrasset, atque in ea Iudæorum infidelitatem & pœnas consequentes expressisset, tunc è congressu abeuntes Pharizæi concilium inierunt vt caperent eum in sermone, id est, ita illum illaquearent vt quidquid diceret, inde ansam acciperent eius accusandi. Quamobrem mittunt è suis aliquos cum Herodianis, qui nempe ad Herodis gratiam toti erant conficti, siue vt illum tamquam Messiam colerent, siue vt cum illo Romanorum imperium in Iudæos protegerent: mittunt inquam ad Christum qui simularent se serio & religiose agere, ac proinde præ se ferrent omnem pietatis & bonæ de illo existimationis cultum, latenter vero & callide fabricatam hanc ad eum decipiendum quæstionem proponerent: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?*

Graue id enim censebant Iudæi qui cum se populum Dei electum agnoscerent, non putabant se alienis subditos esse Dominis. Quo in errore confirmabantur à Pharizæis qui toti erant populares seu populi gratiam aucupantes. Erat itaque sic intricata quæstio vt si Christus negaret esse censum persoluendum, mox apud Herodem Regem, vel Pilatum præsidem qui Cæsaris & Romanorum partes fouebat, accusaretur: si vero affirmaret, tùm populo contrà reclamanti esset inuisus.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait, quid me tentatis Hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium, Id est illam monetæ speciem quæ in tributum soluebatur, *Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quasi diceret, vos ipsi quæstionem soluitis, cum vel imaginem Cæsaris tamquam vestri principis in numis vestris cuditis; vel cum sic ipsa cusa pecunia tamquam apud vos probatissima non difficulter vtimini: quapropter sicut eum agnoscitis vestrum Dominum, & hanc eius esse pecuniam, quia refert eius imaginem;

imaginem; sic quæ sunt illius, illi reddite: dum modo sic etiam quæ sunt Dei, Deo reddatis: hoc est, animum vestrum & vos totos quibus Diuina cum sit impressa imago non minus estis Dei, nec minus Deo reddendi estis, quam pecunia Cæsaris reddenda Cæsari propter eius imaginem ibi expressam. Quæ responsio tam prudens & accurata fuit, vt ipsi simulatores eam demirarentur, nec quid in illa carperent, inuenirent, vnde ad suos taciti reuertuntur.

Ex quibus ita dilucidatis cùm multa depromi possint ad multas practicas Veritates, tum illud prius occurrit quod maxime Pharizæos mouit ad interrogandum Christum de tributo persoluendo, nempe dolositas & simulatio qua illum decipere prætendebant, & in inuidiam aduocare; quo vitio peccant quicumque in rebus ad religionem siue ad salutem & Conscientiam spectantibus non sincere procedunt, sed sibi quædam falsa fingunt, aut quæ sunt vera, dissimulant, quasi nesciant, quasi non possint, quasi non teneantur, quasi aliàs opportuniùs faciant; sed non modo, quasi iam non sibi vacet id cogitare, sicque salubria quæuis ad melius viuendum monita siue à Deo interius, siue à Directoribus exterius inspirata eludunt, ioco vertunt, vel in alios detorquent sensus, quasi Deo affingerent, quasi eum nescientem in suas vellent partes attrahere, quasi vno verbo, illum irriderent.

Sed his apte Apostolus ex quo deprompta est Veritas quæ iam expendi debet: *Nolite errare, Deus non irridetur.* Irridetur quidem *Gal. 6.* fictis illis & simulatis agendi modis, sed non quo sensu & quo euentu putant: Putant enim sic euasuros, sic impunè laturos quidquid mali commiserint, vel quid boni omiserint, sic se ab his excusaturos quæ nolunt agere. Non sic impij non sic: Deus non ita vt putatis irridetur. Nam si vt Sapiens dixerat, *Ipse deludit Illusores*, profecto non ab illis irridetur, sed illos irridet. Sunt illi quidem Illusores, quo sensu dictum est, dum sibi fingunt se verba dare Deo, & sic se posse ab eius expedire Iustitia; sed si errant in illo suo sensu, si secus quàm putent, accidat: si non excusentur, si tanto inde magis accusentur & puniantur, nonne ipsi qui dicuntur, illusores, illudentur, & nonne sic patebit Deum non irrideri? Nam ex euentu res paret; Quales illi demum fuerint in quibus sistet & inhærebit irrisio, tum illi verius irrideri

dicuntur. Si quod prætendunt Illusores obtinerent, si Dei iusta & statuta facerent irrita, certe hoc modo sic irriderent Deum vt non posset dici quod Deus non irridetur: sed si nihil obtinent, si contra potius quam volebant eueniat, nonne tum ex illis contrariis euentibus tam vere dici poterit quod Deus non irridetur, quam falso sibi persuadebunt Deum irridere posse? *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis: & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* (Is. 33.) Quasi diceretur, nonne apparet quam stulte agas & quantum tibi noceas, si dum spernis, spernaris potius quam tu spernas?

II. PVNCTVM.

SED *res ita tandem habet, ita ipse suo tempore suos deludit Illusores*, vt expresse affirmat: *Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam: mane consurgent & non inuenient me: eoquod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ.* (Pr. 1.)

Quibus in verbis tria sunt quæ quanta sit illa illusio qua Deus deludit Illusores, manifeste demonstrant.

Primum est quod cum ipsi sint illusores, grauius certe est illis illudi quam aliis: nam omnis transitus ab extremo ad extremum, siue à quouis opposito ad oppositum, longe semper acerbior est & acrior, vt patet in superbo humiliato, in diuite suis exuto bonis, in libero & Domino ad seruitutem redacto, & aliis; vnde ex Illusore illusum fieri, sicut manifestum est oppositum, ita & pœna grauior. Adde quod quantum placebat illis illudere, tantum necesse est vt illudi displiceat, non tantum quia sic diuinitùs *per quæ quis peccat & magis torquetur*, sed quia etiam humanitùs quantam ipsi sentiebant animi jucunditatem illudentes, tantam illusi percipiant oportet acerbitatem, quod se suis videant illusos illusionibus, & suis illaqueatos laqueis. *Videbunt & tabescent.* (Ps. 111.)

Secundum est, quòd non tantùm irridentur, sed subsannantur & sic Angelis & hominibus irridendi proponuntur, vt ludibrium & iocus omnium fiant; Quod certe est ad pudoris sensum peracre: Vnde & dicuntur transire in confusionem, quasi sint ipsi

toti fabula & confusio de quibus liberum sit omnibus loqui, quòd manifesta sit eorum prauitas: *Abierunt in confusionem fabricatores errorum.* Is. 45. Sic *reuelare* dicitur Deus *hypocritarum absconsa & in medio synagogæ delusores elidere*, quasi diceretur, illos exponere cunctis Eccles. 1. subsannandos. *Ecce homo qui praualuit in vanitate sua. Ecce parturiit* Ps. 51. *iniustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem: lacum aperuit &* Ps. 7. *effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. EGO eligam illusiones* Is. 66. *eorum, & quæ timebant, adducam eis.*

Tertium est, quod cum multa illis improuisa contingant damna, siue bonorum iacturæ, siue morbi, siue mors ipsa, tunc ipsi sentiunt quam falsa essent quæ iactitabant, & quam vera quæ contemnebant. Tunc palinodiam coguntur canere, id est, vel inuiti & renitentes profiteri Deum esse cui non seruisse malum sit, & cum Antiocho dicere: *Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem* 2. Macch. 9. *non paria Deo sentire*; Quodque ad probrum & confusionem insignius est, tunc quò confugiant nil superest nisi ad illius Bonitatem quam præsertim deluserunt, & quam frustra inclamant, frustra precantur, frustra suis demulcent promissionibus: *Orabat* Ibid. *scelestus Dominum à quo non esset misericordiam consecuturus. ILLOS* Sap. 4. *autem Dominus irridebit: & erunt post hæc decidentes sine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum.*

Nihil certe ad rem aptius quàm quod ipsa refert Sapientia, quæ & consequenti capite sic pergit: *Tunc stabunt iusti in magna* c. 5. *constantia aduersus eos qui se angustiauerunt & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via Veritatis.* Et quæ plura lugent Illusores non solum in Inferno, sed in suis etiam temporalibus damnis, in suis corporalibus morbis, & in internis animarum angustiis cum vident sibi perire omnia, & se tandem cum omnibus perituros. *Vbi sunt* Deut. 32.

dij eorum in quibus habebant fiduciam? Vbi cachinni, vbi scurrilia, vbi luxus, vbi geniales mensæ, ioculares socij, & parentes primarij, quorum authoritate freti & nomine, iura omnia violabant, *surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Nonne tum habent ex hac ipsa vita quod sentiant & quod dicant, *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tamquam vmbra & tamquam nuncius percurrens: & tamquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: aut tamquam auis quæ transuolat in aëre: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum: quoniam spes impij tanquam lanugo est quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tamquam fumus qui à vento diffusus est, & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.*

Sap. 5.

At eò tandem redigi vt id agnoscant, id sentiant & profiteantur Illusores, nonne deludi est? Nonne in aduersum iuisse est potius quàm quò volebant ire? Nonne quod dixerat Sapiens: *Parata sunt derisoribus iudicia*, quasi præ omnibus singulariter illis parata sint? Nonne & vere Alius: *Dolor consumet illos antequam moriantur?* Et Propheta: *Confundentur vehementer quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod numquam delebitur.* Non intellexerunt scilicet dum spernerent, sed dum spernentur intelligent, & confundentur vehementer, quod non prius intellexerunt.

Prou. 19. Ecclesi. 20. Ier. 20.

III. PVNCTVM.

DEVS *ergo non irridetur qui sic deludit Illusores*, Et cauenda prorsus omnis fallacia siue cum Deo, siue cum Superioribus, siue cum quouis proximo, quia quidquid boni inde speretur, nullum est præ illis malis quæ proinde sentiuntur: vnde apte ad virum dolosum dirigi potest quod quærebat Dauid, *Quid detur tibi aut quid apponatur ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acuta cum carbonibus desolatoriis,* Quasi diceret, nihil aliud expectes quam istud malum: aut si quod forte bonum tibi promittas, expende bonum illud cum tanto malo.

Ps. 119.

Qualiscumque porrò fuerit qui dolos facit, aut cuicumque fiant, perinde est cum de omnibus vniuersim dicatur: *Abominatio Domini est omnis illusor. Et væ duplici corde*, quod fuse declaratum habetur in 1. p. Feria 6. Hebdom. 3. post Epiphaniam, vbi quidquid de hoc

Pr. 3. Ecclesi. 2.

vberius desideres argumento, plenè suggeritur: Quibus hæc addi possunt ex Diuo Augustino contra illos præcipue dolos qui circa proximum fabricantur. Sic enim apte in hunc Psalmi versum: *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum.* MAGNIFICA, inquit, *retributio, nihil iustius. Illi absconderunt muscipulam, vt ego ignorarem, illis veniat muscipula quam ignorant. Nam ego scio muscipulam ipsorum. Quæ autem muscipula illis ventura est? Illa quam ignorant. Audiamus ne fortè dicat, illa veniat illis muscipula quam ignorant. Forte aliam illi absconderunt, alia illis ventura est. Non. Sed quid? funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Inde decipiuntur, vnde decipere volerunt. Inde illis nocebitur, vnde nocere conati sunt. Sequitur enim, Et captio quam occultauerunt, comprehendat illos. Tanquam si quisquam veneni calicem præparet alicui & oblitus bibat. Et tanquam si foueam fodiat quisquam, in quam quisque inimicus eius in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat, ambulans ea via, prius illuc cadat. Prorsus fratres mei ita credite, ita certi estote, ita si est in vobis excellentior prudentiæ ratio, videte atque perspicite. Nemo malus qui non sibi prius noceat. Sic enim esse putate malitiam, Quo igne incendere vis aliquid aliud, illud quod admoues, prius ardet, nisi ardeat non incendit, facula est, hanc faculam apponis, vt aliquid incendat, numquid non ipsa facula quam apponis prior ardet, vt aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te, & quem prius vastat nisi te? Quò profundit ramum, lædit: vbi radicem habet non lædit? Equidem dico quod malitia tua vt alteri non noceat fieri potest, vt autem tibi non noceat, fieri non potest. Nam quid nocuit sancto viro Iob, de quo prælocuti sumus? Quomodo in alio Psalmo dicitur, sicut nouacula acuta fecisti dolum. Quid fit de acuta nouacula? Capilli, res superfluæ deciduntur. Quid ergo facis ei quem vis nocere? Si nequaquam tibi ad malum consentiat cui vis nocere, non malitia tua ei nocitura est sed sua. Si autem intus ipse malitia careat, & cor mundum subdat illi voci dicenti, salus tua ego sum, forinsecus oppugnas, interiorem hominem non expugnas, malitia tamen tua ab interiore tuo procedit, te prius inanem reddit. Tu putris es intus, vnde iste vermis processit, intus nihil integrum dereliquit.*

Ps. 34. — Iob 1. — Psal. 51.

Et rursus in hæc alia Psalmistæ verba: *Obseruabit peccator Iustum, & stridebit super eum dentibus suis: Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies eius.* ACERBVS, inquit, *videtur cùm minatur iusto, nesciens horam sui crastinam, Dominus autem videt &* Ps. 36.

prospicit diem eius. Quem diem? quo reddet vnicuique secundum opera
Mat. 16. *sua. Thesaurizat enim sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij*
Rom. 2. *Dei. Sed Dominus prospicit, tu autem non prospicis: indicabit tibi quid prospicit. Tu diem iniusti quo pœnas passurus est ignorabas, sed qui scit non te celabit. Non parua pars scientiæ est, scienti conjungi. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Quod videt Deus, crede tu. Veniet enim dies iniusti quem prospicit Deus. Qui dies? Eius vindicta. Necesse est tamen vt vindicetur in impium, vindicetur in iniustum, siue conuertat se, siue non se conuertat. Si enim se conuerterit, hoc ipsum in illo vindicatur, quod periit iniquitas. Nonne irrisit Dominus prospiciens*
Act 1. *dies iniquorum duorum, & Iudæ traditoris & Saulis persecutoris? Vnius*
Act. 9. *diem prospexit ad pœnam, alterius ad iustitiam. In vtrumque vindicatum est. Ille est gehennæ ignibus deputatus, iste cœlesti voce prostratus. Ergo & tu quem pateris iniquum, per oculos fidei prospice cum Deo dies eius: & cùm eum videris in te sæuientem, dic tibi: Iste aut correctus mecum erit, aut perseuerans mecum non erit. Quid enim? Iniustitia iniusti tibi nocet, & illi non nocet? Vnde fieri potest, vt non iniquitas eius, quæ per eius indignationem & odium procedit ad lædendum te, non prius ipsum vastet intus, quàm te tentet foris? Tuum corpus premit aduersitas, illius animum putrefacit iniquitas: Nam & quicquid in te profert, in illum redit. Eius enim persecutio te facit purgatum, illum reum: cui ergo plus nocet? Ecce sæuiendo expoliauit te! Quis damno grauiore percutitur, qui amittit pecuniam, an qui amittit fidem? Norunt dolere damna ista qui habent oculum interiorem. Multis enim fulget aurum, quibus fides non fulget. Habent quippe oculos vnde aurum videant, vnde fidem videant non habent. Nam si haberent & viderent, vtique plus amarent: & tamen quando eis frangitur fides, clamant, inuidiam faciunt, & dicunt, O fides, vbi est fides? Amas eam vt exigas, ama vt exhibeas.*

Ex quibus sancti Doctoris verbis non modo disces, dolosè cum nullo esse agendum, sed si tecum ita fortè agatur, non tibi dolos nocere posse si virtutem inde cum gratia quæ potest exerceri exerceas, nec grauius etiam in dolosos illos commoucaris quos sibi Deus reseruat puniendos.

Sunt verò in Scripturis multæ similes loquendi formæ quibus
Psal. 9. qui aliis parant fraudes sibi parare potius quam aliis dicuntur. *Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt, in laqueo isto quem absconde-*
Eccles. 27. *runt comprehensus est pes eorum. QVI in altum mittit lapidem, super caput eius cadet, & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera: Et qui foueam*

Fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo: Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde adueniat illi.

Quod autem dicitur in Prouerbiis: *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur proximo suo, rete expandit greßibus eius:* sic interpretare, vt ille ipse homo suis simul expandat rete gressibus, cùm expandit alienis. Vnde & proxime sequitur, *Peccantem virum iniquum, inuoluet laqueus.* *Pr. 29.*

Vide suprà in hac parte, Feria 2. Hebdom. 19. decima Veritate quæ sic ex sancto Hieronymo profertur:

Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum.

Magister scimus quia verax est & viam Dei in Veritate doces.

Et quæ plura in Euangelio referunt Adulantes.

VERITAS PRACTICA.

Adulator magis timendus quàm Calumniator.

Ratio est, quia occultus hostis magis timendus quàm apertus. Cum enim hostis propterea sit timendus quod damnum inferat, profectò quò erit grauius illud damnum, eò magis ille timendus à quo infertur? Quis autem nesciat grauius ab occulto damnum hoste sæpius euenire quam ex aperto, cum sit facilius, apertum cauere hostem quam occultum? *Inimici hominis, domestici eius*; à quibus scilicet homo non caueat, sunt illi præ cæteris, inimici. *Mich. 7. Matth. 10.*

Sed adulator est occultus hostis.

Si sit hostis, non dubium quin sit occultus: Nam adulatio nihil aliud præ se fert quàm cultum, obseruantiam, amicitiam, & quæcumque hostili animo tam aperte repugnant, vt si hostilis sit animus, non sit nisi occultus. Quod sit autem hostis, dupliciter explicari potest, primò quia sic adulando prætendit aliquid à te obtinere quod non putat se obtenturum nisi prius sic tibi palpa-

ret, nisi prius te lactaret & animum tuum ita emolliret vt in quam vellet partem inflecteret. Quod certe est hostem esse, nam hoc est insidiari, hoc est rete expandere, hoc est decipere, hoc est pugnare prædari, diripere, quæ sunt illa cuncta hostilia.

Sic expresè Scriptura: *Vir iniquus*, inquit Sapiens, *lactat amicum*
Pr. 16. *suum, & ducit eum per viam non bonam*. Vnde & Idem prius mo-
Ib. 1. nuerat: *Fili mi, si te lactauerint peccatores ne acquiescas eis*. Et sanctus Iudas paucis quidem sed ponderosis verbis: *Mirantes*, inquit, *personas, quæstus causa*: Nam mirari hoc idem est ac vehementer extollere, sicque facilius eblandiri pecuniam vel quid aliud velis: Vnde
L. 1. contra Pelag. Diuus Hieronymus, *semper*, inquit, *insidiosa, callida, blanda est adulatio, pulchreque apud philosophos definitur, blandus Inimicus*.

Tametsi vero nihil peruersum Adulator quæreret, non propterea tamen non esset hostis, quia multa sunt alia quæ inferet ei damna quem sic lactando emollit; Sic enim superbum eum & de se alta sentientem facit, vt si post à veris suis amicis audiat aliter de se iudicari, si se corripi, se admoneri videat; non æquè ferat, non id verum putet, non eam esse clamitet aliorum mentem à quibus prope est cognitus, sicque miser & miserabilis se diuitem putet cum sit pauper & nudus: se doctum & prudentem existimet cum sit ignarus & vecors: se probum ac sanctum virum credat cum sit vanissimus. Quæ damna quam sint ingentia & quàm facile profluant ab auditis adulatoribus, quis non videat?

Ps. 140. Quamobrem recte ac sapienter Dauid: *Corripiet me Iustus in misericordia & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput*
Ps. 54. *meum*. MOLLITI *sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula*. Iacula certe tanto grauiora, quanto minus ab his cauetur. Habet quidem & sua Calumniator iacula, sed quæ ita lædunt vt læsio peracerbe sentiatur, & sensus remedium malo si quod sit, afferat. At vero quod inferunt damnum adulatoris iacula non modo non acerbe sentitur, sed potius delectabiliter velut lucrum & commodum tota mentis auiditate percipitur: Vnde id fit quod dicebatur & quod est malorum omnium deploratissimum, quanto quis se
Is. 3. fœliciorem putet, tanto fit infœlicior. *Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*.

Nonne hinc igitur, Adulator magis timendus quam Calumniator, aut quàm quiuis hostis apertus, à quo non modo te tueri possis ne feriat, sed etiam feriret, & vulnus faceret, vulneri possis mederi,

deri; quod vtrumque deest in occulto illo qui te necat, dum te lactat, hoste. Sic præclare sanctus Augustinus in illum Psalmi versiculum, *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge: DVO sunt,* inquit, *genera persecutorum, vituperantium & adulantium. Plus persequitur lingua Adulatoris, quam manus Interfectoris.* Et postquam vtrumque ex Scriptura, camino comparauit, vbi probantur homines, sic pergit, *Si lauderis ab adulantibus & assentantibus, & annueris eis veluti emens oleum, non secum portans, sicut quinque Virgines insipientes, erit caminus fractura tua, etiam os laudantium te.* Ps. 69.

Sic & sanctus Hieronymus, aut vt alij volunt, sanctus Paulinus ad Celantiam, *Adulatorum assentationes velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum figat: Vnde & quidam Sapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris, In multis, isto maxime tempore, regnat hoc vitium, quodque est grauissimum, humilitatis ac beneuolentiæ loco ducitur: Eò fit vt qui adulari nescit, aut inuidus aut superbus putetur.* L. 2 ep. 14. Pr. 18.

Sanctus autem Gregorius de locustis illis agens quæ totam Ægypti herbam ac fructus deuorarunt, *Quid per significationem locustæ portendunt,* inquit, *quæ plusquam cætera minima quæque animantia humanis frugibus nocent nisi linguas adulantium quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre prospiciunt, hæc immoderatius laudando, corrumpunt. Fructus quippe Aegyptiorum est operatio Cenodoxorum quam locustæ exterminant dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias, cor operantis inclinant.* Exodi 10. L. 31. mor. c. 20.

Quam in rem apte Diuus Chrysologus dum expendit quod narratur in Euangelio de Dæmone Christum credente, adorante & prædicante: *Credit infælix, vt Eum quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, possit adulatione pulsare*: Quasi hoc genus tentationis esset hominibus longe perniciosius quam quodlibet aliud: Vnde & Dominus numquam sibi obloquentes & detrahentes tam acerbe repressit quàm sibi adulantes. Marc. 3.

O quam propterea Sapienter Rex ille Poloniæ Ladislaus sibi adulantem impacto excepit colapho, nec dubitauit illico factum mirantibus respondere, *Percutientem me repercutio.* Quamobrem nec adulari cuiquam velis, nec quemquam tibi. Nolles quippe adulari ne tibi hoc infame nomen Adulatoris contrahas, aut ne

sis aliis causa perditionis: At nonne perinde putas ad infamiam, si adulatorem libenter, audis ac si tu ipse molliter Adulatorem agis? Nonne & tibi ex æquo cauendum est ne saluti tuæ quidquam oppositum recipias, ac ne alienæ quidquam opponas? Sic te ad vtrumque simul suo sanctus Apostolus exemplo instruit: 1. Thess. 2. *Ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.*

Sic propterea forte commodius videtur formanda Veritas, quæ ratione iam dicta facile declarari posset:

Si lactare quemquam nolles, nec à quoquam lactari velis.

Conformia & illa sunt quæ habentur in 1. parte, Feria 4. Hebd. 2. in Aduentu. Et in 4. parte, Feria 2. Hebdom. 15. post Pentecosten.

Ad laudes nostras tremere potius cõuenit quã exultare.

Humana de nobis iudicia sic sunt humanè audienda vt non humanitùs audiantur.

Id est, non illo exultanti animo quo solent homines assentationes suas excipere.

AD HÆC EADEM EVANGELII VERBA.

Magister, scimus quia verax est, & viam Dei in veritate doces.

VERITAS PRACTICA.

In omnibus sumentes scutum fidei. *Ephes. 6.*

Hoc Euangelicæ fidei scutum est, quod sit Christus verax.

Sic est porro sumendum in omnibus hoc scutum fi-

dei, vt nisi sumas in omnibus, iam non sit scutum fidei.

RATIO postremæ partis quæ cæteras omnes includit, hæc est, quod Christus verax non credatur, neque sit scutum fidei, nisi verax credatur in omnibus suis dictis.

Sed nisi hoc scutum sumas in omnibus, non credes Christum veracem in omnibus suis dictis.

Ergo sic à te sumendum est in omnibus vt non sit aliter tibi scutum fidei; Quod certe non est segniter expendendum.

I. PVNCTVM.

PRÆMITTENDVM est quod sanctus ait Gregorius de amicis beati Iob, & in eorum persona de quibusuis hæreticis, & peruersis hominibus: *Sæpe*, inquit, *contingit* l. 12. mor. c. 16. *vt Iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen semper cor longe dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab iniustis offenditur, in eisdem quoque à Iustis placatur*, Quod declarat exemplo Regis Ezechiæ & Pharizæi qui paribus pene verbis sua bona commendant opera, sed quantum Ille probatur, tantum Iste improbatur, Tum verò pergit sanctus Doctor: *Solent Hæretici errorum suorum dictis verba aliqua permiscere, & amici beati Iob quamuis in reprehensione eius omnimodo fallantur, possunt tamen & quædam vera dicere, quæ ex illius assiduitate didicerunt, quorum dicta si omnia refutanda essent; Eliphaz sententiam Paulus Apostolus minimè protulisset dicens, Apprehendam Sapientes in astutia eorum. Quia igitur & ea quæ recta di-* 1. Cor. 3. *cunt, contra beatum Iob recte non dicunt, nos in eorum dictis, & calcemus vitium indiscretionis, & discutiamus vires rectitudinis.*

Sic plane sentiendum est de hoc Pharizæorum dicto quo Christum Dominum conueniunt: *Vt capiant eum in sermone, Magister, scimus quia verax est & viam Dei in Veritate doces.* Quid peruersius quam quod intendunt? Sed quid rectius quam quod dicunt? Quid verius quam quod Dominus sit verax Magister & viam Dei in Veritate doceat? Quid aptius & conuenientius quam vt dictum hoc frequenter celebremus? Hoc enim scutum illud est fidei,

de quo Apostolus ad Ephesios, *In omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, seu repellere: Nempe sicut scuto tela hostium repelluntur, sic ista Veritate proposita, quod sit Christus verax, & nonnisi vera doceat, quidquid hostes nostri siue interni siue externi, siue visibiles siue inuisibiles contra Euangelij authoritatem, seu contra sinceram Euangelicarum omnium Veritatum fidem objicerent, retunditur & refringitur. *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & Dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille: & decem millia à dextris tuis.*

Ps. 90.

Sed diligenter obseruandum quod in paucis illis Verbis Apostolus hanc vniuersalem vocem, *omnia*, bis repetit, vt profecto intelligamus quod iam nobis accurate discutiendum est, non aliter esse posse scutum fidei nisi sic in omnibus & contra tela omnia constanter illud scutum sumamus. Nam quæ nobis hodie proponitur ratio cur sit tale scutum fidei, hæc omnino conuincit, sic esse sumendum illud in omnibus vt nisi sumas in omnibus, iam non sit tibi scutum fidei. Quænam porro est illa ratio? Quid est quod facit scutum fidei? Quid est quo repelluntur omnia contra Euangelicas Veritates proposita? Nempe hoc vnum quod Christus verax est & ita verax in dicendo vt in omnibus suis dictis ex æquo & perinde verax credatur, sicque viam Dei in veritate docuerit vt aliter docere prorsus non potuerit quam in veritate. Nota illud *non potuerit*, Nam in eo tota est scuti fabrica, tota vis eius & virtus ad repellenda omnia. Ne quidem de potentia sua Christus absoluta poterat aliter quam verum dicere, Noluisset certe mentiri licet potuisset, Nam omne mendacium cum sit peccatum, tam Christo repugnabat quàm erat Deus quàm erat sanctus, quam erat intellectu & voluntate conformis legi æternæ suæ, cui peccatum omne contradicit.

Adde quod cùm venisset in terras viā Dei edocturus, si non eam in veritate docuisset, nonne ipse sibi oppositus ex aduerso fuisset? Nonne ipse præuaricator extitisset ædificans quod destruxerat, & quod ædificarat destruens? Quæ à Christo Domino tam aliena sunt omnia quam sunt discrepantes à luce tenebræ, quam disiunctum est à bono malum, à rectitudine peruersitas, & à virtute vitium. Quamobrem ad formandum fidei scutum, non pa-

rum id certe esset quod licet aliud quam verum posset Christus dicere, non tamen vellet, neque de facto vt vocant, id vmquam diceret. At longe tamen est amplius ad illud formandum scutum, quod tametsi vellet falsum dicere, non tamen posset; sicut enim hæreret semper animus noster in Christi dictis si posset Christus aliud quàm verum dicere, an sua esset potestate tùm vsus, nihilque certi & fixi haberet quod crederet; sic planè quando intelligis non omnino id posse fieri, tunc quidquid dixerit, ratum fixumque sit necesse est: nec vllus plane relinquitur ambigendi & nutandi locus, vnde ipse dicebat Dominus, *Cælum non ita esse firmum ac statum quàm sua essent verba.* Sic fuse cum Diuo Thoma Theologi. Vide in 2. parte, Feria 4. Hebd. 4. post Pascha.

Hoc est itaque scutum quod vocat Sapiens, *Inexpugnabile, & æquitatem.* Quid enim æquius quam sic sentire de Christo quod mentiri nolit & nō possit? Non est enim infirmitatis hæc impotentia, sed virtutis & sanctitatis; Pauendum vero quod idem ait Sapiens, hoc scutum à Domino contra insensatos aliquando sumendum, nam hoc eos vno iudicabit, quòd sit eis vera locutus. Hoc vno velut scuto quidquid peccator excusat in peccatis repelletur: *Sermo quem locutus sum vobis, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Sap. 5. Ioan. 12.

O vere insensatum qui nullo ad hæc fidelitatis sensu moueatur!

II. PVNCTVM.

SED *nisi hoc scutum sumas in omnibus, non credes Christum esse veracem in omnibus suis dictis.*

Dicendum paulo expressius quid sit scutum fidei sumere; tum quid sumere in omnibus, atque ita euidentius patebit propositio. Scutum fidei tunc propriè sumimus quanto incurrenti contra fidem tentationi resistimus, vel rejiciendo simpliciter quod contra occurrit, vel inuocando diuinum auxilium ne succumbamus: vel exercendo actum fidei oppositum in illa materia circa quam versatur tentatio, siue id fiat solum mente, vel ore simul proferendo verbum aliquod quo fidem Orthodoxam profiteamur: *Credo Domine, adjuua incredulitatem meam. Credo Deum trinum & vnum.*

Credo Iesum esse filium Dei. Credo Ecclesiam sanctam. Sic fide velut
1. Pe. 5. scuto tela hostium repellimus, sic monemur illis *resistere fortes in fide.*

Quid sit autem, *scutum fidei sumere in omnibus*, sic melius intelligetur si obserues duo esse præcipua Credendorum genera, speculatiuum & practicum. Speculatiui exempla sunt quæcumque in symbolo Apostolorum continentur: Practici vero generis sunt illæ Beatitudines & aliæ similes Euangelicæ Veritates quæ mundanis repugnant dictis, & humanis contradicunt affectibus: ac proinde crebrius circa hoc genus fidei tentamur, solicitamur in oppositum, persuademur contra, & eò facillime trahimur vnde nos fides retraheret si scutum eius sumeremus. Hoc est itaque quod dicitur scutum esse sumendum in omnibus, nempe in istis practicis æque ac speculatiuis: nempe in rejiciendis tam fideliter & constanter omnibus quæ contra fidem de Beatis pauperibus spiritu, & de miseris mundi diuitibus sentientur, quàm si aduersus prima illa Mysteria de sanctissima Trinitate, & diuino Verbo Incarnato suggererētur. Non enim minus de fide est Beatos esse pauperes, & lugentes, & qui patiuntur propter Iustitiam, quàm Deum esse vnum & trinum. Nec minus de illis practicis verè debemus dicere: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces,* quam de istis speculatiuis quæ docuit; Minus tamen illa credimus, ac ne vix credimus, quia vt dictum est, non tantum Intellectui sed & voluntati repugnant quæ deprauata per affectus naturales, deprauat dicta Domini, & ita interpretatur vt sibi potius Euange-
Ioan. 18. lium & Christum, quàm se Christo loquenti subjiciat. *Loquor vobis & non creditis.*

Quid porrò inde sequitur nisi quod habet Propositio, nisi hoc scutum sumas in his omnibus practicis, perinde ac in aliis speculatiuis, non credes Christum esse veracem in omnibus suis dictis. Nam primò, nisi quando resistendum est oppositis motibus, sumas scutum & resistas viriliter, defectus fidei est, vel certe talis est languor & debilitas fidei vt te pari geras modo ac si prorsus non crederes, ac si nihil Christus de diuitiis & de paupertate dixisset, vel perinde ac si de Euangelio circa hæc bona vel mala mundi nihil audiuisses. Quid enim vltra posses quàm te, vt soles quotidie, miserum in miseriis tuis inclamare, & beatos illos esse quibus abundant omnia? Nonne hoc est non credere Beatos esse paupe-

res & lugentes? Nonne hoc est quod ait Apostolus de mundanis *qui repellentes bonam Conscientiam circa fidem naufragauerunt?* Et quod 1. Tim. 1. affirmat Alius, *fidem sine operibus mortuam.* Nam hæc sunt vera opera quibus vera viuit fides, quando de temporalibus huius mundi bonis & malis, sentimus ex Euangelij sensu & diuinæ ductu gratiæ, non autem ex humano affectu. Iac. 2.

Quod si hæc autem non credas, quomodo veracem Christum in omnibus credes, cum hæc illa tam expresse pronuntiarit quam alia? Nec dicas te quidem credere, sed bono sensu, sed sensu accōmodato ad communem viuendi modum, & quo illa solet mundus interpretari. Nam hoc est ludere, hoc est iocari, hoc est blasphemare, quasi tu Christum interpretari velis ex mundano sensu qui totus illi est oppositus, & contra quem totus est Christus! Nonne sic errant in speculatiuis hæretici cum suo modo & sensu Scripturas interpretari volunt? Si Sabellianum, si Arrianum, si Manichæum, si Caluinistam vrges ex sacris Codicibus, & inquiras ab illis an credant Scripturis, an credant Christo loquenti? Respondebunt omnes se credere, sed quo interpretantur sensu: qui cum sit ab orthodoxo & vero sensu alienus, quidquid dicant, dici non debent credere. Sic plane de practicis sentiendum, si quæ Christus dixit tuo tantum velis modo credere, non quo debent intelligi, plane non credis, aut quidquid credas, *Inanis est & vana fides tua.*

Quod si etiam objicias non tam defectu fidei accidere quod contra practicas Veritates sentias, sed potius ex Concupiscentia non repressa qua moueris in oppositos illis motus & sensus: Id ita quidem fieri potest, sed cum contra hanc concupiscentiam tunc esset fide agendum, tunc esset sumendum scutum, & resistendum, & pugnandum & vincendum: profecto si clypeum abjicis, si non pugnas, si non resistis, defectus aut languor est fidei: nam in speculatiuis non sic molliter cederes. Etiamsi tibi mollia vel commoda præsentarentur, aut dura denuntiarentur, vellesne aliter de Deo trino, vel de Christo sentire quam sentiendum est? Vellesne pro quibusdam oblatis rei domesticæ commodis vel incommodis hanc fidem abjicere quod Christus est Dei filius, sicut tu fidem hanc abjicis, quod sunt Beati pauperes? Nolles plane nolles, sed quamobrem nolles nisi quia magis vnum credis quam aliud?

Atque etiam vt clarius videas te neque hoc aliud credere: Dic cur luges in paupertate, cur gaudes in diuitiis? Nonne quia malum

putas paupertatem & bonum credis esse diuitias? At quid directius contra Christi dictum? Et cum simul credas te rationabiliter dolere quod doles, nec te putes in tuo falli sensu, quasi extra omnem controuersiam & prorsus indubitatum sit paupertatem esse malum, & lugendum malum, quid inde sequitur nisi veracem non esse Christum qui oppositum docuit? Duo enim tam diuersa & repugnantia non possunt simul stare. Si verum est vt verum putas quod sentis de mundi bonis ac malis, prorsus id falsum est quod
Luc. 11. Christus contra sentit, vnde & dicebat, *Qui non est mecum contra me est, qui non colligit mecum, dispergit.* Vide in 1. p. in die Natalis Domini. Et in 2. Dominica 3. in Quadragesima.

III. PVNCTVM.

QVOD *est igitur scutum fidei, sic est sumendum in omnibus vt nisi sumas in omnibus, iam non sic scutum fidei.* Nam cum in hoc vno Christianæ fidei scutum vel maxime concipiatur consistere, quod sit Christus verax in omnibus suis dictis; hinc fit, vt si quid non credas quod Christus dixit, non illum credes veracem; ac proinde iam non erit hoc scutum fidei. Si quid sit autem in quo fidei sumendum esset scutum, & non sumas, propterea tantum non sumes quia non credes quod dixit Christus; quod manifeste apparet in illis practicis Veritatibus quas non minus Christus reuelauit quàm illas quæ speculatiuæ dicuntur; & tamen ita minus creduntur, vt vix omnino credantur. Quomodo igitur verax erit Christus, aut quomodo scutum subsistet fidei si Christus non sit verax, in qua vna veracitate præsertim hoc est scutum constitutum, vt
Rom. 3. expresse Apostolus: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax,*
Ps. 50. *sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris:* Id est, tandem ocyus serius apparebis esse verax non obstantibus contrà oppositis hominum quibuscumque mendaciis.

Neque verò tantum in istis practicis hæc scuti perit ratio, sed inde ad quælibet alia sic deriuatur damnum & pernicies, vt nihil fide diuina credatur sed opinione tantum vel scientia, vel humana duntaxat authoritate vel gratia, quia fides virgo est incorrupta, quæ si vel vno defectu articuli corrumpatur, iam non est virgo, iam non est fides Christiana, iam non est fides. *Sicut si quæ Conclusio teneretur sine illo medio quo demonstratur, non haberetur eius scientia,*

tia, sed opinio tantum, inquit Diuus Thomas, *sic in diuinis si quid* 2. 2. q. 5.
videris credere sine medio vel motiuo quod formale vocant credendi, non a. 3.
est fides diuina, non est vera fides sed adumbrata; perit autem tale motiuum credendi quando vni negatur assensus articulo qui ex tali motiuo credendus erat. Nam si quid crederes propter Christum loquentem, cur non omne quod loquitur? aut si quid Christo loquenti non credis, quomodo dices te illi credere in aliis propter ipsum loquentem? *qui offendat in vno, factus est omnium reus.* Hinc Iac. 2.
forte Christus aiebat: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Quàm enim pauci sunt qui scutum fidei su- Luc 18.
mant in omnibus, tam pauci omnino sunt qui vllam habeant fidem. Vnde & merito suos monebat Apostolus: *Vosmetipsos tentate* 1. Cor. 13.
si estis in fide, ipsi vos probate, si nempe in aduersis vos beatos creditis sicut Christus Dominus docuit; hæc est veræ probatio fidei, hoc est reuera Christo credere, *In quo exultabitis*, ait sanctus Petrus, 1. Pet. 1.
modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem, & quæ plura prosequitur in commendationem talis fidei, quæ cum baptismo suscipitur, nec per vllum peccatum amittitur præter istud infidelitatis quo præsertim in practicis abjicitur clypeus, vbi pugnandum esset *& resistendum* Hebr. 12.
vsque ad sanguinem aduersus peccatum repugnantes.

Ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset vnctus 2. Reg. 1.
oleo! sic deplorari posset cum Dauide miserandus pene omnium casus, *Qui nomen habent quod viuant, & mortui sunt*: nomen Chri- Apoc 3.
stiani, nomen vitæ habent, & mortui sunt, habentes tantum nomen, & vim nominis cum deposito fidei scuto deponentes. Hi sunt apud Isaiam, *Filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.* Is. 30.
Quasi diceret, nolunt audire quod tenentur facere; tum vero se quasi nescientes & ignari se excusant: sed mentiuntur, quia nolle audire quod facias perinde omnino est ac nolle facere. Mentiuntur præterea cum se Dei esse fingunt cuius legem abjiciunt. Mentiuntur denique toto vitæ suæ tempore si probè sciant quid faciant, nec tamen faciant. Mendacium est operis quod non minus est vitium quam ipsum oris mendacium; quid est enim cur oris mendacium sit vitiosum, nisi quia contra mentem loquela est quæ audientes decipit & vitam offendit ciuilem, seu fidem peruertit humanam & publicam, quod abominabile dicitur apud

Digitized by Google

Deum & homines. At vero mendacium operis nonne & contra mentem operantis committitur, Id est, contra Conscientiam, contra id quod probè scit aut scire potest si velit, vt hic supponimus. Nonne & videntes decipit qui bona fide factum putant quod mendax, ficta & fucata facit. Nonne postremo Diuinam ipsam pessundat fidem cùm illam bonis euacuat operibus, & cum ex credendis credat quæ velit, & quæ nolit repudiet: *Pars illius cum hypocritis & Infidelibus. Foris canes & venefici & impudici. Et omnis qui amat & facit mendacium.*

Matth. 24. Luc. 12. Apoc. 22.

Vide suprà in hac 4. parte, Feria 2. Hebd. 15. vbi hæc Veritas declaratur:

Nisi diligenter aduertas, ore facta Confessio, factis à te negatur.

Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?

De adeundo Directore Conscientiæ in dubiis omnibus, vide in 1. parte, tota Hebd. 3. post Epiphaniam.

De adhibenda etiam in difficultatibus oratione & de consulendo Deo, videri possunt in 2. parte, sequentes duæ Veritates.

Erranti in dubiis & non oranti, nulla est erroris excusatio.

Feria 6. post Octauam Ascensionis Domini.

Qui cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum sed Deo consulit.

Non à Deo consiliũ petere, sed Deo dare velle videtur.

Feria 4. Pentecostes.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait; Quid me tentatis hypocritæ?

Numquam illustriùs se manifestat Christus, quam dum animæ peccatricis illustrat Conscientiam, & peccatum latens ipsi manifestat.

In 3. parte, Feria 4. Hebdom. 11.

Humana consilia eò sæpe peiora, quò meliora.

In 3. parte, Feria 5. Hebd. 14.

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes comparentur, plus inhonoratur Dominus nostris vitiis quàm virtutibus honoretur.

In hac 4. parte, Sabbato Hebdom. 19.

Sæpe quod petis à Deo iustius, hoc est quod petis iniustiùs.

Nempe in modo petendi rem alioquin bonam & iuste petendam, sed quando petitur dari non seruatis seruandis, tunc iniuste petitur, & tentari dicitur Christus qui nec salutem cuique tribuit sine mediis ordinatis.

In 3. parte, Sabbato Hebdom. 7. cui conformis & ista est:

Si ordinatis ad salutem mediis non vteris, Mediatore Christo abuteris.

In 2. parte, Sabbato post Cineres.

Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: ***Cuius est imago hac & superscriptio?*** *Dicunt ei; Cæsaris.*

Ad hac verba, triplex genus veritatem occurrit, pro triplici perfectionis via seu vita. Primò quidem in via purgatiua:

VERITAS PRACTICA.

Ad peccatricis animæ resipiscentiam, multum valet hæc quæstio: ***Cuius est imago hac?***

RATIO EST, *Quia multum valet ad peccatricis animæ resipiscentiam, si cum Diuina gratia incipiat de peccato confundi & erubescere.*

Sed ad illam confusionem & erubescentiam multum valet hæc animæ peccatrici proposita quæstio; Cuius est hæc imago?

Ergo & multum valet ad resipiscentiam, ac proinde nobis hodie proponenda in hunc finem.

I. PVNCTVM.

1. Tim. 1. QVOD vniuersim Apostolus de Christi Domini primo in terras aduentu, ait venisse Dominum *vt peccatores saluos faciat,* hoc ad singulas eius actiones & verba referri potest, in quibus hoc vnum egit quod primum loquutus est: Resipiscite,
Matth. 4. conuertimini, *Pænitentiam agite. Appropinquauit enim regnum cælorum,* Quò tamen sine pœnitentia nemo perueniat. Vide supra in hac parte, Dominica 18. Nec dubium quin eò tenderet in toto illo congressu quem habuit cum Pharizæis & aliis quocumque ad se pretextu conuenientibus quos siue acrius appellet hypocritas, siue blandius ab eis quærat cuiusnam sit imago expressa in illo numismate census seu denario qui tum exigebatur persoluendus: sic eos sapienter reuocabat ad suam agnoscendam perfidiam, ad salubrem inde confusionem hauriendam, & ad ipsam denique formandam ex animo resipiscentiam.

O vtinam quàm rara & necessaria est hæc tandem aliquando post tot annos in peccato exacto, bene formata resipiscentia, tam probe intelligeremus quantum ex his Christi Domini verbis bene formari possit! Hoc est quod modo meditemur, quod intendamus, quod enitamur Diuina fauente gratia.

Fundamentum & totius robur discursus in hoc præsertim est positum, vt bene semel confundi discamus & erubescere. Sicut
Ier. 15. enim hoc Deus præcipue queritur de peccatoribus quod *erubescere nesciant,* sic vbi hoc semel didicerint, querelæ desinent, quia ipsi sua peccata peccatores deserent. Est verò triplex confusio multum inter se discrepans, nam mala quædam est, quædam indifferens, & quædam bona & optima. Quod aperte Sapiens mo-

inuit: *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Eccli. 4. Confusio quæ adducit peccatum mala profectò est, & tunc esse agnoscitur quando vel erubescimus bene agere vel peccatum confiteri. De quo genere confusionis Idem Sapiens proxime dixerat: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Ibid. Confusio indifferens est naturalis ille motus quo quis in flagranti deprehensus scelere, dolet & confunditur se deprehensum, se conuictum, se condemnatum. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic* Ier. 2. *confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes, & prophetæ eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, tu me genuisti.* Dicitur porro indifferens quia nec bona ex se, nec mala est moraliter, sed ad vtrumque idonea prout bene vel male procedet vlterius. Nam sunt qui desperent propterea, seque funditus perdant: sunt vero etiam qui à suis emergant inde vitiis.

Et tunc bona esse incipit Confusio quando iuuante Gratia se peccator agnoscit coram Deo, suique pudet peccati, cuius ignotam ante grauitatem nunc percipit, horret, execratur. *Deus meus* 1. Esd. 9. *confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum:* Et quæ plura prosequitur pius ille sacerdos Esdras: quæ quidem Confusio quamdiu peccati odium habet, semper bona est, sed tanto est melior quanto illud odium est purius, propter Deum offensum: non propter damna, non propter dedecus, non propter pœnam, licet, vt dixi, bonum sit ex his etiam, confundi & odisse peccatum, sed multo melius propter offensam Dei quæ tanto grauius malum est cæteris omnibus, quanto major est Deus homine. *Recordabimini* Ezech. 36. *viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra. Confundimini & erubescite super viis vestris, domus Israel.* Ex quibus Scripturæ verbis non modò intelligitur quam sit vera Confusio, sed quàm sit etiam necessaria, quàm commendata quàm expetenda.

II. PVNCTVM.

AD illam autem confusionem & erubescentiam multum valet hæc animæ peccatrici proposita quæstio: Cuius est hæc imago?

Quasi diceretur ipsi à Domino: Peccatrix anima, quid in te video, cum te in peccatis video? Video cœlestem & diuinam quan-

dam imaginem, sed ita lutulentam & cœnosam vt quam formosa est in te imago, tam fœda sit & deformis à te. Si te ita ignoras vt nescias in te esse imaginem Dei, nimis supina & inexcusabilis est hæc ignorantia; Nam facile posses ipso naturæ lumine perspectam habere diuinam tuam originem; & sicut non potes esse à te, sic non potes esse ab alio quàm à summo rerum opifice qui non minus in te interius suam expressit imaginem, quam parentes exte-
Deut. 32. rius in humano quod ab illis accepisti corpore. *Numquid non Ipse est Pater tuus qui possedit te*, priusquam scilicet produceceris, *& qui fecit & creauit te?* Numquid de te dictum putas quod de primo di-
Gen. 1. xit Deus homine, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Numquid si de primo illo quæsitum esset homine, cuiusnat esset imago: respondisset, Dei Creatoris sui: & nonne hoc ipsum de te responderes? Non est hîc igitur quod vllam excusas ignorantiam.

At vero est quod multam & horrendam agnoscas & accuses peccati tui malitiam. Nam primò cum nulla sit animæ culpa quin annexam habeat maculam, nulla est etiam animæ macula quæ non in ipsam Dei simul redundet imaginem. Deinde autem cùm culpa culpæ additur, necesse omnino est toties multiplicari maculas, seu potius ex illis multis maculis vnam quandam excrescere quæ diuinam imaginem ita proterat, ita inficiat, ita obuelet, & obscuret, vt merito quæri posset, *cuius est imago hac?*

Apparet quidem semper esse imago Dei, sed inde magis apparet peccati grauitas & peccatoris malitia quæ Rem tam sacram, tam augustam, tam diuinam qualis est Imago Dei, tam audacter impetat, tam dedecorosè maculet, tam multipliciter inficiat!

Ier. 32. *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Certè hoc graue & horrendum, sic animam maculari coram Deo suo: sed quanto id grauius ipsam Dei maculari simul imaginem!

Nec dicas, hoc non intendi ab anima. Nam satis est hoc sequi ex peccato, sicut ad peccati contrahendam malitiam non est necesse peccatum ipsum intendi, sed solum id vnde scitur peccatum sequuturum; sic prorsus satis est ad illam peccati declarandam grauitatem quod inde tantum nefas & tale piaculum in diuinam deriuetur imaginem; cum præcipue, quod certe est dictu horribile, Dæmon expresse hoc intendat, nec aliud in mente prius habeat cùm ad peccandum animum allicit, nisi vt augustam illam

Digitized by Google

Dei offendat imaginem, quam in homine dolet esse impressam, & cuius loco suam vellet inducere; cumque in Deum ipsum quod semper vellet, numquam possit, hoc vnum arripit, vt quod de panthera dicitur, cum hominem sibi odiosum non potest assequi, propositam sibi eius imaginem quibus potest modis dilacerat: sic ille infensissimus Dei hostis hoc in imagine Dei per peccatricem animam conatur efficere, quod in ipsum vellet Deum si posset vltra contendere, si se posset sublimius & gloriosius euehere. Quod cum peccatrix anima non ignores, tu tamen illi obsecundas, tu illi animos facis, tu illi quo diuinam in te obscuret speciem, porrigis, tu illi quo se in Deum exacuet subministras, tu illi arma expugnando Deo præbes, cum facultates tuas facis arma nequitiæ.

Numquid grauius inde agnoscis peccatum tuum? Numquid illa peccati major grauitas majorem inuehit confusionem coram Deo, cui nota sunt illa Diaboli consilia, cui perspecta sunt tua cum illo commercia, cui denique numerata sunt & expensa quæcumque numero & pondere grauitatem illam peccati augent quo diuina imago deprimitur, infuscatur. *Tu signaculum similitudinis, donec inuenta est iniquitas in te!* Vide caput 28. Ezechielis. Quod de ipso primum intelligi debet Dæmone, tum de illis quos habet asseclas & administros suæ contra Deum superbiæ, *Nam imitantur illum qui sunt ex parte illius*, vt ait Sapiens. Ezech. 28. Sap. 2.

III. PVNCTVM.

QVOD *est igitur in via purgatiua primum & præcipuum vt peccator resipiscat, plurimum promouetur hac quæstione proposita:* Cuius est imago hæc, Quia respondere non potest peccator nisi plurimùm erubescat & confundatur de peccato suo: neque talis confusio inanis est, sed tum aspirante Diuina Gratia sic operatur in anima peccatrice vt quantum confusa fuerit, tantum resipiscat & emergat. *Confundantur & revereantur, confundantur cogitantes mihi mala.* Quasi hoc vnum posceret Deus ad eorum conuersionem. Qua de re videri plura possunt in 3. parte, Hebdom. 9. Feria 3. & 4. Et si vero non delenda per culpam imago Dei est, non est tamen minus dolenda culpa, quia non est minus contracta Diuinæ offensa imaginis, quàm si penitus deleta imago esset: hoc est autem ad dolorem de peccato maxime proprium vt inde Ps. 34.

Dan. 9. potissimum concitetur quod sit offensa Dei: *Quia peccauimus, & declinauimus à mandatis tuis.*

Adde quod cum duplex quodammodo considerari possit imago Dei, vna velut naturalis, & alia moralis quæ proprie similitudo Dei dicitur, & quæ magis in sanctitate consistit; etsi prima per peccatum imago non pereat; at certe secunda perit: quod

Coloss. 3. sanctus Augustinus aperte deplorat ad illa verba Apostoli: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum.*

L. de gen. ad lit. c. 27. *HANC*, inquit, *imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per Gratiam Iustitiæ.*

Serm. 1. de Annunt. B. M. Quod & sanctus Bernardus agens de primi hominis vestimentis quibus per peccatum nudatus est, sic paulo expressius: *An forte*, inquit, *& tunicam quæris inconsutilem quæ non diuiditur, sed forte prouenit? Ego Diuinam arbitror esse imaginem quæ nimirum non assuta sed insita atque ipsi impressa naturæ, diuidi scindique non potest: Ad imaginem nempe & similitudinem Dei factus est homo: In imagine arbitrij libertatem, virtutes habent in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa vri poterit, non exuri: ardere sed non deleri: Hæc ergo non scinditur sed forte prouenit, & quocumque peruenit anima, simul & ipsa erit. Nam similitudo non sic: sed aut manet in bonis, aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter, iumentis insipientibus similata.*

Videsne quid ex imagine Dei per peccatum pereat? Nempe quod est in illa sanctius & pretiosius, similitudo scilicet sanctitatis, qua sublata, quid restat in anima tua, quod respondeas interroganti. *Cuius est hæc imago & superscriptio?* Nempe est imago Dei, sed similitudo Dæmonis; Est imago Dei quâ fiebat anima soror Christi, sponsa Spiritus sancti, & Dei filia: nunc autem captiua Dæmonis, exosa Deo, pabulum mortis & Inferorum rea. O quam dissimilis? ô quantum mutata superscriptio! Quidquid spectes quod per peccatum pereat vel quod remaneat, nihil nisi doloris spectaculum esse potest. Nam si quæ periit similitudo spectetur: ô quæ perditio! si quæ remansit imago consideretur, ô quale probrum tanti per peccatum violati decoris, & illatæ simul iniuriæ? Quod perjit, manet dolendum; quod mansit, periit non fruendum. Quod deletum est, dolorem acuit, & quod

& quod deleri non poteſt, dolorem alit. Vtrimque luctus, vtrimque gemitus, vtrimque reſipiſcendi ſenſus. *In fletu venient, & in miſericordia reducam eos.*

Deinde pro vita quam vocant, Illuminatiua.

VERITAS PRACTICA.

Sicut portauimus Imaginem terreni hominis, portemus & imaginem cœleſtis. 1. Cor. 15.

RATIO *hæc eſt ex eodem Apoſtolo cuius eſt propoſita Veritas quod videlicet propterea portauimus imaginem terreni hominis quia qualis terrenus, tales & terreni.*

Sed qualis eſt cœleſtis, tales & eſſe debent cœleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Ipſa eſt ſancti Apoſtoli tota Concluſio.

I. PVNCTVM.

QVANDO quærunt Theologi cum Diuo Thoma cur ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis perſona quæ eſt Verbum Dei ſeu Filius Patris, carnem humanam aſſumpſerit potius quàm aliæ duæ, rationem hanc inter cæteras reddunt, quod cùm Filius ſit ita Verbum Patris vt ſit eius vera Imago, ſic prorſus conueniebat fini carnis aſſumptæ ſeu myſterij quod Incarnationis dicitur, vt verbum Caro fieret potius quam Pater aut Spiritus ſanctus: Nam finis ille præcipuus quò alij referuntur, ſalus eſt hominum, ſalus autem hominum in hoc vel maxime vertitur, quod expreſſis terminis dixit ſanctus Gregorius Nazianzenus, *Diuinam Imaginem aut manentem conſeruare, aut periclitantem fulcire, aut diſſipatam in priſtinum ſtatum reuocare.* 3. p. q. 3. a. 8. Orat. 1.

Ad hanc ergo imaginem quæ collapſa erat in homine reformandam quid aptius quid conuenientius quam vt ipſa ſubſtantialis imago appareat, cuius aſpectu & ſimilitudine ſic ſuo modo reformentur homines, ſicut quæ ſcripto expreſſa ſunt ſi forte men-

dis scateant non melius emendantur quam primo Exemplari quod Autographum, seu prototypum, siue originale dicunt, consulto. Rom. 8. Nonne sic expresse Apostolus, *quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui?* vt sicut ipse Filius est Character & imago Dei, sic homo per conformationem Filij, conformetur & Patri; nec sit minus verum quod qui Filio Dei similis est, similis est & Joan. 14. Patri, quàm quod dicebat Dominus, *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

Sic aptè sanctus Gregorius qui Nyssenus dicitur, quod iam supra notatum est: Ep. 1. *sua quisque vitæ pictor est; artifex huius operis est voluntas; color sunt virtutes; Exemplar Christus.* Quamobrem quod est illuminatiuæ vitæ ac proficientium statui maxime proprium, *se in virtutibus exercere*, non potest melius adimpleri, quàm hoc sibi proposito Exemplari: neque ad illud nobis proponendum possemus efficacius persuaderi, quàm his Apostoli verbis: *Igitur sicut portauimus Imaginem terreni hominis, portemus & Cælestis*; Hoc est enim alterutrius hominis portare imaginem, sic illorum vitam & mores exprimere vt sicut primus homo terrenus erat, ita & terreni sint qui eum imitantur: & sicut secundus erat Cœlestis, ita & Cœlestes sint qui suo illum viuendi modo sequuntur.

Ratio vero quæ à primo deducitur homine ad secundum, est valde efficax, sed opportunius sequenti puncto declarabitur, cum hic solum necesse sit vocem *terrenus* quæ in prima propositione de primo vsurpatur homine ac de nobis, probe intelligere. Non est enim de terra esse, vel in terram redire, quod solum spectat hominis corpus: sed de illius animo agitur, de illius vita & moribus, qui cùm terrena, caduca, temporalia sapiant, terrenus ipse homo Iac. 3. dicitur, & ista eius sapientia, *terrena, animalis, diabolica*, quo triplici nomine triplex Concupiscentia designatur; Terrena nempe est oculorum siue habendi cupiditas: Animalis est illa quæ dicitur carnis concupiscentia: Diabolica vero est superbia illa vitæ cuius Iob. 41. prius author & artifex Diabolicus, qui *& Rex super vniuersos filios superbiæ dicitur.*

Sic itaque primus homo & qui deinceps ab eo profluxerunt homines per peccatum terreni facti sunt, vt terrena potius sapiant, cogitent, & amplectantur quam cœlestia; caduca potius quam solida: temporalia potius & humana quam æterna & diuina; vnde Ps. 48. illud Psaltis Regij: *Homo cùm in honore esset non intellexit, compa-*

ratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. QVOMODO insultatum est hominibus, ait ibi sanctus Augustinus, *qui non intellexunt quid facerent de diuitiis cum viuerent, & putarent se beatos futuros, si haberent memoriam marmoratam, quasi æternam domum, & si sui quibus reliquissent substantiam suam inuocarent nomina eorum in terris ipsorum? Debuerunt autem contrà præparare sibi domum æternam in bonis operibus, præparare sibi vitam immortalem, mittere ante se sumptus, sequi opera sua, attendere comitem egentem, dare ei cum quo ambulabant, non contemnere Christum ante ianuam vlcerosum, qui dixit, Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quia ergo non intellexit homo in honore positus, factus ad imaginem & similitudinem Dei, homo prælatus iumentis. Non enim fecit Deus sic hominem, quomodo fecit iumentum: sed fecit Deus hominem cui seruirent iumenta. Numquid eius viribus & non intellectui? Ille autem non intellexit. Et qui factus erat ad imaginem Dei, comparatus est iumentis insensatis, & similis factus est illis. Vnde alibi dicitur, Nolite esse sicut equus & mulus quibus non est intellectus.* Ibidem. Matth. 25. Genes. 1. Psal. 31.

O si saltem se homo nosset, si se in sui cognitione deprimeret, si sibi diffideret, & se tamquam infirmum regeret; Sed tantum abest vt inde humilior & cautior fiat quin potius tantò in superbiam videtur audacius euehi, quantò in libidinem profusius labitur; vnde apte consequenter Psalmus: *Hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt*, quasi diceret, quo se potissimum deberent accusare & confundere, hoc se excusant & gloriantur, quia scilicet sunt terreni, sunt carnei, sunt homines, sunt infirmi, sunt fragiles, nec ita volunt sanari concupiscentiam quàm expleri, neque ita vero expleri vt signatum super ipsos lumen vultus diuini arguat quod faciunt; quamobrem vitiis authoritatem quærunt, & quod contra rationem nolunt videri velle, videntur sibi posse prætento quodam rationis velo, contegere.

Cum sint porro multa miserandi huius damna status, tum ad quatuor præcipuas in quatuor animæ partibus inflictas plagas referuntur, de quibus ex sancto Thoma fuse dictum est in 3. p. Dominica duodecima, vide accuratè.

II. PVNCTVM.

SED *qualis est Cœlestis, tales & esse debent Cœlestes.*

Non ita etiam cœlestis Christus dicitur, quod è cœlo descenderit vel quod illuc redierit vnde aduenerat: Sed quod cœlestem vitam egerit, & agendam docuerit; prout ibidem habetur in eadem Dominica duodecima ex sancto Bernardo, qui quatuor Cardinales virtutes à Christo Domino nobis in exemplum expressas exhibet quæ sunt videlicet in quatuor illarum de quibus puncto præcedenti, plagarum primo remedio, quo terrena vita exhautiatur, atque vt in cœlestem transeamus, tum opportune quatuor resurgentis sui corporis dotes de quibus in die Paschæ nobis hîc adhuc superstitibus, id est, animis nostris ad illam vitam peragendam idoneis Christus communicat, vt non minus ab illo cœlestes esse
Rom. 5. possimus si volumus, quam ab Adamo terreni. *Si enim vnius delicto multi mortui sunt*, inquit Apostolus, *multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Ac rursum paulo post: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum:* id est, terrena vita, & sapientia carnis quæ mors dicitur: *multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabit per Iesum Christum:* vita cœlesti scilicet in hoc mundo, & beata in futuro sæculo. Quasi diceret Apostolus: si potuit fieri ex Adamo vt homines terreni fuerint, multo magis potest à Christo fieri, vt homines sint cœlestes: si vero hoc ita verius & abundantius possunt homines, hoc certe debent. Nam cum sit res ex se tam præstans, tam eximia, quid est quamobrem illam nolint quam si velint possunt adipisci? Si possent ita diuitias, ita scientias, ita honores, & alia vitæ decora siue commoda consequi, prout vellent, nonne vellent quantum saltem sibi suisque opportunum & necessarium esse ducerent? Cur non igitur ita velint illam cœlestem vitam quam si velint possunt cum Christo viuere? Cur non dicant
Phil. 1. cum Apostolo, *mihi viuere Christus est & mori lucrum?* Responde si quid habes; vel confundere quod nihil habeas respondendum quàm quod nolis, vt supra fusius declaratum habetur in hac parte, Fer. 5. Hebdom. 18.

III. PVNCTVM.

IGITVR *sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem cœlestis.* Cur enim amplius deferamus terreno quam cœlesti? Sunt vitæ scilicet præsentis commoda quibus homo ter-

sensus magis fauet & conformatur quàm cœlestis cuius bona non ita mentem afficiunt: At illi vero sunt affectus corrigendi, non gustu sed iudicio: non humano tantum iudicio sed diuino res ista penditur. Confer diuitias vitæ terrenæ cum vitæ cœlestis diuitiis, delicias cum deliciis, honores cum honoribus; *Noli iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudica.* Ioan. 7. Vide quid de his olim Christus iudicarit, quid modo iudicet, & quid aliquando iudicaturus sit. Potestne certius & iustius diuino Christi iudicio iudicium quæri? Possuntne res aliter in se esse quam sicut illas Christus nouit, & de his iudicat? Potesne vero tu aliter quam Christus de his iudicare quin erres, cum aliter de illis iudices quam reuera sunt, sicut non nisi Christus iudicat quam prout sunt. Potesne vero velle sic errare scienter, sic errare perpetuo, sic errare tam damnose, tam turpiter, vt terrenum hominem cœlesti præferas?

Multa passim ex ante dictis huc referas. Ex 1. parte, Feria 4. Hebd. 3. in Aduentu. Ex 2. parte, Feria 6. post Cineres, & in die Paschæ ac tota consequenti Hebdomada. Ex 3. parte, Feria 5. & 6. Hebdom. 13. vbi hæc in primis opportuna est Veritas:

Qui cœlesti pane sic viuunt vt cœlestes fiant, ita in suis viuunt corporibus sicut cœlites in assumptis.

Et verò egregia est apud sanctum Paulinum descriptio terreni & cœlestis hominis in Epistola octaua ad Seuerum Sulpitium qui Paulini petierat imaginem. *Qualem*, inquit, *cupis vt mittamus imaginem tibi, terreni hominis, an cœlestis? Scio quia tu illam incorruptibilem speciem concupiscis quam in te Rex cœlestis adamauit.* 1. Cor. 15. *Neque enim alia potest tibi à nobis necessaria esse, quàm illa forma ad quam ipse formatus es, qua proximum iuxta te diligas: nulloque te nobis excellere velis, ne quid inter nos inæquale videatur. Sed pauper ego & dolens, quia* Psalm. 68. *adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, & plus de primo quàm de secundo Adam carneis sensibus & terrenis actibus refero, quomodo tibi audebo me pingere, cùm cœlestis imaginem inficiari prober corruptione terrena?* Citat hæc Augustin. Epist. 106. *Vtrimque me concludit pudor: erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. Sed quid mihi misero proderit odisse iniquitatem & amare virtutem, cùm id potiùs agam quod odi, nec elaborem piger id potiùs agere quod amo? Ipse discors mei intestino bello distrahor, dum spiritus aduersus carnem,* Gal. 5. 17. *& caro aduersus spiritum dimicat: & lex corporis lege peccati legem* Rom. 7.

Gen. 3. 8. *mentis impugnat. Infelix ego, qui venenatum inimicæ arboris gustum nec Crucis ligno digessi: durat enim mihi illud ab Adam virus paternum, quo vniuersitatem generis sui pater prauaricatus infecit: vt qui naturali bono oculos mentis apertos innocentiæ & iniquitati clausos habebam, letalem prudentiam boni malique delectu, de infausto nemoris interdicti cibo cæcatus pariter & malè luminatus haurirem.*

Agnoui bonum, & feci malum; cum æque mihi liberum esset bonum facere, nisi vtilitatem animæ contempsissem vitio voluntatis: qua id quod non expediebat admisi, dum non tempero quod licebat. Propterea iustè illos innocentiæ oculos, quibus malum non videbam, perdidi; & istos inuicem quibus peccatum agnoscitur in pœnam conscientiæ iniquitatis accepi. Nam & vidisse primos generis humani parentes, & non vidisse, Scriptura declarat. Vidit enim mulier arborem quòd bona ad manducandum, & grata erat oculis ad videndum. Vidit, inquit: ergo habebat oculos. Et quid deinde subtexit? Cùm manducassent (inquit) aperti sunt oculi eorum. Ergo cæci fuerant. Vnde aduertimus? Quoniam non potest in eodem corpore simul conuenire cæcitas & visus oculorum. Sed certè est quoddam cæcum in nobis etiam videntibus, & econtrariò etiam in cæcis videns. Propter quod arbitror illud à Domino esse dictum: In
Ioan 9. *iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*

Apoc. 21. *Venit ergo Dominus vt vetera transirent, & noua orirentur. Et im-*
Deut. 32. *pletum est quod dixerat: Ego occidam, & ego viuere faciam: quia*
Col. 2. *veterem nostrum hominem assumendo interfecit, affigens illum cruci, dispolians se carne traduxit principatus & potestates, liberè triumphans eum in semetipso; & viuificauit nouum ex resurrectione mortuorum,*
Eph. 2. *ascendens in altum, & collocans eum in cœlestibus. Sic ergo venit vt illuminarentur cæci, & cæcarentur videntes: vt oculi nostri qui in transgressionem aperti fuerant, cæcarentur; & vicissim qui cæcati fue-*
Ps. 118. *rant, aperirentur. Benè enim cæcus sum, si non video peccatum, & benè oculatus, si cerno iustitiam. Ora ergo, mi frater, vt vtrumque in*
Psal. 10. *me operetur Dominus, cæcet videntem meum, ne videam vanitatem; &*
Col. 3. *illuminet non videntem, vt videam æquitates. Occidat in me veterem*
Psal. 27. Psal. 102. *hominem cum actibus suis, vt resflorescat in Christo caro mea, & reno-*
Psal. 76. *uetur, sicut aquilæ, iuuentus mea. Hæc est enim mutatio dexteræ Ex-*
Eph. 4. *celsi, cùm immutabimur à nobis in illum hominem qui secundùm Deum creatus est, cuius imago cœlestis est, deponentes eum qui corrumpitur se-*
1. Cor. 15. *cundùm desideria erroris. Huius imaginem in me, quæso, Deus con-*

terat, & ad nihilum redigat imaginem nostram, id est terrenam, in ciuitate circuminstantiæ; & instauret in nobis atque perficiat imaginem suam, in qua nos pingi non pudet, quam præferentes verè dicamus: Defecit cor meum & caro mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula. Cùm enim bona commutatione, quæ est homini à dextera Excelsi, defecerit cor meum & caro mea, id est, actus voluntatis & fructus carnis meæ, tum iam, vt à corporeis nexibus liber, & à meo corde purgatus dicere audeam: Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula. Vtinam compleatur in me verbum illud Euangelici Simeonis, vt fiat mihi Christus in ruinam & resurrectionem. Ruina exteriori meo, & interiori resurrectio; vt cadat in me peccatum, quod anima cadente consistit; & exurgat ille immortalis, qui cecidit exurgente peccato. Exterioris enim status, interioris casus est: & ideò quando infirmatur exterior, qui intus est renouatur de die in diem. Quo genere perfectus magister ait: Quando infirmor, tunc potens sum.

Ps. 72. Ps. 72. Ps. 76. Psalm. 72. Luc. 2. 2. Cor. 4.

Denique pro vita vnitiua qui Perfectorum est status:

VERITAS PRACTICA.

Non aliter in nobis formatur imago Christi quàm si nos in eandem imaginem transformemur.

RATIO EST, *Quia non aliter in nobis formatur imago Christi, quam si Christus ipse in nobis formetur, sicut ait Apostolus.* Ga. 4.

Sed non potest Christus sic in nobis formari, nisi nos in eandem eius imaginem transformemur, sicut Idem sanctus scribit Apostolus. 2. Cor. 3.

Ergo non aliter in nobis formatur imago Christi, quam si nos in eandem imaginem transformemur: Quod perfectorum est maxime proprium, & illius viæ quam vocant vnitiuæ.

I. PVNCTVM.

POSSET hic fusius explicari quæ paucis suprà commemorata est duplex in nobis imago Dei. Prima naturalis qua instar Dei, anima nostra est incorporea, indiuisibilis, tota in toto corpore, & tota in singulis partibus, independens à corpore, immortalis, dans corpori motum & operationem, vna in essentia, & trina in potentiis nobilissimis, libero arbitrio prædita, & dominio in res omnes corporeas, quarum est quoddam velut compendium, & finis vltimus, capax scientiæ, virtutis, gratiæ, gloriæ, beatitudinis, visionis Dei & fruitionis eiusdem qua in ipsum quodammodo transit Deum.

Altera supernaturalis tripliciter considerari potest, Primò in gratia quam dicunt habituali quæ cum verè sanctificet animam, facit eam verius & nobilius similem Deo, ac proinde illustriorem eius Imaginem. Secundo in virtutibus tam infusis quam acquisitis: tam internis quàm externis: tam Theologicis quam moralibus, quarum actus cum frequentes & probatos exercent homines, tum singulari modo dicuntur similes Deo, & sæpe Dominus ex hac Diuina similitudine nos prouocat ad illos præsertim virtutum actus quibus proximo cuiuis benefit, *Et eritis*, inquit, *filij Altissimi*, hoc est similes, sic enim pergit, *quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Tertio in certo quodam gradu sanctitatis & virtutum omnium quem vnicuique sic præfigit Deus vt de vnoquoque singillatim dici possit, *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem Excelsi.* Donum est proprium quod vnusquisque habet vt alius quidem sic, alius vero sic faciat, quod sæpe monet Apostolus, & de quo suprà frequenter actum est. Sicut autem per istud donum attingitur ille sanctitatis & virtutis gradus qui est vnicuique destinatus ac propositus: sic per istum gradum præsertim efficitur vt quæ in nobis est supernaturalis imago Dei, dicatur esse potissimum imago Christi: quia videlicet sic perfectè in nobis Christus formatur, sic in nobis perfecte regnat, sic nos regit, nos perficit, & ad beatam ducit vitam. Quæ quidem Ratio tanto magis patebit & valebit, quanto vniuersalius concludet pro declaranda Veritate proposita, quod nec aliter imago Christi

Luc. 6.

Eccles. 44.

1. Cor. 7.

Christi perfecta formetur in nobis quam si Christus in nobis ipse formetur: sic autem facile demonstratur.

Non enim aliter in nobis perficitur imago Christi quàm si nos ipsi perficiamur & sanctificemur, Nam imago Christi alia pingi nec fingi potest quam per propriam nostram sanctitatem: nulla est autem nostra sanctitas & nulla perfectio nisi formetur in nobis Christus: Id est, nisi Christus in anima per Spiritum sanctum suum, per suas Gratias, per suos omnes quos ipse solus intelligit motus & modos animum regat, dirigat & quaquauersum flectat, verset, ac pro suo moueat arbitratu tamquam Pastor in suo grege; tamquam in suo Ductor exercitu: tamquam in naui Nauarcha: tamquam in domo Paterfamilias: tamquam Rex in pacato suo regno: tamquam in corpore Anima: tamquam in cœlo Deus. Hoc est formari Christum in nobis, & hæc est nostra spiritualis perfectio, quia hic finis noster, hic finis nostræ deuotionis, nostræ Charitatis, nostræ humilitatis, & vno verbo totius nostræ virtutis vt se Christo totam subjiciat, vt talis tantaque sit, qualem quantamque ipse velit: neque major, neque minor. Hic est ipsius etiam Christi morientis & resurgentis quidam finis ac fructus *vt dominetur mortuorum & viuorum*, inquit Apostolus; finis autem & perfectio sic simul cohærent vt qui est finis alicuius rei, sit ipsa eius perfectio: nec vlla vllius rei possit esse perfectio quam qui est eius finis: vnde si Christus nostra est perfectio quia noster est finis, sic profecto Christi hæc in nobis existentis perfectio est vt sic formetur, sic nos perfectè regat & moueat. *Rom. 14.*

Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis! Quasi diceretur, donec formetur in vobis Christus, nihil fiet: hic meorum apud vos finis & fructus laborum est. Sic præclarè sanctus Augustinus, dum explicat quomodo Christus dicatur finis noster: *Dicitur enim finis qui consumit, & dicitur finis qui perficit: aliter enim intelligimus cum audimus, finitus est cibus qui manducabatur: & aliter intelligimus, cum dicimus, finita est vestis quæ texebatur. In vtroque audimus, finitum est: sed cibus vt iam non esset, vestis vt perfecta esset. Finis ergo noster, perfectio nostra esse debet: perfectio nostra Christus est, in illo enim perficimur quia ipsius Capitis membra sumus.* Id est, sicut membra corporis non perficiuntur moraliter qua perfectione possunt perfici nisi à Capite moueantur & regantur, sic neque nos aliter perficimur quam per Christum qui est *Caput ex quo totum Cor-* *Gal. 4.* *In Ps. 54.*

Ephes. 4. *pus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis,* inquit Apostolus. Et sicut nisi Caput corporis per ætatem, per naturam & gratiam sanè compositum esset & formatum, membra non possent aptè regi, sic nisi Christus ita esset in nobis formatus quantùm esse debet vt nos regat in omnibus, nulla esset eius in nobis imago, nulla sanctitas, nulla perfectio. Si cesset Caput regere, membra cessabunt regi.

II. PVNCTVM.

SED non aliter formatur in nobis Christus, nisi nos in eandem imaginem transformemur.

Id est, nisi nos totos sinamus regi per certa illa media quibus ita iudicat & ita vult nos esse regendos vt nihil aliud voluntarie sentiamus quam quod ipse sentit & ordinat. Hoc enim est in eandem imaginem transformari quando non solum in aliquibus sed vniuersim in omnibus: quando non aliquoties sed semper: quando non coacte sed voluntariè: quando non externa tantum mandatorum executione, sed interna etiam voluntatis & Iudicij conformatione, nos totos illi subdemus: quando denique nec ipsi permittetur imaginationi fingere sibi aliquid aliud commodius vel delectabilius vel gloriosius quam quod Ipse statuit & imperat. Sic in eius imaginem toti transformamur, id est, in illud ipsum quod videt & quo mouetur ad imperandum nobis vt eodem nos ipsi motiuo ducamur ad parendum. Sic est quodammodo transire in ipsum, sic est ipsum perfecte amare, cum sit ille amoris effectus nobilissimus, sic à te discedere vt transeas in amatum & dicas: *Viuo*
Gal. 2. *autem, iam non ego: viuit vero in me Christus.*

Sed de sublimitate huius perfectionis gradus, paulò post fusius tertio sequenti puncto; Nunc quàm sit necessarius aspirantibus ad perfectionem, ipsa Propositionis verba exigunt vt explicemus, nempe non aliter in nobis perfectè formatur Christus, neque ex consequenti aliter ipsa perfectio attingitur nisi nos ita, vt dictum est, in eandem imaginem transformemus: sic autem facile declaratur, præsuppositis his quæ antecedenti puncto declarata sunt de Christo in nobis existente ac formato. Nam si hoc aliud nihil est quam Christum sic in nobis regnare vt reuera nos totos regat & ad nutum flectat, quomodo id aliter intelligetur fieri quàm si toti

nos eius simus, toti nos eius imperio sinamus flecti? Nonne hoc ipsum est quod tam expresse traditur in prima parte, vbi hæc Veritas demonstratur:

Non nisi tribus oblatis concupiscentiis Rex Christus te agnoscitur.

Quod autem de tribus concupiscentiis ibi dicitur, hoc idem de tribus animæ facultatibus ad perfectionem comparandam, iure dici potest. Nam nisi perfecte Christo pareatur, quomodo nos perfecte reget? nisi vero volnntate & iudicio pareatur, quomodo illi perfecte parebitur? Nonne hoc est quod perficiendis suis commendabat Apostolus: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei:* Sunt videlicet inquinamenta carnis tres concupiscentiæ, si non mundentur: sunt verò inquinamenta spiritus tres animæ facultates, nisi pariter illis mundandis studeatur. Quamobrem nisi ex æquo subdantur omnia non perficietur in nobis Christus, non perficietur Sanctificatio, cui perficiendæ opportunum sane illud quod addebat Apostolus *in timore Dei:* nempe illo perfecto timore Dei, qui donum dicitur Spiritus sancti, quo vt ait sanctus Thomas *voluntariè Deum reueremur, & nos ipsi subducere refugimus.* Quod si tamen velis & alium posse timorem intelligi qui nonnullam habeat inclusam pœnam, facile cesserim dum sic agnoscas timendum tibi esse ne vmquam in te formetur Christus, quod vix vmquam transformari te sinas in eandem cum ipso imaginem & voluntatem: atque id demùm pro ingenti ducas supplicio sic numquam in te Christum formari.

2. Cor. 7.

2. 2. q. 19. a. 9.

III. PVNCTVM.

SIVE *igitur de Christi agatur imagine, siue de ipso in nobis formando Christo, neutrum perfecte formabitur nisi nos in eandem imaginem transformemur, & toti Christo conformemur,* quod non modo docebat Apostolus suis scriptis, sed multo amplius suis factis; sic enim ipse tam tenax erat ordinis, quicumque tandem à Christo sibi præscriberetur, vt omnium quasi oblitus, hoc vnum cogitaret vt in eandem cum Christo transiret imaginem, & quandam velut imaginationem eiusdem prorsus rei peragendæ quam ab illo sibi

Phil. 3. videbat ordinatam. *Sequor*, inquit, *si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, AD DESTINATVM PERSEQVOR, ad brauium supernæ Vocationis Dei in Christo Iesu.* Quasi diceret, Hoc vnum ago quod agendum mihi Christus præscribit. Numquam præcedo, semper sequor; sic me Ille comprehendit, sic illum ego velim comprehendere & assequi sicut comprehensus sum, sicut me sibi optat totum; nisi hoc agam, nil me arbitror agere. In hoc vno salutem, perfectionem & beatitudinem meam constituo. Sic illud bonum specto tamquam scopum quò mea dirigam omnia: tamquam certum brauium quod currendo referam si non inanem cursum meum volo: tamquam ipsum denique gloriæ præfixum gradum cuius adipiscendi non sit alia mihi via quàm quæ mihi à Christo singulis aperta patet momentis. Quod vt omnes perfectionis propriæ studiosi similiter de se sentiant & à se exigant, sic pergit sanctus Apostolus: *Quicumque ergo perfecti sumus, sic sentiamus, idem sapiamus, in eadem permaneamus regula:* Id est, nos ita contineamus, vt nihil quam ipse Christus velit & de nobis cogitet, velimus & cogitemus, sicque in eandem prorsus transeamus imaginem.

Coloss. 1. Atque hoc ipsum alibi repetens, *vt exhibeamus*, inquit, *omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certando secundum operationem eius quam operatur in me, in virtute*, quasi diceret: Hoc est vnicuique suo in statu contendendum vt se perfectum exhibeat hominem: non exhibebit autem nisi in Christo Iesu, nisi Christum habeat Ducem, Magistrum, Regem, & nisi fideliter in omnibus illi obsequatur. Quod quidem dum contendet non miretur si laboret; Nam & ego Apostolus sic laboro, sic certo; nec aliter virtutem exerceo vel aliud opus operor, quàm prout ipse Christus in me operatur, & in certa quadam virtute seu certo virtutis gradu quem nec excedere, mihi licitum puto, nec ab illo deficere.

Hoc est *vinculum Charitatis* quo sic Christo connectimur vt nos nihil à Christo separet. Hæc est *excellentior via* quæ via est perfectè vnitiua in perfecto diuini amoris actu cuius hoc est maxime proprium sic Amantem omnia conferre simul in Amatum, vt soli huic amori sit proprium; atque idcirco hic amor sit plurimum

commendatus, & omnibus omnium votis exoptandus.

Sic insigniter sanctus Augustinus: *Anima insignis Dei imagine illustris similitudine, habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper, aut stare cum eo, aut ad eum redire si mota suis affectibus, imò defectibus fuerit. Et non solum habet vnde respirare queat in spe veniæ & misericordiæ: sed etiam vnde audeat aspirare ad nuptias verbi, & cum Deo inire fœdus societatis, atque cum rege Angelorum ducere suaue iugum amoris. Hæc omnia facit amor, si anima exhibeat se similem Deo per voluntatem, cui similis est per naturam, diligens sicut dilecta est. Solus enim est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo respondere auctori, vel ipsi mutuam rependere vicem. Amor vbi venerit, cæteros in se omnes traducit & captiuat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse vsus. Per amorem enim conjungimur Deo. Amor facit vnum spiritum de duobus. Amor facit idem velle, & idem nolle. Amor facit prius mores componere, postmodum omnia, quæ adsunt tanquam non adsint considerare: tertio verò loco, munda cordis acie superna & interna conspicere. Per amorem, primum in sæculo benè geruntur honesta, postmodum etiam honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur.* In man. c. 18

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

VERITAS PRACTICA.

Nisi reddantur Cæsari quæ sunt Cæsaris, non reddentur Deo quæ sunt Dei.

RATIO EST, *Quia non reddentur Deo quæ sunt Dei, nisi reddantur Deo quæ Ipse à nobis exigit.*

Sed nisi reddantur Cæsari quę sunt Cæsaris, non redduntur Deo quę Ipse à nobis exigit.

Ergo nec reddentur quę sunt Dei, Deo: quę ne Impietas perpetre-

tur, sic reddenda sunt Cæsari, quę sunt Cęsari, sicut quę sunt Dei, Deo.

I. PVNCTVM.

P*LENAM miraculi responsionem*, iure vocat sanctus Hilarius quam Christus Dominus reddidit Pharizæis, concludendo ex eorum verbis reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Triplex autem eius miraculum seu tripliciter admiranda videri potest responsio. Primò quidem propter eam rationem quam Idem sanctus Doctor profert, nempe *quod ita omnia inter contemptum sæculi, & contumeliam lædendi Cæsaris temperarit, vt curis omnibus & officiis humanis deuotas Deo mentes absolueret, cum Cæsari quæ eius essent reddenda decernit*. Quasi diceret, sic respondisse Dominum vt sua responsione nos inuitaret ad illa omnia contemnenda & relinquenda quæ sibi tamquam debita Cæsar reposceret, quo facto id commodi eueniret vt cum deinceps nihil restaret quod Cæsari deberetur, de solis Deo reddendis debitis quietiùs cogitaretur. Quod certè mirum quàm opportunè, quàm egregiè, quam apte Dominus responsionem suam transtulerit ad illud quod habebat antiquius & carius commendandum, nempe vt animas à terrenis & humanis ad cœlestia & diuina converteret. Quod & sæpe alias ab Ipso præstitum obseruari potest in Euangeliis, vt cum præsertim de diuidenda, duos inter fratres, hæreditate rogatus est, sic se istis immiscere terrenis
Luc. 12. recusauit, vt tamen efficacissimum inter ipsos conueniendi & æternæ saluti comparandæ modum suggesserit; si vellent scilicet animum à nimio rerum terrenarum affectu seuocare in quibus nil solidæ reperitur quietis. *Videte*, inquit, *& cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet*, quod proposita similitudine de intempestiua Diuitis morte luculenter confirmauit.

Ex quo disces non modò res humanas sicut consulit Christus, contemnere: sed & aliis contemnendas proponere, atque ex omnibus aliorum dictis verbum æternæ vitæ semper elicere.

Secundò, mira Christi responsio est, quod ita sapienter & supra eorum omnium à quibus interrogatus fuerat, expectationem respondit, vt illi ipsi nequissimi deposita sua nequitia mirati fue-

rint tale responsum, cui retundendo nihil prorsus haberent, licet hac dolosa mente accessissent, vt si tributum esse Cæsari persoluendum pronuntiaret, deferrent illicò nomen eius ad plebem cui cum esset odiosa talis tributi solutio, non dubitabant quin Hominem eius solutionis propugnatorem odisset & detestaretur. Et tamen nihil horum audent nec cogitant! hoc sane mirum!

Tertiò quis non miretur quàm paucis & expressis verbis rem totam Dominus definiuerit cùm dixit *reddenda esse Cæsari quæ essent Cæsaris?* Quis enim in hoc ipsum statim non consentiat, cùm id sit lumine naturæ notum, & in naturali iure positum vt quisquis sua reposcat, ei reddantur? Sua vero tantum reposcere Cæsarem à Iudæis inde fieri manifestum, cum in ipsis quos Cæsar exigit numis, imaginem Cæsaris cuderint, in signum propriæ deditionis & seruitutis. Cum præterea vero sciret Dominus fore quondam Hæreticos qui negarent Principibus pendendum esse vectigal, sua illud authoritate sancitum voluit & cum ipse tributum soluit, & cum soluendum docuit. Quamobrem inde deducta est Veritas Practica, quæ tanto ad praxim esset firmior, quanto maiorem ab ipso Deo firmitatem acciperet: & quanto euidentius demonstraretur quod nisi reddantur Cæsari quæ sunt Cæsaris, nec ipsi Deo reddantur quæ sunt Dei.

Sic autem euidentissimè demonstratur; Nam profectò non reddentur Deo quæ Dei sunt, nisi ea reddantur quæ Ipse à nobis Deus exigit. Tam certo constat etenim Deum ita iustũ & æquum esse vt hoc ipso quo quid à nobis exigit, dubitari non possit quin suum exigat, cum præsertim imperando id exigat, cui nisi pareamus, se offensum pronuntiet & nos tamquam rebelles puniat. *Quid ergo dicemus?* inquit Apostolus, *numquid iniquitas apud Deum?* Rom. 9. absit. Esset vero iniquitas si quid non suum ita exigeret vt qui non redderet, puniretur: Cur enim puniretur si non ei debebat quod non reddidit? Nonne sic Ipse suam probat iustitiam & æquitatem apud illum qui murmurabat de tanta mercede his concessa qui serò venerant in vineam, quanta nec maiorem acceperant qui pondus diei & æstus portauerant? *Amice*, inquit, *non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo, facere?* Matth. 20. Quasi diceret, si à te plura exigerem quàm ex quibus conuenisti mecum: aut si quid inde tuum decideret quod alteri

tribuo, te audirem libentius: Sed cum nihil nisi de meo tecum agam vel cum altero de quo quereris, quid habes quod queraris? An non licet mihi de meis quod volo facere? An putes me quidpiam de re vlla statuere, quæ non sit mea? *Aequitas Domine iudicia tua; æquitas testimonia tua in æternum.* Ps. 118.

II. PVNCTVM.

SED *nisi reddantur Cæsari quæ sunt Cæsaris, non reddentur Deo quæ Ipse à nobis exigit.*

Nam id à nobis exigit vt quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, nempe obseruantia siue honor, obedientia, seruitus, tributa & quæ his nominibus obsequia continentur. Exigit autem multis modis: Primò quidem Ratione seu lege naturali, quæ à Lege manat æterna: sicut enim recta Ratio dictat, & persuasit hominibus præficere sibi Magistratus, seu Duces, seu Principes, seu Reges, seu alios Gubernatores à quibus regerentur: sic plane dictat illis esse parendum, & omni modo deferendum; nam alioquin quomodo regerent? Nonne idcircò cum fœlices à quodam Adulatore prædicarentur Lacedæmones quod peritos haberent Duces, respondissetque Vnus inter illos primarius, non idcirco esse fœlices, sed quod haberent subditos valde obsequentes, tantopere commendatur hoc Responsum vt inter præclara Sapientium dicta quæ omnes probent, censeatur?

Deinde vero Iustitia quæ communis est virtus cuius parens ac Author Deus est, & sine qua non possent homines inter se conuenire ac viuere: nonne id tam certò exigit quàm certum est non posse tuto seruari iustitiam nisi sint non modò qui iura legesque condant, tueantur, & protegant; sed qui etiam juris ac legum Conditoribus pareant & obsequantur? *Meum est consilium & æquitas,* aït diuina Sapientia, *mea est prudentia, mea est fortitudo; Per me Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt Iustitiam.* At quomodo constarent hæc omnia nisi simul à subditis ipsa exigeret Sapientia ne suis deessent Regibus, sed omnem illis deferrent obseruantiam? Pr. 8.

Audi verò rursum vt ipsa loquitur Sapientia: *Melior est sapientia quàm vires; & vir prudens quàm fortis: Audite ergo reges & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines,*

titudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. At quæso te nisi obsequentes suos illi haberent subditos, quomodo ita punirentur? quomodo non rejicerent in istos culpam, aut quomodo isti essent in culpa, nisi simul intelligerent se tam strictè teneri iustis suorum Regum obseruandis imperiis, quam Reges tenerentur iusta illis decernere?

Tertio, quæ Deum ipsum colendum monet Religio, monet & colendos Reges ac principes: Nam præterquam quod ipsi Reges Deum ita repræsentant, vt in illis singulari modo Deus colatur, quænam alioquin vel ipsius Dei posset esse Religio, nisi esset obseruantia Regum ac principum? qualis ordo, qualis disciplina, qualis Dei cultus, vbi confusa essent omnia sicut omnia confunderentur nisi superioribus inferiores subderentur?

Non est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo, inquit Apostolus. Hic nempe fuit error Iudæ cuiusdam Galilæi de quo in Actis Apostolorum est mentio, qui cum Iudæos excitasset ad negandam Romanis quibus tùm erant subditi quam debebant obseruantiam, misere periit, atque inde factum est vt cum à Iudæis & ab ipsis potissimum Galilæis orta esset Christiana Religio male apud Infideles hoc nomine Christiani omnes audirent, quasi hoc ipsum sentirent Christiani quod isti proditores Galilæi, quasi Regum ac principum detrectarent imperia; quod tam longe à vero remotum erat vt nihil Apostoli frequentius, nihil expressius suis commendent omnibus, quam vt omnem hac in parte iustitiam impleant. Audi Apostolum: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram sed propter Conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt,*

1. Cor. 14.

Act. 5.

Rom. 13.

in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Et rursus ad Titum: *Admone illos*, inquit, *principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.*

Tit. 3.

1. Pet. 2.

Quod & ipsum non minus efficaciter & expresse princeps Apostolorum Petrus: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem: sed sicut serui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite: Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia si propter Dei Conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste.*

In quibus Apostolorum dictis non modo vides quod Deus à nobis exigat, vt quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, sed quo iure id exigat, quàm stricto, quam seuero, quàm summo illo quo à se ordinata vult seruari, & quo ipsum Iustitiæ commendat ordinem, quod expresse Diuus Thomas docet, loco annotato.

2. 2. q. 104. a. 6.

III. PVNCTVM.

NISI ergo quæ dicta sunt esse Cæsaris, esse Regum ac principum, reddantur illis, non reddentur Deo, quæ Dei sunt, Quia non reddentur Deo quæ à nobis pro suo in nos iure ac pro nostra in Ipsum obseruantia, merito exigit; & quæ Principibus negabitur obedientia, negabitur & ipsi Deo qui talem præcipiebat obedientiam. Atque hoc diuinum præceptum tale omnes esse affirmant Doctores, vt minime dubitent esse in se lethiferum, nec rei leuitatem aut ignorantiam in ordinaria praxi posse nos excusare, quia nec leue est quod ordinarie Reges præcipiunt, nec ignotum quod præcipiant, nec obscurum quod illis præcipientibus parendum est, cùm id omni iure tam euidenter pateat vt licet hac de re deessent diuina imperia, pateret tamen humano lumine; ac licet hoc humanum lumen non adesset, diuino tamen satis imperio res constaret, adeo sunt expressa quæ sacra referuntur idcirco testimonia.

2. 2. q. 105. a. 1.

Quid enim præter iam dicta, terribilius his sancti Iudæ Apostoli verbis: *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates simili modo*

exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant. Quasi diceret, non minus patet hos peccare, nec minus esse puniendos, quam quos scimus esse punitos, velut omnium scelestissimos peccatores.

Hinc apte sanctus Gregorius: *qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit qui eandem homini potestatem dedit.* Parumne verò tibi videtur admissi criminis, sic Diuinum Numen arguere! Quam verò ait potestatem hanc esse à Deo, & iam audiuisti ex Apostolo, & præclare confirmat sanctus Augustinus: *Non tribuamus*, inquit, *dandi regni atque imperij potestatem nisi Deo vero, qui dat fælicitatem in regno Cælorum solis piis: regnum verò terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.* Et paulò post, *Qui dedit Mario, ipse & Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasiano vel Patri vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, Ipse Apostatæ Iuliano.* l. 22. Mor. c. 17. l. 5. Ciuit. Dei c. 21.

Nec vero tantum in persona Cæsarum, diuinam esse agnoscendam prouidentiam, sed in his omnibus quæ sub eorum imperiis accidunt, sic Idem sanctus Doctor accurate demonstrat. *A quo*, inquit, *omnis modus, omnis species, omnis ordo, à quo est mensura, numerus, pondus, à quo & quicquid naturaliter est, cuiusque generis est, cuiuscumque æstimationis est, qui & animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum, qui nec solum cælum & terram, nec solum Angelum, & hominem, sed nec exigui nec contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo est credendum regna hominum, eorumque dominationes & seruitutes à suæ prouidentiæ legibus, alienas esse voluisse.* Ibid. cap.

Quia tamen in aliud sæpe declinatur extremum, vt reddendo Cæsari quæ sunt Cæsaris, politicè potius id fiat quàm Christiane: vel præcedenti iungenda est sequens Veritas, vel separatim denuntianda:

Non reddes Deo quæ Dei sunt, si quid Cæsari vel cuiquam reddas, non propter Deum.

RATIO EST euidens, quia non reddes Deo quæ Dei sunt, nisi te tuaque omnia plene illi reddas.

Sed si quid non propter Deum Cæsari vel cuiquam reddas, non te tuaque omnia plene Deo reddes.

Ergo nec reddes Deo quę Dei sunt: seu potius, vt quę Deo debes, reddas, nihil prorsus reddendum est aliis quod non propter Deum reddas.

I. PVNCTVM.

Deut. 5. QVOD sæpe aliàs, tum vero hîc opportune diuinũ hoc Monitum nobis proponendum: *Non declinabitis neq; ad dexterã, neq; ad sinistram: sed per viam quã præcepit vobis Dominus Deus vester, ambulabitis.* Sicut enim per defectum peccares non reddendo Cæsari quæ sunt Cæsaris, aut cuilibet proximo quæ sunt eius: sic per excessum in his reddendis debitis peccari posset; & quidem tripliciter, nempe in substantia, in modo, & in fine. In substantia peccaretur si quid iussus vel sponte faceres quod diuinæ repugnaret legi, tunc enim excederes debitum quod nullum esse potest contra Deum; Vnde apte sanctus Chrysostomus: *Tu cum audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita quæ pietati ac religioni non officiunt: Nam quod fidei aut virtuti obest, non Cæsaris sed Diaboli tributum ac vectigal est.* Sic vniuersim de cunctis Superioribus tam Ecclesiasticis quam Politicis siue sæcularibus sanctus affirmat Basilius: *Si quid sit quod à Superiore ex mandato Domini dicatur, aut cum mandato conueniat, in eo licet mortem cum minis intentatam habeat, nihilominus obedientiam seruari conuenire. Sin contrà aliquid præter mandatum est, aut aliqua ex parte mandato aduersatur, id licet Angelus de cælo, aut de Apostolis aliquis imperet, licet vitam promittat aut mortem minetur, nullo pacto admittendum esse, cum Apostolus dixerit, licet nos ipsi aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit.*

Hom. 71. in Matth.

In reg. breuior.

Deinde, in modo peccaretur si quæ sunt alioquin moderate reddenda, tu nullo seruato modo profunderes, ac plusquam exigereris, vel bona vel honorem, vel vitam intempestiue prodigeres, quales illi mundani sunt qui vt mundo placeant, nullis par-

cunt impensis, *qui ponunt fortunæ mensam & bibunt super eam*; inquit Propheta. Is. 65.

Tertio denique, quod frequentius est, & quod minus cauetur, per excessum, in fine peccatur, quando quæcumque sint quæ Superiori reddantur obsequia, non redduntur propter Deum, licet sint debita, licet debito reddantur etiam modo, sed tamen finis est peruersus aut mere humanus ac naturalis, qualem haberent Ethnici & Pagani; Tunc non modo nil apud Deum promereris, sed Deo rapis quæ Dei sunt, & quidquid aliud Deo reddas, numquam sua Deo reddes, nisi hoc opus aut obsequium quod Superiori reddis, reddas propter Deum.

Quæ certe Veritas accuratius expendi debet quàm hîc declaretur, nam & fructu est vberrima, & ex paucis quæ suggerentur facile est vberius progredi; aut ex multis quæ iam supra dicta sunt in hanc propè materiam, non erit difficile quod est affinius, hûc transferre. Sic autem breuiter quæ propositæ rei summa est, demonstratur: Numquam reddes Deo quæ Dei sunt, nisi te tuaque omnia Deo reddas. Cum enim te tuaque omnia sic Deo debeas, tamquam ea quæ Dei sunt, quid clarius quam quod asseritur te non redditurum Deo quæ sunt Dei, nisi te tuaque omnia Deo reddas? Aut te nega totum esse Dei, aut quæ sunt Dei, non esse reddenda Deo: vel concedas necesse est quod infertur. Nam si hæc duo vera sunt, quod sis Dei totus, & quod reddenda Deo sint quæ sunt Dei, profecto numquam negare poteris te aliter sua Deo redditurum quin teipsum illi totum reddas. Quantum enim de te reseruabis quod non reddideris, tantum restabit de his reddendis quæ Dei sunt, & illud quod restabit tam strictè debes reddere quàm quid aliud quod dederis.

Vide in 1. parte, Die 4. Ianuarij, vbi hæc declaratur Veritas:

Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes.

II. PVNCTVM.

S*ED si quid non propter Deum, Cæsari, vel cuiquam reddas, non te tuaque omnia plenè Deo reddes.*

Quid est enim se suaque omnia plenè Deo reddere? Non est profecto non est illa projicere: non est illa pauperibus erogare;

non est illis se omnino abdicare. Nam paucorum ista sunt, nec de præcepto vllo imposita; cum tamen sit omnium hominum se suaque omnia Deo reddere, sicut est omnium diligere Deum ex toto corde, tota mente, totaque anima. Quid est ergo se totum reddere! Considera vehementer, & vide num sit aliud quàm se in nullo quærere, quàm vnum in omnibus Deum sibi proponere tamquam Finem quò quidquid agis referas vel immediatè vt dicitur, vel mediatè siue relatiuè, non sistendo in illis humanis finibus quos ex praua Concupiscentia sibi præfigunt homines, vel vt honores consectentur, vel voluptates, vel vitæ commoda temporalis.

Hoc est, inquam, ita se totum suaque omnia Deo reddere, vt nisi hoc sit, quidquid tandem agas, nihil reddas. Nam si vel omnibus tuis abdicatis te totum Deo consecrares, non tamen propter Deum: plane nil ageres. Contràque is qui sua omnia sic retineret vt tamen nullis vellet vti nisi purè propter Deum, rem prorsus conficeret, & se suaque omnia sic Deo daret. Adeo verum est, rem totam in hoc vno verti, vt siue quid actu & effectu dones vel non dones, Deum vnum spectes. Quod luculente Apostolus exhibebat cum diceret: *Etsi distribuero in cibos pauperum, omnes facul-* 1. Cor. 13. *tates meas: etsi tradidero corpus meum vt ardeam, Charitatem autem non habuero*. Quà scilicet, illa propter Deum agam, *nibil mihi prodest*. Et alibi etiam expressius: *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Gal. 1.

Iam verò si quid non propter Deum Cæsari vel cuiquam reddas, nonne vides te non istum habere finem, te non illam habere Charitatem, te non illud habere quo vno constat quod dicitur *se totum Deo reddere?* Nam si non propter Deum id agis, agis propter teipsum; quidquid aliud humanum spectes, teipsum spectas in Cæsare, in delatis officiis, in cultu reddito, præstitaque seruitute, tuum ibi videlicet intueris lucrum vel damnum, tuam ibi fortunam fabricaris; tuum ibi decus ac vitæ commoda statuis. Nonne est ita? Nonne hic est communis hominum status? At quæso te, quid de hoc statu sentis? an dices eorum esse statum qui se suaque omnia Deo reddant? Itane Aulicos illos dices se totos dare Deo qui nihil aliud spectant quàm quæ mundus suggerit, quam quæ Cupiditas appetit, quàm quæ Deus spernit?

Nec dicas, illos non esse religiosos quorum illud est proprium sic vacare Deo vt nihil aliud spectent. Iam enim tibi responsum

est, non esse tantum religiosi viri vt Deum spectet in omnibus, sed cuiuslibet hominis Christiani, quâ is lege tenetur ex tota Deum anima diligere, quod nihil aliud est, authore Diuo Thoma, quam se totum Deo dare, vt diximus.

Et ne à proposito longius aberremus, nonne sic apertè Apostoli cum deferendam illam quæ supremis debetur Potestatibus præcipiunt obseruantiam, nonne id expressis addunt verbis, vt propter Deum deferatur? Nonne hæc sunt Principis Apostolorum manifesta verba: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti,* siue aliis quos ibi memorat ducibus? Nonne sic conformiter Coapostolus Paulus: *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus.* Audisne vt semel ac iterum idem repetat, ne quid supersit dubij quin probe si velis intelligas, quod si Cæsari seruis vt Cæsari tantum placeas, non seruis Deo, non te illi reddis, quia tantum de te reseruas in illo fine quantum in illo quiduis aliud respicis quod ad Deum non referas. *Seruierunt creaturæ potius quam Creatori!*

Suprà. Ephes. 6. Rom. 1.

III. PVNCTVM.

SIC *itaque non reddes Deo quæ Dei sunt, si quid Cæsari vel cuiquam reddas, non propter Deum.* Hic enim tria tam arcto nexu simul intra se iuncta reperiuntur, vt vnum ab alio disiungi nequeat. Primum est, te totum esse Dei. Secundum est, te totum Deo numquam redditurum, nisi te toto Deum spectes. Tertium denique, te toto Deum non spectare, si quid aliud præter Deum, quo sensu dictum est, quæras & spectes. *Hic funiculus triplex qui difficile rumpitur,* & tam multis iam probatum habes infrà designatis locis, vt nihil restet quam vt praxis illa commendetur, qua Deus in Cæsare, Cæsar in Deo consideretur. Non potest autem aptius commendari quam si diligenter expendas, quanta inde in Deum, in Cæsarem, & in teipsum redundent commoda vel incommoda.

Eccle. 4.

Deus quidem ita latius colitur quando in Cæsare colitur: sed nisi tum colatur Deus, quantum inde putas honori diuino detrahitur? Si enim à cultu Cæsaris absit Deus, abest à corde colentium

Cæsarem, abest ab eorum gestis rebus, abest ab eorum vita. Quid porro Diuinitati grauius, cum præsertim ita toti simus Dei, vt nihil plane restet quod vel nostrum sit vel cuiusquam esse possit nisi quantum ille permittit aut iubet? vnde fit vt quia sanctum Patris & Matris odium imperat, sic illo plane sunt habendi odio quod imperat: & quia vetat Inimicorum odium, sic prorsus est cohibendum vt vetat, & tantùm illi diligendi, quantum ille præcipit cuius est ita totum Cor nostrum, atq; omnes eius motus & affectus tam absoluto iure vt aliter eos mouere, nobis non liceat quam ex vno eius nutu. Et tamen nostri minimam vix Illi partem concedimus, & inuito illo quod in nobis est melius, nobis vsurpamus aut aliis tradimus! *Haccine reddis Domino!* Deinde vero sicut Cæsar tanto fidelius colitur, quanto religiosius in Domino, siue in ipso Dominus attenditur; sic planè si Deum inde separes, iam non ipse Cæsar: sed in Cæsare, sors & fortuna colitur.

Denique, quis non videat quantæ sit frugis & æternæ vtilitatis, sic spectare Deum in omnibus, sic in illis quæ à Deo magis aliena videntur, Deum tamen inquirere & inuenire! vt è contra quanti sit detrimenti, tam multis in vitæ actibus sua Deum defraudare gloria, seque tot præsentibus gratiæ meritis, & futuris Gloriæ gradibus excludere quot mereri potuisses, si meritis ac operi Deum Finem adiunxisses!

O frustra positos tot labores! quàm vere de his dici possit quod de temporibus ægyptiacæ sterilitatis & famis: *deuoratis & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium. Consumit enim fames* Gen. 41. *omnem terram, & vbertatis magnitudinem perdit inopia magnitudo.* Plura subministrabunt cognatæ his Veritates:

Magis tenemur omnes affectu nostra relinquere, quàm effectu Apostoli.

Nisi diligenter aduertas, stulto labore consumeris.

In 1. p. Feria 3. & Sabbato Hebdom. 2. post Epiphan.

Non est minus perfectæ Mortificationis, bene vti rebus, quàm omnino non vti.

In 1. p. Fer. 4. Hebdom. 5. post Epiphan.

Sicut à Deo, sic ad Deum.

In 2.

In 2. p. Dominica 4. post Pascha.

Quò minùs potes reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere quæcumque potes.

In 3. p. Feria 2. Hebdom. 1.

Non tam spectatur quid dones Deo, quàm quid non dones.

In 3. p. Fer. 6. Hebdom. 8.

Vide & Dom. 14. Atque in hac 4. p. Dominicam 17. vbi plura his affinia.

HAC HEBDOMADA, sic componendum esse animum inter aduersa & prospera, vt nec illis deprimatur, nec istis extollatur, docebunt quæ consideranda occurrunt ex Capite vndecimo sancti Mathæi, & decimo sancti Lucæ.

FERIA SECVNDA.

DE INFOELICI PROSPERITATE VRBIVM QVAE AB AVDITO DEI VERBO NON PROFICIVNT.

Væ tibi Corozain! Væ tibi Bethsaida!
Et tu Capharnaum, vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum demergéris. Luc. 10.

VERITAS PRACTICA.

Qui sibi non cauent in prosperis, sunt illi stulti de quibus Sapiens: *Prosperitas stultorum perdet illos.* Prou. 1.

RATIO EST, *Quia qui sibi non cauent in extremo periculo, stulti sunt & perituri.*

Sed qui sibi non cauent in prosperis, sibi non cauent in extremo periculo.

Ergo & stulti sunt & illi perituri de quibus Sapiens. Prosperitas stultorum perdet illos: *seu potius, ne id contingat discamus sapere & cauere nobis in prosperis.*

I. PVNCTVM.

QVOD ante scripserant Euangelistæ, designatos fuisse à Domino septuaginta duos Discipulos quos mitteret binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus: non nisi hoc tempore factum, & referunt Interpretes, & rerum gestarum persuadet ratio. Cum itaque iam iam essent in varios ituri pagos & vrbes, non præceptis eos tantum instruxit sicut Apostolos, vt supra visum est, sed ipso loquendi modo quem in dicendo seruarent, illos formauit, ac propterea coram ipsis in discessu *capit exprobrare ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tiro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum, numquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes. Vsque ad cælum exaltata, vsque ad infernum demergéris. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem: Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die Iudicij, quàm tibi. Qui vos audit me audit. Et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Quasi diceret, sic vehementer agite, sic loquimini sicut me loquentem audiuistis, vt qui vos audient, me audiant; nec miremini si vos spernant, quia & me iam spreuerunt: sed non impunè. Nam grauius inde iudicium accipient. Hoc illis denuntiate meo nomine; ac præsertim illis ciuitatibus quæ pro sua florenti & prospera rerum omnium commoditate nihil ex nostra prædicatione proficient, nihil ex miraculis mouebuntur. Hoc à me per-

Matth. 11.

Luc. 10.

suasum vobis sit, & per vos aliis, nihil magis obstare Verbo Dei fructuosè audiendo quàm illa vitæ prosperitas quæ nullo timore Dei, nullo ingruentium metu malorum temperatur. Hoc vt omnes intelligant, harum exemplum proponite ciuitatum quas idcirco commemoro, vt quantum à prosperis sit detrimenti, nisi caueant, innotescat.

Hoc ita Christus discipulis; hoc ita Discipuli Ciuitatibus: hoc ita nobis modo repræsentant illæ ciuitates quæ suis perierunt bonis dum malè bonis vsæ sunt. Hoc denique est quod pridem in prouerbiis dixerat Sapiens: *Prosperitas stultorum perdet illos*; Quod quam sit verum ac tremendum omnibus siue qui verbum Dei prædicant, siue qui audiunt, nunc paulo attentius indagandum.

Sunt illi nempe communi consensu omnium, stulti & perituri qui dum in extremo versantur vitæ periculo, vel considerandæ cuiuspiam bonorum & honoris iacturæ, non sibi magis cauent quàm si nullum esset periculum, quàm si nulla impenderet pernicies, sicque miseri pereunt non tam ex proposita periculi magnitudine, quàm ex ignaua sua quadam incuria: nam si paulo attentius sibi adessent, sese tam facilè liberarent omni periculo, quàm facile, dum sibi cauere nolunt, absorbentur.

Hoc est amare periculũ, hoc est in illo velle perire. Hoc est quod rari volunt, aut si qui volunt, hoc plane facto se mente captos, aut somniantibus similes, aut lethali correptos morbo, vel desperatione actos indicant, quorum miserandus status misericordiam potius excitat quam vituperium.

At vero in periculis animæ qui sic sponte ac volentes sine vllo versantur metu, sic plane stultos Scripturæ pronuntiant vt nulla sint miseratione digni sed culpæ grandis obnoxij. *Stultus populus qui habitat in Sichimis.* Hoc est in locis saluti periculosis. *Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & confidit.* Id est, in hoc stultus agnoscitur quod vbi Sapiens timet & cauet, contra iste transilit & confidit intrepidus. Nonne stultissimum se idcirco virorum appellat Salomon, quod se tot peccandi & pereundi periculis obiecisset quot externas vxores habere voluit? Denique *qui confidit in corde suo stultus est*; quia nempe est talis confidentia multis plena periculis.

Ecclesi. 50. *Prou. 14.* *Ibid. 30.* *Ib. 28.*

II. PVNCTVM.

SED *qui ſibi non cauent in proſperis, ſibi non cauent in extremo periculo.* Sic enim periculoſa eſt proſperitas, vt ſi mille cadant homines ex aduerſis, decem millia concidant ex proſperis. Nam vt præclare Caſſianus, *aduerſa interdum etiam inuitos retinent atque humiliant, & compunctione ſaluberrima vel minus peccare faciunt, vel emendant: proſpera verò mollibus mentem ac pernicioſis extollentia blandimentis ſecuros fœlicitatis ſuæ prouentu, ruina majore proſternunt.* Sic aptè ſanctus Bernardus: *Proſperitas incautis eſt hoc ad diſciplinam quod ignis ad ceram, quod ſolis radius ad niuem vel glaciem. Sapiens Dauid, ſapiens Salomon fuit: ſed blandientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Magnus qui incidens in aduerſa non excidit vel parùm à Sapientia; nec minor cui præſens fœlicitas ſi arriſit, non irriſit: quamquam facilius inuenerim qui Sapientiam retinuerunt contrariâ ſibi fortunâ, quàm qui propitiâ non perdiderunt.* Itemque in Canticis vbi agit de curribus Pharaonis, ac nominatim de curru luxuriæ, *qui trahitur*, inquit, *equis duobus: Proſperitate vitæ, & rerum abundantia:* & qui his præſident duo, *Ignauiæ torpor, & infida ſecuritas*, quia & copia in ignauiam ſoluit, & ſecundum Scripturam, proſperitas ſtultorum perdet illos: non ſanè ob aliud, niſi quoniam malè ſecuros reddit. *Cum enim dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.*

Pſ. 90. *Coll. 6. c. 9.* *2. Conſid. 12.* *Serm. 39. in Cant.* *1. Theſſ. 5.*

De quo quidem interitu ſic opportunè ſanctus Gregorius: *Præſentis vitæ proſperitas aliquando idcirco datur vt ad meliorem vitam prouocet, aliquando vero vt in æternum plenius damnet. Hinc eſt enim quod plebi Iſraeliticæ Chanaan terra promittitur, vt quandoque ad æterna ſperanda prouocetur.* Et poſt pauca. *Sed cùm largientem Deum humana mens boni operis repenſatione non ſequitur, vnde nutrita piè creditur, inde iuſtius damnatur. Hinc enim per Pſalmiſtam rurſum dicitur: Dejeciſti eos dum alleuarentur; quia videlicet reprobi cùm recta opera diuinis muneribus non rependunt, cùm totos ſe hic deſerunt, & affluentibus proſperitatibus dimittunt, vnde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc eſt quod in inferno, cruciato diuiti dicitur: recepiſti bona in vita tua. Idcirco etenim recepit bona in vita ſua malus, vt illic plenius mala reciperet, quia hic fuerat nec per bona conuerſus.*

3. p. Paſtor. adm. 27.

Ex quibus ſanctorum Patrum verbis, non modo vides authori-

tate Virorum in rebus dijudicandis principum, sed & ipsis quas afferunt causis moralibus, cùm à nobis tum à Deo petitis, quàm sit male cautis periculosa prosperitas, quàm sit infida nimis fidentibus, quam sit præsumptæ securitati parum tuta, *tamquam hybernalis glacies quæ ad modicum cæli leporem dissoluitur*, vt ait Sapiens: *aut quasi mendacium aquarum infidelium*, inquit Propheta. Id est, non minus periculosi lapsus est, mundi prosperitas, quàm illa quæ videtur aqua congelata cui si pedem apponas, laberis in profundum subsidente aqua. Promittunt securitatem, sed mera est infidelitas, merum mendacium. *Sap. 16. Ier. 15.*

III. PVNCTVM.

QVI *sibi non cauent ergo in prosperis, sunt illi stulti de quibus Sapiens, Prosperitas stultorum perdet illos.* Sic expressè sanctus Thomas vbi agit de vitiosa stultitia, nam & ipsum hunc sapientis seu Prouerbiorum locum producit, & quam affert rationem vt ostendat esse aliquam non naturalem sed vitiosam stultitiam, planè conuincit in his esse qui sibi non attendunt in prosperis. Quod enim vitium, stultitia dicitur nisi quo animus ita quodammodo stupidus redditur vt vix de diuinis & spiritualibus cogitet, totusque terrenis immergatur? At nonne hoc esse audiuisti prosperitatis vitium vt sic mẽtem abstrahat à diuinis? Quid porro stultius quàm se huic stupori permittere, quam se à seipso diuidere, quam sibi animum eripere, vel ab animo Deum, quo tempore quibusue mediis religiosiùs esset colendus Deus, nempe cum plura largitur beneficia? Quid stultius quam inde ad sempiternum interitum sibi sternere præcipitium, vnde ad beatam ac immortalem gloriam tibi gradum facere poteras? Quid verò potentius ad hanc cauendam stultitiam quam vel ipsius nomen quod naturalis ipse sensus non potest non execrari; vel ipsius nominis causa & effectus, qui nil minus quàm extrema portendunt salutis æternæ pericula! *2. 2. q. 46. a. 2.*

O quàm rectè Saluianus hanc deplorans amentiam: *Tanta*, inquit, *rerum secundarum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium prauitate vitiamur, vt & Dei penitus obliuiscamur, & nostri.* Tùm nonnullis interiectis: *Ad hoc tantum data à Deo quiete vtimur, vt in omni scelere atque improbitate viuamus. Quasi verò beneficium datæ pacis sit vacatio probrositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo de-* *L. 6. de Gub.*

nante capiamus, vt licentius securiusque peccemus?

In Past. 3 p. adm. 27. Audiendus itaque sanctus Gregorius qui admonendos monet eos qui *in hoc quod temporaliter appetunt, prosperantur, ne cùm cuncta ad votum suppetunt, dantem quærere negligant, si in his quæ dantur animum figant: ne peregrinationem pro patria diligant, ne subsidia itineris in obstacula peruentionis vertant, ne nocturno lunæ lumine delectati claritatem solis videre fugiant. Admonendi itaque sunt vt quæ in hoc mundo consequuntur, calamitatis solatia: non autem præmia retributionis credant, sed contra fauores mundi mentem erigant, ne in eis ex tota cordis delectatione succumbant. Quisquis enim prosperitatem qua vtitur, apud iudicium cordis, melioris vitæ amore non reprimit, fauorem vitæ transeuntis in mortis perpetuæ occasionem vertit.* Et post multa cum in prosperis tum in aduersis valde opportuna: *Solicite considerent*, inquit, *quod plerumque etiam Iustos cum temporalis potentia sustollit velut in laqueum culpa comprehendit. Deo Dauid prius amabilis rectior fuit in seruitio, quàm cum peruenit ad regnum. Seruus namque amore Iustitiæ, deprehensum aduersarium ferire timuit: rex autem persuasione luxuriæ, deuotum militem etiam sub studio fraudis extinxit. Quis ergo opes, quis potestatem, quis gloriam quærat innoxiè, si & illi extiterunt noxia, qui hæc habuit non quæsita? Quis inter hæc sine magno discriminis labore saluabitur, si ille in his culpa interueniente turbatus est qui ad hæc fuerat Deo eligente præparatus? Admonendi sunt vt considerent quia Salomon qui post tantam Sapientiam vsque ad Idololatrium cecidisse describitur, nihil in hoc mundo, prius quàm caderet, aduersitatis habuisse memoratur: Sed concessa sapientia funditus cor deseruit quod nulla vel minima tribulationis disciplina custodiuit.*

Videri plura possunt in aliis partibus, vbi hæ præsertim exponuntur Veritates:

Omnis copia quæ Deus non est, egestas censenda est.

In 1. p. Fer. 5. Hebdomada 4. in Aduentu.

In pace amaritudo, & pax in amaritudine.

In 1. p. die 9. Ianuarij.

Nisi probè paratus sis ad aduersa, nec ad ipsa prospera benè paratus es.

In 1. p. Fer. 6. Hebdom. 5. post Epiph.

Qui se existimat stare, videat ne cadat.

In 2. p. Fer. 6. Septuagesima.

In die bona, nisi memores mala, non erit dies bona.

In 2. p. Dominica 2. Quadragesima.

Sicut vinum nouum, sic nouus honor maximè temperandus.

In 2. p. Fer. 2. Hebdom. 2. post Pascha.

Nisi te humilies in prosperis, prospera te humiliabunt.

In 3. p. Dominica 4. post Pentecosten.

FERIA TERTIA.

DE INANI DISCIPVLORVM REDEVNTIVM GAVDIO EX SVBIECTIS SIBI DAEMONIIS.

Reuersi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis, in nomine tuo. Luc. 10.

VERITAS PRACTICA.

Erras, nisi risum, errorem repute s.
Deciperis, nisi gaudium credas decipi.

RATIO EST, Quia tunc error esset manifestus & aperta deceptio, quando quid aliter reputares & crederes quàm sit reuera coram Deo.

Sed niſi riſum & gaudium, prout hic intelliguntur, credas errare ac decipi, Tu hæc aliter reputares ac crederes quam ſint reuera coram Deo.

Erras igitur niſi riſum errorem reputes. Deciperis, niſi gaudium credas decipi. Quæ eſt ipſa Sapientis ſententia : Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis. *Eccl. 2.*

I. PVNCTVM.

REDEVNTES à Miſſione diſcipulos & inſolita quadam geſtientes lætitia quod Dæmones è corporibus eiecifſent, ſic ſtatim cohibuit & repreſſit Dominus : *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Id eſt, Ego Ipſe ſcio quid feceritis, nam & ipſe videbam Dæmones quos è corporibus abigebatis ſicut olim ipſoſmet, dum è cœlo detruderentur. Vel ſic, cùm video vos ita vobis corridentes & congaudentes de veſtris operibus : mihi videre videor ipſum Satanam ſic in ſeipſo quondam elatum & mox è cœlo præcipitatum. Tum vero pergens Dominus; *Ecce,* inquit, *dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem Inimici, & nihil vobis nocebit : Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur : Gaudete autem quod Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Ex quibus poſtremis verbis euidenter apparet non omne gaudium à Domino improbari, nec idcirco cohiberi diſcipulos quod gauderent, ſed quod inani quodam riſu & gaudio ſibi de proſpero, vt putabant, ſucceſſu gratularentur, quod erat certe gaudium longe leuius & inferius quàm vellet ſuos gaudere Dominus. *Gloriabantur diſcipuli,* ait ſanctus Cyprianus, *& complacebant ſibi in miraculis, gratulabundi quod eis Dæmonia obedirent*; Quaſi diceret, nimis propterea lætabantur, nimis inde ſeipſos efferebant, eratque periculum grauioris ſuperbiæ, niſi Dominus ſtatim illos compeſcuiſſet: Vnde illis & profert exemplum Satanæ ſuperborum du-
l. 23. Mor. c. 4. cis de cœlo quondam detruſi : *vt in Authore ſuperbiæ diſcerent,* inquit ſanctus Gregorius, *quod de elationis vitio formidarent.*

Hoc eſt itaque gaudium quo ſibi ſolent homines in proſperis ſuis

suis euentibus corridere, congaudere, complacere, seque beatos propterea prædicare, quod cum multa secum inueherat animi detrimenta, tum illud in primis cauendum est vnde cætera profluunt, quod erret tale gaudium, & in errorem gaudentes suos inducat: quod decipiatur & decipiat: quod præ se ferat aliquid boni, cum tamen reuera non sit, imo cum tale putetur bonum quod non est, sit inde malum ingens quod non putatur. Quamobrem vt hoc melius explanetur hic proponenda fuit Veritas quæ tota ex Sapiente petitur: *Erras si talem risum, errorem non reputes: Deciperis si tale gaudium non credas decipi.*

Ratio quæ affertur, vulgaris quidem est in suis terminis, sed singularem continet & eximiam in vita moraliter ac Christiane traducenda doctrinam, cuius præuia & præambula quodammodo est prima propositio quæ hoc solum præmittit quod per se notum est, tunc scilicet manifestum esse errorem, & apertam deceptionem, quando quid aliter reputares ac crederes quàm reuera esset coram Deo. Sicut enim error opponitur veritati, sic errare dicitur qui non sectatur veritatem: qui putat esse quod vere non est: aut aliter esse quam sit reuera, seu quod idem est, quam sit coram Deo, nam res ita sunt veræ quàm sunt ita coram Illo cuius de rebus iudicium facit res esse tales quale hoc est de illis iudicium. Sic expresse Diuus Thomas, vbi de Veritate tractat. Et Psaltes *1. p. q. 16.* Regius, siue per Psaltem Dominus, *Et dixi, semper hi errant corde,* *Ps. 94.* *ipsi verò non cognouerunt vias meas.* Quasi diceret, sicut viæ meæ sunt ipsa veritas, sic vias meas qui non cognouerunt vel qui cognitas non sectantur, hi sunt qui errant corde, id est profundè, id est proprie, id est verè, id est longe hi errant. Vnde & Apostolus: *Nolite errare, Deus non irridetur,* quia qui errant, Deo se opponunt *Gal. 6.* qui est ipsa Veritas, sed frustra se opponunt, nam contra errorem Veritas semper præualebit, sicut Deus contra omnia quæ sibi opponuntur.

II. PVNCTVM.

SED tale gaudium quod in prosperis mundi rebus percipitur, nisi errare & decipi crederes, hæc alia, seu aliter hæc esse crederes quam sint reuera coram Deo.

Nam si reuera & prout de illis Deus iudicat, errent & decipiantur, tu illa qui iudicares non errare & decipi, nonne alia esse

crederes quam sint reipsa coram Deo? Quod autem reipsa errent & coram Deo decipiantur, tam manifeste demonstratur, quàm aperte patet, bonum illud de quo est gaudium, non esse verum & coram Deo bonum. Cum enim gaudium non sit nisi de bono, quale profecto est bonum, tale est & gaudium: si verum est bonum, bonum erit & gaudium: si falsum est bonum, id est, si non est bonum coram Deo, nec erit etiam verum gaudium sed falsum quod de tali bono sentietur. Sicut nuntius de re falsa quæ vt vera creditur & vt amata delectat, falsus est nuntius, & falsa delectatio: quando enim posteà patebit Veritas, tunc apparebit nuntij falsitas, & quam fuerit falsa iucunditas: sic planè gaudium de re non verè bona, gaudium est de falso nuntio: falsus est nuntius, ille oculus aut quisquis ille sensus exterior vel interior fuerit qui retulit esse bonum illud de quo est gaudium. Nam cum sit tantùm temporale & caducum nescio quod bonum quod nullum est apud Deum, imo *quod altum est hominibus*, id est, quod sublimius bonum censetur apud homines, *abominatio sit ante Deum*, quomodo poterit illud dici verum & coram Deo bonum? Luc. 16.

Esto sane Dæmonia sibi Discipuli subiecerint, esto in serpentes & scorpiones talem exercuerint potestatem vt nihil eis noceret, esto illis fœliciter: esto tibi ad votum aliquid obuenerit, sit reuera illud de quo gaudes, sit augmentum rei familiaris, sit decus nominis, sit rei benè gestæ approbatio vel quid simile gratum & iucundum: res tamen tam falsa est & nulla prorsus, quantùm ad illud gaudium quo te nimis effers, excitandum, ac si planè non esset. Neque enim res est de qua sic gaudeas, & efferaris. Res est quidem in natura vt dicitur, sed natura rei non est talis vt te in tale gaudium & elationem ducat. Nimis exile est bonum illud de quo sic gaudeas. Animus noster sublimior est & ad majora natus quàm vt his se nugis implicet. Nimis hæc infima facis vt te sic moueant, aut nimis te abjicis vt te his moueri sinas. Res illæ non sunt coram Deo quales esse putas, non ea laude dignæ, non eo gaudio recipiendæ, non ea probatione fouendæ quam præ te fers; & hoc propterea nomine tam falsæ sunt quam si reuera non essent. Nam vt dixi, quod tale non est coram Deo, reuera tale non est: cum re omnino tales sint in veritate quales sunt coram Deo & non aliter, 2. Cor. 2. *Ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo*, inquit Apostolus.

III. PVNCTVM.

ERRAS *igitur si errorem non reputes risum illum amabilem, quo prospera quæque soles amplecti: deciperis si non illud credis decipi gaudium quo tibi tam blande palpas de temporalibus acquisitis bonis, de adepta quadam gloria, de fœlici quouis successu*; Quia tale reuera decipitur gaudium, quia tale reuera bonum minimè recensetur apud Deum: vnde sicut aperte falsum esset gaudium quod de re non omnino existenti sentiretur, quale solet esse gaudium somnianti; sic prorsus illud falsum esse dicendum est quod de re quidem existenti percipitur, sed non existenti bona qua bonitate ita putas vt inde tali gaudio gaudeas. Sic expresse Scriptura: *Sicut somniat esuriens & comedit: cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: Et sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est.* Sic plane de gaudiis temporalibus: Somnia sunt gaudiorum: somniantium sunt gaudia. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Si Christi lumine res videres, tu plane de rebus aliter & iudicares, & alio circa illas mouereris affectu. Tu illic fleres vbi gaudes: & vbi ploras, illic gauderes. *Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem*, inquit sanctus Iacobus. *Is. 29.* *Ephes. 5.* *Iac. 4.*

At quo id modo fiat, nisi mutando iudicium quod de rebus habebatur, appellando malum quod dicebatur bonum, appellando malas diuitias, malos honores, malam horum concupiscentiam, malum horum vsum. Quod idem sanctus Apostolus plane declarat cum sic paulo post pergit: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis; Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Quasi diceret, sicut errant & errare faciunt accepta de diuitiis gaudia, quod solùm respiciantur, vt hic iucunda sunt vel vtilia: sic errorem tollent si spectentur vt futura, vt futuri iudicij tremendum argumentum. *Videntes turbabuntur timore horribili.* *Ibid. 5.* *Sap. 5.*

Videri plura possunt vbi hæ affines exponuntur Veritates:

Meliore rerum statu non magis gaudet Iustus quam deteriore doluit.

In 1. p. Die 11. Ianuarij.

Sicut in aduersis, ita & in prosperis aduocandus est Dominus.

Vbi scilicet non est minus periculi.

In 1. p. Dom. 2. post Epiph. de inuitato Iesu ad nuptias, & de aqua in vinum mutata, unde plura hùc spectantia deducuntur. Nec non in 2. parte, Dominica 3. post Pascha, Cuius Euangelium totum pene est de Gaudio & Tristitia.



FERIA QVARTA.

DE VERO GAVDIO QVOD IN PROSPERIS HABERI POTEST, AD EXEMPLVM CHRISTI D.

In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus; & reuelasti ea paruulis. Etiam Pater, quoniam sic placuit ante te. Luc. 10.

Ita, Pater, quoniam sic fuit placitũ ante te. Matth. 11.

VERITATES PRACTICÆ.

QVÆ multa hìc ad praxim veri gaudij, vna & longa sermonis continuatione declaranda essent, sic videntur opportunius diuidenda in plures partes, vt & ipsæ partes formam habeant practicæ Veritatis, & breuius exponantur.

PRIMA VERITAS.

Quam facile est gaudere in prosperis, tam difficile est verè gaudere.

RATIO EST, *Quia idcirco facile est gaudere in prosperis, quod sit procliue admodum & naturale, sic gaudere.*

Sed in ista naturæ procliuitate ad gaudium, difficile est verè gaudere, nam verum gaudium non debet esse naturale, sed spirituale, sed diuinum, alioquin recurrunt illa pericula, damna, detrimenta de quibus supra.

Vnde cum pateat Veritas, liquet etiam quanta sit cautione opus ad praxim veri gaudij, ne in vanum & falsum degeneret. *Cor stultorum vbi lætitia*, quæ sit nempe incauta & nimis soluta. Eccl. 7.

SECVNDA VERITAS.

Perfecti gaudij perfectum exemplar, Christus gaudens.

RATIO EST, *Quia perfecti gaudij perfectum exemplar dicitur quod quatuor continet causas quibus constat perfectio gaudij, nam omne perfectum ex integra causa.* Prima causa est Materia de qua gaudetur. Nam si materia non probetur, quantumcumque valeant aliæ causæ, non erit perfectum gaudiũ, non erit verum. Iam L.2. de vita enim aliàs ex sancto Prospero dictum est, *quod qui gaudet si non in-* cont. c.12. *de gaudet vnde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor & ebriosus & adulter cum ad delectationem concupitam peruenerit, sed cum sit gaudere bonum, de his atque huiusmodi gaudere, grande est malum.*

Secunda causa est Forma seu modus ac status quidam interior atque exterior qui seruari debet in gaudio ne supra modum efferatur, alioquin quacumque de re bona gauderetur, non esset bonum gaudium quod non esset temperatum, vnde Scriptura tremorem addit vel illi gaudio quod de Deo suscipitur, *exultate ei cum* Ps. 2. *tremore.* Et vbi dicit Apostolus, *Gaudendum semper in Domino:* tum Phil. 4. statim addit, *modestia vestra nota sit omnibus.*

Tertia est Efficiens, Nec enim Gaudium vt sit pium, vt sit Christianum & perfectum, potest esse sensitiui appetitus mera passio, sed vt Rationis, Gratiæ, Charitatis, atque ipsius sancti Spiritus fructus & effectus, quales enumerat Apostolus dicens: *Fructus Spiritus est, Charitas, Gaudiũ, pax*: Et alibi, *Pax & gaudium in Spiritu sancto.*

Gal 5.
Rom. 14.

Quarta denique Causa est Finis propter quem hîc gaudetur, Nam si propter ipsum solum gauderes gaudium, certe non esset perfectum gaudium vt cui suus deesset finis quæ est ipsa rei perfectio; Nec enim magis tibi propter te licet gaudere, quam propter te viuere; quod Apostolus tantopere cauendum monet, *Nemo nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur.* Hæc *est autem vita hominis, jucunditas cordis*, vt ait Sapiens.

Ibid.
Eccles. 30.

IAM vero, quæ Veritati declarandæ secunda est Propositio, sic Christus Dominus nobis hic exhibetur gaudens; Tale est eius gaudium quod describitur vt suis illis perfectis quatuor constet causis. Primo quidem materia, nam de hoc vno gaudet quod paterna & diuina videt ordinatione statutum: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; Id est, ignaris Apostolis qui prædicabant Euangelium, non autem Viris celebrioribus qui non modo non electi erant ad prædicationem Euangelij, sed vix vt crederent Euangelio prædicato. Quod cùm ita sit ordinatum à Deo Patre, hoc est quod lætabundus veneratur, hoc est quod exultanter prædicat, hoc est vnum de quo gaudet.

Secundo quoad formam & modum gaudij, quid potest esse moderatius, quid modestius, & continentius quàm quod dixisse ac fecisse narratur vt suos paulo effusius gestientes contineret? Patrem suum velut orans alloquitur: Regem eum & Dominum cœli ac terræ venerabundus agnoscit, & palam confitetur; qua putas pietate, quo cultu? Non alio Christus gaudebat modo quàm quo Patrem oraret quàm quo pietatem exerceret; nec eius alia gaudij forma quàm quæ ipsius ad Patrem obseruantia, quæ tanta fuit *vt exauditum à Patre* propterea dicat eum Apostolus.

Hebr. 5.

Tertio de Causa Efficienti spiritalis Christi gaudij, sacer textus expressam hanc facit mentionem: *In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto*, Id est, non leuiter ex appetitu sensitiuo; non vrbanè & comiter ex sola quadam agendi ratione: sed spiritaliter, sed sanctè,

sed diuinè, quale id omne solet esse quod à Spiritu sancto est; Non alius Author & Effector gaudij Christi Domini, quam qui sanctitatis Ipsius Author est. *Spiritus*, inquit, *Domini super me, propter quod vnxit me.* Quo autem oleo nisi lætitiæ & exultationis: siue quod idem est, vndenam erat eius lætitia & exultatio nisi ex illo Spiritus oleo quo Ipse vnctus est, & quod effundit in omnes sibi junctos? *Is. 61.* *Luc. 4.* *Ps. 44.*

Restat Finis qui non minus aperte in ipsis Domini verbis exprimitur: *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Non alio fine gaudeo de quibus gaudeo quàm quod ita tibi placent, & ita sunt à te sicut de his statuisti; non vt in se apparent, non vt meis conueniunt, non vt mihi seruiunt, illa considero: sed vt tibi placent, vt te in illis venerer, & venerandum proponam.

NONNE sic igitur perfecti gaudij perfectum exemplar Christus hic nobis Dominus exhibetur, vt qui omnes perfectionis causas integrè complectatur? Itane vero gaudes? Itane de solo Deo, in solo Deo, & solo Deo, & ad solum Deum sicut Christus? Vide quid horum desit vt possis vere cum Propheta dicere: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.* *Is. 61.*

Videri debet in 2. p. postrema omnium Consideratio.

TERTIA VERITAS.

Sic est gaudendum in Domino, vt in eo solo sit gaudendum.

R*ATIO est euidens, quia sic est gaudendum in Domino tamquam in vero bono, & vero veri gaudij motiuo siue obiecto.*

Sed ille vnus est verum bonum, & veri gaudij solum obiectum.

Ergo sic est gaudendum in Domino, vt in eo solo sit gaudendum.

Renuit consolari anima mea, memor fui & delectatus sum, quasi diceret Psaltes Regius; Quæcumque tandem sese mihi objiciant obiecta veri gaudij, nulla plane in creatis reperio, nihil in illis est quod me verè delectet; In solo Deo sola est vera & solida delectatio. *Ps. 76.*

Quem in versum quod scribit sanctus Augustinus, obseruatione dignum est; ait enim quod si quid præter Deum, capax sit alicuius nobis procreandi gaudij, conuersatio est cum viro sancto,

viro pio, viro Dei. Sed cum rari sint tales viri, vixque vel vnus reperiatur cum quo si diutius versatus sis, non aliquid humani reperias, vel tua inde culpa reportes: tunc inquit, deficit vera & solida consolatio. Verba sancti Doctoris sunt, *In his autem in quibus gauisus est homo si forte aliquid prauum contigerit, quomodo sæpe contingit: quanta lætitia ibi erat, tantus mœror accedit, itaut postea iam timeat homo laxare habenas gaudiorum, timeat se lætitiæ committere, ne quanto magis lætatus fuerat, tanto amplius si aliquid contigerit, contabescat.*

Matth. 25. Hoc est Gaudium Domini de quo dicitur, *Intra in gaudium Domini tui*, nam se solo verè & propriè gaudet Deus, non aliis extra se: sic dum solo Deo gaudebis, gaudebis illo quo Deus gaudet gaudio. Dicitur vero, *intra in gaudium Domini*, quia sic te totum oportet esse in illo gaudio, nihil vt extrà tibi restet quo delecteris.

L. de salut. docum. c. 10 Quo spectat illud aliud sancti Augustini: *Si aliquid in hoc sæculo possidere delectamur, Deum qui possidet omnia, qui creauit omnia, expedit vt mente possideamus, & in eo habeamus quæcumque salubriter & sanctè desideramus. Sed quoniam nemo possidet Deum nisi qui possidetur ab eo, simus nos ipsi facti Dei possessio, & efficitur nobis possessio Deus.* Id est, renuamus consolari cæteris aliis creatis rebus, & tunc verè fiet nostra Consolatio.

Vide in 3. p. circa finem, vbi de votis agitur, & vbi hæc Veritas explanatur:

Maior est voluptas, voluptatem nolle quam velle: voluptatem vicisse quam cæpisse.

QVARTA VERITAS.

Quale in prosperis fuerit gaudium, probatur in aduersis.

SENSVS *est, quod si gaudium in prosperis fuerit propter Deum, debet idem esse in aduersis: aut si non ita gaudetur in aduersis propter Deum, nec dici potest in prosperis tale fuisse gaudium.*

RATIO *est, quia si non ita gaudetur in aduersis propter Deum, sicut in prosperis, quantum spectat ad superiorem animi partem siue rationabilem appetitum, signum est te tua quærere non ea quæ sunt Iesu Christi.*

Cur

Cur enim non gauderes propter bona spiritualia quæ in aduersis continentur? Vel cur in ipsis doleres aduersis propter damna quædam temporalia quæ inde forsan importantur, nisi quia teipsum tuaue quæritas?

Sed qui seipsum in suo spectat gaudio, non gaudet propter Deum, quando præsertim sic propter seipsum gaudet, vt nisi seipsum reperiret in gaudio, non gauderet: Quod ita esse apparet in eo qui suis in aduersis inordinate dolet.

Ergo hinc probatur quale in prosperis fuerit gaudium, nempe propter ipsum tuum prosperitatis bonum, quod quia deest in aduersis, deest etiam & gaudium; atque ex illis vnus es de quo in opprobrium tuum Dauid Deo dicebat, *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* Non est illa, non est illa Confessio quam Christus vellet, licet tamen illa sit vna quam pene omnes Christiani reddunt. Sic dolenter sanctus Augustinus: *quàm multi sunt Christiani qui tunc Deo gratias agunt, quando illis accidit lucrum: hoc est confitebitur tibi cum benefeceris ei: laudabit te & dicet, Vere quia tu es Deus meus; Liberauit me de carcere, & confitebor illi. Venit illi lucrum, confitetur: Venit hæreditas, confitetur: patitur damnum, blasphemat. Qualis filius es, quia quando te pater emendat tunc tibi displicet?* Et quæ plura illic pergit in hunc sensum; & alibi quæ videri possunt. Ps. 48.

In 1.p. Sabbato Hebd.4. post Epiph. vbi hæc Veritas exponitur:

Si non semper, numquam magnificas Deum.

Et in eadem 1. parte, Fer.6. Hebdom.5. post Epiph. ad hanc Veritatem:

Nisi probe paratus sis ad aduersa, nec ad ipsa prospera bene paratus es.

QVINTA VERITAS.

Non est minus malum, non gaudere bono gaudio quam gaudere malo.

RATIO EST, *Quia non est minus malum, minus æstimare quæ vere bona sunt, quam nimis æstimare quæ non sunt verè bona.* Sic enim vno perinde atque alio dissentire est à Diuino Iudicio; nec minus væ intentatur iis qui ponunt lucem tenebras, quam qui tenebras ponunt lucem; nec minus denique male cessit Iudæis quod Is. 5.

manna vel terram desiderabilem non satis æstimauerint, quam quod nimis concupierint Ægypti cepe, porros & allia. Vide in 2. p. Fer. 6. post diem Ascensionis Domini.

Sed non gaudere bono gaudio, minus est æstimare quæ verè bona sunt. Cum enim bonum seu verum & commendatum gaudium non alia bona faciant quàm quæ vere & coram Deo, vt supra dictum est, bona censentur: profecto qui non illo gaudet gaudio quando tempus ridendi & gaudendi occurrit, non aliunde prouenit quàm quod non satis illa æstimat quibus gaudendum est. Nam prout quidquam æstimaueris, illud amabis, illud si abest desiderabis: aut si præsens adest, illo gaudebis: Sic enim pari gressu facultates animæ quæ dicuntur appetitiuæ sequuntur apprehensiuas; vnde illud sacri Prouerbij: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Id est, recte de rebus iudica, vt quantum res vnaquæque valeat, scias: & quantum valet, æstimes: & quanti rem æstimaueris, tantis illam affectibus prosequaris. *Quasi effodientes thesaurum,* inquit Iob, *gaudentque vehementer cùm inuenerint sepulchrum*; In quo scilicet thesauri olim recondebantur. At vero quid est cur gaudeant vehementer, nisi quia multum æstimant quod inuenerunt.

Pr. 4.

Iob. 3.

Ac proinde tu qui non ita vehementer gaudes inuento cœlesti ac diuino thesauro, non minus tibi malum est quàm si gauderes effusius ad terrestres & humanas illas reculas quibus tantopere recrearis. Nam sic manifeste indicas te minus æstimare & diligere quæ Deus magis æstimat, & magis diligit; qua diuersitate Iudicij & voluntatis quid potest esse homini perniciosius, dicente Domino, *qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit?* Vide in 2. p. Dom. 3. in Quadragesima.

Luc. 11.

Quæ quidem omnia sequenti Veritate proposita magis elucescunt.

SEXTA VERITAS
QVÆ PLVRES ALIAS COMPLECTITVR.

Sic seruiendum Domino in lætitia, vt si non lætetur in Domino seruus, non lætetur in seruo Dominus.

RATIO EST, *Quia non lætabitur in seruo Dominus, si quod est gratius reddendum Domino seruitium, vel si quod est in seruitio illi reddito gratius, id seruus neget.* Quid enim seruus habebit postea quod Domino Deo reddat si quod est illi carius & pretiosius neget? Quid nisi quod vilius & deterius? Qualis autem hic esset seruus qui reseruato sibi suisque meliori, quod est abiectius Deo daret? Nonne *is in viam Cain abiret,* vt ait S. Iudas Apostolus? Nonne is esset maledictus de quo dicitur: *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.* Numquid in tali seruo Rex ille magnus lætari posset? numquid de illo potius diceret: *Inutilem seruum ejicite?* *Mal. 1.* *Matth. 25.*

Sed si non lætetur in Domino seruus, quod est gratius reddendum Domino seruitium, vel quod est in seruitio illi reddito gratius, id seruus negat.

Nam primò gratius quod possit à nobis reddi Deo seruitium, tunc est quando ex obedientia facimus aliquid quod naturæ repugnet, & vt nobis videtur, rationi etiam ac humano iudicio contradicat. Hoc est excellens obsequium quod reddidit Abrahamus Deo, cum iussus immolare filium suum vnigenitum, non recusauit: ac propterea dicitur tentatus à Domino, id est, probatus an fidelis esset: nam hæc reuera est, veræ fidelitatis serui probatio cùm tanti se facere Dominum suum ostendit vt nihil sit tam molestum, tam repugnans & graue quod non libenter in eius impendat obsequium. Hæc est fornax aduersitatis in qua probatur aurum & argentum. Hic caminus humiliationis & paupertatis in quo electi certam suam electionem faciunt. At vero seruus qui non lætetur in Domino, tale hoc seruitium detrectabit & abjiciet; sicut & qui similia negant obsequia, non possunt dici lætari in Domino, non possunt dici seruire Domino in lætitia; nam vnum prorsus atque idem sunt, seruire lætum Domino, & seruire in asperis ac difficilibus obsequiis. Non aliter probatur vera cordis lætitia, nec vera serui Dei fidelitas. Nam seruire lætum in prosperis quid magni habet meriti? Nonne & Publicani hoc faciunt? sed lætari & seruire in aduersis tam libenter quam in prosperis, hoc est seruorum Dei proprium, hoc est quo se suique similes Dauid probabat esse seruos Dei, *lætati sumus*, inquit, *pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Vnde & addit, *Respice in ser-* *Eccli. 2.* *Is. 48.* *Ps. 89.*

nos tuos; quasi diceret, hoc ipso nos seruos esse tuos demonstrauimus cum lætati sumus in aduersis. Sic & sanctus Basilius interrogatus quid esset gaudere in Domino, non id aliter esse respondet *quam si asperis quibusdam in mandatis gaudeamus, & inter nos gratulemur.*

Interrog. 193.

Atque ita ex hypothesi quod seruus Domino non seruiat in lætitia, nonne operosa & molesta illa seruitia tandem excutiet? nonne ex his vnus erit cui Dominus dicat, *Confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, dixisti non seruiam.* Hoc enim est dicere, non seruiam, quando confringitur iugum & rumpuntur vincula: nec alia vero de causa iugum & vincula confringuntur, quam quia molesta sunt, quam quia non vult seruus in his lætari. Vnde illud ex consequenti aperte patet quod erat prius in propositione propositum, quòd seruus qui non lætetur in Domino, neget ei quod gratius habet seruitium.

Ier. 2.

Aut certe, quod est alterum propositionis membrum, si forte totum negare non ausit obsequium, negabit profecto quod est in seruitio reddito gratius, nempe volentem animum, & propensam in diuinum obsequium voluntatem; hoc est quod maxime velit Deus, *vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem, corde magno & animo volenti.* Hoc est autem quod negat ille seruus, nam in seruitio reddito non lætari perinde est ac Cor illud magnum non habere nec animum illum volentem. Quid est enim quod dilatat & magnum facit cor nostrum nisi lætitia? Quid porro est animus volens nisi lætus & contentus? Vel è contra si animus non sit lætus & contentus, quomodo dici poterit volens nisi repugnanter nisi cum murmure, nisi cum tædio, quod non est apud Deum velle, non est velle sicut vellet nos velle, quidquid agamus in eius obsequiis, quamdiu sic repugnanti agimus animo, tùm quod est in nostris obsequiis Domino gratius plane tollimus; nil magis oppositum verbis illis, *seruite Domino in lætitia*, quam seruire cum murmure: sic in illum ipsum Psalmi versum expresse sanctus Augustinus: *Omnis seruitus amaritudine plena est, omnes conditione seruili obligati, & seruiunt & murmurant. Nolite timere illius Domini seruitutem, non erit tibi gemitus, non murmur, non indignatio. Nemo se putet inde venalem, quia dulce est quod redempti omnes sumus. Magna fœlicitas est fratres, esse in ista domo magna, seruum: & si cum compedibus. Noli timere serue compedite, confitere Domino. Meritis tuis attri-*

2. Macch. 1.

Ps. 99.

Digitized by Google

hue compedes tuas: confitere in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta vertantur. Non frustra, nec sine exauditione dictum est, Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum. Seruite Domino in iucunditate. Ps. 78.

Ex quibus S. Augustini verbis, quid restat quam concludere quod habet proposita Veritas, *sic seruiendum Domino in lætitia, vt si non lætetur in Domino seruus, non lætetur in seruo Dominus: non lætetur in seruo non libenter seruienti, non seruienti nisi forte in prosperis, aut non seruienti nisi cũ murmure in aduersis.* Quod ita certe Domino displicet, vt propterea vel maxime populum suum castigaturum se minetur, si non ei seruiat in lætitia. *Erunt*, inquit, *in te signa atque prodigia, & in semine tuo vsque in sempiternum, Eo quod non seruieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque lætitia.* Notanda sane verba quibus non modo suadet vel consulit vt sibi cum lætitia seruiatur, quod fuse tractat Ecclesiasticus, & abundè Apostolus, cæteræque affatim monent Scripturæ: sed quasi præceptum esset, punit non seruientem in lætitia, & ea pœna punit quam hæc verba sequentia certe grauem designant: *Seruies inimico tuo quem immittet tibi Dominus in fame & siti & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat.* Deut. 28. Eccles. 35. 2. Cor. 8.

Sic nempe solet pœna respondere culpæ vt qui seruire Deo libenter noluit, seruiat repugnanter Inimico, & qui ad voluntariam seruitutem noluit beneficiis allici, cogatur pœnis ad inuitam & inuisam, qualis non modo fuit illa quam Iudæi passi sunt à diuersis Inimicis, sed qualem quisque seruit dum sibi suisque vitiis seruit, crudelissimis certe Dominis. *Catenas ligneas contriuisti, & facies pro eis catenas ferreas.* Ier. 28.

Vide locum Prophetæ. Et in 3. p. Hebdom. 1. In solemnitate Sanctissimi Sacramenti de quo hæc inter alias habetur Veritas:

Quibus amarum est conuersari cum Domino, delicias eius conuertunt in amaritudinem.

FERIA QVINTA.

DE ADEVNDO CHRISTO DOMINO IN ADVERSIS.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam vos. Matth. 11.

VERITAS PRACTICA.

Sic laborantes Christus reficit, non vt labor ipsis deficiat, sed ne ipsi laborantes, labori suo deficiant.

RATIO EST, Quia Christus laborantes & oneratos reficit, quo sensu & modo ipsi est gloriosius, & nobis vtilius.

Sed gloriosius Christo est, & nobis vtilius sic quo dictum est sensu & modo, laborantes reficere.

Ergo sic eos reficit, non vt labor ipsis deficiat, sed ne ipsi laborantes labori suo deficiant! Quod quàm sit scitu vtile, patebit ex discursu.

I. PVNCTVM.

SATIS Christo non fuit contra prospera suos instruere nisi & contra quæuis aduersa roboraret, vt quod postea docebat Apostolus, *in omnibus exhiberent semetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in virtute Dei, per arma Iustitiæ, à dextris & à sinistris.* Quæ quidem dextra & sinistra non sunt illa tantum externa bona & mala mundi quæ cunctis eueniunt hominibus, & quæ parùm mouent viros Sapientes & perfectos; sed sunt illa etiam interna & domestica quæ quique sanctiores patiuntur. Seu potius, dextra & sinistra quædam manus interior intelligitur quâ vtraque nobis sic est vtendum, vt non minus sinistra fortes quam dextra simus. Sic præclare apud Cassianum Theodorus Abbas: *Duabus,* inquit, *partibus, & vt ita dixerim manibus interiorem hominem nostrum subsistere prouidemus, nec cuiquam sanctorum carere hac sinistra quam dicimus potest; sed in hoc virtus perfecta discernitur, si vtramque in dexteram bene vtendo conuertat, id est, si neque prosperis efferatur, nec deprimatur aduersis, sed vtrobique constans ex neutro vitium, ex vtroque virtutem eliciat.*

2. Cor. 6.

Coll. 6. c. 10.

Quem in sensum Christus Dominus, postquam vt dictum est, de bono prosperitatis vsu suos edocuit, quomodo etiam in virtutem aduersa conuerterent, opportunè instruxit. Sic enim inuitat omnes qui laborant & onerati sunt vt ad se confidenter accedant, & sic eis promittit se illos refecturum, non vt illorum laborem omnino tollat, nam sic & illorum virtutem & virtutis meritum tolleret; sed vt potius magis laborent, magis libere, magis libenter, magis fructuosè. Dici quidem posset esse beatitudo æterna qua suos Christus reficeret: Nec aberraret à vero qui diceret onus esse Mosaicæ legis quo suos aliquando sublevaret: Nec denique negari debet sic Christum ad se accedentes solitum esse reficere, vt non minus animo quam corpore sani discederent. At vero quod dictum est de virtute à laboribus educenda, & de subsidiis à Christo Domino referendis vt labores vtilius tolerentur, magis Euangelio congruit, magis diuino conforme est instituto, magis ordinariæ respondet prouidentiæ qua suos Christus ita exonerat & aduersis liberat, non vt aduersa non sentiant, sed vt libenter sentiant & tolerent.

Quod in primis certe sciendum est & omnino intelligendum, ne si forte in aduersis dum ad Christum te vocantem accederes, nec te tuis aduersis liberatum sentires, minus bene de illo cogitares quasi qui promissa non compleret. Non sic inertes & dissoluti, non sic Christus ad desidiam nos omnes vocat cum nos omnes ad se vocat. Non sic laborantes & oneratos reficere dicendus est vt omnis eis labor & omne onus deficiat: sed ne ipsi potius suo deficiant oneri & labori; Quod sanè Ratio hæc quæ affertur satis euidenter demonstrat: Nam illo ipso sensu & modo Christum laborantes reficere, Fides & Ratio facile suadent quo cætera facit omnia, quo ipsi scilicet videtur & gloriosius, & nobis forte vtilius. Licet enim Christus dixerit se non quærere suam gloriam, non quasi homo, non quasi humanam & temporalem, non quasi aliam à Deo Patre quærere gloriam intelligendus est; nam vt erat Deus non poterat non diuinam in omnibus suis quærere gloriam. Quem enim alium habere finem præter se dicendus ille est qui non minus est finis omnium quam illorum principium: & de quo propterea scribitur, *vniuersa propter semetipsum operatus est?* Quid autem aliud sibi tanquam sui finem operis potest Deus quærere quàm gloriam, cum voluptas, gaudium, & alia bona quæ animo

Ioan. 8.

Prou. 16.

possidentur, interna sint & quibus crescere non possit Deus: sit vero gloria bonum externum aliquod quo quidem in se Deus nec potest crescere vt major inde fit, sed in nobis quodammodo & exterius crescit, quatenus ille qui latebat ignotus, agnoscitur, honoratur, inuocatur & colitur, Vnde ipse Deus, *omnem*, inquit, *qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum & feci eum.* Is. 43.

Tract. 58 in Ioan. Sic apte sanctus Augustinus ad illa Christi D. Verba: *Vos me vocatis magister & Domine, & bene dicitis, PERICVLOSVM est*, inquit, *sibi placere, cui cauendum est superbire. Ille autem qui super omnia est, quamtumcumque se laudet, non extollit se. Nobis namque expedit Deum nosse, non illi, nec eum quisque cognoscit si non se indicet ipse qui nouit.*

22. q. 132. a. 1. ad 1. Ex quibus verbis, Diuus Thomas manifeste concludit aliud quod prima hac propositione continetur de vtilitate nostra simul cum diuina conjunctum gloria; Nam si Deum quærere suam gloriam nihil aliud sit quam se nobis notum facere, quid vtilius nobis potest accidere quam Deum nosse & amare? Quid porro apertius manifestet hanc nobis vtilitatem à Christo quæri, cum hæc nostra vtilitas sit indiuisa & inseparabilis ab ipsa diuina gloria quam semper Christus quærit?

Esto id autem quod majorem quam posset quærere gloriam ac nostram vtilitatem non semper quærat Deus, cùm multo plures mundos ac homines posset condere à quibus gloriosius coleretur, nil obstat tamen quo minus verè dicatur quidquid agit hoc agere modo quo est ipsi gloriosius, & nobis vtilius: nam cum aliud sibi agendum esse non iudicet neque velit, profecto id illi dicendum est esse gloriosius, ac nobis omnino vtilius, quod ita sibi & nobis indicat. *Nam pondus & statera, iudicia Domini sunt.* Id est, tam iustum & æquum est quod iudicat, vt quod alibi etiam dicitur, *nec sit minuere neque adjicere, nec sit inuenire magnalia Dei.* Tam alta, tam mira sunt, tam sapienter omnia condita, vt nihil ipsi nec nobis melius cogitari possit, aut debeat. Pr. 16. Eccli. 18.

Adde quod quando aliquid vel gloriosius Deo, vel nobis vtilius dicitur, non initur comparatio cum his quæ Deus majora posset facere, sed cum istis solum quæ nobis viderentur æquiora si nostrum sequeremur sensum; Tunc autem quis non videat id melius esse quod sic esse Deus iudicat, quàm nos sentiamus, cũ in aduersis

præsertim

præsertim corrumpantur sensus, & omne deprauetur iudicium? *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* *Rom. 9.*

II. PVNCTVM.

SED *gloriosius Deo & Christo est, ac nobis vtilius, si Christus laborantes sic reficiat, non vt labor ipsis deficiat, sed ne ipsi laborantes labori suo deficiant.*

Primò quidem de majore Diuinæ Gloria quæ inde prouenit, sic apertè demonstratur. Nam cum tantò sit major Dei gloria, quantò eius diuinæ perfectiones magis elucescunt, profectò hinc tres illæ notiores in quibus gloriari potissimum solet Deus, elucescunt splendidissimè, Potentia, Bonitas, & Sapientia. Dupliciter autem Potentia potest intelligi, primo Dominium absolutum quod habet Deus in vniuersas Creaturas, vt de his statuat prout velit. Deinde potestas ipsa siue facultas statuendi de omnibus prout ipse velit, quo vtroque in sensu vide quanta hîc diuina Potentia, quale Dei Dominium! Tunc profectò præsertim apparet, quando non morbi, non ægritudines, non onera quæuis aliunde imposita, non labores corporis aut animi cedunt imperanti Christo, sed ipse, totus ipse homo cedit Christo, quando non cedit aut deficit suo labori.

Certe quantò nobilior est Creatura, vel quanto præstantior est illa pars Creaturæ cuius exigitur obedientia, tanto etiam altius & superius agnoscitur esse Dominium cui tale defertur obsequium. At vero inter Creaturas sublimiores quid præstantius Homine, quid nobilius illa hominis parte qua libertas eius constat; quo denique clarius tempore libertatem suam diuino mancipant homines obsequio, nisi cum libenter laborant Deo suo sic iubenti cuius imperium tanti faciunt, vt ne tantisper à se soluatur, malunt se totis ipsis dissolui? Esto etiam post longa seruorum obsequia nihil seruis Deus suis quàm flagella quàm onera quàm labores immittat, non desinent tamen seruire serui, & se beatiores prædicabunt seruire laborantes & flagellatos tali suo Domino, quàm si cuiuis seruirent alteri à quo vel ingentes acciperent laborum suorum prouentus, vel breues exitus. Hoc est diuinam agnoscere Potentiam, hoc est altissimum eius deprædicare Dominium, hoc est quod enarrat gloriam Dei longe clarius quàm cœli, terra, maria,

quam vniuersæ quæ his continentur Creaturæ, quæ cum sint sensu & libertate destitutæ, minus Deo præstant quidquid præstent quam homo liber & solutus qui se tamen libere ac libenter totum Deo suo tradit & subjicit, quantiscumque in laboribus, angustiis, difficultatibus, ærumnis, mortibus, atque ipso etiam, si Deus iusserit, exhausto interno quo nihil truculentius. *Seruus meus es tu, elegi te.* Is. 41.

Qualis porrò est illa Dei Bonitas in seruos suos cùm ex vna parte sic eos reficit vt tanto minus laborent quanto libentius: ex alia parte sic eos parat ad immensos gloriæ cumulos, vt tanto magis mereantur quanto quid libentius tolerant! Potestne videri status eo fœlicior quo quis tanto magis mereatur, quanto minus laboret? Hic est status serui laborantis quem reficit Christus, hæc est eius Bonitas sic eos reficere laborantes. Nam si solum laborarent non refecti, non essent quidem sine merito, nec sine præmio, sed labor esset durus: Quod si verò sic reficerentur vt omnino non laborarent, nonne simul vt dictum est non mererentur, quod esset illis durius labore suo quantumuis duro. Laborant igitur ne suo defraudentur merito, sed tranquille laborant ne si labor tranquillus non esset, non esset constans. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*, numquam scilicet bonus miles nisi iussus castra vel stationem suam deseruit. 2. Tim. 2.

Sapientia denique diuina hic elucet quando hinc intelligunt facile homines, esse aliam vitam vbi large suos compenset Deus, quos ita vult laborantes in præsenti, vt labor illos nisi cum vita deserat: *Cum enim virum iustum,* inquit sanctus Ioannes Chrysostomus, *& multa plenum virtute, innumera passum mala, & sic hinc digressum videris, oportet ex hoc omnino aliquid de illo iudicio cogitare: Si enim pro se homo laborantes sine præmiis & retributione abire non permittit, multo magis eos qui tantum laborauerunt, numquam incoronatos remanere Deus decerneret. Si autem ipsos laborum suorum retributione priuare non elegit, omnino necesse est quoddam aliud tempus esse post præsentium finem per quod præsentis vitæ laborum retributiones reciperent.* Quam sanctus Doctor rationem paulo post resumit, & multo dilatat fusius: Sed hæc sufficiant ad indicandas illas diuinas Perfectiones quæ vbi magis apparent, ibi major elucet Dei Gloria: magis autem apparent dum Christus sic suos reficit vt non illis labor deficiat sed labori laborantes non desint, non se sub- Hom. 1. ad Pop.

trahant, non fatiscant, non deficiant.

Sic enim & illis longe magis vtilius, quod erat alterum propositionis Caput, siue præteritum spectes tempus, siue præsens, siue futurum.

Quis enim nostrum sine peccato? Quid vero expiandis peccatis aptius quam posse semper mereri, quàm posse semper id tibi comparare quo contracta dissoluas debita? Nonne Dauid audierat sibi remissam esse adulterij & homicidij culpam? sed non pœnam, 2. Reg. 16.
ac propterea dum conuitiis appeteretur, conuitia libens tolerabat, quia sic peccato suo puniendo se satisfacturũ credebat plenius.

De præsenti autem quid statuas opportunius, quàm vt magis præsentem ac fauentem tibi Christum concilies? At quo id modo certius nisi labore continuo, nisi tolerandis aduersis, nisi exantlandis difficultatibus: quo tempore sic Christus certò adest, vt hoc Ipse certum designet tempus quo præsertim adest, quasi non alio sic præsens esset: *Cum ipso sum,* inquit, *in tribulatione.* Quæ diuina Psal- Ps. 90.
mi verba S. Bernardus explanans: *Omne,* inquit, *gaudium existimemus cum in tribulationes varias inciderimus, non modo quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, sed quoniam iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, ait quidam, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ita ergo nobiscum est, omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Quando autem nos erimus cum ipso.* Et quæ plura de futuro fœlicitatis æternæ præmio quod vt certum vt amplum vt copiosum tibi compares, nihil præsentius quam si laborare non desinas cùm labori merces ita ex æquo respondeat, vt æternæ mensura beatitudinis sit labor vitæ præsentis. *Vnusquisque autem,* inquit expresse 1. Cor. 3.
Apostolus, *propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei enim adiutores sumus.* Et Psaltes Regius: *Labores manuum tua-* Ps. 127.
rum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Manducari dicuntur labores in hac vita quia id manducatur quod labore paratum est: sed in cœlo manducantur labores quia cœlestis beatitudo sic ex illis conficitur laboribus vt quantus fuit labor, tanta sit illa cœlestis futura beatitudo. Sicut quod manducatur transit in manducantis substantiam, & illo solo nutritur, sic labores quodammodo transeunt in beatitudinem, & tantum cuique bene erit quantum hic laborarit. Poteſtne aliquid cogitari vtilius aut beatius hoc labore quo æterna constat beatitudo?

III. PVNCTVM.

SIC ergo Christus laborantes reficit vt non penitus tollat laborem, sed laboris tædium ac molestiam. Non vt desistat labor, sed ne vt desistat labor, sed ne vt desistant laborantes; non vt liberentur onere, sed vt onus libere libenterque ferant. Quia id scilicet & Christo est gloriosius, & cuiuis vtilius homini qui non magis nascitur ad laborem pro hac vita sustentanda, quam pro æterna possidenda. *Vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. Disciplinam Domini ne abjicias, nec deficias cùm ab eo corriperis.* Non est verò tantum deficere si nihil agas, sed si leuius aliquid aut quidquam aliud quam Christus vellet, suscipias. Quod certe tibi non cedet in prosperum, nam quid sine Christo agas? Quantumcumque sit illud leue ac facile, putasne te aliquid sine illo posse? Putasne vero tibi eum affuturum, cum ab eo quod vellet deficis in id quod nollet? Nonne facilius agas cum Christo quidquid grauius ille iusserit, quam sine illo quidquid leuius tibi elegeris? ô quàm propterea considerate Sapiens: *Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius: & non deflectatis ab illo, ne cadatis.* Misericordia scilicet Domini est quod laborantem reficiat & confortet, sed tamen sustinenda est illa misericordia, quia non sic reficit & confortat quin sit semper laborandum, & laboranti multa sustinenda quæ nisi sustineres, deficeres. Cauenda vero non minus est talis defectio, quam ipse casus animæ sempiternus.

Iob. 5. — Hebr. 12. — Pr. 3. — Ecc. 2. — Eccl. 2.

Vide in 1. p. Dom. 4. Aduentus, vbi multa his affinia. In 2. p. Fer. 6. Hebd. 2. in Quadragesima. In 3. p. Die 10. Augusti in Festo S. Laurentij. Et primam Homiliam D. Chrysostomi ad pop. Antioch. quæ tota pene est de hac singulari materia.

FERIA SEXTA.

DE TOLLENDO CHRISTI IVGO QVOD SVAVE EST.

Tollite iugum meum super vos.

Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11.

VERITAS PRACTICA.

Iugum Christi licet insuaue, ferendum esset ; quantò magis suaue ?

RATIO EST, Quia quantò majora sunt rei agendæ motiua, & minora impedimenta, tanto rei peragendæ major est obligatio.

Sed quando proponitur Iugum Christi suaue, majora sunt eius ferendi motiua, & minora impedimenta, quàm si proponeretur insuaue.

Ergo magis ferendum est; Ergo si ferendum esset quantumuis asperum & insuaue, quantò magis ferendum est leue ac suaue? Quod tamen multi recusant.

I. PVNCTVM.

SIC profectò est quod præcedenti dicebatur discursu; tantique refert sibi firmiter illud persuadere, vt propterea Christus Dominus quæ modo consideranda occurrunt, consequenter addiderit : *Tollite Iugum meum super vos*, & paucis interiectis quæ remittuntur in crastinum, *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quasi diceret : Cum me profiteor refecturum eos qui me in suis ærumnis ac laboribus conuenient, tantum abest vt profitear me labores eorum penitus ablaturum, quin potius omnes admoneo vt tollant iugum meum super seipsos, id est, laborent mecum, mecum operentur, mecum patiantur. Non desinam tamen illos reficere quia labor ille qui mecum suscipitur gratus est & iucundus; Iugum illud est suaue & onus leue. Ne putetis talem esse refectionem & requiem animarum quam promitto, vt non sit vobis deinceps laborandum, non est ita, nam Iugum

offero, iugum prædico, iugum impono quod est laboris & operæ signum. Ne vero etiam iugi ferendi laboribus & laborum difficultatibus deterreamini, tale est Iugum vt ferentibus non sit modo leue ac facile sed iucundum & suaue.

Per hoc autem Christi iugum vel generatim intelligenda est vniuersa Christianæ religionis disciplina, vel particulatim quæuis Veritas Practica seu virtus in praxi quæ velut quoddam iugum est quia nos ita cum Christi gratia iungit & constringit vt si velimus ex illa gratia virtutem exercere, naturæ sensus & motus sint colligandi, refrænandi, subjiciendi, atque ita quodammodo incedendum intus & extra sicut solent incedere qui iugo simul connexi sunt, non vage, non libere, non quaquauersum effusè, sed constrictè, dependenter, ex præscripto. Sic omne legis imperium dicitur in praxi iugum, *Confregisti iugum meum, rupisti vincula mea*; Et qui exleges, indisciplinati, & dissoluti sunt, dicuntur esse absque iugo, dicuntur filij Belial, id est, sine iugo, *reuersi sunt vt essent absque iugo*.

Ier. 2.

Osee 7.

Quod cum sit valde alienum à Christiana & religiosa virtute, Virtus in praxi dicitur iugum, & hoc jugum nobis hodie proponitur quod deinceps libenter tollatur & numquam deponatur, quia videlicet suaue est iugum, & quia consideratio suauitatis huius multum valere potest ad illud acceptandum. Nam licet etiam insuaue nobis esset, esset ferendum: at quanto magis id concludendum est cum suaue sit & iucundum?

Ratio Conclusionis est, quod cum sint cuiuspiam rei agendæ sua motiua & impedimenta opposita, sic communi omnium sensu experimur, vt quanto majora & potentiora fuerint illa motiua, quantóue simul minora & leuiora fuerint impedimenta contraria, magis ac magis sentiamus nos eò ferri quò nos motiua inducunt; nam & vis attrahens est potentior, & vis retrahens infirmior, quæ sanè duo sunt quæ plurimum faciant ad flectendos & conuocandos eò animos quocumque velis.

Nam si vel motiuum agendi non esset potens, vel si ratio quædam non leuis momenti opposita multum inde retraheret, aut si vel ex æquo concurrerent illa duo simul inter se pugnantia, pugnandum forte tum esset acrius ad inflectendos animos; Sed cùm ea quæ attrahunt, magni sunt ponderis; quæ verò retrahunt nonnisi leuia, propéque nulla; quis sanæ mentis reluctetur? *Qua*

enim re apud me indiges? Dicebat id Pharao cuidam Idumæo quem 3. Reg. 11. dolebat à se discedere, quasi diceret, cum multa sint quæ te mecum retineant, pauca verò vel nulla quæ te à me diuellant: cur odiosum discessum cogitas? O quam longe id verius à Christo nobis diceretur!

II. PVNCTVM.

HOC est quod secunda Propositio continet, hoc est quod iugum Christi sic ferendum suadet vt numquam de illo amouendo cogitetur: quando scilicet proponitur nobis à Christo suaue & leue, *tunc majora sunt eius ferendi motiua & minora impedimenta quàm si esset durum & insuaue.*

Non deessent quidem motiua ferendi oneris à Christo nobis impositi, quantumcumque nobis illud graue & asperum esset onus: Nam cùm sit tam absolutus omnium Dominus vt de vnoquoque possit pro suo statuere libito, nec vlli hominum liceat queri aut quærere cur ita facis? cur non ferret seruus imperatum sibi onus à tali Domino, præsertim seruus tot debitorum reus quanta sunt quæ peccauit, tot tantisque pœnis obnoxius, quanta sunt inferorum supplicia quæ promeruit: tali denique compensandus præmio quale illud est ad omnem æternitatem cœleste Donatiuum? Nonne hoc semper Apostolicum esset verum: *Non* Rom. 8. *sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis?*

At verò si hæc valent ad ferendum onus graue, nonne magis valere debent ad ferendum suaue, cum in illa suauitate reluceat admiranda hæc Christi bonitas qua misertus nostri non æterna solum supplicia quæ peccatis nostris debebantur, in temporales commutauit pœnas, sed has etiam pœnas delinire ac sua quadam suauitate condire voluerit. O inauditam clementiam! ô verè dictum à Psalte Regio, *Etenim Dominus dabit benignitatem*, siue vt quidam legunt, *suauitatem*, *& terra nostra dabit fructum suum.* O præclare intellectum à sancto Augustino cum ita versum hunc interpretatur: *Dabit tibi vt incipiat te delectare iustitia, quem primo delectabat iniquitas: vt qui primo gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate, & qui primo gaudebas de furtis vt tolleres homini quod non habebas, quæras donare non habenti quod habebas. Et quem delectabat*

rapere, delectet donare: quem delectabat spectare, delectet orare: quem delectabant cantica nugatoria & adulterina, delectet hymnum dicere Deo: currere ad Ecclesiam qui primo currebat ad theatrum. Vnde nata est ista suauitas nisi quia Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum?

Tam insignis certe Bonitas quando sola per se spectaretur, nouum est quoddam beneficium quo alia omnia cumulantur, sed non est sola, non est vnum duntaxat beneficium, at multa simul conglobata: nam vt homo sic suauiter afficiatur rebus quæ prius illum asperabant, quantis putas opus esse gratiis, quæ intellectum illustrent, quæ voluntatem accendant, quæ appetitus frænent, quæ mundi vincant illecebras & Dæmonum conatus frangant? Tot vero simul conferre gratias & tantam erga miseros peccatores exercere Bonitatem, Nonne tibi videtur motiuum majus ac potentius quam si tanta non esset Beneficentia?

Serm. 15. in Ps. qui habitat. Sic agnoscebat & profitebatur sanctus Bernardus, cum ad verba Christi de suo iugo loquentis hæc scriberet: *Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos. Non tamen interim onus subtrahit aut laborem, magis autem onere alio & labore commutat sed onere leui, suaui iugo in quibus requies ac refectio, etsi minus appareat, tamen inuenitatur. Graue onus iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina qui dicebat: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quod ergo onus Christi, quod onus leue? vt quidem ego sentio, onus beneficiorum, dulce onus, sed ei qui sentit, ei qui experitur.* Et post multa sic concludens, *ONERAT NOS*, inquit, *CVM EXONERAT DEVS; ONERAT BENEFICIO, CVM EXONERAT PECCATO.* Id est, nos magis obligat ad agendum & patiendum, quàm si nos beneficiis non affecisset; & sicut illa obligatio dicitur onus, dicitur etiam onus leue & suaue, quia profecto suaue est & iucundum sic onerari beneficiis: atque ita, quod mireris, suauitate nos ad suauitatem adducit, dum beneficiis suis nos magis onerat & obligat ad suaue suum ferendum iugum. *Computrescet iugum à facie olei,* (*Is. 10.*) ab influente scilicet gratia.

NVNC quod est aliud de minori obstaculo siue impedimento iugi ferendi, patet euidenter, cùm majus aut pene totum illud obstaculum sit difficultas & insuauitas, quæ hoc ipso tollitur quo

affirmatur

affirmatur esse illud iugum suaue, & onus leue. Quid enim prætere a est quod excuses, si te in exercendis Christianis virtutibus minime frangas & superes? Nonne vides quam sint illæ omnes virtutes eximiæ, rationabiles, opportunæ, necessariæ, cur non igitur illas impensiùs colis? Responde, aut potius repete quod respondere soles, dum te ais sat videre quàm sint omnia quæ iubentur, præstantia: sed aliud esse id videre cogitando, & aliud exercendo; difficultas scilicet exercitij, seu exercitæ veritatis & virtutis, horrorem incutit. Quid enim generoso animo magis horrendum, quam iniuriam ferre, quàm cedere aliis, quam egére, quàm subjici, quam similia quæuis pati quæ Iugo Christi colligantur? Hoc est scilicet, hoc est quo te ab illo Christi ferendo iugo excusas. Hoc est vnde asseritur nullam esse tuam excusationem, cum totum illud quod putas esse difficile, dicatur à Christo Domino esse perfacile.

Quid hîc causaberis, quid rursum objicies, quam te in partem vertes? Nonne id credis Christum dixisse? Nonne id verum credis quod Christus dixit? Nonne id omne falsum & nullum est quod illi veritati opponitur? Nonne id illi denique veritati opponitur quod excusas de difficultate virtutis in praxi? Quid enim magis oppositum quam suaue & insuaue, quam graue & leue, quàm difficile & facile? Quid proinde magis nullum quam quod excusas?

III. PVNCTVM.

ATQVE hinc euidenter concluditur quanto sit affectu Iugum Christi tollendum: *Nam licet insuaue nobis esset, esset tamen ferendum, quanto magis cum illud suaue est,* Sic enim ex consideratione Diuinæ beneficentiæ quæ in illa suauitate continetur, augetur motiuum agendi, & tollitur impedimentum quod erat metus difficultatis; Nihil iam vero timeas: *Ego inquit Dominus, præcipio tibi, confortare & esto robustus. Noli metuere & noli timere quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quacumque perrexeris,* Iosue 1. dum iugum illud scilicet non deponas. Non deponet ille singularem tui curam & specialem quandam socialitatem, qua fieri omnino necesse est vt cuncta iucundè fiant & prospere. Idcirco enim dici iugum iam audiuisti, quo te Christo & Christum tibi iungas.

O quid vltra desideres? ô quid vltrà excuses? Restabit illud forte semper quod dicas te id non sentire, non experiri quod de suauitate promittit Christus: sed omnia prorsus opposita, teque aliud non posse loqui & sentire quam ex proprio tuo sensu.

Sed audi semel, audi quam multum ille tuus erret sensus. Primò, non est ita sensibilis ista suauitas vt sensu aliquo percipi debeat sicut quæ dicuntur suauia gustui, vel aliis sensibus. Phil. 4. *Pax Dei est quæ exuperat omnem sensum, & custodit corda nostra & intelligentias nostras in Christo Iesu*, id est, quæ non sistit in corpore sed in anima, non in anima quæ pars animalis & inferior dicitur, sed quæ intelligentia & superior nuncupatur, non qualem etiam humana format natura vel scientia, sed quæ tota est Christi Iesu. Non deest itaque suauitas, sed illa tantum deest exterior & corporea quam tu quæris & quereris te non sentire, cum esset intus quærenda, *Intus eras, & ego te foris quærebam*, aiebat S. Augustinus.

Quod si de interna etiam te loqui asseras, nec te vllo magis affici sentias interno sensu quàm externo, quid inde porro concludis? quid definis? Nullamne Iugi suauitatem dices quia nullam sentis? ô te inconsultum qui nescias internum sensum non minus deprauari quam externum! An si ægrotus negaret vllam esse panis suauitatem quia non eam sentit, tu ægroto crederes potius quam tibi vel aliis bene sanis? Non enim à sensu tuo probanda vel improbanda est illa suauitas; sed ex illa suauitate gustata vel non gustata probandus est sensus tuus, vtrùm sit sanus & rectus. Nam quotquot sano sunt palato cordis, vel cum Dauide dicent, Ps. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*. Vel cum Apostolo. 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, vel cum sancto Augustino, quod sæpius alias, sed numquam opportunius est auditum, L. 9. Conf. c. 1. *Vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum quo subderem ceruicem leui iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu, adiutor meus, & redemptor meus? Quàm suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera Tu & summa suauitas: ejiciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni* L. 10. c. 36. *& sanguini*. Et alibi consequenter: *Mansuefecisti iugo tuo ceruicem meam: Et nunc porto illud, & leue est mihi, quoniam sic promisisti & fecisti, & verè sic erat, & nesciebam, quando id subire metuebam.*

Rectone sunt illi corde & sano cordis palato qui hoc sentiunt, an tu qui hoc cares sensu? Itane vero Tu sensus es omnis expers, vt aliquando deposita graui peccatorum quæ te multum premebat sarcina, non senseris illico pacatæ mentis quandam suauitatem quæ supra omnes carnis illecebras tibi suauius sapiebat?

Sed transierit iste suauitatis sensus, & quam te modo sentire ais in virtutis exercitio remaneat asperitas & quæuis difficultas. Non enim illam tollimus, vt supra dictum est, sed bene illa vtimur, ac bonus ille vsus, tale est condimentum difficultatis vt ipsa quædam suauitas dici possit.

Quid enim suauius Christiano quàm se Christo conformem reddere? Quid autem Christo conformius quam tolerantia difficultatum? Quid suauius amanti Deum quam sui posse amoris aliquod indicare vestigium? At nullum certius quam tolerantia? Quid suauius cogitanti peccata quam si possit illa diluere? Diluit tolerantia si constans fuerit. Quid denique suauius ad æternam aspiranti beatitudinem quàm si breuius & tutius ad illam iter arripiat? Hoc iter est tolerantia; quæ proinde tam certo sibi adjunctam habet suauitatem, vt qui hanc non percipiat, in horum alterutrum cadat necesse est, aut nihil esse suauitatis in amando Christo, aut se non amare Christum. Quid respondes qui murmuras in ærumnis; quid tibi de te videtur? an te negabis amare Christum? an negabis amorem Christi suauem esse? Quidquid dixeris, vlcus est; & satius esset agnoscere quod si nihil suauitatis, & plurimum difficultatis in ferendo Christi iugo percipias, non id à iugo Christi proficisci, quod certe suaue est toleranti, sed ab illis quinque bouum iugis de quibus in Euangelio Christus Dominus, & in *Luc. 14.* sermonibus sanctus Bernardus, & nos suprà in hac parte, Feria 6. Hebdom. 17. vbi & videndum Sabbatum sequens de Centuplo. Nec non in 1. p. Dom. 4. in Aduentu, *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas*.

SABBATO.

DE IVNGENDA SIMVL VTRAQVE VIRTVTE QVAM COMMENDAT CHRISTVS AD NOSTRAE REQVIEM ANIMAE.

Discite à me quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Matth.11.

VERITAS PRACTICA.

Sic mitis & humilis inuenit requiem, vt nisi simul sit mitis & humilis, non sit quietus.

RATIO EST, Quia nemo est quietus nisi ordinatus.
Sed nemo est ordinatus nisi sit simul mitis & humilis.
Ergo nec quietus: Ac proinde quantum desideras animæ tuæ requiem, tantum sis mitis & humilis corde.

I. PVNCTVM.

Ecclesi.51 QVOD dixit Sapiens qui dictus est Ecclesiasticus in fine sui operis, hoc ipsum Christus Dominus in fine sermonis illius quem tota hac audiuimus hebdomada, nobis exhibuit. *Collum vestrum*, inquiebat ille Sapiens, *subjicite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam, In proximo est enim inuenire eam. Videte oculis vestris, quia modicum laboraui & inueni mihi multam requiem.* Sic Christus Dominus postquam dixit, *Tollite iugum meum super vos*, tum consequenter de suscipienda disciplina, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Ac postremo de requie, *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Quod & Propheta Ieremias sic *Ier.6.*

paucis futurum prædixerat: *Videte quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Quasi diceretur, non est corporum ista requies, non est inertium, non est otiosorum hominum; nam tollendum est iugum, & ambulandum & laborandum; sed in istis laboribus vera est requies, quod sit requies animæ, quæ sola vera est.

Cum multa verò videantur ad illam spectare requiem, tum hæc duo præcipue proponuntur, *Mansuetudo & Humilitas cordis*, quia videlicet sic conjuncta simul pacem & requiem afferunt vt nisi sint iuncta simul, pax alioquin & requies possideri non possit.

Ratio est prorsus eadem pro vtroque demonstrando, nam sicut pax ibi est & tranquillitas, vbi est ordinatio partium, ita nisi talis subsistat ordinatio, nihil in animo tranquillum & quietum. Vide in 3. parte, Feriam 4. Hebdomadæ decimæ, vbi ex Diuo Augustino id abunde declaratur. Et in libris de ordine, parte 2. discursu 8.

II. PVNCTVM.

SED *mitis & humilis est ordinatus, & nemo est ordinatus nisi sit simul mitis & humilis.*

Nam illa partium ordinatio sic stabilitur vt Appetitus Rationi & Ratio subjiciatur Deo: quod sæpe alibi demonstratur. Sicut autem mansuetudinis est appetitum subjicere Rationi, ita & Humilitatis Rationem Deo submittere. Nonne hinc igitur est illa partium ordinatio?

Sed nisi etiam talis fiat subiectio, poteruntne dici partes inter se ordinatæ? Nisi verò temperet animum mansuetudo, ac Rationem humilitas Deo subjiciat, quænam poterit illa esse subiectio? Nonne propterea Sapiens in Prouerbiis, *Melius est*, inquit, *humiliari cum mitibus quàm diuidere spolia cum superbis*, quia scilicet melius est animo esse ordinatum, quam si dum alios ordinare velis, tu ipse sis inordinatus. Pr. 16.

III. PVNCTVM.

SIC *igitur mitis & humilis inuenit requiem, vt nisi simul sit mitis & humilis, non sit quietus.* Quia scilicet non erit ordinatus,

vnde ficut ordinatus & quietus pro eodem fumuntur; ita inordinatus & inquietus. Et ficut mitis ac humilis facile eft ordinatus, ita prorfus immitis & fuperbus, femper inordinatus eft. Hæc eft illa Iuftitia quæ pacem ofculatur, quando per manfuetudinem fic appetitum continueris, vt ab omni malo declines, & per humilitatem fic te Deo fubjicias vt omne bonum facias. Sic præclare
Ps. 84. Diuus Auguftinus ad illum Pfalmi verbum, *Iuftitia & pax ofculatæ funt. FAC iuftitiam*, inquit, *& habebis pacem, vt ofculentur fe iuftitia & pax. Si enim non amaueris iuftitiam, pacem non habebis. Amant enim fe duo ifta, iuftitia & pax, & ofculantur fe, vt qui fecerit iuftitiam, inueniat pacem ofculantem iuftitiam. Duæ amicæ funt, tu fortè vnam vis, & alteram non facis. Nemo eft enim qui non vult pacem, fed non omnes volunt operari iuftitiam. Interroga omnes homines, vultis pacem? Vno ore tibi refpondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo. Ama & iuftitiam, quia duæ amicæ funt, iuftitia & pax. Iuftitia & pax, ipfa fe ofculantur. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipfa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum eft defiderare pacem? Quiuis malus defiderat pacem. Bona enim res eft pax. Sed fac iuftitiam, quia iuftitia & pax fe ofculantur, non litigant. Tu quare li-*
Exod. 20. *tigas cum iuftitia? Ecce iuftitia dicit tibi, Ne fureris, & non audis, Ne*
Matth. 7. *adulteres, & non vis audire: Non facias alteri, quod tu pati non vis: Non dicas alteri quod & tibi dici non vis: Inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica fum iuftitiæ, quemcumque inuenero inimicum amicæ meæ, non ad illud accedo. Vis ergo venire ad*
Ps. 36. *pacem? Fac iuftitiam: ideo alius Pfalmus dicit tibi, Declina à malo & fac bonum: hoc eft ama iuftitiam: & cum iam declinaueris à malo, & feceris bonum, quære pacem & perfequere eam. Iam enim non diu illam quæres, quia & ipfa occurret tibi, vt ofculetur iuftitiam.*

Vide in 2. p. Sabbato Sancto, vbi de vera libertate.

Quàm porro euidenter hæ virtutes Manfuetudo & Humilitas emineant in Chrifto Domino & quàm proinde fit facile omnibus illas ab Eo difcere, non eft quod longius explicetur.

Et verò verba, *Difcite à me quia mitis fum & humilis corde*, poffent in alium fenfum trahi vt non fignificarent has duas virtutes tantum à Chrifto effe difcendas, fed quidquid aliud difcendum eft, quafi non fit alius Doctor & Magifter à quo tutius & facilius quidquam difcamus quam ab Illo, quia videlicet *mitis eft & humilis*, quafi rationem hanc ipfe redderet cur ab ipfo potiffimum erudien-

di essemus, quia videlicet hæ duæ sunt qualitates quæ magis conueniunt Magistris & Doctoribus vt se suis accommodent discipulis & eos sibi dociles reddant. Quanto enim excellentiores sunt Magistri, tanto magis hærere & dubitare possent discipuli, nùm illi vellent se docere propter imperitiam & abiectionem suam. Quamobrem vt erigantur discipulorum animi, certamque possint venire in spem & expectationem propensæ Magistrorum in seipsos voluntatis, nihil aptius quàm vt certò sciant illos esse mites & humiles, nam vt mites imperitiam & ruditatem discipulorum ferent; atque vt humiles abiectionem illorum tolerabunt. Hoc est igitur quod Christus Dominus persuasum nobis voluit cum dixit quia mitis sum & humilis corde, quasi diceret, ne dubitetis quin velim vos docere, ne timeatis propter vestram à me distantiam, nam hæ duæ virtutes me demittent ad vos, & me meaque omnia sic vobiscum communicabunt, vt has ipsas etiam virtutes addiscatis quibus vos & vestra cum aliis communicare velitis & possitis.

Nam inter cæteras Doctoris & Magistri quibus excellit dotes, hæc insignis & singularis in eo est vt se suumque Spiritum & suum velut Ingenium transfundat in discipulos suos, quo possint multa paucis & breui tempore si velint discere, quod certe numquam Plato, numquam Aristoteles, numquam Augustinus aut vllus Doctor potuit. Vnde tandem concluditur, nullum esse Magistrum qui plures & meliores habere posset discipulos; & tamen nullum esse qui pauciores & deteriores habeat, si comparentur cum aliis in eo genere disciplinæ quod quique profitentur. Vix vllus est vllius artis aut facultatis studiosus qui non magis prouectus sit in illa sua, cui studet, arte, quam Christianus aut religiosus in sua quam profitentur religionis & perfectionis disciplina. Vix inquam vllus qui non sit actu & reipsa peritior in operando secundum artem suam, quàm sit Christianus in veris virtutibus exercendis, in vera mansuetudine, humilitate, patientia, paupertate, cæterisque suæ professionis actibus & operationibus. Quod quàm sit pudendum discipulis tam excellentis Magistri, tam excellentis & necessariæ Doctrinæ, qualis est Christiana & religiosa practica, quis non aperte videt?

Nec excusari potest difficultas, Nam vt alibi dictum est ex sancto Ioanne Chrysostomo, *Non est hic impendium, non est hic labor, non est hic temporis exercitatio: sufficit velle, & totum factum est.* Non

Hom. 16. ad pop.

sic in aliis artibus & scientiis in quibus addiscendis non su
velle, sed multo est sudore opus, multa industria, multo inge
multis pecuniis & viribus tum animi tum corporis, quæ non
in nostra potestate, vnde si quis in illis forte non proficeret
bus, haberet certe quod excusaret vel à defectu ingenij, ve
cuniæ vel virium. At studiosus virtutis in schola Christi nil h
simile quod excuset, cum sola sit opus bona voluntate quam
Magister etiam suis impertit, nisi malint abjicere disciplinam

Vide in 2. p. Fer. 6. post Cineres. Et in 3. p. Fer. 6. Hebd. 1
Octauam Pentecostes, vbi hæc declaratur Veritas:

Sacra Christi Schola, Sacro-sanctum Sacramentu
Hic totum disces Euangelium, breui compenc
nullo impendio.

DOMINIC

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

DE SANATA MVLIERE HÆMORRHOISSA: ET DE SVSCITATA PVELLA MORTVA. Matth. 9.

HOC vtrumque miraculum in tertia parte consideratum est, & duplex inde seorsum declarata est Veritas, quæ cum aliis ad singulas Euangelij partes spectantibus infra refertur.

Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum.

Quò magis Christo subjicimur, eò magis erigimur.

In 2. parte, Feria 3. Quinquagesimæ.

Quæ duo Infidelem à Christo auocant, fidelem ad Christum vocant.

In eadem 2. p. Fer. 5. Hebdom. 4. in Quadragesima.

Sic pium est orare Christum pro salute proximi, vt sit impium non orare.

In 3. p. Fer. 2. Hebdom. decima.

Domine, filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.

QVANTVM ad corporis suscitationem, parùm aut nihil prorsùs intererat vtrum puella modo vel pridem esset mortua: Sed reuocandis ad spiritalem vitam animabus mortuis, multùm omnino refert quod statim atque peccarunt, aut quantocyus fieri poterit, conuertantur; *Periculum in mora, periculosa dilatio, damnosa tarditas. Non tardat offensus Dominus, sed retardatus offenditur. Quanto erit tardior reditus à peccato in gratiam, tanto erit difficilior, incertior, periculosior. Quò longius differes, difficultatem difficilius tolles.*

His & similibus modis formata Veritas, hac potissimum ratione declaratur, quod tanto difficilior est reditus, vel tanto difficilius quælibet difficultas tollitur, quantò est major repugnantia voluntatis, & minor gratia. Sed quo est major tarditas, tanto est major volũtatis repugnantia & minor gratia. Vnde patet Conclusio; Et habetur explicata fusius tota Ratiocinatio in 1. p. Fer. 2. Hebdom. 4. post Epiphaniam. Videri etiam debet in eadem 1. p. Feria 2. dies 8. Decembris, In Conceptione B. Virginis.

Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius.

Quàm promptus esset ad benefaciendum Dominus, his aperte verbis demonstratur: & tantæ promptitudinis exemplo multum confirmatur præcedens Veritas de maturanda Conuersione, nec differendis longius bonis propositis: quò etiam spectant hæ duæ Veritates:

Quidquid offerendum Deo vel proximo sciet vera Deuotio, differre nesciet.

In 1. p. Fer. 2. Hebdom. 4. in Aduentu.

Si dum adest occasio, virtus abest: vix vmquam virtus aderit.

In 2. p. Fer. 2. Dom. 2. in Quadrag.

Et ecce Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.

Addunt de hac Muliere duo alij Euangelistæ, quod per illos duodecim *annos fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, siue omnem substantiam suam, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.* Quo de facto licet accusari non debeat Mulier quam ipse Dominus notam esse omnibus voluit, & cuius multæ alioquin virtutes commendantur, nec cuiusquam possit argui moderata cura valetudinis & bene ordinatus corporis amor: quia tamen tam multa sic faciunt & patiuntur homines pro sanando corpore; tam pauca vero & penè nulla pro anima, quæ non minoribus quam corpus afflictatur morbis, id meritò repræsentari debet vt iniquum & impium; atque vt inde à cura corporis ad animæ curam facilior fiat persuasio, sic Veritas opportune videtur proponenda: *Marci 5. Luc. 8.*

Iniquè multum agunt, qui tam multa agunt sanando corpori: tam pauca seruandæ animæ.

Declaratur in 3. p. Fer. 5. Hebdom. 9. Vide etiam infra in hac parte, vbi de Lazaro infirmo & mortuo, Hebdomada 25.

Dicebat enim intra se, si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero.

QVANTA esset fides & fiducia huius mulieris, patet ex his eius verbis, & quantùm fidei deferret Dominus, sic ipse voluit significare cum dixit: *Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* O si nobis orantibus & accedentibus ad sanctissimum Sacramentum, tanta esset fides & confidentia, quantas inde sanandis infirmitatibus nostris medicaminum species referremus? Non enim tantum hic fimbria vestimenti vel ipsum solum tangitur vestimentum; at quantus quantus est totus ipse Christus, & corpore & anima & humana & diuina substantia. *Quot nunc dicunt*, inquit sanctus Chrysostomus, *vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta cupis videre, ipse vero tibi concedit non tantum videre, verùm & manducare & tangere & intra te sumere.* Cur verò tam modicus inde fructus cum *Hom. 60. ad pop.*

non sit minor Christi potentia, vel bonitas ad nos sanandos, nec minor nostra quæ sanari posset infirmitas? hoc vnum scilicet, hoc vnum est quod sit minor nostra fides, non quod ibi Christum esse non credamus, nec de illius potentia vel bonitate dubitemus: sed quod infirmitatum nostrarum curam parum curemus, nec tales illas esse persuadeamur quæ multum obsint si non sanentur, vel quibus multum de nostro sit conferendum, vt sanentur. Amamus magis expleri cupiditates nostras quam sanari, quod de se nondum conuerso confitetur sanctus Augustinus. Qua de re videri debent in 1. p. Feria 5. Hebd. 6. post Epiph. Et in 3. p. Fer. 2. Hebd. 12. Nec omittatur ex 2. p. Feria 6. Hebdom. 4. post Pascha, vbi peropportuna hæc probatur Veritas:

Quàm gloriosum est Sacramento, multa in nos posse, si velimus: tam ignominiosum est pauca posse quod nolimus.

De Fide porro ac Confidentia, sat multa passim obuia.

Et cùm venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite.

Accessus Christi, Recessus mundi.

Qui mundum sibi retinet, Christum non obtinet.

Ratio est manifesta quia ex duobus contrariis quæ se inuicem ab eodem subiecto expellunt, quisquis vnum retinet, aliud non obtinet. Quod etiam verius est in Contradictoriis & priuatiuis quorum vnum negat omnino aliud, vt lux & tenebræ, quies & turba, mors & vita.

Sed Christus & Mundus sic sunt sibi contrarij, Contradictorij & quodammodo priuatiuè oppositi. Qod fuse probatum est in 1. p. In die Natalis Domini.

Per Mundum autem cum multa possint intelligi, tum hîc potissimum Concupiscentiæ perturbantes animam, & curæ mordaces sæcularium cupiditatum, de quibus egregiè Diuus Gregorius

ad illa verba Iob: *Sapientia vbi inuenitur & quis est locus intelligentiæ. Abyssus dicit, non est in me: Et mare loquitur, non est mecum.* QVID enim, inquit, *maris nomine nisi sæcularium mentium amara inquietudo signatur? quæ dum se vicissim inimicitiis impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt. Rectè etenim mare vita sæcularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internæ sapientiæ quiete atque stabilitate disiungitur. Quo contra benè per Prophetam dicitur: super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? A terrenis autem mentibus tanto longius Spiritus fugit, quanto apud has quietem non inuenit: Contritio & infælicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. A qua nimirum contritione perturbationis nos Dominus reuocat dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & cet. Quid enim in hac vita laboriosius quàm terrenis desideriis æstuare? aut quid hîc quietius quàm huius sæculi nihil appetere? Hinc est quod Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in munere: hinc è contra Aegyptus est muscarum multitudine percussa. Populus namque qui Deum sequitur, accepit Sabbatum, id est, requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Aegyptus verò quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens & inquietum animal est, in qua quid aliud quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? vnde aliàs dicitur, muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti, quia cogitationes superfluæ quæ assiduæ in animo carnalia cogitante nascuntur & deficiunt, eam suauitatem qua vnusquisque intrinsecus per spiritum vnctus est, perdunt, quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Aegyptus ergo muscis percutitur quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, vt ad quietis intimæ desiderium non leuentur.*

Iob. 28.
L. 18. Mor. c. 25.

Vnde cùm mira ope pietatis ad Cor Veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, & post in eo virtutum dona disponit. Quod benè nobis sacra Euangelij historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam principis inuitatus Dominus duceretur, protinus additur: Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella. Foras ergo turba ejicitur, vt puella suscitetur, quia si non priùs à secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad consi-

derationem sui sese nullatenus colligit.

Hæc Ille sanctus Doctor, & alia pro his qui ratione sui officij tenentur vacare negotiis quibusdam temporalibus: *Vacare*, inquit, *Deo appetunt ex gratia dilectionis, & rursum curas superimpositas ex conditione explent seruitutis. Cumque occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecùs in amore paratissima quies tenetur, atque occupationem tumultus exterius perstrepentis dispensat interius præsidens Iudex Ratio, & tranquillo moderamine ea quæ circa se minus sunt tranquilla, disponit. Sicut enim vigor mentis frænandis præest motibus carnis, sic sæpe superimpositos tumultus occupationis benè regit amor quietis, quia exteriores curæ si peruerso amore non appetuntur, non confuso sed ordinato animo ministrari queunt. Sancti etenim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt: & quamuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere si liceat, vitare festinant, sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, & exercent quod vitant. Intrant enim ad cor suum, & ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei, sesèque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant ceruicem cordis iugo diuinæ dispensationis. Quisquis verò talis est, quilibet tumultus versentur extrinsecus, numquam ad eius interiora perueniunt: Itáque agitur vt aliud intrinsecus voto, aliud extrinsecus teneatur officio, & hac sapientia non iam turbulenta atque confusa, sed tranquilla corda repleantur.* Quasi diceret, Et sic Christus habitare cum illis poterit qui sic in mundo sunt, vt de mundo non sint: Vide in 2. p. Fer. 5. post Cineres.

Non est mortua puella, sed dormit.

Quid turbamini, & ploratis: puella non est mortua, sed dormit. Marci 5.

Mortua quidem erat puella; sed Dominus illam dormire aït, vel quod eam esset à morte tamquam à somno suscitaturus: vel quod Bonis morientibus mors somnus quidam est, quia mors illorum quieta est, quia quiescunt in Domino, & in æternam suscitandi sunt requiem: vel denique respiciebat Dominus ad illas animas quæ primis in suis annis se Deo dicant, vouent & consecrant;

quales sunt Religionum Nouitiæ, quas mundus deflet & deplorat tamquam mortuas: at si vere puella mundum deserit, fœliciter de illa dici potest, *non est mortua puella, sed dormit*, sed quiete viuit, & in æterna viuet requie.

Si tamen illa mundum extrà tantum desereret, si mundo tantum moreretur quantum ad externa quæ deserit, tum infœliciter de illa diceretur, *Non est mortua puella sed dormit*, non est mundi cupiditas mortua, sed dormit tempore sui tyrocinij, & post suscitabitur in deplorandam eius perniciem, sicut ignis sopitus in cinere.

Duplex iste sensus sic simul expositus, & fusius declaratus, majorem cum Diuina Gratia vim habere potest.

Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella.

Paulò expressius sanctus Lucas:

Ipse autem tenens manum eius, clamauit dicens: Puella surge. Et reuersus est Spiritus eius, & surrexit continuo.

Mira certe spiritus extra carnem viuentis obedientia! sed cur idem spiritus in carne viuens non ita Christo semper obedit, cum non minus illi sit subiectus in carne quam extra carnem? Hinc illa est Veritas valde practica in 3. p. quæ habetur Fer.6. Hebdom. 9.

Quam Christo debet anima subiectionem, debet ita in corpore reddere, ac extra corpus.

Videri potissimùm debet hæc Veritas: & quia totus defectus est à Concupiscentia quæ regnat in mortali corpore, & quæ sibi potius Christum subjicit quàm se Christo subjiciat: hinc aliud graue damnum sequitur vt quæ putatur viuens in carne anima non viuat, sed sit mortua, & quæ non putatur mortua, dum Christum in se suscepit, magis ac magis moriatur. Quod certe non minus frequens est multis quàm damnosum, ac proinde vberiùs exponendum.

Quatuor hîc dicuntur quorum tria sunt plana & certa; quartum verò paulo est fusius explanandum. Primo id certum est quod dum Concupiscentia regnat in nostro mortali corpore, potest esse multorum causa peccatorum quæ ignoremus: *Nam delicta quis intelligit?* Secundò id etiam indubitatum est quod quamdiu in peccato mortali viuit anima, non viuit vita spiritali quæ est Charitas & Gratia, sed est mortua, qua morte ipsum peccatum mortale dicitur, & quo sensu Propheta dixit, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Tertio, nec cuiquam dubium est si tum anima quæ est mortua siue quæ est in peccato mortali accederet ad sacram mensam, quin peccaret nouo lethali peccato, & quin magis moreretur; *qui enim manducat indigne, iudicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini.* Quarto denique, quod non est ita planum & apertum, sic sæpe multis accidit qui frequenter communicant, vt cum sinitur Concupiscentia regnare in mortali corpore, tum anima sit in peccato mortali quod ignorat, & in quo ignorato accedat ad sacram Communionem, & in qua sacra Communione peccet lethaliter, & grauius moriatur quam ante esset mortua. Tota difficultas in ea parte est qua dicitur peccare Communicantem, dum in peccato mortali quod ignorat communicat; nam si peccatum ignorat non ei videtur imputandum tamquam voluntarium, & tamquam cognitum: ac proinde non videtur nouo peccare peccato dum sic ignorans communicat.

Ps. 18. — Ezech. 18. — 1. Cor. 11.

Respondetur hoc ita quidem esse quando est innocens & inculpabilis ignorantia, non ita vero quando est ipsa noxia, & culpæ annexa, qualis plerumque est illa peccatorum ignorantia quæ procedunt ex regnante in corpore Concupiscentia. Nam quando aliquid vehementius concupiscis, facit illa quidem vehementior concupiscentia vt peccatum ignores quod concupiscendo admittis, sed non facit quin tale peccatum ignoratum sit vere peccatum & voluntarium & inexcusabile; quin potius quanto est magis ignoratum, tanto sæpe est grauius. Cur enim peccatum ignoratur nisi quia tam vehemens est Concupiscentia, vt sibi nimis in obiecto peccati placeat, nec permittat rationem aduertere ad grauitatem peccati, ne forte inde abducatur à voluptate vel commoditate qua fruitur. Quæ Concupiscentiæ vehementia sicut non excusat à peccato, quando est præcipue consequens, vt suprà demonstratum est, sic neque prorsus excusat ab ignorantia quæ inde

inde ſequitur. *Latet enim hoc eos volentes*, inquit ſanctus Petrus. 2.Pet.3.
Id eſt, volunt ignorare, quando ita volunt concupiſcere vt ignorent id eſſe peccatum quod concupiſcunt. Sicut qui negligeret ſcire quod poteſt & quod tenetur diſcere, plane peccaret & talis ignorantia peccatum eſſet, vt ſæpe iam ex D. Thoma probatum eſt; ſic qui negligit concupiſcentiam reprimere; qualis omnino eſt huius negligentiæ culpa, talis eſt & ignorantiæ, quæ non minus voluntaria cenſetur & noxia, quàm vel ipſa vt dixi concupiſcentiæ vehementia vel reprimendæ concupiſcentiæ negligentia. *Qui negligit viam ſuam, mortificabitur.* Pro.19.

Sic itaque licet inimicum hoſtiliter oderint, licet amicum impudicè ament, licet aliquam debiti partem retineant, licet alienæ detrahant famæ; non ſibi tamen videntur peccare, peccata hæc vel omnino ignorant vel omnino ſcire diſſimulant, ne in contrarios ſcilicet cogantur tranſire affectus, quod prorſus nolunt hi qui ſuos habent affectus vehementiores quam vt putent eos poſſe deponere; Neque vero Conſcientiam ita ſtimulari ſentiunt vt de his confiteantur aut à Communione propterea ſe contineant, quia non ſunt ita grauia vt vellent quod eſt aperte malum: nollent quippe mortem inimici procurare: nollent adulterare cum Amaſio; nollent furto res proximi ſurripere: nollent detrahendo grauem infamiæ notam inurere: ſicque innocentes aut certe non ita nocentes ſibi videntur vt ſibi timeant; atque ita quod erat declarandum, quæ putatur in carne viuens anima non viuit ſed mortua eſt: & quæ non putatur mortua, magis moritur, dum Chriſtum ad ſe venientem ſuſcipit. Nam vt apte ait S.Bernardus, *Quis magis mortuus eo qui fouet ignem in ſinu, peccatum in Conſcientia; nec ſentit, nec expaueſcit, nec excutit?* Serm. 2. de Reſur.Dom.

Vide in 2. parte, In die Annuntiationis. Et in 3. p. Fer.6. Hebd. 14. vbi hæc exhibetur Veritas:

Etſi in aliis Concupiſcentia ſæpe peccatum minuit, in te tamen ſæpius auget.

HAC HEBDOMADA, Quod refert ſanctus Lucas ſub finem Capitis decimi de Martha & Maria

Sororibus, nonnisi ad hoc tempus contigisse notant Interpretes. Deinde vero ex sequentibus eiusdem Euangelistæ Capitibus vndecimo, duodecimo & decimotertio, seliguntur ea quæ nos facilius ad illud Vnum necessarium, de quo apud Martham Christus egit, consequendum, velut ad finem media possunt inducere.

FERIA SECVNDA.

HOSPITIO MARTHA DOMINVM EXCIPIT.

Factum est autem dum irent & Ipse ***intrauit in*** *quoddam Castellum, & mulier quædam* ***Martha*** *nomine, excepit Illum in domum* ***suam, & huic*** *erat Soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum Illius.* ***Martha*** *autem satagebat circa frequens* ***ministerium quæ*** *stetit & ait: Domine non est tibi* ***curæ quod Soror mea reliquit me*** *solam ministrare? dic* ***ergo illi vt*** *me adiuuet. Et respondens dixit illi* ***Dominus, Martha*** *Martha solicita es &* ***turbaris erga plurima.*** *Porrò, vnum est necessarium.* ***Maria optimam*** *partem elegit quæ non* ***auferetur ab ea.*** Luc. 10.

VERITAS PRACTICA.

Veritas Veritatum, his contenta Christi verbis: *Porrò, vnum est necessarium.*

RATIO petitur ex triplici sensu quo vna Veritas potest dici præcipuè Veritas Veritatum, qui cum multiplex sensus aperte reperiatur in illa Veritate proposita, tum Ipsa etiam aperta patebit Veritas; & quàm sit vna in praxi præ omnibus maximè vtilis & necessaria, constabit euidentius.

Non erit autem in hoc discursu alia punctorum seu partium distributio, quàm per ipsius triplicis sensus siue rationis explanandæ subiectionem.

I. PVNCTVM.

PRIMA Ratio seu primus sensus quo hæc celeberrima Domini sententia, *Vnum est necessarium*, verè dici potest Veritas Veritatum, hic est, quòd sit omnium Practicarum excellentissima, & velut finis quo spectant aliæ Veritates. Certum est enim Finem inter causas esse præcipuum, & Causam causarum posse dici hoc sensu quòd cæteras omnes causas in effectum adducat, & sui gratia promoueat. Sic plane quod vnum illud à Christo dicitur necessarium, finis est quò aliæ tendunt Veritates, finis ipse est hominis, ipsa salus æterna est, ipsa Beatitudo cœlestis est, Deus ipse est aliquando possidendus; siue quod eódem spectat quandiu hîc peregrinamur à Domino, studium & cura est nostræ salutis & perfectionis consequendæ. Licet enim primo videatur Dominus Marthæ loquutus de vno cibo necessario, ne de multis esset solicita & turbata, tamen dubitari non potest quin altius sermonem suum euexerit, & de illo vno intellexerit, *Vbi vnum sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus*, vt ait sanctus Augustinus. Quorsum enim consequenter dixisset de Maria quod optimam partem elegisset? Quid affinitatis inter vnum cibum corporalem & optimam illam partem? Quid aliud pars illa est optima quàm studium attentius inhærendi Deo, suæque perfectionis comparandæ? Quid porro aliud in Martha reprehenditur quàm nimia solicitudo qua inde ab illo studio perperam auertebatur? Non enim Ministerium eius arguitur; nam quid dignius quam ministrare Christo? Sed modus ministrandi taxatur qui tantò magis ab illo Vno necessario quod est vacare Deo & saluti, recedebat, quantò in

plures & diuersas curas distendebatur. Vna erat habenda cura id vnum agendi quod agendum volebat Dominus, & non aliud. Volebat autem aliquid aliud Martha, vel alio modo quàm vellet Dominus: sicque propterea sapienter arguitur. At Maria soror eius, vno velut cibo contenta erat quo pascebatur à Domino, & quo solo se pasci videbat Dominum velle; vnde & præ Martha commendatur, atque hoc Vnum esse necessarium pronuntiatur, sic vnum scilicet velle quod velit Deus; quia sine hoc Vno nihil prosunt cætera: & nisi ad hoc referantur vt Dei voluntas fiat, & salus æterna comparetur, vana sunt omnia, cassa, inutilia, noxia; Matth. 16. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Hoc vnum autem sine aliis sufficit, nam qui Deum sic possidet vt illo possesso beatus sit, quid illi deesse potest, cum beatitudo sit aggregatio bonorum omnium? L. 1. de Imit. Chr. c. 3. *O veritas Deus, fac me vnum tecum in Charitate perpetua. Tædet me sæpe tam multa legere & audire: In te est totum quod volo & desidero.*

II. PVNCTVM.

SECVNDA ratio siue secundus sensus quo Veritas Veritatum illa dicitur quæ Vnum illud necessarium ad praxim vocat, hic est, quod vna illa praxi, seu vna illa Veritate ad praxim reuocata, totum id simul vniuersim efficitur quod per alias practicas Veritates particulatim contenditur. Habent videlicet aliæ singulæ Veritates suum particulare obiectum circa quod animos nostros commouent, vel à contrario reuocant. Habent Veritates humilitatis illud ipsum quod sibi humilitas obiectum statuit; sicque de cæteris Veritatum & Virtutum actibus facile potest intelligi. At nostra hæc Veritas, *vnum est necessarium,* nullis certis definitur limitibus, sed vbique regnando & imperando, quidquid in praxi occurrat vel abstinendum vel sustinendum vel agendum, id velut suum & proprium statim in opus redigit, siue ad humilitatem spectet, siue ad mansuetudinem, siue ad misericordiam, siue ad aliam quam ex omnibus voles virtutem. Totum hæc vna complectitur, de singulis vna decernit & judicat; *Vnum est,* inquit, *necessarium,* quid mihi est igitur curæ diuitias comparare? quid mihi gaudij si adsint? quid mœroris si desint? *Porro, vnum est necessariū,* non me igitur multum mouet iste honor exhibitus, aut illata iniu-

ria. Non me amicorum copia vel inopia, quæ nihil eò spectant. Quidquid denique vel paupertas, vel humilitas vel religio vel quæuis alia seorsum Virtus ac Veritas suggerat, totum hoc conglobatum hæc vna proponit Veritas, dum hoc Vnum proponit quod vnum est necessarium; vnde Veritas Veritatum tam vere dicitur quam vere alias in praxi Veritates complectitur. Nec minùs de hoc vno dici potest quam quod Parentes Tobiæ de illo suo filio: *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis!* Tob. 10.

Quod vt melius adhuc intelligatur, aduerte hunc esse præcipuum finem & effectum Virtutum & Veritatum omnium, vt affectus nostros regant, & in id vnum dirigant quod à nobis velit Deus, quod quanto breuius & efficacius fieri poterit, tantò id suauius & optabilius fiet. Sic autem fit per hanc praxim quæ his verbis redditur, *vnum est necessarium*, quorum sola verborum prolatio fauente Deo, totum compescit animum nec vltra vagari sinit liberius. Sunt enim verba hæc, quasi quæ dicuntur Sacramentalia quæ id quod dicunt efficiunt, nam sicut reuera est vnum necessarium in quo sit acquiescendum, sic quando id pronuntiatur, & creditur, statim effectus sentitur, & totus in eo vno animus conquiescit. *Ex vno verbo omnia, & vnum loquuntur omnia: & hoc est principium quod & loquitur nobis. Nemo sine illo intelligit aut iudicat. Cui omnia vnum sunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt, potest stabilis corde esse, & in Deo pacificus permanere.* Sic scribit Author de Imitatione Christi, sic & verus Christi sentit Imitator. L. 1 de Imit. Chr. c. 3.

III. PVNCTVM.

TERTIA denique ratio seu tertius sensus quo hæc Veritas Veritatum censenda est, sic apte concipitur vt dicas hanc esse cæterarum omnium propugnatricem Veritatum quæ ad praxim spectant. Nisi enim hæc adesset, & opportunum singulis afferret subsidium, vix vllæ practicæ subsisterent Veritates, vix vlla praxis ederetur. Nam cum ad singulas in opus exercendas paratum semper habeat aliquid Mundus, Caro ac Dæmon, quod contrà suggerant & objiciant; nihil porro est ad omnium tela hostium retundenda potentius quàm si æque paratum hoc habeas, *Porro vnum est necessarium.* Quid enim objiciunt Inimici validius quam cum repræsentant ipsas vitæ necessitates quas Veritatum

praxis impetit & eneruat; Necessarium quippe est, inquiunt, viuere; ad vitam autem necessariæ sunt opes, & domesticæ facultates, ad has vero vel acquirendas vel conseruandas necessariæ solicitudines, curæ & studia; nec proinde tantum otij superest & animi quantum deuotio, pietas & aliæ religionis Virtutes exigerent. Opus est etiam fama, & gloria nisi velis infamem vitā viuere quod ipsa morte est intolerabilius. Necessariæ præterea sūt illæ artes quæ vel mechanicæ vel liberales dicuntur: Quis enim viuat nisi genus aliquod viuendi suscipiat? Et quanta in quouis viuendi genere sunt necessaria quorum defectu plane deficias? Quas cum vitæ necessitates tanto ardore natura vrgeat quanto ipsam amat vitam, quis non videat inde singulas expugnari Veritates quæ vitæ secundum Euangelicam Institutionem degendæ modum, non secundum carnem aut mundum docent? Quid hîc porro agat pugil Christianus? quid tot implicatus necessitatibus cogitet, quò se tot cinctus hostibus vertat, quo se scuto propugnabit, qua se salutis galea, quâ loricâ tutabitur?

Audiat porro audiat quid loquatur Veritas, & ipse hanc libere Veritatem loquatur, *Porro vnum est necessarium*, & hoste quouis est fortior. Hoc enim qui recte intelligit quod loquitur, vno verbo negat omnes illas prætentas necessitates quas ita mundus vrget, vt quasi mundus non esset nisi hæc adessent quæ vocat necessaria. Nam si reuera vnum est necessarium, nec ipsa vita temporalis est necessaria, quæ non est illud vnum quod vnum est necessarium. Si autem vita non est necessaria, quid fama, quid diuitiæ, quid artes, quid alia demum omnia quæ sunt tantum ad vitam necessaria? Quis dicat mortuum his egere quibus viuitur, cum non viuat? Esto his verò egeat, vt viuat quisquis viuit; sed si viuenti non sit necesse viuere, quis dicat esse alia magis ipsi necessaria quam si non viueret?

Sublata igitur necessitate vitæ, corruat omnino necesse est alia quæuis necessitas, sicque deficiant qui has objiciunt Veritatibus exercendis necessitates, atque ita Veritates in sua praxi propugnentur, & ipsa denique Veritas quæ cæterarum est fidelissima propugnatrix, Veritas Veritatum dicatur, prædicetur, colatur & præualeat, sitque illa Veritas de qua in tertio Esdræ quidam dixit: *Et Veritas manet & inualescit in æternum, & viuit & obtinet in sæcula sæculorum. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias:*

sed quæ iusta sunt facit omnibus, iniustis ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius. Et non est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo & regnum & potestas, & majestas omnium æuorum. Benedictus Deus Veritatis. Et desiit loquendo. Et omnes populi clamauerunt & dixerunt: Magna est Veritas, & præualet.

Nec dicas, si hæc ita sunt, abjiciendam esse omnem vitæ curam, & earum rerum solicitudinem quæ non sunt ita quidem necessariæ sicut illud Vnum necessarium, sed tamen ita debent à nobis curari vt si cura desit, nostro desimus officio. Non hoc inquam sequitur sentiendum & dicendum: Nam si debetur cura, vt certe debetur rationabilis & ordinata vitæ conseruandæ & officij persoluendi, tunc cura illa comprehenditur sub illo necessario, quatenus non aliter consideratur deberi talis solicitudo, quàm ex diuina voluntate sic ordinante: nam si contra vel præter illum diuinæ discretionis & voluntatis ordinem, cura vitæ vel cuiuscumque officij te premeret, tunc inordinata esset, tunc peccatum esset, & tunc recte concluderes talem esse curam abjiciendam sicut expresse Dominus: *Attendite,* inquit, *vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ.* Luc. 21.

Neque vero tantum ita propugnat alias Veritates hæc nostra Veritas vt ab actibus suis non retardentur, sed eorum præterea reddit actus tam frequentes, tam sublimes & tanti ponderis ac valoris, vt inde quod est in Sanctis Gratiæ & in Beatis Gloriæ, magnificentius, totum hauriatur & penitus communicetur, vt declaratum est in 3. p. in Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis, vbi hæc demonstratur Veritas:

Quod vnum est in Assumpta Virgine gloriosius, hoc est assumptum ex illo Vno necessario, de quo Christus.

Videri etiam debet in eadem parte, Fer. 2. Hebdom. 21. vbi hæc patet Veritas:

Si quod creditur necessarium petenti desit, credendum potius non illud esse necessarium, quam quod petenti desit.

Affinis est & Illa quæ habetur in 1. parte, Die 6. Decembris.

Numquam melius ſibi prouidet fidelis Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens totum ſe Domino, ſuaque omnia conſecret.

FERIA TERTIA.

DE CVRA INTERIORIS HOMINIS SVPRA EXTERIOREM.

Stulti! nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod deintus eſt, fecit? Luc. 11.

VERITAS PRACTICA.

Quò quis in exteriori colendo homine videtur eſſe ſapientior, eò eſt ſtultior ſi non magis interiorem colat.

RATIO EST, *Quia quò quis in exteriori colendo homine videtur eſſe ſapientior, eò majorem ſe habere profitetur rationem qua cultum illum promoueat.*

Sed quò quis majorem ſe habere profitetur rationem qua cultum exteriorem promoueat, eò eſt ſtultior ſi non magis interiorem curet & excolat.

Ergo euidentiſſimè patet Veritas, & quiſquis Ille eſt in externis Sapiens, habet quod à ſe diſcat & alios doceat, longe maiorem in internis ponendam eſſe operam.

I. PVN-

L. PVNCTVM.

EXPLICATA superiùs in diuersis occurrentibus locis habentur, quæ priori parte Capitis vndecimi, sanctus Lucas commemorat. Quod ibi vero superest ad formandos mores accommodatius, saluberrima quædam est Admonitio Domini de cura interioris hominis supra eum qui dicitur exterior, siue supra quemuis cultum qui foris tantum apparet. Sic enim apud Pharizæum cùm aliquando inuitatus esset ad prandium, noluit de industria lauare manus quo solebant exquisito modo Pharizæi, de quo in tertia parte dictum est, quod cum mirabundus, & animo non satis æquo recogitaret Is qui Dominum inuitauerat: tùm vero Dominus ad illum: *Nunc vos Pharizæi quod deforis est calicis & catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti! nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit?* Quasi diceret, si putatis vos habere rationem mundandi ea quæ foris patent, quare non videtis quàm sit rationabilius mundare illa quæ intus sunt? Nonne id quoddam stultitiæ genus est credere se non nisi probato iure, ac rationabili cultu mundare sua exteriora omnia, nec idem sentire de internis, sed ea potius negligere, cùm longe magis Ratio suadeat internam sibi curare munditiam, & cultum animi præ cultu corporis obseruandum? *Fer. 2. Hebd. 14.*

Quod certe Monitum non solos spectat Pharizæos, sed è Christianis ac ipsis etiam Religiosis Viris quamplurimos quibus satis esse videtur ad religionis & sapientiæ famam conciliandam si vestes, si supellectilem, si quidquid oculis hominum paret, apprime curent & colant; quæ vero latent aut quæ soli Deo patent interiora suæ mentis, vel prorsus abjiciant, vel non pari cultu promoueant. Stulti! nonne si Ratio est pro exteriori homine, Ratio hæc eadem aut certe potior pro interiori militat homine? *Nonne & quo quisquis in exteriori colendo homine videtur sapientior, eo stultior est, si non potius internum colat?*

Hæc sunt modo attentius consideranda. Et primo illud quod præmittitur illum haberi consultiorem in re aliqua qui plures eius peragendæ vel majores nactus fuerit rationes; aut ne aberret sermo longius, illum videri tanto sapientiorem in externo cultu

promouendo, quantò sibi magis è ratione videbitur sic externis suis vacare percolendis; Quod ex ipsis certe notum est terminis, nam sicut sapienter aliquid agere non aliud esse intelligitur quam consulto & rationabiliter agere: sic plane quantò quis in agendo sapientior videri vult, nihil aliud velle creditur, quam profiteri se firmioribus rationum momentis esse nixum vt illud agat, vnde
Prou. 1. quod primum ait Sapiens in Prouerbiis, *Audiens Sapiens sapientior erit*, perinde videtur esse, ac si diceret, audiens rationes quibus ad opera quæuis moueatur, sapientior erit in illis operibus obeundis.
Ibid. 12. 13. Quod & Idem confirmans; *Via*, inquit, *stulti, recta in oculis eius: qui autem Sapiens est audit consilia.* Rursumque paulo post: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Nam hoc est esse sapientem, nil sine consilio & ratione aggredi; & hoc perinde est magis esse sapientem, magis audire consilia, siue majores agendi rationes indagare. O qui sic saperet, vt magis saperet!

II. PVNCTVM.

SED quò quis majorem se habere profitetur rationem, qua cultum exteriorem promoueat, eò est stultior si non interiorem æquè ac magis curet & excolat.

Nam cum illa ratio, quæcumque tandem illa sit, internis colendis magis faueat quàm externis, nonne quo hanc majorem dicet esse rationem, tanto secum magis pugnabit, & tanto hinc se magis contra rationem agere comprobabit, cum id minus agat quod magis agendum persuadet Ratio? Quid autem stultius quam sic secum pugnare, sic se suis illaqueare verbis, sic se suo iugulare gladio, sic demonstrare se tanto peius agere, quanto se melius
Prou. 10. agere demonstrabit? *Sic propriis stultus caditur labiis.*

Certe in Scripturis, tantùm defertur interno cultui, vt hic
Ps. 44. vnus præ alio videatur commendari; nam *omnis gloria filiæ regis ab intus*, Ibi videt *Christus*, inquit S. Augustinus, *ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus*; quasi diceret; cum ibi omnia Christus præsertim operetur, idcirco etiam omnis nostra ponenda est opera vt recte intus affecti simus & egregie compositi. Sed quandoquidem non recusamus externum cultum, & quandoquidem non authoritate sola, sed ratione agimus cum eo qui ex disciplina Pharizæorum quod foris est satis

diligenter curat, non ita vero quod est intrinsecus: Age producantur illæ rationes quibus exteriorum cura permittitur vel etiam commendatur. Quid est quod suis omnibus excultum partibus velis corpus tuum, capillum, vultum, vestes, sermonem, & quidquid proxime tibi adhæret? Nonne idcirco præcipuè quia sic decorum exigit, sic decet coram hominibus apparere, sic satisfit intuentium oculis, sic mutua fouetur beneuolentia, sic humana societas postulat, sic ædificationi, sic Charitati dicitur esse consulendum, quia si hæc abessent, nostri tæderet alios. Sic ipse Deus colitur cuius imago quædam in nostro lucet corpore, sic ipsa denique naturalis docet Ratio dum vnicuique rei, suum statuit ordinem & certum ordinat statum quem si non seruet, inordinata censetur, & aspectum solet offendere; Vnde Apostolus, *omnia autem honeste & secundùm ordinem fiant.* 1. Cor. 14.

Hæc sunt videlicet quæ faciant pro externa rerum decentia, Nunc contemplare attentius quàm illa ipsa pro interno animi cultu magis concludant & euincant! Nam si oculis hominum id concedi debet ne quid in nobis sit quod eos meritò possit offendere, nonne id satius diuino dandum oculo qui Cordis intima præsertim spectat, ne quid ibi lateat quo se offendi queratur? Nonne vel minima Cordis impuritas quæ voluntario retinetur assensu, magis ex se Deum prouocet, quàm quiuis neglectus cultus hominem, cuius non ita interest, an sis extra bene compositus, quàm Dei refert an sis intrà rectè affectus? *Non quasi hominibus placentes sed Deo qui probat corda nostra*, inquit Apostolus. An ignoras impurum animum nihil habere commercij cum sanctificante Gratia, cæterisque donis quæ supernaturalia nuncupantur, atque adeo nihil cum singulis adorandæ Trinitatis Personis, nihil cum Patre cuius lex violatur, nihil cum Filio cuius sanguis contemnitur, nihil cum Spiritu sancto cuius gratiæ conculcantur; nihil denique cum vniuersa cœli Societate, cuius nulla est communicatio cum tenebris seu tenebrarum operibus; Et te non magis pudebit hoc cœlesti & diuino excludi consortio quam humano? 1. Thess. 2.

Quod si Diuinam putas imaginem in exteriori colendam homine, quanto id verius credendum est in interiori positam hunc esse cultum cum verius ad imaginem Dei factus sit homo ratione animi quam corporis, & animi bene compositi, quam bene culti corporis? Quid porro de illa proximorum ædificatione dicitur,

quid de illa inquam iactas ad externi laudem cultus, quod non magis internum ſpectet? Quid eſt enim quod proximum ædificet niſi vera & ſolida virtus? Quænam autem vera & ſolida virtus ſi ſit tantum exterior, ſi ſpecies tantum virtutis ſit & non ipſa virtus, quæ tamen ipſa non eſt niſi ſit animi, niſi ſit interior, & qui *abſconditus eſt Cordis homo* ſit vere coram Deo qualis apparet hominibus. Nonne hoc eſt potius Charitatem deſtruere quam ædificare proximum, ſi ſolum virtutis ſimulachrum appareat, ſi ſola ſit pietatis ſimulatio, ſi ſolum humilitatis figmentum, & non res ipſa ſimplex & ſincera? Quid eſt hypocritam agere niſi hoc ſit; quid eſt ſimilem eſſe ſepulchris quæ ſpecioſa quidem foris apparent hominibus, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum & redundant ſpurcitia? quale inquam & quibus hoc probrum injicitur niſi quibus ſola ſufficiebat externa virtutis ſpecies?

Quod ſi ratio, ſi ordo exigit vtvnicuique rei ſuum ſeruetur decus, & quoddam ingenitum à natura decorum: Nullumne animi tale eſt decus? Et niſi hoc animi decus ſeruetur, putaſne hominem bene ordinatum, tametſi omnis reluceat ordo exterior? Quid magis inordinatum poſſit concipi quam ſi homo rectus ſit corpore, & animo incuruatus? Non ſi totius ſtatua hominis inuerſa eſſet vt pedibus ſurſum & capite deorſum incederet, tale monſtrum prodiret, qualis eſt homo cuius rectum eſt corpus & prauus animus!

Vide in 2 p. Sabbato Hebd.3. poſt Paſcha, & infrà Sabbato huius hebdomadæ.

III. PVNCTVM.

QVO quis igitur in exteriori colendo homine videtur eſſe ſapientior, eo eſt ſtultior ſi non magis interiorem colat hominem, cùm Ipſe homo ſibi ſemetipſum opponat in eo quo ſapientior eſſe videtur, vt declaratum eſt: nec ſit quidquam magis oppoſitum ſapientiæ quam ſtultitia, vel majori ſapientiæ quam maior ſtultitia. Ier. 8. *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus. Confuſi ſunt Sapientes*; Et paulo poſt iterum, *Confuſi ſunt quia abominationem fecerunt, quin imo confuſione non ſunt confuſi & erubeſcere neſcierunt, idcirco cadent inter corruentes, in tempore Viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus. Congregans congregabo eos, ait Dominus: Non eſt vna in vitibus, & non ſunt ficus in ficulnea.* Quaſi diceretur, hinc prima mali labes,

hæc origo stultitiæ, Iudicij, supplicij & malorum omnium, quòd nullum ferant virtutis fructum, contenti sunt foliis & specie quadam externa quæ decipit homines, sed non Deum qui alios habet oculos, & qui fructum quærit non folia. Qua de re fusius etiam in 3. parte, vbi de ficu infructuosa. Satis sit modo sanctum audire Gregorium quibus illos monitis moneat aut monendos doceat qui sapiunt in externis, & in internis desipiunt; qui hoc vnum bene agunt quod foris patet: & quod male agunt ne foris pateat hoc vnum curant. *Pensent,* inquit, *humana iudicia quanta velocitate euolant, diuina autem quanta immobilitate perdurant. Admonendi sunt vt in fine rerum, mentis oculos figant: quia & humanæ laudis attestatio præterit, & superna sententia, quæ & abscondita penetrat, ad retributionem perpetuam conualescit. Dum ergo occulta mala sua diuinis iudiciis, recta autem sua humanis oculis anteponunt: & sine teste est bonum quod publicè faciunt, & non sine æterno teste est quod latenter delinquunt. Culpas itaque suas occultando hominibus, virtutesque pandendo, & vnde puniri debeant, abscondentes detegunt, & vnde remunerari poterant, detegentes abscondunt. Quos rectè sepulchra dealbata speciosa exterius sed mortuorum ossibus plena interius Veritas vocat, quia vitiorum mala intus contegunt, humanis vero oculis quorumdam demonstratione operum de solo foris Iustitiæ colore blandiuntur. Admonendi itaque sunt ne quæ agunt recta despiciant, sed ea meriti melioris credant. Valde namque sua bona dijudicant qui adeo eorum mercedem sufficere humanos fauores putant. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna, vili prætio vænundatur. De quo videlicet pretio percepto Veritas dicit: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Admonendi sunt vt considerent, quia dum prauos se in occultis exhibent, ostendunt sequenda quæ fugiunt, clamant amanda quæ oderunt,* VIVUNT POSTREMO ALIIS, ET SIBI MORIVNTVR. 3. part. Pastor. adm. 36

FERIA QVARTA.

DE HIS QVÆ ALIENA SVNT AB OFFICIO, REPELLENDIS.

Homo, quis me constituit Iudicem, aut Diuisorem super vos? Luc. 12.

VERITAS PRACTICA.

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *2. Tim. 2.*

RATIO affertur ab eodem Apostolo cuius sunt illa verba: *Vt ei scilicet placeat cui se probauit.* Id est, cui se probatum & fidelem seruum obtulit: quod maxime dicitur de viris Ecclesiasticis, de Religiosis, & aliis si qui sint qui se Deo propius addixerint; hoc est enim Deo militare, se in eius cultum ita impendere vt sicut miles totus est suo Duci, sic totus Deo sit, qui Deo militet, qui se Deo seruire singulariter profiteatur.

Sic autem inde formatur Ratio.

NEMO militans Deo est qui non ita conetur se probatum & fidelem illi præbere seruum & militem, vt nullis se implicet negotiis quibus ab hoc conatu retardetur.

Sed si negotiis sæcularibus se Is implicaret, retardaretur ab hoc conatu, nec se fidelem Deo probaret seruum.

Nemo igitur militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.

I. PVNCTVM.

HIC etiam consultò multa ex Euangelico textu prætermittuntur, quę suis quæque locis opportuniùs, vel iam dicta vel pòst dicenda sunt, vbi de tolerandis aduersis sermo recurret. Dum vero de his ageret Dominus, *ait Ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit Iudicem, aut Diuisorem super vos?* Id est, in tali negotio quod mihi offers decidendum, seu in re vestra temporali de qua disceptatis: Non sum ego missus vt de istis cognoscam & iudicem. *Bene terrena declinat*, inquit sanctus Ambrosius, *qui propter diuina descenderat, nec Iudex dignatur esse litium*

In c. 12. Luc.

& arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum: Et paucis interiectis, *vnde non immerito refutatur hic frater, qui dispensationem cælestium gestiebat corruptibilibus occupare.* Cui conformiter sanctus Augustinus: *Petebat homo hic mediam hæreditatem in terra, Dominus offerebat totam in cælo, plus Dominus dabat quàm Ille postulabat.* Ser. 196.

Luculentum hîc itaque Dominus exemplum nobis statuit vt quicumque se arctiùs Deo addixissent, alienis à sua professione negotiis non se vllo modo sinerent implicari. Quod expresse Apostolus, & ad Practicam Veritatem accommodatissimè, sic omnibus commendatum reliquit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus vt ei placeat cui se probauit:* quasi diceret quod modò perpendendum attentius proponitur: Nemo est Mortalium qui vel cuiquam Domino vel ipsi Deo sese totum addixerit ac velut seruum aut militem relictis aliis omnibus se in Eius mancipium consecrarit, qui non simul omni modo conetur illi placere, illi se probare, illi se fidelem & probatum exhibere. Cur enim se illi tradidisset nisi hoc intenderet? vel quomodo diceretur se illi tradidisse, nisi animum, nisi affectum, nisi conatum, nisi omnia sua sic eò vellet referre, vt quod incæpit pergeret, quod profitetur efficeret, & vno verbo quod agit hoc ageret: nam esse Dei & placere Deo tam arctè simul cohærent vt non sis Dei nisi Deo placeas, nec Deo placeas nisi totus illius sis. *Qui me misit mecum est,* aiebat Ioan. 8. Christus Dominus, *& non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.* Hoc quasi vinculum indiuiduæ nostræ societatis & vnitatis est, quia non aliqua tantum sed omnia, non aliquo duntaxat loco vel tempore, sed semper & vbique, nec alia quam quæ ipsi placent facio. Quod & Apostolus se contendere, & nobis contendendum sæpe admonebat: *Ideo,* inquit, *contendimus, siue absentes, siue præsentes placere illi.* Et rursum: *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem;* quasi hoc vnum & idem esset, sicut dicebamus, non totum placere Christo, vel non totum eius esse. 2. Cor. 5.

Quod & alibi significanter exprimit, dum exhibenda Deo nostra vult corpora *tamquam hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem:* quasi Deo sacra & addicta, quæ si aliis vsibus applicentur, profanentur. Et quasi hoc vnum docuisset, vel ex omnibus retinendum vellet, *De cætero,* inquit, *rogamus vos & obsecramus in Do-* Rom. 12. 1. Thess. 4.

mino Iesu vt quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis, & abundetis magis. Hoc enim vno dicto cætera comprehenduntur omnia; *Et qui aliud quærit quam placere Deo,* inquit S. Chrysostomus, *nescit quid sit placere Deo.* Expende vim huius dicti.

II. PVNCTVM.

SED qui se Deo sic addixisset, vt se Dei totum esse profiteretur, & se tamen negotiis sæcularibus implicaret, non illi placeret, nec se probatum ac fidelem Deo seruum exhiberet.

Primò, tametsi aliæ deessent rationes, hæc vna sufficeret, quia sic est eius Voluntas, vt qui diuina singulariter sectari velit, se ab humanis abstrahat, quantum humana feret condicio. Nam quibus hæc Apostoli verba magis conueniunt, quàm istis bonis viris?
2. Cor. 6. *Quis consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum & separamini, & immundum ne tetigeritis.*

Deinde, sic ipsa exigit vel sacerdotalis dignitas, vel Religiosa professio, ne terrenis vllis violentur curis aut negotiis, quæ sic animum implicāt, vt iam non Diuinus non Cœlestis non Spiritualis & Sacer homo sit, sed totus terrenus, luteus, inquinatus, aut certe longe alius quam sacrum eius exigat institutum. Nam verè
Eccles. 26. id à Sapiente dictum, *Difficile exuitur negotians à negligentia.*

Tertiò, cum cuncta Deus sapientissimè suis ponderibus, numeris, & mensuris digesserit, vt suo quæque starent in ordine, quid ei potest esse magis inuisum quam quòd est magis inordinatum? Et quid potest esse magis inordinatum quàm si profani sacris se immisceant, vel sacri se profanis implicent? Nonne audiuisti quàm odiose ac perperam ausus aliquando fuisset Rex Ozias incensum adolere Deo, quámque grauiter Sacerdos illi obsistens
2. Par. 26. dixerit, *Non est tui officij Ozia vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de Sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus,* qua numquam plaga sanatus est. At Tu vero Sacerdos, Tu vel Religiose vel Ecclesiastice qui sæcularibus vacas negotiis, cur non

non idem tibi dicetur, Non est tui officij vt his te implices, sed Regum, sed Ministrorum eius, sed sæcularium.

Certè sanctus Hieronymus instituens Clericum, hoc ei primum tamquam officij & statui maxime proprium repræsentat; *Interpretur*, inquit, *vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur: si enim κλῆρος græce, sors latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars, clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest, quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus; Verbi gratia: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus, Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius: nec accipio partem inter cæteras tribus, sed, quasi Leuita, & Sacerdos, vino de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor: habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens, iterumque iterumque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia: ne plus habeas, quàm quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares, & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes, & peregrini, & cum illis Christus conuiua nouerit. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.*

L. 2. Ep. 12. ad Nepot. — Psal. 15. — Psal. 10. — Hier. 12. — 1. Cor. 15.

De Religiosis autem sic breuius sed non minus efficaciter sanctus Basilius: *Nisi ab ea nos quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, coniunctione omnino alienauerimus, & à familiari congressu sæcularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum transmigrauerimus, nullo modo scopum animi attingemus.* Et idem alibi sæpius: *Illud autem*, inquit, *quempiam visere vel consanguinitatis vel amicitiæ causa, alienum est à nostra professione.*

Reg. 5. 12. 13 ex fusius disput. — Reg. 311. ex breu.

Quæ verba expendens Franciscus Suarez, *Duo*, inquit, *motiua posuit quæ inter mere humana videri poterant honestissima: & nihilominus alind altius postulat, vt talis actus religioso statui sit consenta-*

T. 4. de Relig. Tract. 10. l. 9. c. 8.

neus: qui scilicet status cum sit supernaturalis & ordinatus ad perfectionem Charitatis Dei principaliter, & proximi, secundario; debent proinde actiones illi esse statui consentaneæ, aut ex vi sui obiecti tendentes in huiusmodi finem, aut ex intentione operantis ad illum eleuatæ. Et propterea Basilius non dixit esse malum visitare cognatos vel amicos hoc solo titulo, sed dixit esse alienum à religioso Instituto, quasi diceret, posse id quidem facere sæcularem, sed non religiosum, quia non decet, quia non placet Deo, quia non se probaret fidelem eius seruum.

III. PVNCTVM.

N*EMO igitur militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Nam se hoc ipso præuaricatorem constitueret, & secum ipse pugnaret, volendo simul & vnum atque idem nolendo, cùm militare Deo nil sit aliud quam se illi gnauum probare seruum, sese autem sæcularibus implicare negotiis nihil aliud quàm se talem non probare seruum: Vnde Apostoli,
Act. 6. *non est æquum*, inquiebant, *nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.* Quid est ministrare mensis? non erat certe negotium sæculare, sed totum pium ac religiosum, nempe vel sacra intelligitur Eucharistia quam ministrabant, vel commune illud conuiuium quod Agape, id est, Charitas dicebatur, in signum scilicet mutuæ Charitatis & beneuolentiæ; quo ministerio quid erat æquius? quid religiosius? quia tamen impediebat aliud quod erat ipsis à Domino præsertim commendatum, rectè inquiunt, non est æquum nos derelinquere quod est præcipuum nostri Caput officij. Licet aliud sit in se bonum & valde bonum, sed tamen non est æquè bonum quia non est æquè commendatum. Tu vero serue Dei cuius est vel prædicare Verbum Dei, vel legere, vel meditari, vel quodpiam pietatis affine opus exercere in domo Domini, quid dices in tuis illis negotiis quibus te implicas? Nonne saltem vides quam esset æquius dicere, non est æquum nobis derelinquere opus Dei & sæcularibus vacare negotiis. Quid sunt enim ista negotia si comparentur cum Sacramentis administrandis quæ tamen ministrare desinebant Apostoli, ne desinerent ministrare Verbum Dei.

Act. 13. Sic cum paulò pòst Spiritus sanctus iussisset Apostolis *vt segrega-*

rent sibi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsisset eos, cauebant hi duo diligenter Operarij ne quid aliud ab illo munere quantumuis pium susciperent, vnde illorum vnus, *non enim misit* 1.Cor.7 *me Christus baptizare, sed euangelizare*: quasi diceret, tametsi bonum est opus baptizare, non est tamen meum opus, segregatus sum ab hoc opere in aliud, nec me alteri ausim implicare negotio, quam cui à Domino sum destinatus. O Verbi efficaciam, *segregatus!* ô si hanc Religiosus attenderet qui non minus est in suo statu segregatus à negotiis sæcularibus, quam sanctus Apostolus à baptismo conferendo!

Nec dicas, esse interdum prudentiæ, Charitatis & cuiusdam piæ Iustitiæ sese proximorum negotiis impendere, nam hoc poterant respondere Apostoli, hoc & ipse Dominus rogatus à fratre de diuidendo suo patrimonio poterat sibi proponere, quo ad componendam litem inclinaretur. Quid enim æquius videbatur quam duos litigantes adunare fratres? Quid optabilius quam sic illos & vniuersam parentelam sibi demereri? Quid magis diuino simile quam pacificare discordes? Et tamen Christus noluit, nec talem prudentiam aut Charitatem aut pietatem exercuit, quia non ita sibi conuenire iudicabat, & ita nobis esse volebat exemplo vt quæ nobis minime conuenirent licet pia, licet sancta, minime tamen auderemus: neque inde propterea nobis quidquam deperiret, sicut neque propterea cessaremus à bono, quin potius & ipsa cessatio nobis in bonum cederet, & aliud interim præstantius quod nostrum esset agere, dum ageremus, maximam apud Deum & homines gratiam colligeremus.

Sic Christus Dominus non hîc omisit pium opus, non omnino negauit quod rogabatur, Dixit & fecit quod fraternam litem posset dirimere, non quo illi quidem modo expetebant, non quasi Diuisor aut Iudex laicus, non sæculari modo & sensu: sed spirituali, sed Euangelico sed Diuino qualem ipsum decebat Christum: *Videte*, inquit illis, *& cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet*: quasi aperte diceret, quando id quod vultis efficerem, non propterea viueretis fœlicius, nam vitam fœlicem non facit rerum abundantia: docebo vos autem modum vitæ facilius & fœlicius traducendæ, reuocate animum ab inordinato rerum affectu, tunc nulla inter vos erit dissentio, & multa pace fruemini. Tum adiecit similitudinem aptissi-

mam de qua est sequens crastina Consideratio; nec dubium quin eis simul gratiam contulerit qua id possent si vellent quod monebat efficere.

Hoc est scilicet militare Deo, hoc est non implicari negotiis sæcularibus, hoc est placere ei cui te probaueris, hoc est quod probati faciunt operarij & quod probabiles illos facit & inconfusibiles, sicut monebat Apostolus: *Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum Veritatis: profana autem & vaniloquia deuita.* Quasi diceret, in hoc vel maxime te qualem esse hortor exhibebis si profana deuites & vaniloquia, quod & ante pridem Dominus per Prophetam edixerat: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris: conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Videsne quantum intersit inter te conuertentem sæculares, aut te ad eos conuersum, & ab eis peruersum ac factum sæcularem?

2. Tim. 2.

Ier. 15.

Vide in 2. p. Fer. 3. octauæ Ascensionis vbi hæc Veritas exhibetur:

Sic internis externa sunt temperanda, vt neutrum eorum importunè, & vtrumque opportunè sibi cedat.



FERIA QVINTA.

DE NIMIA RERVM SVARVM CVPIDITATE QVAE EST IPSA AVARITIA.

Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Luc. 12.

VERITAS PRACTICA.

Non solum auarus est qui cupit aliena, sed qui cupidiùs seruat sua.

Seruat autem cupidiùs qui sibi soli seruat.

RATIO primæ partis hæc est, quod cùm duæ sint partes auaritiæ, non solum auarus est qui vnam, sed & qui alteram explet partem.

Sed qui cupit aliena, partem vnam auaritiæ: qui cupide vero seruat sua, partem is explet alteram.

Ergo non solum auarus est qui cupit aliena, sed qui cupidius seruat sua.

RATIO secundæ partis est, quod ille sua seruat cupidius qui cupiditate sua detinetur, ne in bonos ea vsus impendat.

Sed qui sua sibi soli seruat, cupiditate sua detinetur, ne in bonos ea vsus impendat.

Ergo & sua seruat cupidius; adde & damnosius quàm quisquam putat.

I. PVNCTVM.

QVOD Dominus commendarat vt ab omni auaritia siue à nimia rerum temporalium cupiditate caueremus, egregia & valde apposita parabola corroborauit firmius, quam sic refert sanctus Lucas: *Dixit autem similitudinem ad illos, dicens, Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens, quid faciam quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam; Destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, stulte! hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.*

Hæc est inquam parabola tam egregie composita non ad id solùm quod prætendebat Christus, sed ad plures alios colligendos fructus, vt in ea pensiculatim expendenda, totum meritò primum hoc punctum impendi debeat, deinde duo sequentia duæ propositæ Veritates singulatim complectentur.

Vt autem tota oculis & animis fructuosius parabola subjiciatur

tres in partes sic potest diuidi vt primo cogitetur quid sibi dicat **iste** Diues. Deinde quid illi Deus. Ac postremo quid nobis inde Christus.

Quid faciam, ait ille opulentus nouis redundans bonis, ***quia non habeo quò congregem fructus meos.*** Hic primum admirare quantam solicitudinem & quas secum angustias inuehat rerum abundantia, quàm vere Christus dixerit spinosas esse diuitias, nec in eorum abundantia quæ possidentur, vitam & pacem stare. Quod præclare admodum sanctus Gregorius prosequitur in illa verba libri Iob: *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.* PRIVS, inquit, *anhelat per auaritiam concupita congregare, & cùm quasi in quodam ventre auaritiæ multa congesserit, satiatus arctatur: quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Qui ergo ex abundantia coangustatus dicebat, quid faciam, quasi multo cibo pressus æstuabat. Pensemus quæ votis appetiit vt vberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt quia fructus vberes ager attulerat, sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus diues quid faciat, ignorat. O angustia ex satietate nata! de vbertate agri angustatur animus amari. Dicens namque quid faciam, profectò indicat quia votorum suorum affectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat.*

Iob 20. l. 15. Mor. c. 12.

Sic sanctus Basilius & ex eo sanctus Ambrosius qui & addunt non tantum ex his verbis apparere angustias diuitis, sed & inopiam & egestatem. *Egens vox ista est*, inquiunt, *quid faciam! vnde cibus? vnde vestitus? Iisdem cruciatibus pro solicitudine facultatum quibus pauper pro egestate torquetur.*

Basil tract. de hac parabola. Amb in Serm.

Tum vero pergens miser ille diues, *hoc faciam, ait, Destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea.* CVI ego respondeo, inquit S. Ambrosius: *Et rectè quidem facis, nam verè destruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ male ædificaueras manibus tuis ipse subuertere: Destruere promptuaria, ex quibus nullus misericordiam consecutus est: dejicere ac subuertere mammonæ obscura & tetra domicilia. Destruam, inquit horrea mea, & majora ædificabo. Quod si & ista repleueris, quid quæso facturus es? Et iterum sine dubio destrues, & iterum reædificabis. Et quis finis stulti huius laboris & brauij, & instanter ædificare, & instantius destruere?* Et alibi: *Rectè destruet qui sapienter ædificare non nouit. Destruet sua diues quia nescit æterna. Destruet horrea quia non nouit sua frumenta diuidere sed claudere. Et majora, inquit, faciam. Infælix! vel id dispensato*

Ser. 64.

L. de Nabothe c. 7.

pauperibus quod pro sumptu ædificationis impendis.

Concludit tandem Inops opulentus : *Et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. O VERBA*, inquit S.Basilius, *verba stultissima! ô dementiam singularem! nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Itane pecuinus sis? ita bonorum animæ ignorans, eam vt exceptes carnalibus bonis : & quæcumque alui secessus recipit, animæ destines? Si plena est bonis operibus, si Dei gratiam sibi conciliauit, & familiariter asciuit, tum sanè multa bona habet, tum lætari poterit bona lætitia. Iam quando terrena sapis, & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitiosis affectibus obsequeris, audi te dignam appellationem quam tibi nullus hominum sed ipse Dominus indidit: Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetunt; quæ autem præparasti, cuius erunt?* S. Basilius hom. de hac par.

SECVNDVM est huius Parabolæ Caput, nempe quid Diuiti responderit Deus vbi primum quod aduertas, sapiens est monitum Diui Ambrosij : *Vide*, inquit, *dispensationem iusti iudicij Dei. Indulget ei (diuiti) prodere ac proferre omnia consilia sua, publicare sententiam suam, vt & ipse dignam tali mente ac voto condemnationis sententiam ferat. Quod vtique propterea scriptum est non tantum vt quid ille passus sit, nosceremus, sed quomodo nos effugere debeamus, ne similiter condemnemur.* Ser. 64.

Quis autem hominum credidisset hunc esse stultum qui tam vberes animi prouentus fecisset? Sed quam diuersa sint Iudicia Dei & hominum quis ignorat? Sic itaque iudicio Dei stultus est ille qui solum in bonis habet quæ caduca sunt & temporalia. Stultus ille est qui sibi plurimos promittit annos. Stultus ille qui sibi iam iam morituro nulla parat subsidia. Stultus qui cùm cœlum sibi potuisset emere bonis suis, maluit cœlum & bona sua perdere. Stultus, qui bona sua vocat, quorum nulla secum auferre potest. *Recte stultus*, ait S.Ambrosius, *quia animæ suæ corporalia subministrat, quia recondit quæ cui seruet, ignorat. Et ideo ei dicitur, quæ autem parasti cuius erunt? quid quotidie metiris & numeras & obsignas! quid aurum trutinas, argentum ponderas? Quantò melius est liberalem esse dispensatorem quàm solicitum custodem?* L. de Nabuthe c.7.

Apte autem S.Gregorius in hæc verba Iobi trigesimo quarto, *subito morientur, & in media nocte curuabuntur populi, & pertransibunt*, sic rem totam illustrat. *Quamlibet*, inquit, *sero de hac vita tol-* Iob 25. L. 25. Moral. c.2.

lantur iniqui, subito & repente tolluntur, quia finem suum cogitando prauidere nesciunt. Subitum est homini quod ante cogitare non potuit. Subitò diues ille stultus raptus est, qui horrea quæ præparabat, deseruit, & Inferni locum quem non prauidebat, inuenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam. Aliud dum viueret contemplatus est, aliud dum moreretur, expertus. Reliquit enim diu tractata temporalia & inopinata inuenit æterna. Vnde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis suæ, bene per diuinam sententiam dicitur: Hac nocte repetunt animam tuam à te. In nocte quippe ablata est quæ in obscuritate est cordis amissa. In nocte ablata est quæ considerationis lucem habere noluit, vt quod poterat pati, præuideret.

SVPEREST Tertium, quid inde Christus ad omnes documenti eliciat. *Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues!* Id est, sic stultus habetur Deo, sic dum sibi plures vitæ annos pollicetur, derepente incogitans rapietur, sic nihil secum auferet nisi culpas & æternæ incentiua pœnæ. Qua certe sententia vix vlla est in Scripturis formidabilior; siue multitudinem hominum spectes quos comprehendit, siue genus supplicij quod denuntiat. Quis enim est hominum qui sit in Deum diues? quid est esse diuitem nisi abundare rebus, quid diuitem apud Deum, nisi abundare his rebus quæ censentur apud Deum diuitiæ, quales sunt humilitas, contemptus sui, cæteræque virtutes integræ ac perfectæ? Quis porro his abundat virtutibus? Quid rarius in terris quam vera virtus? Nonne verò est rarior veræ virtutis abundantia quàm ipsa virtus? quis proinde censeri poterit diues apud Deum? Et tamen qui non est ita diues, nullum alium expectare debet finem quàm illius stulti qui morte improuisa raptus est; id est, impœnitens, id est, in peccatis mortuus, id est, in inferno sepultus. Et potest dici quid grauius? Et cum à nimia rerum cupiditate dimanet ista pernicies; quis non attentius ad ipsas vsque radicum fibras hanc radicem malorum omnium euellendam curabit?

II. PVNCTVM.

EX tota proinde Christi Domini parabolica similitudine discendum hoc in primis proponitur, quanto sit studio temperanda hæc rerum nostrarum cupiditas, quæ non minus auaritiæ nomen sibi allinit, quàm fœda ipsa rerum alienarum appetentia.

Verè

Verè enim verum est quod sanctus Augustinus docuit & iam forte alias auditum est, sed modo expressius declarandum venit: *Non solum auarus est qui cupit & qui rapit aliena, sed qui cupidius seruat sua.* Ser. 196. de temp.

Ratio quæ breuiùs contrahetur quàm fuerit proposita sic euidenter constat, Nam si auarus est qui cupit aliena, quòd pars quædam hæc sit & species auaritiæ; cur non æque diceretur auarus qui cupidius seruat sua, cùm sit ex æquo pars hæc auaritiæ, nec minus propria species? Audi enim Diuum Thomam: *Auaritia peccatum est quo quis supra debitum modum cupit acquirere vel retinere diuitias.* 2. 2. q. 118. a. 1. ad 2. Et paulo post declarans quomodo sit peccatum in proximum & in seipsum, docet esse in proximum *indebite vsurpando quæ sunt proximi:* At vero in seipsum, *immoderatius amando & desiderando diuitias, aut se in eis delectando.* a. 4. Ac rursum vbi agit de virtute quæ huic opponitur vitio, respondet esse Iustitiam *quoad illam scilicet primam partem & speciem qua quis cupit & retinet aliena:* quoad vero alteram *qua quis sua cupidius fouet & his detinetur*, Liberalitatem illi esse oppositam, cuius hoc proprium munus est affectionem animi circa diuitias moderari. Videsne quam pari modo de vtraque vitij loquatur specie, quámque pariter auarus ille sit qui sua tam cupide diligit vt sit tenax & parcus, quam qui aliena tam auide possidet vt sit iniustus?

Sic omnes passim Scripturæ, sanctique Patres non aliter frequentius auarum exprimunt quam qui nimio temporalium retinetur affectu, siue illa sint propria seu aliena fuerint. *Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Eccles. 5. *VIRO cupido & tenaci sine ratione est substantia. Qui aurum diligit, non iustificabitur*, Ibid. 14. Ib. 31. Atque in hunc plane sensum quod grauius de auaritia dicitur nempe quod *sit idolorum seu simulachrorum seruitus:* sanctus Augustinus de immoderato auarorum affectu interpretatur *quo*, Ephes. 5. inquit, *in sordibus pecuniæ inharescunt, ibique suum finem ac summum bonum ponunt, & tamquam idolum colunt.* L. 11. de ciuit. c. 25.

Nonne hæc satis ad intellectum quo agnoscas te auarum esse si cupidius tua seruas aut diligis? Eruntne vero satis ad affectum? Plurane tibi oportet ad detestationem vitij? Possesne auari nomen admittere? non erubesceres ad hanc infamiam? nonne vt iniuriã acciperes si de te diceretur, *cor habet exercitatum auaritia.* Hoc tamen de te ait S. Petrus si cupidius tua serues & diligas. 2. Petr. 2.

III. PVNCTVM.

SERVAT *autem cupidius qui sibi soli seruat.*
Hæc adjungenda fuit præcedenti Veritas, ne quis forte ad euitandum auari nomen negaret se cupidius sua seruare ac diligere; hoc est videlicet certissimum nimiæ cupiditatis argumentum si tibi soli tua serues, seu quod idem pene est, nisi libenter & liberaliter quantum potes, pauperibus eroges. Quid enim est illud seruare cupidiùs nisi plus nimio, nisi plus quam oportet? Vndenam autem agnoscet illud *nimium* aut illud *plus* nisi quando in bonos vsus essent impendenda quæ seruas, sola cupiditate teneris, ne illa impendas?

At si tibi soli tua seruas, quid est quod te ab illis bonis vsibus siue opportunis impensis detineat, nisi sola illa tua cupiditas siue tuorum amor bonorum? vnde quid sequitur nisi hoc idem esse seruare sua cupidius, & sibi soli seruare? Ac proinde ad praxim si quod cupidius in te est, si quod cupiditatis est nimium velis moderari ac temperare, ne tibi soli tua serues, da libenter egentibus: aut nisi dederis, nosce teipsum, nosce te cupidius tua diligere, nosce non minus esse auarum quam si aliena cuperes aut raperes.

3. p. past. adm. 22. Sic ex vtroque sanctus Gregorius; *Admonendi sunt*, inquit, *qui nec aliena appetunt nec sua largiuntur vt sciant solicitè quod ea de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant, qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur, quia tòt pene quotidie perimunt quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt.*

Et post nonnulla: *Hi autem dicere nonnumquam solent: Concessis vtimur, aliena non quærimus: & si digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen peruersa perpetramus. Quod idcirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis à Verbis cœlestibus claudunt. Neque enim diues in Euangelio qui induebatur purpura & bysso, qui epulabatur quotidie splendide, aliena rapuisse, sed infructuosè propriis vsus fuisse perhibetur: eumque post hanc vitam vltrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato vsu totum se licitis tradidit. Admonendi sunt tenaces vt nouerint quod hanc primam iniuriam faciunt Deo, quia danti sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc enim*

Psalmista ait, Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Pretium namque redemptionis dare, est opus bonum praeuenienti nos gratiæ reddere. Hinc Ioannes exclamat, dicens, Iam enim securis ad radicem arboris posita est: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Qui ergo se innoxios quia aliena non rapiunt, æstimant, ictum securis vicinæ præuideant, & torporem improuidæ securitatis amittant, ne cùm ferre fructum boni operis negligunt, à præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis exsecentur.

Atque hinc, ne à nostra Parabola longius abeamus, hinc certe sanctus Ambrosius, sanctum vt dixi sequutus Basilium, grauiter & multis illum nostrum parabolicum vrget Diuitem quod sibi sua soli seruaret, nec de aliis inde fouendis vllo modo cogitaret. *Vide*, inquit, *beneficiis diuinis diues quam ingratus existat: Communis hominum naturæ non meminit, æquum non putat saltem ex superfluis aliquid egentibus impertiri.* Et post multa: *Sed recordare ô homo, quis est qui largitus est tibi? Teipsum qui sis, in memoriam reuoca. Seruus es Dei, & dispensatio tibi commissa est dominicæ facultatis. Quid est quod multis prælatus es? Non est vtique sine causa quod tibi à bono & iusto Deo officium tibi tribuitur largiendi, aliis necessitas imponitur indigendi. Dispensatorem igitur conseruorum tuorum te ex Dominicis facultatibus esse cognosce. Nec existimes quod omnia ventri & deliciis tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commissa tibi magis quam concessa cognosce: paruoque tempore aliquantulùm super iis lætéris, & abuti eis voluptuosius delecteris, Cùm verò hæc pariter cum vita nostra defluxerint, rationem dispensationis nostræ vocemur Domino reddituri. Hic mihi te paulisper indulge ô quis es qui diuitiarum dispensationem in hoc mundo sortitus es, & te in illo terribili Dei Iudicij tribunali adstantem, paululum quid vacans, si tamen vacare potes à diuitiarum solicitudinibus, intuere. Cum interrogari cœperis, commissas tibi opes cum quibus egentibus diuisisti, quibus necessitatem patientibus subuenisti, quos de carceribus, de vinculis, de gladio profusa pecunia liberasti, quibus pupillis pater, cui viduæ vir castis prouisionibus extitisti: Pecunia mea, fructus mei quid apud te operis, quid vtilitatis habuere? Tu ad hæc sine dubio respondebis: omnia simul reposita ac recondita claustris validissimis & signaculis tutissimis communiui; nulli quidquam tribui, quinimo, & ad custodienda & vigilias meas addidi, curas impendi, solicitudines tribui. Sed stulto consiliario vsus es temetipso, deli-*

Ser. 64.

berans enim ais, quid faciam? Consequens vtique erat te de talibus deliberante dicere: Aperiam horrea mea, & replebo esurientes animas pauperum, patefaciam quo recondita sunt, & inuitabo indigentes, ac releuabo afflictos, imitabor beatum Ioseph, & humanitatis voce proclamabo, si quis indiget panibus, veniat ad me, & gratiam quam Dominus indulgentiori liberalitate mihi largitus est, communem cum omnibus faciam. Velut ex communibus ergo fontibus hauriat, vnusquisque quod sufficit. Sed tu nihil tale non solum proloqueris, verum nec cogitas quidem, quinimo hominibus quidem diuina inuides beneficia, tuam verò ipsius animam malignis consiliis affligis, & cogitas abundantiam Dei, humanam facere penuriam.

Quod si difficile putas, ô homo magnificentiam diuinæ largitionis imitari, imitare terram; si leuare sursum oculos non potes, saltem ea quæ deorsum sunt, & in pedibus tuis, intuere. Affer etiam tu fructum sicut terra, noli esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus quos affert, non suis vsibus vendicat, sed tuis ministrat obsequiis: Tu verò fructus illius solus inuadis, & tibi soli concludis. Quod si tantum auiditatis te morbus constringit, vt tua velis facere omnia, accipe & ad hoc salutare remedium: Beneficium Largientis, prabenti magis permanet quàm suscipienti: Nam misericordia quidem ad Indigentem peruenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem, Ille quidem pastus est & refectus, sed ad te redit quod dedisti cum fructibus & vsuris. Quod si id difficile putas, considera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius quàm ad suscipientis lucra cedit. Et quæ illic plura fusius prosequitur; breuius
c.7. autem, nec minus luculenter in libro quem inscripsit de Nabuthe. *Tua,* inquit, *te voce conuenio: Habes multa bona in annos multos posita, potes & tibi & aliis abundare. Habes fœcunditatem publicam. Quid destruis horrea tua? ostendo tibi vbi melius tua frumenta custodias, vbi benè sepias, vbi fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, vbi nulla tinea, nullus gurgulio ea consumat, nulla corrumpat vetustas. Habes apothecas, inopum sinus: habes apothecas viduarum domos; habes apothecas ora infantium orphanorum, vt dicatur tibi, ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Ista sint tibi apotheca, quæ maneant in æternum, ista sint tua horrea quæ fœcunditas futura non destruat; Dat tibi fœcunditatem Deus, vt aut vincat aut condemnet auaritiam tuam, quo excusationem habere non possis. Tu verò quod per te multis nasci voluit, tibi soli reseruas, imo & tibi ipsi adimis. Ma-*

gis enim seruares tibi, si dispertires aliis.

Vide in 3. p. Dominica 6. & 8.

FERIA SEXTA.

DE PERDITIONIS ÆTERNÆ PERICVLO, EX DEFECTV POENITENTIAE.

Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13.

VERITAS PRACTICA.

Non auertes periculum, nisi aduertas diligentiùs.

RATIO EST, *Quia perditionis æternæ periculum de quo hîc agitur, non auertes, nisi veram habueris pœnitentiam.*

Sed nisi aduertas diligentius, veram non habebis pœnitentiam.

Ergo nec auertes periculum, quod tamen subire nolles; ac proinde præcauendum modò attentius.

I. PVNCTVM.

ADERANT *autem quidam in ipso tempore*, ait sacer Euangelista, *nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.* Rebelles scilicet contra Romanos hi erant Galilæi, qui dum sacrificium offerrent, occisi sunt & ita sanguis eorum mixtus est cum sanguine hostiarum quas tum mactabant. *Et respondens Dominus dixit illis: Putatis quod si Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: Sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut illi decem & octo supra quos cecidit turris Siloe, & occidit eos, putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis: Sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Ex quibus Domini verbis ita consequenter repetitis triplex elicitur morale documentum. Primum est quod ex humanis quæ videmus inferri suppliciis, æternæ cogitandæ sunt pœnæ quas peccatores incurrent. Secundum est, quod sicut apud homines non hi solum puniuntur qui sunt insigniores in aliquo crimine, sed qui etiam minora quædam perpetrant, quales erant isti Galilæi quos Pilatus iussit occidi, sic apud Deum, non deterrimi tantummodo sed quilibet peccatores nisi veram peccatorum habuerint pœnitentiam, certissimè punientur. Tertium denique quod cùm sint multi peccatores, & pauci quos verè pœniteat sui peccati, serio id cogitandum & aduertendum, ac proinde semel ac iterum duplicato exemplo repetit, & ad omnes pertinere periculum docet vt omnes sibi prospiciant; & quo minus forte sibi timerent aliqui quod non sint ex deterioribus, tanto illis cauendum attentius ne hac peccati fallacia deludantur, quia sic tanto damnosius periclitantur, quia tanto minus diligenter aduertunt vt auertant periculum, quamobrem quisquis ex illis est, audiat Veritatem propositam, *Non auertes periculum, nisi aduertas diligentius.*

Non auertes nempe periculum de quo Christus hîc agit, periculum peccati commissi, periculum pœnæ subeundæ, periculum perditionis æternæ, non auertes illud periculum nisi veram aliquando habeas pœnitentiam. Nam cum reuera sis peccator & plurium forte aut grauiorum quàm putes peccatorum reus, tam necessaria est tibi pœnitentia, vt numquam alioquin possit peccatum remitti, neque nisi remisso plene peccato possit vmquam auerti periculum illius pœnæ quod meretur. Nonne hoc ita esse credis? An putas quemquam in peccato posse saluari? An putas peccatum tolli nisi peccatorem pœniteat? quorsum illæ Christi voces tam absolutæ, tam constantes, tam omni ex parte certitudinis obfirmatæ: *Nisi pænitentiam habueritis; si pænitentiam non egeritis, similiter omnes peribitis*, Id est, tam verè de futuro, quam vere de præterito, cùm non minus illud certo eueniat quam quod iam certò euénit.

Nec profectò est alia Sacramenti vllius necessitas, seu aliter declarata quam hac eadem voce, *Nisi*, vel simili pœnarum denuntiatione quæ pœnitentiam imperat: vt cum ait Dominus Sacramentorum omnium Institutor, de suo Corpore comedendo, *Nisi*

manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis : Et Ioan. 6.
de baptiſmo : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto,* Ibid. 3.
non poteſt introire in regnum Dei. Nonne hæc propterea cenſentur neceſſaria Sacramenta? Cur non pari modo pœnitentia quæ pari modo commendatur? Aut certe ſi quorum eſt Interpretum vel præſertim Eccleſiæ verba Chriſti ac mentem interpretari, vide quid ſentiant, audi quid doceant & vno conſtanti ſenſu quid teneant. Fieret potius, inquiunt omnes, vt non manducata carne Filij hominis haberetur vita in nobis: & non baptiſati aqua introirent in regnum Dei, quàm quis hominum peccati, & pœnæ conſequentis remiſſionem haberet ſine vlla pœnitentia. Nam aliorum quidem omnium Sacramentorum defectum ſupplere poteſt pœnitentia, pœnitentiæ vero defectum, nullum neque Sacramentum ſuppleat, nec oratio, nec eleemoſyna, nec ieiunium, nec quiduis aliud. Sola ſibi eſt ſupplemento pœnitentia, nam ſi Sacramentum deeſt, virtus adſit neceſſe eſt : aut ſi perfecta virtus non eſt, Sacramentum adſit oportet : ſicque vt dictum eſt, ſibi quidem & aliis omnibus ſupplere poteſt, ſed aliud nihil ipſi, ſi deficit. Vnde illud infertur, quod ex diuinis omnibus ad ſalutem inſtitutis, nihil ſit æque peccatoribus neceſſarium. *Nec quemquam* Ep. 58.
putes, inquit ſanctus Auguſtinus, *ab errore ad veritatem, vel à quocumque ſeu magno ſeu paruo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire.* Nam dicendus eſſet ſimul in peccato eſſe & non eſſe, Non eſſe quidem quia tranſiſſet ab eo, vt ſupponitur: eſſet vero quia cùm eum peccati non pœnituiſſet, perinde eſt ac ſi peccatum retinuiſſet; quæ cum inter ſe pugnent, dici non poſſunt, atque ita manifeſte patet quod niſi veram habueris pœnitentiam, periculum peccati quod eſt æterna perditio non auertes, quia peccatum alioquin remanebit cum quo ita conjunctus eſt ſempiternus interitus, ſicut rei male concupitæ connexum erat peccatum. Noluiſſes forte peccatum cum mala concupiſcentia; ſed fruſtrà, cum ſeparari non poſſint: ſic illum nolles interitum qui peccatum conſequitur, ſed quamdiu peccatum erit, erit interitus; & donec pœnitentia deleatur, tamdiu peccatum erit.

II. PVNCTVM.

S*ED niſi aduertas diligentiùs, veram non habebis pœnitentiam.*

III. PVNCTVM.

NON *auertes ergo periculum, nisi aduertas diligentiùs*, quia cùm periculum ipse faciat impœnitens animus, numquam non faciet nisi quando esse quod est desinet, nisi quando ex impœnitenti fiet pœnitens: quod numquam fiet nisi aduertas diligentius ad animæ tuæ statum; ad vocationis tuæ perfectionem; ad perfectionis tuæ gradum: ad sanctificationis tuæ medium singulare, quod vel agnoscere negligis vel consectari fideliter. Sic Ipse suos Dominus singulatim admonebat, tametsi non illi essent ex deterioribus: *Scio*, inquit vni, *opera tua, & laborem, & patientiam tuam,* Apoc. 2. & 3. multisque aliis commemoratis bonis, tum pergit: *Sed habeo aduersum te quod Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Sic alij non minus commendato: *Sed habeo*, inquit, *aduersus te pauca*, quæ postquam declarauit; *similiter pœnitentiam age: si quo minùs veniam tibi cito.* Ac rursum alij: *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.*

Videsne Lector, quanto in periculo illi essent? Videsne quod tale non auertissent periculum, nisi diligentiùs aduertissent? Videsne quod aduertendi modus est attentior sui cognitio? Videsne quod huius cognitionis fructus est vera pœnitentia? Videsne quod nisi cito veram adhibeamus, Ipse cito aderit quo dilationem puniat? Videsne tandem te his in omnibus designari; nec moueberis, nec aduertes diligentius, nec periculum imminens auertere satages, aut quoquo modo tibi cautiùs prouidebis? ó quam ille Sapientior de quo in pari casu dicitur: *Respiciet homines, & dicet, peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi*, tum statim additur. Iob. 33. *Liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.* Quodque hoc vnum sit quò suis monitis spectaret Dominus, sic pergit: *ecce, hac omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos. Vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium.*

Vide in 1. p. Dominica 4. Aduentus, & in 2. p. Dominica Septuagesimæ.



SABBATO.

DE FICV INFRVCTVOSA, ET DE MVLIERE INCVRVATA.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c.

Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Luc. 13.

VERITAS PRACTICA.

Mens incuruata, mens infructuosa.

SENSVS ET RATIO EST, Quod mens incuruata quæ per hanc mulierem designatur, ipsa est naturalis & voluntaria propensio ad res creatas & infimas consectandas.

Sed per hanc ipsam voluntariam propensionem ad res creatas & infimas Mens infructuosa redditur sicut illa ficus de qua est mentio.

Ergo & verum est affirmare quod mens incuruata, mens sit infructuosa; Cumque à praua voluntate præsertim fiat vt mens ita sit simul incuruata & infructuosa, corrigenda est illa praua voluntas.

I. PVNCTVM.

VIDERI debet Euangelicus textus vbi duplicis rei propositæ narratio fusior exhibetur. Quàm vero apte res vtraque simul conjungatur sic præclare, S. Gregorius exhibet: *Dominus ac Redemptor noster per Euangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur; aliquando aliud verbis, atque aliud rebus: aliquando autem hoc verbis, quod rebus. Duas etenim res ex Euangelio, fratres audistis, ficulneam infructuosam, & mulierem curuam, & vtrique est pietas impensa. Illud autem dixit per similitudinem, istud egit per exhibitionem. Sed hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata: & hoc ficulnea reseruata quod mulier erecta.* Et paucis interiectis: *quid arbor fici nisi humanam naturam designat? quid mulier inclinata nisi eandem naturam significando denuntiat? quæ & benè plantata est sicut ficus, & benè creata sicut mulier: sed in culpam propria sponte lapsa, neque fructum seruat operationis, neque statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quod plantata vel creata fuerat, seruare contempsit.* Hom. 31. in Euang.

In quibus sancti Doctoris verbis aduerte, causam perditæ rectitudinis poni defectum fructus siue defectum obedientiæ, quæ à primo parente reddenda Deo erat, quia sic reuera præcessit ille defectus obedientiæ, & inde amissa est mentis rectitudo, ac consequenter interior contracta est Curuatio quæ ad posteros omnes dimanauit. Nunc vero post Christi Redemptoris aduentum, si quæ damnosa est mentis humanæ curuatio & infœcunditas, non est causa curuationis infœcunditas: sed potius ipsa curuatio causa est infœcunditatis. Vnde in Veritate quæ modo consideranda proponitur, sic illa duo simul connectuntur, vt prius mens incuruata, tum infructuosa denuntietur, quia non iam in nobis fit sicut in primo factum est homine, vt simus male incuruati quòd simus infructuosi: sed contra potiùs infructuosi sumus quòd simus incuruati. Quod certe ad Praxim sic est vtilius Veritatem expendere: quia sic cognita mali labes quæ in sola est nostra voluntate facilius cum gratia curari poterit.

Sic ergo habe, sic perpende, sic intellige quàm sit vtrumque

incuruatus, sed vsquequaque incuruatus est. Hinc alius Propheta de immundis spiritibus dicit: qui dixerunt animæ tuæ, INCVRVARE VT TRANSEAMVS. Recta quippe stat anima cùm superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima: sed maligni spiritus cùm hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum, est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo, incuruare vt transeamus: quia si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum peruersitas nullatenus conualescit. Et transire per eam nequeunt quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Nos ergo fratres Charissimi, nos viam malignis in nobis spiritibus damus, cùm terrena concupiscimus, cùm ad temporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium ascendentibus aduersariis præbere. Terram semper intuetur qui curuus est, & quo præmio sit redemptus, non meminit qui ima quærit. Is. 51.

II. PVNCTVM.

SED per hanc ipsam voluntariam propensionem ad res creatas & infimas, mens infructuosa redditur, sicut illa ficus de qua est mentio. Quid est enim esse infructuosum, nisi bonorum esse operum fructu vacuum, nihil bene operari, nihil mereri dignum vitâ æternâ? Quid est autem quod nos ab illo præsertim fructu priuet, quàm defectus recti finis & puræ in operando intentionis, sine qua quidquid vel boni agas, nihil agis; & cum qua quidquid opereris, dum ex se malum non sit, rectum & fructuosum est opus? Quid denique mentem nostram à recto detorquet fine, nisi voluntaria illa propensio ad res creatas & infimas quæ dum pro fine & scopo nostrorum habentur operum, finem non faciunt satis approbatum, nec proinde ipsa probantur opera, nec proinde vllus eorum fructus? *Ventus vrens siccauit fructus eius. OLIVETA vestra & ficeta vestra comedit eruca. MODICVM fermentum totam massam corrumpit. Per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Vide in 1. p. Sabbato Hebdom. 2. post Epiph. & vbicumque de recto fine ac pura intentione differitur. Quod ex vno sancti Augustini loco plurimum illustratur, in illum scilicet Psalmi versiculum, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem,* quæ verba postquam vno sensu explicuit: *sed est hic alius*, inquit, *sensus, quem mihi fateor plus placere. Dominus in Euangelio dicit, si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum luci-*

Ezech. 19. Amos 4. 1. Cor. 5. Luc. 5. Ps. 118.

dum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? PROINDE *magni interest dum aliquid boni facimus cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non initio sed fine pensandum est, vt scilicet non tantum si bonum est quod facimus, sed præcipue si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, auerti poscit ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quam faciat cum boni aliquid facit: In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ,* Contra quem laudis amorem postquam multa dixit, *Non ergo*, inquit, *sit finis nostri boni operis in laudibus hominum, sed ipsas laudes hominum corrigamus, & ad Dei laudes omnia referamus, à quo nobis datur quidquid in nobis sine laudantis errore laudatur.* Tum vero pergens consequenter: *Porro si vanum est propter hominum laudes, bona facere; quanto vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam, siue retinendam, & si quid huiusmodi est commodi temporalis quod nobis accedit extrinsecus, quia omnia vanitas. Propter ipsam denique temporalem salutem non debemus facere bona opera nostra, sed potius propter illam quam speramus æternam, vbi bono immutabili perfruamur quod nobis erit ex Deo, imo quod nobis est ipse Deus.* Quasi diceret, licet bono aliquo potiremur cum in hac vita sine respectu ad futuram æternam operaremur; quia tamen bonum illud esset mutabile, caducum & periturum, non esset ille fructus quem ex operibus nostris par est colligere, debet enim is esse fructus quem opera possunt edere, possunt autem perpetuum, immortalem, & qualis est ipse Deus aliquando possidendus. O quale meritum, ô qualis nostrorum fructus operum! Sed nullus plane est iste fructus si mens naturalem sequatur affectum quo propendet in res hasce creatas & infimas, quia sic nullum habet probatum finem: & nisi finis operis sit probatus, nullus est operis fructus. Arbor illa fici est in qua quærens fructum Dominus non inuenit, & non inuento fructu, ait Cultori vineæ, succide illam, vt quid etiam terram occupat?

Vide in 3. p. in fine, vbi de votorum renouatione agitur, siue de triduana Recollectione quæ hanc Renouationem antecedit.

III. PVNCTVM.

M*ENS igitur incuruata, mens infructuosa est*, quia scilicet illud quo incuruata dicitur, illud ipsum est quo infructuosa fit, cùm non aliter incuruetur quam inordinate appetendo & agendo quidquid agit, quod quamdiu mens sic agitat, tam infructuosa est quàm illud opus sine fructu est quod non est recto fine ordinatum. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Ps. 52. Quia videlicet omnes incuruati sunt, *omnes euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Dan. 13. Vnde S.Gregorius suum illum concludens discursum quem superiùs audiuimus, *Si ergo*, inquit, *iam bona cælestis patriæ agnouimus, displiceat nobis, fratres charissimi, quod curui sumus. Ponatur ante oculos Mulier curua, & arbor infructuosa*: in quibus scilicet mens nostra se contempletur, vt quantum se videt curuam, tantùm se infructuosam agnoscat. Et quantum curuatura displiceret in corpore, tantùm in mente displiceat; imo tanto magis in mente displiceat quanto est fœdior curuatura mentis quàm corporis; Qua de re vide in 2.parte, Fer.6. Hebd. 1. post octauam Paschæ. Et supra in hac Hebdomada, Feria tertia, vbi de cura interioris hominis supra exteriorem, quæ hûc commodè referri possunt. Et vero maxime quæ de mala dicuntur arbore in 3. p. Dominica 7. vbi hæc Veritas declaratur:

Qua ratione fit, vt plures dici possint malæ quam bonæ arbores: eadem prorsus fiet, ni caueas, vt mala potius quam bona sis arbor.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

HIC obseruanda est eadem Annotatio quæ seruatur in vsu diuini officij circa Euangelium proprium Dominicis sequentibus vsque ad Aduentum.

Non possunt plures restare Dominicæ siue hebdomadæ quàm quinque, sed possunt esse pauciores. Si quinque restent, Euangelium hodiernum est de Leproso mundato & seruo Centurionis Sanato. De quo in 1. parte, Dominica 3. post Epiphaniam.

Si pauciores restent, consule Directorium, & statutum serua ordinem.

HAC HEBDOMADA, quædam occurrunt insignes Parabolæ seu celebriora Christi Domini dicta, quibus manifestum relinquit quantis quámque suauibus ad se libertatem nostram alliciat modis; Et contrà quantis se illi nostra libertas opponat viis. *Ex vno S. Luca.*

FERIA SECVNDA.

DE COENA MAGNA.

Homo

Homo quidem fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Sicut nullis cœna est, nisi vocatis; sic nulli vocantur à Domino, nisi ad cœnam.

Quocumque nos Christus vocet, quasi ad cœnam vocat siue conuiuium.

RATIO *postremæ partis quæ sola difficultatem habet, hæc est inter alias: Quod secura mens dicitur quasi iuge conuiuium.*

Sed quocumque nos Christus vocet, sic vocat ad securam illam mentem, vt in eo solum quò vocat, sit illa secura mens.

Ergo & quocumque nos vocet, quasi ad cœnam vocat siue conuiuium: quò tamen ire multi refugiunt, quasi iuge tormentum esset eò ire, vel ibi stare.

I. PVNCTVM.

CVM Dominus à quodam Principe Pharizæorum inuitatus esset ad prandium, multaque more suo de virtutibus & de futura bonorum operum compensatione differeret, Quidam è discumbentibus loquentem eum ita miratus est vt palam in has voces eruperit: *Beatus qui manducabit panem in regno tuo.* Tum verò Dominus illustrem illam Parabolam de vocatis ad cœnam magnam, & venire nolentibus proposuit, quæ cum multa significet, pro vario Scripturæ sensu, iam quidem de illa dictum est in 2. parte, prout repræsentat Sanctissimum Sacramentum; nunc autem opportune ad finem nobis in hac hebdomada propositum rursus exhibetur, vt agnoscamus quàm suauiter nobiscum agat Dominus cùm ad sui cultum & obsequium nos omnes vocat, quemcumque tandem in vitæ statum vel perfectionis gradum nos aduocet, vel quidquid in eo difficultatis, &

cœli, quoddam sit veluti cœlum, & proinde quasi iuge conuiuium. Vide ibi dicta.

II. PVNCTVM.

SED quocumque nos Christus vocet, sic certò vocat ad securam illam mentem, vt in eo solùm quò vocat, sit mens illa secura.

Quæ securitas hîc haberi possit, docet sanctus Bernardus, & refertur in 2. & 3. parte, quo præsupposito, nihil ex omnibusquè potest esse securum quam quod ex Diuina manat sapientia, quæ cum falli non possit in mediis ordinandis ad salutem, non potest etiam quemquam fallere: vnde duo illa sequuntur euidenter, & quod secure procedat qui, vt ait Iob, *vestigia eius sequitur*, & quod extra illum nulla possit esse securitas; Quod vtrumque complexus Apostolus: *Cum metu*, inquit, *& tremore, vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Id est, prout ordinauit & vnicuique præscripsit, in eoque metus & tremor quem commendat, vertitur, vt ne quis vltrà vel citrà progrediatur quàm Ipse Deus velit: nam ipsa est Eius Voluntas quæ suum ita omnibus statuit ordinem & certum medium, ad æternam consequendam beatitudinem, vt quod est meum si vsurpare velles, & ego tuum si mihi vendicarem, nobis vtrumque mors esset quod erat vtrique vita. *Hic liber mandatorum Dei & lex quæ est in æternum*, inquit Propheta: *omnes qui tenent eam peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Conuertere Iacob & apprehende eam, ambula per eam ad splendorem eius contra lumen eius*, id est, iuxta & prope. *Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis*, vt ea scilicet faciamus: & ea facientes, beati simus.

Ser. 2. in oct. Paschæ. In die S. Ioann. Bapt.

Phil. 2.

Bar. 4.

Quod non tantum de ipsa beatitudinis quam vocant substantia verum est, sed de ipsis etiam particularibus circumstantiis ac quibuscumque meriti conquirendi rationibus intelligendum est, vnde Diuus Thomas, *quæcumq; alia*, inquit, *virtutum opera, ex hoc meritoria sunt apud Deum quod fiant vt obediatur Diuinæ voluntati. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret nisi hoc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis, meritoria esse non possent, sicut nec si fierent sine Charitate.*

2. 2. q. 104. a. 3.

Luc. 14. *Factum est vt imperasti*, aiebat seruus à Domino suo missus vt inuitatos vocaret ad cænam magnam, non aliud dicit quod fecerit nisi quod imperatum est; quia hoc vno bene fecit quod fecit, quia
Act. 20. factum est quod imperarat Dominus. Sic Apostolus, *dum consummem*, inquit, *ministerium quod accepi à Domino Iesu*, nihil me alia
Phil. 3. mouent: hoc vno premor, hoc vno vrgeor. *Sequor, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum a Christo Iesu; ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Quin & ipse Dominus hoc vnum sibi faciendum, aut se hoc vnum fecisse
Ioan. 4. se affirmat quod sibi quodammodo præscriptum esset; *Vt faciam*,
Ibid. 17. inquit, *voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. OPVS consummaui quod dedisti mihi* (Pater) *vt faciam.*

Adeò verum & certum est, quod si quid certò & securè fiat ad promerendam beatam æternitatem, totum in eo sit, vt quo velit Deus in loco, in statu, in tempore, cæterisque ad rem spectantibus circumstantiis, plane fiat, nec aliter: Vnde non quælibet Dei voluntas sed omnis exigitur, nulla vt pars eius desit, ne quid secu-
Coloss. 4. rum non sit: *Stetis pleni & perfecti in omni voluntate Dei. DIGNETVR vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem Bonitatis*, Id est, illam voluntatem qua primò ex bonitate sua nos vocauit ad certum vitæ degendæ statum, ne si ab illa discesserimus, non discedamus quidem ab eius voluntate, sed à voluntate bonitatis & vocationis in qua erat securitas, transeamus ad illam voluntatem Iustitiæ, quę magis dubiam & suspēsam tenet salutem.

III. PVNCTVM.

QVOCVMQVE *nos igitur Christus vocet, quasi ad cænam vocat siue conuiuium*, quia securam vocat ad vitam, in qua securitate mens ita conquiescit, quasi continuò conuiuetur, sitque illud
Is. 25. conuiuium de quo propheta: *Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Id est, Conuiuium mentis & gaudium spiritus, non carnale non mundanum, sed ab istis terrenis expurgatum, ac proinde solidum & securum. Tum paulò post subdens causam & rationem tanti gaudij, sic loquentes inducit eos qui tali gaudent gaudio: *Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius*, Id est, in illo salutis assequendæ

modo & medio quo vocationem nostram insigniuit.

Quæ certe Consideratio quanti valere debeat apud vnumquemque nostrum, vt quod tam sæpe monebat Apostolus, *Vocationem suam & ministerium suum videat & impleat*, facile est concludere, cùm nihil æque animos nostros ad agendum possit pellicere, quàm quod suaue est simul & vtile, quæ duo si separentur distrahunt animum à suscipiendo quouis opere, cum hinc vtilitas, inde suauitas illum ad se alliciat: sed si simul iungantur, tùm certe nullus est qui non id sentiat quod poëta dixit: *Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci*. Vbinam verò apertius hoc vtrumque miscetur quàm in illo certo vocationis gradu, ad quem Christus vnumquemque vocat? Quid vtilius quàm quod viam facit ad summum bonum comparandum? Quid suauius quàm quod magis certam & securam illam facit viam? *Quos prædestinauit*, inquit Apostolus, *hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit & glorificauit.* Videsne quod iam ex sancto Bernardo forte aliàs audiuisti, quàm scitè Apostolus mediam ponat vocationem inter prædestinationem & glorificationem, quasi aperte diceret, non aliter glorificari prædestinatos quam si vocationi suæ fideliter adhæreant, nec aliter efficacius cum gratia permoueri posse ad hanc fidelitatem exhibendam, quàm si attente considerent quanti hoc momenti sit, Certum salutis iter tenere. Horat. Rom. 8.

Esto non careat suis difficultatibus, tanto est iter certius, quanto est difficilius; & tanto suauius quanto certius, quando illud præsertim quod suscipitur, Deo duce suscipitur. Sola suauitas sine aliqua difficultate mihi suspecta esset, ne quid forte mei solius gratia facerem: difficultas vero si à me solo procederet, non esset tuta, quia propriæ voluntatis vitio posset inquinari: vnde illud restat securius & certius, vt quæ est à Deo asperitas, à nobis libenter acceptetur; sicque fiat cumulatè, quod faciendum in perfecta docet obedientia sanctus Gregorius: vt aliquid nempe ex nostro habeat, & aliquid ex non nostro. Verba eius sunt, *Quia nonnumquam nobis huius mundi prospera, nonnumquam verò iubentur aduersa: sciendum summopere est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque* L. 35. Mor. c. 10.

enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis seruit. Rursum cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci & contumeliæ iubentur, nisi ex seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur cum mentem ad suscipienda probra huius sæculi, nequaquam ex parte aliqua, etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia, & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis, ex suo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in aduersis tantò sit gloriosior, quantùm diuino ordini etiam ex desiderio iniungitur: & in prosperis, tanto sit verior, quantò à præsenti ipsa quam diuinitus percipit gloria funditùs ex mente separatur.

Quod vtrumque sanctus Doctor confirmat Moysis & Pauli exemplo, quorum alter gloriosum populi regimen pene renitens suscepit, alter vero intentatam Ierosolymis mortem libens adiuit; vnde & concludit: *Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi præferatur. Paulus ad aduersa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed deuotione spiritus etiam ad acriora feruescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit iubente declinare: Iste Deo aspera & dura disponente, se studuit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtrorumque Ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, PROSPERIS HVIVS SAECVLI EX SOLA IVSSIONE, ADVERTIS AVTEM ETIAM EX DEVOTIONE MILITEMVS.*

Exodi 4. Act. 21.

Pr. 7. O verba verba, in tabulis scribenda cordis tui.



FERIA TERTIA.

QVID SIT ESSE CHRISTI DISCIPVLVM.

Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Hoc est esse Christi discipulum, solius esse Christi.

RATIO hæc est inter alias quod quærenti quid sit esse discipulum Christi non potest aptioribus responderi verbis quàm quæ breuius & apertius rem totam continent.

Sed hæc verba, solius esse Christi, *rem totam de qua est quæstio, breuius & apertius continent.*

Sic fuit igitur respondendum : sic exprimenda Veritas fuit : Hoc est esse Christi discipulum, solius esse Christi.

I. PVNCTVM.

IBANT, inquit Euangelista, *turbæ multæ cum Eo :* Sat multi videlicet sequebantur Christum Dominum passibus corporis, sed non cordis, quibus tamen magis, se sequerentur, optabat. Atque vt omnibus notum faceret quid esset se sequi passibus cordis & animi, sic conuersus dixit ad illos : *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & vxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Quod confirmans allata similitudine volentis turrim ædificare vel bellum gerere, sic concludit, *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Quæ postrema sententia Veritatem maxime Practicam continens, quia iam fusius declarata fuit in 1. parte, Feria 3. Hebdomadæ quintæ post Epiphaniam : Idcircò hic aliud nihil videretur addendum : aut nisi breuius aliquid quod respondeatur indaganti & quærenti ex Verbis Domini, quid sit esse Christi discipulum ? Hoc nempe est *quod solius esse Christi.* Nec breuior posset esse responsio, nec aptior. Non ita quidem breuis esse debuit quin esset apta : Sed neque posset apta esse, nisi breuis esset. Nam hæc duo sunt singulariter quæ cuiuslibet rei definitionem commendent, si quibus fieri poterit breuioribus & aper-

tioribus verbis res tota de qua est quæstio comprehendatur. *Ete-*
1. Cor. 14. *nim si incertam vocem det tuba*, inquit Apostolus, *quis parabit se ad bellum? Volo quinque Verba sensu meo loqui vt & alios instruam, quàm decem millia Verborum in lingua*. Id est, malo & satius duco ad fructum colligendum, paucissimis Verbis & manifestis loqui, quàm multis non ita manifestis.

Nonne sic Christus *Verbum abbreuiatum dicitur & abbreuians*, Quia in se Diuina omnia continet, & quæ omnia continet tam compendiose contrahit non tantum in Euangelio, sed in sanctissimo Sacramento, vt illic discantur omnia breui compendio, nullo impendio, sicut videre est in 3. parte, Feria 6. primæ Hebdomadæ.

II. PVNCTVM.

SED *hæc Verba*, solius esse Christi, *rem totam de qua est quæstio, breuius & apertius continent.*

Nam res tota, hæc est: vt quis ita sit expeditus & denudatus omnibus, nihil vt illum plane detineat quo minùs promptè & constanter Christum sequatur, quocumque vocet. Qua in re, duo sunt præcipua Capita, quorum alterum affirmatiuum, & alterum negatiuum dici potest. Affirmatiuum est quo de Christi discipulo asseritur, quòd promptè & constanter Christum sequi debeat, quocumque Christus vocet. Negatiuum autem quo dicitur propterea cæteris omnibus illum expeditum & denudatum esse oportere, nulla vt re, nulla persona, nullo affectu detineatur, quò minus Christum vocantem prompte sequatur. Iam vero quod hæc duo quantumcumque sint ampla & varia breuiter tamen & aperte contineantur his paucis Verbis, *Solius esse Christi*, quis non videat, quis non intelligat? Cum enim dicitur *esse Christi*, totum illud quod est affirmatiuum dicitur: & voce hac *solius* totum aliud negatiuum tam manifestè comprehenditur quàm manifestum est hac voce totum excludi quo detineri posset quisquis à Christo vocatus sit. Si namque totius Christi est, quid est quod illum à Christo auocet? Aut si quid esset quo auocaretur, quomodo solius Christi esset? Nam, quod est valde notandum, non alia hîc ratione vox ista, *Solus*, vsurpatur quàm prout opponitur cæteris omnibus quæ à Christo suo sequendo discipulum

retardare

retardare possent; nec alio sensu Christus Dominus ait patrem aut matrem aut alios proximos esse habendos odio, quam prout se ipsi opponunt Christo, cum sint alioquin præ cæteris diligendi. Quamobrem illuc redit oratio, vt quæ sunt rei de qua est quæstio, duo præcipua capita comprehendantur euidenter his verbis, *solius Christi.* Sic quando dicitur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, nonne sic excluduntur alij Dei & Domini, qui se nobis opponerent contra purum veri Dei cultum? Nonne sic Apostolus, *soli Deo reddendum ait honorem & gloriam*; nulli prorsus vt creaturæ par reddi possit honor & gloria? *Deut. 6.* *1. Tim. 1.*

III. PVNCTVM.

HOC *est igitur, esse Christi discipulum*, SOLIVS ESSE CHRISTI. *Hoc est certius & apertius quod respondeti possit. Hic est præ aliis natiuus & expressus discipulorum Christi character si sint solius Christi*; si sint ita Christi, nullis vt ab Eo diuellātur creaturis, dicantq; cum Apostolo: *quis nos separabit à Charitate Christi?* Quod sanctus ille Martyr probe nouerat qui dicebat; *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam.* Hoc est quod multis iam supra Veritatibus explanatum fuit, quales sunt istæ: *S. Ignatius ex libr. S. Hier. de script. Eccles.*

Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes.

In 1. parte, Die 4. Ianuarij.

Magis tenemur omnes affectu nostra relinquere, quàm effectu Apostoli.

In 1. parte, Fer. 3. Hebd. 2. post Epiph.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homine, vnicuique Christiano est abstinendum.

In 1. p. Sabbato Hebdom. 5. post Epiph.

Quod difficillimè crederes te contra Christum esse, hoc est facillimum creditu si Christo credis.

In 2. parte, Dominica 3. Quadragesimæ.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

HIC obſeruanda eſt eadem Annotatio quæ ſeruatur in vſu diuini officij circa Euangelium proprium Dominicis ſequentibus vſque ad Aduentum.

Non poſſunt plures reſtare Dominicæ ſiue hebdomadæ quàm quinque, ſed poſſunt eſſe pauciores. Si quinque reſtent, Euangelium hodiernum eſt de Leproſo mundato & ſeruo Centurionis Sanato. De quo in 1. parte, Dominica 3. poſt Epiphaniam.

Si pauciores reſtent, conſule Directorium, & ſtatutum ſerua ordinem.

HAC HEBDOMADA, quædam occurrunt inſignes Parabolæ ſeu celebriora Chriſti Domini dicta, quibus manifeſtum relinquit quantis quámque ſuauibus ad ſe libertatem noſtram alliciat modis; Et contrà quantis ſe illi noſtra libertas opponat viis. *Ex vno S. Luca.*

FERIA SECVNDA.

DE COENA MAGNA.

Homo

Homo quidem fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Sicut nullis cœna est, nisi vocatis; sic nulli vocantur à Domino, nisi ad cœnam.

Quocumque nos Christus vocet, quasi ad cœnam vocat siue conuiuium.

R ATIO *postremæ partis quæ sola difficultatem habet, hæc est inter alias: Quod secura mens dicitur quasi iuge conuiuium.*

Sed quocumque nos Christus vocet, sic vocat ad securam illam mentem, vt in eo solum quò vocat, sit illa secura mens.

Ergo & quocumque nos vocet, quasi ad cœnam vocat siue conuiuium: quò tamen ire multi refugiunt, quasi iuge tormentum esset eò ire, vel ibi stare.

I. PVNCTVM.

CVM Dominus à quodam Principe Pharizæorum inuitatus esset ad prandium, multaque more suo de virtutibus & de futura bonorum operum compensatione dissereret, Quidam è discumbentibus loquentem eum ita miratus est vt palam in has voces eruperit: *Beatus qui manducabit panem in regno tuo.* Tum verò Dominus illustrem illam Parabolam de vocatis ad cœnam magnam, & venire nolentibus proposuit, quæ cum multa significet, pro vario Scripturæ sensu, iam quidem de illa dictum est in 2. parte, prout repræsentat Sanctissimum Sacramentum; nunc autem opportune ad finem nobis in hac hebdomada propositum rursus exhibetur, vt agnoscamus quàm suauiter nobiscum agat Dominus cùm ad sui cultum & obsequium nos omnes vocat, quemcumque tandem in vitæ statum vel perfectionis gradum nos aduocet, vel quidquid in eo difficultatis, &

cœli, quoddam sit veluti cœlum, & proinde quasi iuge conuiuium. Vide ibi dicta.

II. PVNCTVM.

SED *quocumque nos Christus vocet, sic certò vocat ad securam illam mentem, vt in eo solùm quò vocat, sit mens illa secura.*

Quæ securitas hîc haberi possit, docet sanctus Bernardus, & refertur in 2. & 3. parte, quo præsupposito, nihil ex omnibus æquè potest esse securum quam quod ex Diuina manat sapientia, quæ cum falli non possit in mediis ordinandis ad salutem, non potest etiam quemquam fallere: vnde duo illa sequuntur euidenter, & quod secure procedat qui, vt ait Iob, *vestigia eius sequitur*, & quod extra illum nulla possit esse securitas; Quod vtrumque complexus Apostolus: *Cum metu*, inquit, *& tremore, vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Id est, prout ordinauit & vnicuique præscripsit, in eoque metus & tremor quem commendat, vertitur, vt ne quis vltrà vel citrà progrediatur quàm Ipse Deus velit: nam ipsa est Eius Voluntas quæ suum ita omnibus statuit ordinem & certum medium, ad æternam consequendam beatitudinem, vt quod est meum si vsurpare velles, & ego tuum si mihi vendicarem, nobis vtrumque mors esset quod erat vtrique vita. *Hic liber mandatorum Dei & lex quæ est in æternum*, inquit Propheta: *omnes qui tenent eam peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Conuertere Iacob & apprehende eam, ambula per eam ad splendorem eius contra lumen eius*, id est, iuxta & prope. *Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis*, vt ea scilicet faciamus: & ea facientes, beati simus.

Ser. 1. in oct. Paschæ. In die S. Ioann. Bapt.

Phil. 2.

Bar. 4.

Quod non tantum de ipsa beatitudinis quam vocant substantia verum est, sed de ipsis etiam particularibus circumstantiis ac quibuscumque meriti conquirendi rationibus intelligendum est, vnde Diuus Thomas, *quæcumq; alia*, inquit, *virtutum opera, ex hoc meritoria sunt apud Deum quod fiant vt obediatur Diuinæ voluntati. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret nisi hoc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis, meritoria esse non possent, sicut nec si fierent sine Charitate.*

2. 2. q. 104. a. 3.

Luc. 14. *Factum est vt imperasti*, aiebat seruus à Domino suo missus vt inuitatos vocaret ad cænam magnam, non aliud dicit quod fecerit nisi quod imperatum est; quia hoc vno bene fecit quod fecit, quia
Act. 20. factum est quod imperarat Dominus. Sic Apostolus, *dum consummem*, inquit, *ministerium quod accepi à Domino Iesu*, nihil me alia
Phil. 3. mouent: hoc vno premor, hoc vno vrgeor. *Sequor, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum a Christo Iesu; ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Quin & ipse Dominus hoc vnum sibi faciendum, aut se hoc vnum fecis-
Ioan. 4. se affirmat quod sibi quodammodo præscriptum esset; *Vt faciam*,
Ibid. 17. inquit, *voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. OPVS consummaui quod dedisti mihi* (Pater) *vt faciam.*

Adeò verum & certum est, quod si quid certò & securè fiat ad promerendam beatam æternitatem, totum in eo sit, vt quo velit Deus in loco, in statu, in tempore, cæterisque ad rem spectantibus circumstantiis, plane fiat, nec aliter: Vnde non quælibet Dei voluntas sed omnis exigitur, nulla vt pars eius desit, ne quid secu-
Coloss. 4. rum non sit: *Stetis pleni & perfecti in omni voluntate Dei. DIGNETVR vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem Bonitatis*, Id est, illam voluntatem qua primò ex bonitate sua nos vocauit ad certum vitæ degendæ statum, ne si ab illa discesserimus, non discedamus quidem ab eius voluntate, sed à voluntate bonitatis & vocationis in qua erat securitas, transeamus ad illam voluntatem Iustitiæ, quę magis dubiam & suspēsam tenet salutem.

III. PVNCTVM.

QVOCVMQVE *nos igitur Christus vocet, quasi ad cænam vocat siue conuiuium*, quia securam vocat ad vitam, in qua securitate mens ita conquiescit, quasi continuò conuiuetur, sitque illud
Is. 25. conuiuium de quo propheta: *Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Id est, Conuiuium mentis & gaudium spiritus, non carnale non mundanum, sed ab istis terrenis expurgatum, ac proinde solidum & securum. Tum paulò post subdens causam & rationem tanti gaudij, sic loquentes inducit eos qui tali gaudent gaudio: *Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius*, Id est, in illo salutis assequendæ

modo & medio quo vocationem nostram insigniuit.

Quæ certe Consideratio quanti valere debeat apud vnumquemque nostrum, vt quod tam sæpe monebat Apostolus, *Vocationem suam & ministerium suum videat & impleat*, facile est concludere, cùm nihil æque animos nostros ad agendum possit pellicere, quàm quod suaue est simul & vtile, quæ duo si separentur distrahunt animum à suscipiendo quouis opere, cum hinc vtilitas, inde suauitas illum ad se alliciat: sed si simul iungantur, tùm certe nullus est qui non id sentiat quod poëta dixit: *Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci*. Horat. Vbinam verò apertius hoc vtrumque miscetur quàm in illo certo vocationis gradu, ad quem Christus vnumquemque vocat? Quid vtilius quàm quod viam facit ad summum bonum comparandum? Quid suauius quàm quod magis certam & securam illam facit viam? *Quos prædestinauit*, inquit Apostolus, *hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit & glorificauit.* Rom. 8. Videsne quod iam ex sancto Bernardo forte aliàs audiuisti, quàm scitè Apostolus mediam ponat vocationem inter prædestinationem & glorificationem, quasi aperte diceret, non aliter glorificari prædestinatos quam si vocationi suæ fideliter adhæreant, nec aliter efficacius cum gratia permoueri posse ad hanc fidelitatem exhibendam, quàm si attente considerent quanti hoc momenti sit, Certum salutis iter tenere.

Esto non careat suis difficultatibus, tanto est iter certius, quanto est difficilius: & tanto suauius quanto certius, quando illud præsertim quod suscipitur, Deo duce suscipitur. Sola suauitas sine aliqua difficultate mihi suspecta esset, ne quid forte mei solius gratia facerem: difficultas vero si à me solo procederet, non esset tuta, quia propriæ voluntatis vitio posset inquinari: vnde illud restat securius & certius, vt quæ est à Deo asperitas; à nobis libenter acceptetur; sicque fiat cumulatè, quod faciendum in perfecta docet obedientia sanctus Gregorius: vt aliquid nempe ex nostro habeat, & aliquid ex non nostro. Verba eius sunt, *Quia nonnumquam nobis huius mundi prospera, nonnumquam verò iubentur aduersa: sciendum summopere est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque* L. 35. Mor. c. 10.

enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis seruit. Rursum cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci & contumeliæ iubentur, nisi ex seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur cum mentem ad suscipienda probra huius sæculi, nequaquam ex parte aliqua, etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia, & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis, ex suo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in aduersis tantò sit gloriosior, quantùm diuino ordini etiam ex desiderio iniungitur: & in prosperis, tanto sit verior, quantò à præsenti ipsa quam diuinitus percipit gloria funditùs ex mente separatur.

Quod vtrumque sanctus Doctor confirmat Moysis & Pauli exemplo, quorum alter gloriosum populi regimen pene renitens suscepit, alter vero intentatam Ierosolymis mortem libens adiuit; vnde & concludit: *Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi præferatur. Paulus ad aduersa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed deuotione spiritus etiam ad acriora feruescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit iubente declinare: Iste Deo aspera & dura disponente, se studuit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtrorumque Ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, PROSPERIS HVIVS SAECVLI EX SOLA IVSSIONE, ADVERTIS AVTEM ETIAM EX DEVOTIONE MILITEMVS.*

Exodi 4. *Act. 21.*

Pr. 7. O verba verba, in tabulis scribenda cordis tui.



FERIA TERTIA.

QVID SIT ESSE CHRISTI DISCIPVLVM.

Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus. Luc. 14.

VERITAS PRACTICA.

Hoc est esse Christi discipulum, solius esse Christi.

RATIO hæc est inter alias quod quærenti quid sit esse discipulum Christi non potest aptioribus responderi verbis quàm quæ breuius & apertius rem totam continent.

Sed hæc verba, solius esse Christi, *rem totam de qua est quæstio, breuius & apertius continent.*

Sic fuit igitur respondendum : sic exprimenda Veritas fuit : Hoc est esse Christi discipulum, solius esse Christi.

I. PVNCTVM.

IBANT, inquit Euangelista, *turba multa cum Eo :* Sat multi videlicet sequebantur Christum Dominum passibus corporis, sed non cordis, quibus tamen magis, se sequerentur, optabat. Atque vt omnibus notum faceret quid esset se sequi passibus cordis & animi, sic conuersus dixit ad illos : *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & vxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Quod confirmans allata similitudine volentis turrim ædificare vel bellum gerere, sic concludit, *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Quæ postrema sententia Veritatem maxime Practicam continens, quia iam fusius declarata fuit in 1. parte, Feria 3. Hebdomadæ quintæ post Epiphaniam : Idcircò hic aliud nihil videretur addendum : aut nisi breuius aliquid quod respondeatur indaganti & quærenti ex Verbis Domini, quid sit esse Christi discipulum ? Hoc nempe est *quod solius esse Christi*. Nec breuior posset esse responsio, nec aptior. Non ita quidem breuis esse debuit quin esset apta : Sed neque posset apta esse, nisi breuis esset. Nam hæc duo sunt singulariter quæ cuiuslibet rei definitionem commendent, si quibus fieri poterit breuioribus & aper-

retardare possent; nec alio sensu Christus Dominus ait patrem aut matrem aut alios proximos esse habendos odio, quam prout se ipsi opponunt Christo, cum sint alioquin præ cæteris diligendi. Quamobrem illuc redit oratio, vt quæ sunt rei de qua est quæstio, duo præcipua capita comprehendantur euidenter his verbis, *solius Christi.* Sic quando dicitur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, nonne sic excluduntur alij Dei & Domini, qui se nobis opponerent contra purum veri Dei cultum? Nonne sic Apostolus, *soli Deo reddendum ait honorem & gloriam*; nulli prorsus vt creaturæ par reddi possit honor & gloria? *Deut. 6.* *1. Tim. 1.*

III. PVNCTVM.

HOC *est igitur, esse Christi discipulum*, SOLIVS ESSE CHRISTI. *Hoc est certius & apertius quod responderi possit. Hic est præ aliis natiuus & expressus discipulorum Christi character si sint solius Christi*; si sint ita Christi, nullis vt ab Eo diuellãtur creaturis, dicantq; cum Apostolo: *quis nos separabit à Charitate Christi?* Quod sanctus ille Martyr probe nouerat qui dicebat; *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam.* Hoc est quod multis iam supra Veritatibus explanatum fuit, quales sunt istæ: *S. Ignatius ex libr. S. Hier. de script. Eccles.*

Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes.

In 1. parte, Die 4. Ianuarij.

Magis tenemur omnes affectu nostra relinquere, quàm effectu Apostoli.

In 1. parte, Fer. 3. Hebd. 2. post Epiph.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homine, vnicuique Christiano est abstinendum.

In 1. p. Sabbato Hebdom. 5. post Epiph.

Quod difficillimè crederes te contra Christum esse, hoc est facillimum creditu si Christo credis.

In 2. parte, Dominica 3. Quadragesimæ.

Quod petenti Christo iuxta Crucem non negasses, hoc à te semper petit, hoc illi numquam negandum.

Quod nouo negatur homini contra veterem, hoc indulgetur veteri contra nouum.

In 2. p. Feria 6. & Sabbato Hebdom. Passionis.

Solum pietatis genus est, in re saluti aduersa, suis esse crudelem.

In 3. p. Fer. 3. Hebdom. 5.

Non tam spectatur quid dones pro diuinis, quàm quid non dones.

In 3. p. Fer. 6. Hebd. 8.

Affectum probat effectus.

In 3. p. Fer. 2. Hebd. 9. Vide & Fer. 5. Hebd. 11.

Christo non seruit, qui Christo quidem laborat, sibi verò quiescit.

Quod præsertim spectat Christus, non est quid ad se afferas, sed quid à te auferas.

In 3. p. Fer. 2. & 3. Hebd. 13.

Vel Domino Deo, vel libidini renuntiandum.

In 3. p. Dominica 14.

Quarum omnium Veritatum Praxis eò spectat, vt solius Christi simus: in qua Praxi cum sit illud arduum & difficile, cæteris se omnibus abdicare, difficultatem peruincat Consideratio iam proposita, quod non sis aliter Christi discipulus. Quidquid sit quo te abdices, vel quæcumque sit difficultas in eo deserendo: majus & grauius tibi aliquid subministrabit hæc Consideratio, quo difficultas retundatur. Deserendane mundi Gloria? Sed quid gloriosius quam sequi Christum? Timetur forte probrum aliquod? Sed quid probrosius quàm à Christo deficere? Rei externæ & domesticæ si damna metuis, cur non potius metuas rei damna internæ & spiritalis quæ incurres? Numquid decedet aliquid de solita viuendi jucunditate, si tam arctè te constringas vt sis Christi discipulus?

at perpende, quid mœroris esse possit si ne decedat aliquid de solita viuendi iucunditate, decedas ex tali debito quo astringeris ad vnius Christi obsequium? Perpende quid dicat Sapiens: *Sapientiam enim & disciplinam qui abjicit, infælix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.* Sap. 3.

FERIA QVARTA.

DE OVE PERDITA, QVÆSITA ET INVENTA A PASTORE.

Cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15.

VERITAS PRACTICA.

Numquam magis eris tuus, quàm cum minùs eris tuus vt sis totus Christi.

RATIO EST, Quia numquam magis eris tuus, quàm cùm teipso in salutem tuam vtéris melius.

Sed numquam teipso in salutem tuam vtéris melius, quàm cum minus eris tuus vt sis totus Christi.

Ergo nec vmquam aliter magis eris tuus; ac proinde libenter totus à te deficias oportet vt sis Christi totus.

I. PVNCTVM.

ERANT appropinquantes ei, Publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Pharizæi & Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos Parabolam istam, dicens: quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, &

vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?

Vide quæ plura leguntur in Euangelico textu, & supra in 3. parte, Dominica 3. post Pentecosten, ex quibus consideranda venit præcipue tanta Pastoris tui bonitas qui te olim perditum mira quæsiuit solicitudine, nec minori cura te inuentum conseruat, & sibi tam arcte jungit, vt suis velut humeris te portare non dedignetur, vt sic te totum habeat, te totum possideat, te totum sibi vendicet. Nonne id libens voles? An forte metues ne quid tibi de te pereat si fueris Christi totus? nil metue. *Numquam magis eris tuus quam cum ita minus eris tuus, vt sis solius Christi.*

Quæ proposita Veritas opportune præcedentem sequitur, & sequentes præcedit, vt simul conglobatis testimoniis magis ac magis innotescat quantum diuinæ debeas Bonitati, ac vehementius incendaris ad teipsum illi totum dedendum, consecrandum.

Vt autem facilius procedat Ratio quæ Veritatem demonstret, obseruandum est tribus modis inter alios, hominem dici suum. Primo, Condicione libera quæ opponitur seruituti. Sicut enim seruus non est suus sed sui Domini; sic liber ab illa seruitute potest dici suus; de qua libertate vel seruitute, nulla hic quæstio.

Secundo, quilibet hominum, siue liber siue seruus, dicitur suus, quòd quidquid bene vel male agat moraliter, liberè agat; sitque ita suarum Dominus actionum cùm internarum tùm externarum, vt nulla vi cogi possit, ad bonum benè vel ad malum male agen-
L. 1. de fide c. 3. dum nisi prout velit. Sic expresse sanctus Ambrosius: *Operatur prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio.* Sic sanctus Gregorius Nazianzenus: *arbitrij libertas, parem in vtramque partem, motum habet.*
L. de gr. & lib. arb. c. 2. Et sanctus Augustinus tale in homine liberum esse arbitrium ait Deum nobis per Scripturas sacras reuelasse quarum hæc est insignis ex Sapiente sententia; *Deus reliquit hominem in manu consilij*
Eccles. 15. *sui, adjecit mandata & præcepta. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te: Apposuit tibi ignem & aquam, Ad quod volueris, porriges manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Sic itaque tuus es, dum teipso libere potes vti vel ad bonum vel ad malum.

Sed tertiò, longe magis tuus eris si quemadmodum prima refert propositio, tu teipso tantum vtaris ad bonum, ad virtutem, ad salutem, ad æternum & beatum finem tuum. Nam cùm vniuersim ex libero tui vsu, tuus sis; profecto quanto erit liberior &

melior ille tui vsus, tanto & magis tuus eris. Certum est autem quod tui vsus ab bonum, melior est vsus quàm ad malum; quod autem dici etiam possit liberior, ex eo patet, quod alter qui est ad malum, sic pelliciatur & corrumpatur à natura deprauata vt captiuari dicatur & seruire, vnde & dicuntur *serui corruptionis*, serui propriæ voluntatis, serui concupiscentiæ, mancipia Dæmonis & peccati, *à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. An non seruus*, inquit S. Bernardus, *cui dominatur iniquitas? Et maxime. Nisi tu forte indignius iudices, hominem tibi quàm vitium dominari. Quid interest volens seruias, an inuitus. Nam etsi coacta seruitus miserabilior, sed affectata miserior est.* Non ita verò seruit qui se in bonum vtitur, sed contra libere potius dominatur libidini, naturæ imperat, & de peccato triumphat. *Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem: finem verò, vitam æternam.* 2. Pet. 2. L. 1. de consid. c. 4. Rom. 6.

Seruit quidem Iustitiæ, seruit rationi, seruit Gratiæ, seruit Deo: sed ista seruitus, bona libertas est; seruitus quidem peccati libertas quædam est sed mala, & malus libertatis vsus; non enim idcirco data est libertas vt male vtaris & abutaris in malum: sed potius vt bene in bonum vtaris, quod est pluribus demonstratum in 2. parte, Sabbato Sancto: vnde id tandem sequitur quod tanto magis tuus sis quanto magis bene, magis laudabiliter & probatè tu teipso vtéris, quia hic est proprius tuæ libertatis seu liberi tui vsus, finis & perfectio. Quod vel ex eo maxime confirmatur quod qui etiam temporalibus negotiis licet ex se non malis, nimis tamen addicti sunt, non tam dicuntur sui quàm qui sibi suæque saluti attentius vacant, vnde idem sanctus Bernardus Eugenio Papæ; *Cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui?* Et post multa: *Memento proinde, non dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum reddere teipsum tibi. Vtere tu quoque te inter multos, aut certe post multos.* Quasi diceret, hic est proprius tui vsus cum te vtéris in salutem tuam, sicque magis vere poteris dici tuus. Ibid. c. 5.

II. PVNCTVM.

SED *numquam teipso in salutem tuam vtéris melius, quàm cùm minus eris tuus, vt sis totus Christi.*

Tria distinctè sunt enucleanda. Primum quid sit *minus esse tuum*, nempe mala libertate, seu malo libertatis vsu, quasi diceretur, minus tibi esse indulgentem, minus te tua vti libertate ad malum perpetrandum, minus tuis cedere cupiditatibus. *Non configuratum esse prioribus ignorantiæ tuæ desideriis, sed secundum eum qui vocauit te sanctum, & ipse in omni conuersatione sanctus sis*, vt ait sanctus Petrus.

1. Pet. 1.

Secundum est, quod sic oportet minus esse tuum vt sis totus Christi: nam nisi vetus homo exuatur, nouus non induitur: sic est positus Christus in ruinam & in resurrectionem multorum vt quorum est resurrectio sit eorum prius ruina. Sic granum frumenti cadens in terram prius debet corrumpi & mori vt faciat fructum; De quibus passim supra in aliis partibus, atque infra etiam in hac parte, Fer. 5. sequentis hebdomadæ, vbi hæc Veritas exponetur:

Luc. 2.

Non minus expedit ad salutem vt vetus homo moriatur in nobis, quàm vt nouus homo moreretur pro nobis.

Et quia sic ipse nouus homo Christus non resurrexit nisi postquam fuit mortuus, sic qui prius cum illo moriuntur vt simul etiam cum illo resurgant, dicuntur illi maxime similes, quod sic egregie sanctus Diadochus, Diuo Hieronymo ætate par: *Omnes*, inquit, *homines sumus ad imaginem Dei: Illud autem ad similitudinem, illorum tantum est qui per multam Charitatem, libertatem suam Deo in seruitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei qui nos sibi per Charitatem reconciliauit.*

Lib. de perfect. c. 4.

Tertium denique, quod numquam teipso in salutem tuam vteris melius, quàm cùm sic totus fueris Christi, quia quando vel hoc vnum esset, *te totum esse Christi*, hoc vnum sufficeret ad salutem & perfectionem, vt declaratum est in illa Veritate quæ habetur in 2. p. Fer. 3. Quinquagesimæ: *Quo magis Christo subjicimur, eo magis erigimur.* Sed & præterea vere hinc dici potest quod Sapiens de Sapientia prædicabat: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Quid enim certius ad salutem, aut quid vberius ad omne meritum, quàm ab eo dirigi in cuius manu *voluntas Domini dirigitur*, vt est apud Prophetam. Quis autem dubitet quin à Christo dirigatur in omnibus quisquis se Christi totum profitetur? *Hæc enim dicit Do-*

Sap. 7.

Is. 53.

Iob. 48.

minus, Redemptor tuus, sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas.

III. PVNCTVM.

NVMQVAM *igitur magis eris tuus, quàm cùm minus eris tuus, vt sis totus Christi*; quia sic numquam melius tecum à teipso esse potest, quod est propriè tuum esse, & quod tam verè à Christo est quàm verè dicitur à Propheta, *Dominus Iustus noster*, vel à sancto Apostolo: *qui factus est nobis sapientia & Iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur.* Id est, qui aliquid gloriosum, sibi comparare voluerit, id à Christo putet hauriendum. Vel sic potius, si quid gloriosè quispiam gesserit, gloriam Christo referat, quia tota rei bene gestæ laus illi debetur & gloria. *Ier. 23.* *1. Cor. 1*

Sic ad ipsam totius Veritatis Praxim, apte sanctus Ambrosius: *Qui ad Deum regreditur, se sibi reddit: qui recedit à Christo, se sibi abdicat.* Sanctus item Augustinus non minus piè quam acutè: *Nescio*, inquit, *quo inexplicabili modo quisquis seipsum non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se: cùm vero ille diligetur de quo viuitur, non se diligendo magis diligit qui propterea se non diligit, vt eum diligat de quo viuit.* *In Lucam* *Tr. 123 in Ioan.*

Nonne ouis sibi sola relicta perierat? Et nonne tunc magis sua fuit cum minus sua facta est, quando scilicet in Pastoris venit manum? Nonne sic adolescens ille filius de quo proximè sequenti die, numquam magis sibi est redditus & totus suus factus, quàm cum in paternam rediit potestatem, vt totus esset Patris? Sic te vni Christo trade regendum, nec putes tibi vmquam melius quàm quod sæpe putas deterius. Contemplare rursus syuestre lignum vel obtusum vel impolitum lapidem, in cuiusdam periti manu artificis qui nobilem inde formet effigiem. An putas quot à ligno vel lapide segmenta detrahit artifex, tot sunt ligni vel lapidis detrimenta vel Incrementa? Non est dubium quin esse dicas incrementa & decora, si cogites inde formari effigiem ex detractis segmentis. Sic plane de te cogita, cum tua tibi vides eripi vel perire, sic poliris, sic efformaris, sic aptaris in formam & imaginem ipsius Christi, qui quantum de nostro à nobis detrahit, tantum de

ſuo nobis reſtituit: & tanto nos magis noſtros facit, quanto ipſi nos minus noſtros facimus, vt ipſe de nobis quod velit, faciat. Sic Ille propterea, *Fili, ſine me*, inquit, *tecum agere quod volo, ego ſcio quid expedit tibi. Tu cogitas vt homo, tu ſentis in multis ſicut humanus ſuadet affectus*; Vide quæ plura ſequuntur, annotato loco; & aſſume conformem animum. Videri etiam poteſt in 1. parte, die 6. Decembris, hæc valde affinis Veritas:

L.3. de Imit. Chr. c.17.

Numquam melius ſibi prouidet Chriſti ſeruus, quam ſi nihil ſibi retinens, totum ſe Domino ſuaque omnia conſecret.

FERIA QVINTA.

DE FILIO PRODIGO.

Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas Porci manducabant, & nemo illi dabat. Luc. 15.

VERITAS PRACTICA.

Qui ſe à Chriſto ſubducit vt fœliciùs viuat, viuit miſeriùs ipſo miſero Prodigo.

RATIO EST, *Quia ex duobus miſeris ille cenſetur miſerior qui à meliori ſtatu decidit in peiorem.*

Sed qui ſe à Chriſto ſubducit vt liberius & fœlicius viuat, à meliori ſtatu decidit in peiorem.

Ergo ille eſt miſerior; ac proinde cauendum à noſtra libertate quæ nos à Chriſti ductu & gubernatione retrahit.

I. PVN-

I. PVNCTVM.


QVÆ in textu Euangelio sequitur consideranda Parabola de filio qui vulgò dicitur Prodigus legi potest, & ex multis quibus abundat documentis, illud præcipuè colligi quo patebit quale sit Bonum, regi à Christo, quale autem malum, se ab eius regimine & ductu retrahere. *Nam qui se ab eo retrahit vt liberiùs viuat, non modo miser euadit vt iste perditus: sed eò longè miserior, quo à statu meliori excidit in peiorem.* Hinc enim miseria status est agnoscenda, cùm quis à florenti decidit in abiectum, & quo florentior seu melior fuerit ille status à quo decidit, quouè ille abiectior in quem est lapsus, eò censeri debet miserior. Sic quando repræsentatur primi Angeli lapsus & infœlicitas, primò describitur qualis esset ante lapsum: *Qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Et rursum: Is. 14.
Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & decore, perfectus in viis tuis, à die condicionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te, Tum Ez. 28.
paucis interjectis, *nihili factus es; & non eris in perpetuum*, id est, neque vmquam redibis in eum statum vnde excidisti. Sic vniuersim de homine: *Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus* Ps. 48.
est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sic particulatim de quibusdam: *Quando procedebam ad portam ciuitatis*, inquit de se Iob. 29.
Iobus, *& in platea parabant cathedram mihi, videbant me Iuuenes &* 30.
abscondebantur & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui. Et quæ fusius ibi prosequitur, ac post subdit: *Nunc autem derident me Iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur.* Sic de Nabuchodonozore, Propheta Daniel ad filium eius Balthazarem: *ô Rex, Deus altissimus, regnum & ma-* Dan. 5.
gnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonozor Patri tuo, Et propter magnificentiam quam dederat ei, vniuersi populi, tribus & linguæ tremebant & metuebant eum: quos volebat, interficiebat, & quos volebat, exaltabat. Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & à filiis hominum deiectus est, sed & cor eius cum bestiis positum est, &

cum onagris erat habitatio eius, fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum est. Sic de Rege Antiocho: *qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere: nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur: & qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.*

In quibus & aliis illorum exemplis omnium qui recensentur infœlices, non aliter apertius eorum infœlicitas exhibetur quàm priùs demonstrando quam fœlices essent.

Quod vt fructuosius etiam ad rem præsentem accommodes, aduerte tria esse quæ statum florentem faciunt pro triplici genere Boni, nempe Honestas seu honor, Commoditas, & Iucunditas: Vnde illud sequitur vt quo honoratior erat status, quo commodior & ad Iucunditatem vitæ suauior; eo miseria major si in opposita mala mutetur, si in dedecus, in egestatem, & pœnas corporis aut animi. Nonne est ita? Nonne sic propterea miserandus est iste Prodigus quod à nobili filio-familias in pastorem porcorum euaserit, à rerum omnium copia ad eam inopiam redactus fuerit vt ne quidem porcorum reliquias sibi vendicare posset; ab illa denique vitæ iucunditate qua totos dies in paterna domo fruebatur, in illos corporis & animi cruciatus exciderit quos quotidiana fames excitat, & in pascendis porcis operæ collocatæ infamia. *Quanti mercenarij*, tum in se reuersus inquiebat, *in domo patris mei abundant panibus! Ego autem hic fame pereo!* O si saltem sic posses in te reuerti.

II. PVNCTVM.

SED *qui se à Christo subducit vt liberius & fœlicius viuat; à florentiori seu meliori statu excidit in peiorem.*

Id est, ab eo statu excidit in quo triplex illa boni ratio, honesti, vtilis & iucundi magis reperitur; & in oppositum deuoluitur, vbi est majus dedecus, difficilior egestas, & pœna grauior. Sic autem facile demonstratur. Nam primo quid est honestum & quale in prodigo erat antequam è paterna domo egrederetur? Vel dixeris aliquid quod non probetur à Deo, vel quod probetur: si non probetur, vt mundana illa vanitas in qua solet vulgus honesti nomen

ponere, non est in quæstionem adducendum. Si quid vero sit quod probetur, si recte composita domus eius esset, si sapientiæ laude commendatus Pater, si filius obsequens Patri, nihil prorsus nisi ex eius præscripto faceret, atque adeo nihil nisi quod rationis regula penderetur; est illud quidem honestum tam Deo quàm hominibus gratum & probatum: sed vbinam certiùs illud honestum reperias? An apud patrem Prodigi quantumuis sapientem, an apud Christum qui diuina ipsa est Sapientia? Si dici potest honesta viuendi ratio filij qui se à Patre vel à quouis prudenti viro regi sinit, quantò ea potius dici de illo poterit qui se totum Christo regendum tradidit? Quæ comparatiò Christi & hominis? Quænam humanæ cum diuina sapientia potest esse contentio? Si Sapiens affirmabat se propter suam sapientiam habiturum *claritatem ad turbas, & honorem apud seniores*, etiamsi Iuuenis esset: quanto putas, illa Christi Sapientia quæ tota impenditur in his regendis qui se illi gubernandos dedunt, majorem & veriorem afferet claritatem, non tantum Christo sed & iis omnibus qui ab ea reguntur? Illa illa Sapientia est de qua verissimè dicitur, *Innumerabilis honestas per manus illius.* Sap. 8. Sap. 7.

De Vtilitate vero quis dubitet longe ampliorem in Christi ductu quàm in domo cuiuspiam ditissimi Patris familias? Date huic adolescenti prodigo quantum libuerit bonorum temporalium: non coæquabunt omnia vel vnum minimum gratiæ gradum qui à Christo percipitur. *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua: & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Ibid.

Deinde addo, quod licet æqualis esset temporalium & spiritualium bonorum valor, tanta est tamen abundantia gratiarum & donorum cœlestium in illo viuendi genere quod Christo duce traducitur, atque ita per totos crescunt non solùm annos, non solùm menses, non solùm dies, sed per singula quæque dierum momenta, vt tantam sibi vel auarus quilibet, non possit per longum vitæ spatium, comparare bonorum copiam, quantam vir religiosus, & fidelis Christi sectator, paucis diebus poterit à Christo suo possidere. *Nam habenti dabitur, & abundabit. Vt ostenderet abundantes diuitias gratiæ suæ.* Solius est Apostoli de his loqui diuitiis, nam & sibi hanc singulariter asserit *datam gratiam euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* Matth. 25. Ephes. 2. Ibid. 3.

Denique, quando etiam concederemus æquales in vtrisque nu-

mero diuitias, & licet daremus prodigo tantum pecuniæ quantum suis Christus dat gratiæ, non esset tamen tanta eius vtilitas neque tam florens ex hac parte fortuna prodigi, quanta Christi sectatoris. Nam quorsum illa tandem pecunia, quæ nam eius potest esse vtilitas si cum vtilitate gratiæ comparetur; Recte enim
L.1.Off.c.9. sanctus Ambrosius: *Nos autem nihil omnino nisi quod deceat & honestum sit futurorum magis quam præsentium metimur formula: nihilque vtile nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, definimus.*

Restaret de Iucunditate dicere nisi iam supra multis in locis & variis modis demonstratum esset, quanto sit suauius Christo seruire quam mundo vel libidini. Nam vel ipsa quæ à Christo est tristitia magis iucunda est quàm quæ à mundo Iucunditas, vt habetur in 2. p. Dom. 3. post Pascha. Et maior est voluptas voluptatem nolle, quam velle: seu Voluptatem vicisse, quam cæpisse, vt declaratur in 3. p. vbi de Voto Castitatis. Quod genus Iucunditatis, in sola voluptatis priuatione positum, si tale est vt superet omnem mundi voluptatem, quale illud erit quod in ipsis quas vocant po-
Phil. 4. sitiuis & infusis à Deo deliciis spiritualibus, quæ *exuperant omnem sensum*, omnem dicendi & cogitandi facultatem? Quid de tran-
Apoc. 2. quillitate Conscientiæ quæ est manna absconditum? quid de se-
Prou. 15. curitate mentis quæ est iuge Conuiuium? quid de amore recipro-
Cant. 1. co Christi amantis & amatæ sponsæ quod est osculum oris castissi-
Marci 10. mum? quid de ipso dicam centuplo quod in mediis persecutionibus adeo non tollitur vt ibi potissimum sentiatur?

Non sic ille adolescens Prodigus, non sic ille domi suæ contentus dici potest vixisse, cum inde egredi non petierit nisi quia domi contentus non viuebat, & nisi quia sperabat se alibi reperturum quod domi quærebat nec inueniebat. Quamobrem ex hac parte iam habemus quod status ille viuendi qui Christo duce & Gubernatore vitæ peragitur longe est eminentior & florentior quàm qui esse potuerit illius filij qui è paterno ductu seipsum emancipauit; vnde quando par esset vitæ calamitas in quam vterque decidit cùm genus vitæ mutat, miserior tamen esset illius qui se à Christo subduceret quàm alterius, quia scilicet ex altiori loco caderet, qui certe casus esset calamitosior. At quantò id magis verum esse agnoscetur si & ipsa est longe impar & inæqualis calamitas, si quam incurrit Christi desertor miseria multo est dirior & infœlicior quàm quæ miseri prodigi spectanda nobis proponitur.

Hoc est quod sequitur exponendum, & per mala gradiendum opposita tribus illis bonis in quibus dictum est stare florentem statum; nempe honesto dedecus, vtili paupertas, & iucundo pœna opponitur. Nec immorandum longiùs quam acerba hæc prodigum tria mala circumdarent, patent enim apertius quàm vllo possint sermone promi. Quid enim nobili filio dedecorosius quàm porcarium fieri? Quid egentius quam sola porcorum esca nutriri? Quid dolentius quam ne ipsa quidem posse vti? Sed videamus attentius quam longe hæc grauiora inuoluant eum qui relicto Christo sibi viuit!

Primò quidem maius est dedecus, quia de seruo Christi fit seruus Diaboli, fit seruus sui naturalis appetitus per quem in homine Dæmon regnat; à Christi ductu transit in ductum Dæmonis: & quando ille solum inordinatus spectaretur appetitus, pars illa est animalis in homine quæ si nobis dominatur, nos infra, nos ipsos infra porcos & alias quaslibet immundas & fœdas demittit animantes. Neque enim vllum Deo pecus ita inuisum est & odiosum quàm iste animalis appetitus qui se Deo non veretur opponere, repugnare, anteferre: ac proinde non porcus solum sed sus reuoluta seu *lota in volutabro luti dicitur*, cuius qui fit seruus certe infamior & sordidior efficitur quam ille porculator qui pascentes & minus sordidos pascebat porcos. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas? COMPVTRVERVNT iumenta in stercore suo. VISITABO super viros defixos in fæcibus suis.* Potestne de viro religioso, de viro qui Christum aliquando vitæ suæ ducem habuit, probrosius aliquid pronuntiari?

2. Pet. 2.
Ier. 2.
Ioel. 1.
Soph. 1.

De indigentia vero spiritali quæ damnosior est temporali, quid attinet dicere cùm Christus euidenter suo desertori dicat: *Et nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus.* In quibus verbis tria insunt quæ hanc extremam indicent esse miseriam, Primum est esse nudum, id est, exutum omni prorsus bono, quod & postea repetit, *non appareat confusio nuditatis tuæ.* Hoc est autem extremum paupertatis, sic esse nudum: nam vix vllum adeo pauperem videas qui sit omnino nudus; Ita vero se denudat qui Christum deserit, nam se bonis acquisitis ita per peccatum exuit quasi nihil boni prorsus vmquam egisset. Deinde vero cæcus est vt neque se valeat regere, nec labore victum & vestitum comparare, nec se quòquam moueat vt regatur. Nam quod tertium est ex-

Apoc. 3.

tremi mali signum, nescit se ita cæcum & nudum esse, vnde nec sibi prouidet, nec vt sibi prouideatur quemquam orat, & monentibus etiam obstrepit, quod certe Prodigo malum non inerat, nam & gnoscebat suam inopiam, deplorabat statum suum, cogitabat de illo instaurando, sicut inde reuera emersit, & meliora suscepit consilia.

Atque hinc lachrymæ, hinc gemitus, hinc postremum è tribus quod miseriorem facit statum, nempe dolor & pœna opposita iucunditati vitæ; qui certe dolor tanto est grauior quanto magis vel minus aliquando cognoscet suam miseriam. Nam si vere in se reuersus se agnoscit, quis tandem dolor cogitanti se fuisse illam audacem animam cui Væ multoties intentatum fuit, quæ putauit
S. August. *relicto Deo se melius aliquid inuenturam?* Quid recordanti se à Christo non recessisse, nisi quia plus sibi placebat viuere quam illi qui pro se fuit mortuus? Quid aperte videnti quantum errauerit recedens à Pastore suo, quantisque se periculis exposuerit nisi offensi pastoris bonitas eo se etiam extendisset vt se nolentem & inuitum protegeret? Quid dicet si reuertitur, cum non semel vt prodigus se à patre distraxerit, sed semel iterum & amplius iteratis promissis non steterit, nec dum vix vmquam fidem datam liberarit! ô se infidum, ô se perduellem, ô impium, qui tot acceptas gratias conculcarit, tot rursus oblatas respuerit, tot necessarias ad salutem contempserit! Quo vultu Patrem adibit cuius fœdauit imaginem; quo verbo Filium conueniet cuius verba spreuit omnia; quo inuocabit animo sanctum Spiritum, qui se toties insinuantem in animum suum dissimulauit nosse, vel agnitum repulit, & repulsum irrisit?

Nonne hæc & multo plura sentiat qui se aliquando sentiet suum reliquisse Christum, ne suos iocos relinqueret? Nonne hæc sentiens magis dolebit quam quiduis aliud perditum, aut non vere dolens & contritus id sentiet? nam dolor est super omnem dolorem aut non est dolor reuertentis.

Quod si numquam se agnoscat, si numquam ad Christum redeat, si sine Christo semper maneat: Putasne miseriorem isto fingi posse statum? Nonne hoc est supremum Iudicij decernendum
Matth. 25. supplicium, *Discedite à me maledicti.* Iam mihi deinde vobiscum pars nulla restat.

Aut si forte anceps & dubius aliquando nutat animus quid

consilij capiat, quod excogitet medium inter Christum & Dæmonem, inter Gratiam & libidinem, inter virtutem & vitium: dic si potes quæ molestiarum moles interim animum obruat, quænam ex omni parte angustiæ nutantem versent animum; quantis & quam miris modis id Deus præstet quod se facturum dixit: *Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo Domini Iacob. Et vidit Ephraim languorem suum, & Iuda vinculum suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem vltorem: & ipse non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum: quoniam ego quasi Leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda. Ego ego capiam, & vadam: tollam & non est qui eruat*; Quasi diceret, cùm se animus ille suspensus & dubius in angustias redactum esse senserit, vt vel pereat in suo statu, vel statum mutet, & ad me reuertatur: his se angustiis quæret expedire, & nihil humanum relinquet intentatum quo se in statu suo corroboret, nec tamen pereat, aut se periturum videat: sed frustra, nam nullas illi concedam doloris inducias, nullum eius sinam elabi vitæ momentum quo non angatur, exæstuet, & dolorem dolori addat: donec tandem agnoscat aut pereundum aut redeundum: Nam ego contra humanas adinuentiones instabo acrius, & præualebo, & cum vel adero vel abero, pœnæ numquam illi deerunt. Osee 5.

Vide supra in hac parte, Fer. 4. Hebdomadæ 17. vbi hæc habetur Veritas:

Animo inordinatè affecto ad res creatas, angustiæ sunt vndique.

III. PVNCTVM.

QVISQVIS *igitur se à Christo subducit vt liberius & fœlicius viuat, viuit miserius ipso misero prodigo*, quia videlicet à meliori statu decidit in peiorem: à majori bono honesto in maius dedecus: à maiori bono vtili ad majorem inopiam: à majori bono delectabili ad majores pœnas. *Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies, donec conterat te, & perdat velociter propter adinuentiones tuas pessimas in quibus reliquisti me.* Multi ponderis hæc sunt duo verba, *reliquisti me*, sicque attentius perpendenda sunt vt non id solum cogites Deut. 28.

quam sit id graue, Dominum reliquisse: sed quam sit verum, te
Ier. 2. reliquisse Dominum. *Scito & vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum,* quasi diceret, conjunge simul vtrumque, nec minus certum credas te reliquisse Dominum, quàm verum videbis graue id esse malum. Non illum forte reliquisti tam longe quam iste prodigus, vel quàm alij proiectiores ad vitium: sed parùm refert, quantum ad mali de quo hic agitur, acerbitatem, nam siue longe siue prope abieris, malum in hoc est positum quod Illum reliqueris à quo regebaris, & hoc potissimum nomine seu motiuo reliqueris, quia regebaris, seu quia regi ab eo noluisti.

Hoc est quod ipse plangit acerbius, hoc est quod illum excitauit acrius ad accusandam liberiorem illam licentiam, & pœnis debitis coërcendam.
Ibid. *Numquid non istud factum est tibi quia dereliquisti Dominum Deum tuum quo tempore ducebat te per viam?* Id est, quo tempore minus eum relinquere debuisti, ac proinde quo tempore grauius deliquisti sic illum relinquendo.

His adde, quod non longius tibi abeundum fuit, vt in eam incideres miseriam quæ satis grauis & miseranda videtur Amantissimo Patri tuo. Quid enim putas iocos illos tuos, & scurriles quas tu tractas modo libentius, nugas; quid illa putas oblectamenta, linguæ, vestium, oculorum & similes naturæ se commodius quæritantis illecebras? Dic quidquid voles, sed coram Deo nil aliud sunt quam illæ porcorum siliquæ quibus pasci mauis quàm suauissimis apud Ipsum deliciis.
Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Persuasum tibi plane hoc sit, non esse tantam distantiam inter delicatissimos quibus vesci prodigus poterat in domo Patris cibos, & illas porcorum siliquas seu reliquias ad quas redactus est, quanta est inter solidas animi iucunditates quæ à Christi ductu & regimine redundant in totam vitam, & euanidas illas sensuum voluptates quæ in liberiori vita sentiuntur.
Is. 44. *Numquid est Deus absque me, ait Dominus!* quasi diceret, si alius esset Deus præter me quo vere possent delectari, sicut apud me possunt, ego silerem: sed cum præter me non sit alius Deus, nec consequenter possit esse aliud solidum & purum gaudium, pati non possum quod me relicto summo bono, quærant infima quæuis alia quibus oblectentur. Quò referri possunt hæ Veritates:

Omnis

Omnis copia quæ Deus non est, egestas censenda est.

In 1. parte, Fer. 5. Hebd. 4. Aduentus.

Qui vel vni Creaturæ nimis adhæret, duo mala facit de quibus ipse Creator: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.

In hac 4. parte, Sabbato Hebdom. 18.

Qui sibi palpat quod non longe erret, periculosius sæpe is errat quàm qui aberrat longius.

Quia scilicet sæpe minus reuertitur, sicque perit dum alius in se reuersus saluatur.

In 3. p. Dom. 3.

REVERTENTIS autem seu pœnitentis forma luculentè describitur in isto prodigo. Sex annotari possunt Capita quæ totum hoc negotium cum Diuina Gratia conficiunt. Primum his continetur verbis: *In se reuersus, dixit: quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus: Ego autem hic fame pereo.* Sic primùm debet agnosci miserandus peccatoris status, ac propterea in se suamque vitam, inspiciendum attentius; qua de re Vide in 1. p. Hebdom. 3. post Epiph. *Scrutemur vias nostras, & quaramus & reuertamur ad Dominum.* Thr. 3.

Secundum est, proponere serio se id omne acturum quod pœnitentis status exigit; Sic ille confidenter: *Surgam, & Ibo ad Patrem meum. IVRAVI & statui custodire iudicia tua.* Ps. 118.

Tertium est, non morari exequutionem propositi, vnde statim additur: *Et surgens venit ad Patrem. NON demoreris in errore impiorum.* Eccles. 17. Vide in 1. p. Fer. 2. Hebd. 4. in Aduentu, & Fer. 2. Hebd. 4. post Epiph.

Quartum est, vera Contritio quantum per Dei Gratiam vera & perfecta esse potest, ex offenso Deo potius quam ex vllo motiuo alio. Quam in rem, apta sunt illa verba filij ad Patrem: *Pater, peccaui coram te.* Cogitetur filius qui casu aliquo improuiso Patrem grauiter vulnerarit; Tum re cognita, quis sensus boni filij in bonum Patrem? Non tam erit sensus timoris pœnæ quàm offensæ

Patris, sese vltrò pœnis subiiciet; Sed se ita Patrem vulnerasse, ah certe, dolebit illud vehementius. Sic tu Patrem offendisti, non ita quidem ignoranter quin peccaris, sed non ita fortè scienter, vt aduerteres te Patrem tuum lædere. Nunc vero qui probe id nosti, qui attente hoc cogitas, quid dices? quid senties? *Numquid*
Deut. 32. *non ipse est Pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te? ERGO*
Ier. 3. *saltem amodo voca me, Pater meus, Dux Virginitatis meæ tu es.*

Quintum est, Confessio ingenua: *Peccaui in cœlum & coram te.* Nihil te Deus, celare volo, quia iam tibi patent omnia. Tu præsens aderas quando peccaui, sic velut te præsente confitebor
Iosue 7. peccata mea. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan Iosue, & dixit ei: Vere ego peccaui Domino Deo Israel, & sic & sic feci.*

Sextum est, Satisfactio quæ vulgo pœnitentia dicitur quia coniunctam habet pœnam & quidem duplicem, nempe priuatiuam & positiuam. Priuatiua est qua delectabilibus quibusdam bonis nos priuamus: positiua vero qua nos malis seu pœnis sensibilibus castigamus; sic propterea pœnitens Prodigus primo dicebat, *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, quasi diceret, priuari me hoc iure volo; priuandum me sentio bonis his omnibus quæ tamquam filius habere possem, nisi peccassem. Hæc sit peccati mei pœna vt deinceps me priuem quibus ante gaudebam, aut si me Deus priuare velit, libenter id patiar, & me his indignum ducam Deinde vero pergit, *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Aliud est scilicet pœnæ genus quod nobis vltro imponimus, vel quod aliunde impositum
Rom. 8. libenter acceptamus, quando *scilicet mortificamur tota die sicut oues*
Gen. 42. *occisionis, MERITO hæc patimur, quia peccauimus* non modo in fratrem nostrum, vt dicebant fratres Ioseph, sed in Patrem no-
2. Cor. 1. strum, Patrem amantissimum, *Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis.* Id est, extra quem non est alibi conquirenda Consolatio, vel si quæsita est, peccatum est, & peccati pœna quamcumque grauis, hanc affert consolationem quod sic pecca-
Iob. 6. tum expietur. *Et hæc mihi sit Consolatio*, dicebat Iobus, *vt affligens me dolore, non parcat: nec contradicam sermonibus Sancti*: hoc est, Dei
Ibid. 33. iustè punientis, & se sanctum ostendentis in puniendo peccato, *Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi.* Et verò quam adiungit Bonitatem sanctitati suæ Deus in recipiendo prodigo seu quouis peccatore, multum etiam potest non modo ad puritatem

perfectæ Contritionis ex tantæ Bonitatis affectu concitandam, ſed ad reliquas pœnitentiæ partes pari affectu ſemper obeundas.

Vide Fer. 4. Hebdomadæ Paſſionis, vbi quod de Cruce dicitur, de pœnitentia debet intelligi:

Crux interdum quidem à corpore, ſed numquam ab animo deponenda.

Videri etiam poteſt in 3. p. Dominica 3. Et dies 22. Iulij. Vbi multa de Conuerſione peccatoris.

FERIA SEXTA.

DE MALO DIVITE, ET DE BONO PAVPERE LAZARO.

Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Luc. 16.

VERITAS PRACTICA.

Quam deteſtantur omnes ſortem Diuitis Epulonis, eam pene omnes conſectantur.

RATIO EST, *Quia Diuitis Epulonis hæc eſt ſors, quod cum receperit bona in vita ſua, nunc cruciatur.*

Sed hanc ſortem hi pene omnes qui deteſtantur, eandem conſectantur.

Ergo eſt certiſſima Veritas, & præ cæteris quæ hic expendi poſſent, potiſſimum attendenda, vt ſibi quiſque proſpiciat.

I. PVNCTVM.

CVM per Parabolam de Villico iniquitatis, exhortatus esset Dominus Auditores suos ad procurandum diligenter salutis negotium, vt abunde à nobis in 3. parte, Dominica octaua declaratum est: exhortationem suam confirmare voluit exemplo memorabili Diuitis Epulonis & mendici Lazari, quorum sicut vita multum dissimilis, ita exitus longè dispar fuit. Erat quippe homo Ille *diues qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendide. Et erat mendicus quidam nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.*

Nonne hæc sunt valde diuersa? si nobis optio concederetur alterutrius eorum eligendæ sortis, quis non mallet statum præsentem Lazari? Quis non detestetur horrendam alterius sortem? Et tamen ô dictu mirum, & inauditum! *Illam ipsam Diuitis Epulonis quam detestantur omnes sortem, pene omnes consectantur!*

Hæc de multis seligenda est Veritas quæ accuratius expendatur, quia cæteras omnes continet, & propositæ à Domino scopum historiæ spectat, attingitque directius. Sic autem esse demonstratur, quia Diuitis Epulonis hæc est consideranda sors, quòd cùm viuens receperit bona sua, pòst mortuus cruciatur in inferno. Sic enim illi responsum fuit prout habet historiæ narrationis series, cùm *scilicet in tormentis eleuans oculos suos vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui, in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: fili recordare quia RECEPISTI BONA IN VITA TVA, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Quasi diceret, iam mutatæ sunt rerum vestrarum sortes. Tu cum viueres nihil pati voluisti, iam mortuus nihil nisi patiéris. Tu bona tantum & nulla vitæ mala percepisti, iam mala tantum & nulla bona senties. Vnum ex alio consequenter emanat. Sicut Lazari viuentis mala patienter tolerata sempiternam illi conci-

liarunt requiem, sic hausta largius vitæ bona numquam desituros accersunt cruciatus. Quæ quisquis viuens seminauerit, hoc metet mortuus. Genialis vitæ messis, est inferorum cruciatus. *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Ratum fixumque est. Hæc eorum omnium sors esse dicitur qui frui volunt vtendis: *Venite*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ sunt, vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Inchoata sors scilicet quando hic viuunt & tunc completa sors, quando post mortem Iustos contra se *stantes videbunt & videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via Veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra*, Et quæ plura dicunt in inferno hi qui peccauerunt, vt refert Sapiens. Apoc. 18. Sap. 2. Ibid. 5.

Ex quibus illud præsertim intelligas quod hîc vsurpatur nomen sortis, vtramque vitam comprehendere, cum præsentem, tum futuram, quo in sensu dicitur hanc esse diuitis Epulonis sortem, quod cùm receperit bona in vita sua, pòst crucietur, ne vnum ab alio seiungatur, nec enim solus seorsim cruciatus, neque sola bona recepta separatim considerata faciunt eius sortem, sed vtraque simul connexa, quandoquidem, vt dictum est, vnum pendet ab alio velut messis à semente, velut effectus à sua causa.

Quæ autem bona Diues ille receperit, referuntur ad triplex illud toties inculcatum bonorum genus, quæ nomine Concupiscentiæ memorantur in scripturis, *Concupiscentia scilicet carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ*, Concupiscentia carnis in eo patet quod epularetur quotidie splendide. Concupiscentia oculorum, siue bonorum temporalium, quòd esset diues. Superbia denique vitæ, quod indueretur purpura & bysso. Contrà vero Lazarus quàm his bonis opposita sustineret mala, non minus liquet: nam contra diuitiarum cupiditatem, mendicus erat: contra delicias, erat vlceribus plenus; contra vitæ superbiam, ita erat cunctis despectus vt vel decidentes è mensa diuitis micas 1. Ioan 2.

petenti nullus daret, solisque canibus non esset odiosus. Ecce quo cœlum emitur pretio! Ecce quibus infernus vænit expensis: Ecce diuersam quæ faciunt bonorum aut malorum sortem: Ecce vbi teipsum contempleris, vbi à præsenti de futuro dijudices.

II. PVNCTVM.

SED *declaratam diuitis sortem hi pene omnes qui detestantur, eandem consectantur.*

Qua scilicet parte miser hic in inferno sepultus est, omnes hanc eius sortem detestantur; sed qua parte diues est, & superbè indutus & splendide saginatus, sic pene omnes consectantur, vt in aliam ex consequenti non aduertentes incidant & simili morte pereant quorum est vita similis.

Attende Lector, ac si quem forte habes de his admonendum, fac vt diligenter attendat Auditor. Duo enim proponuntur tam stupenda simul & momentosa vt ea ipsa sint de quibus scriptura
1. Reg. 3. dicit quod *qui ea audierint, tinniant ambæ aures eius.*

Primum est, quòd pene omnes sic male viuant, sicut hic malus Diues, aut etiam peius. Secundum vero quod sic etiam omnes sicut ille mala & pessima morte moriantur.

Atque illa duo sunt inter se simul ita connexa & colligata, vt simul eodem orationis contextu declarentur & comprobentur. Sicut enim omnes qui in peccato moriuntur, similiter pereunt & damnantur: sic plane qui in peccato viuunt nec resipiscunt, similiter in peccato morientur & peribunt; Quamobrem ad hanc similem mortem declarandam satis est declarare similem esse vitam. Sic autem tripliciter declaratur, pro triplici hominum genere qui diuerso viuunt modo. Primo Potentiores sæculi, nonne ita sunt diuites, sicut iste famosus diues? Nonne ita splendide vestiuntur & comedunt? Nonne ita sæpius inanes remittunt pauperes? Esto non sit Lazarus vlceribus plenus quem remittunt, esto non sit purpura qua induuntur, nec sit idem genus cibi quo epulantur, nihil refert ad vitæ similitudinem quæ non exigit paritatem in istis minutioribus circumstantiis, dum sint alia paria. Pauper est quem remittunt, splendidora sunt vestimenta quibus induuntur, nimiæ sunt epulæ quibus quotidie conuiuantur: satis est vt dicantur simili vita viuere qua malus diues. Non enim idcirco

præciſe male vixit & male mortuus eſt quia pauper quem contempsit erat Lazarus; vel indumentum quo induebatur, erat purpura; vel cibus quo veſcebatur erat altile certi generis. Non enim iſta præciſe faciunt malam vitam & malam mortem: ſed aliud quoddam eſt in iſtis latens quod idem quia reperitur in illis Potentioribus ſæculi de quibus loquimur, plane ſimilem malo Diuiti vitam agere dicendi ſunt. Quid ſit autem illud, ex dicendis facile colligetur.

Secundo, licet alij non ita effuſe viuant ac ſplendide, quia tamen viuunt effuſius & ſplendidius, quàm ferat eorum ſtatus; ſatis eſt vt dicantur ſimilem cum malo Diuite vitam agere: quia ſimiliter mala eſt iſtorum vita ſplendida, ſuo in vitæ ſtatu ac genere, ſicut mala & peruerſa eſt aliorum in ſuo. Nam peruerſitas vitæ ſplendidæ in omnibus viuendi ſtatibus ex eo potiſſimum capitur, quod vita ſit ſplendidior ſtatu, ſeu quod vitæ ſplendor ſtatum ſuperet. Non enim ſimpliciter & præciſe vt dicebatur de potentioribus, ſplendor vitæ arguitur, ſed ſplendor deprauatus, ſplendor nimius, ſplendor mala quadam affectus circumſtantia, quæ varia quidem eſſe poteſt, ſed quæcumque tandem illa ſit, malam illam facit ſplendidam vitam, à qua vita ſi abeſſet mala circumſtantia, non eſſet male ſplendida nec mala vita. Poſſent ſcilicet ſi nihil aliud obeſſet, qui ſunt ſtatu ſuperiores, eundem vitæ ſplendorem tenere quem tenent inferiores, nec peccarent illi, ratione ſui ſtatus, ſicut iſti; quia talis vitæ ſplendor non repugnans ſtatui, non eſt malus & peruerſus, ſi vt dixi nulla ſit aliunde peruerſitas. Cum vero repugnat ſtatui, ſatis eſt vt ſit malus vitæ ſplendor, licet aliunde non perverteretur quàm ex hac ſtatus repugnantia. *Nolite in ſublime tolli*, Id eſt, ſupra vos ne vos efferatis. Quapropter qui ſe ita ſupra ſe efferunt, licet non ita ſublimiter ſicut malus Diues, non minus tamen male viuunt: quia non idcirco male vixit malus Diues quod ſublimiter tantum viueret, ſed quod ſublimius & ſplendidius quàm par eſſet, ſiue ratione ſui ſtatus, ſiue alia quæcumque talem eius peruerteret vitæ ſplendorem prauitas. Luc. 12.

Tertio denique, ſunt infimi qui neque ſunt diuites nec ſplendide veſtiuntur aut epulantur, & tamen in ſimili viuunt vitæ genere quo vixit malus Diues: quia videlicet vellent eſſe diuites, vellent ita poſſe ſplendidam vitam agere, diuitibus inuident, diuitiis acquirendis idcirco inhiant, beatos putant diuites, ſe autem

miseros, ac miseram suam vitam detestantur. Tunc affectu & voluntate sunt iidem prorsus qui alij: nam alij qui sunt diuites & splendidi, vt iam semel ac iterum diximus, non sunt mali nec propterea condemnantur quod sint diuites vel splendidæ vitæ, sed quod sint mali diuites & male splendentis vitæ. Sunt autem mali diuites & malè splendentis vitæ, non ex ipsis diuitiis vel ex ipso vitæ splendore, sed ex malo diuitiarum & splendoris affectu vel vsu: qui affectus & vsus cum tam malus esse possit quando non habentur diuitiæ quàm dum habentur, idcirco quisquis etiam pauper & infimæ sortis diuitias inordinate appetit, & sic affectus est vt his inordinate vteretur, non minus malus est quam malus Diues, nec minus similem in illa malitia circa diuitias agit vitam, quam qui reipsa diuitias habendo mali sunt; quandoquidem non sunt mali quia diuitias habent, sed quia male seu malo affectu & vsu illas habent, vt iam supra dictum est ex sancto Gregorio, qui affert exemplum mali Diuitis & Abrahami qui erat ditior illo malo diuite, sed quia non erat malus diues, diuitiis suis se saluum fecit Abrahamus cum Gratia, suis autem diuitiis se diues malus perdidit. Vide quæ supra habentur in hac parte multum his opportuna de diuitiis & paupertate, tota hebdomada 17. Expendi vero debet accuratius quod expresse habet in rem nostram sanctus Apostolus: *qui volunt diuites fieri*, non dicit qui abutuntur diuitiis, nec qui diuitias male possident, nec qui sunt mali diuites, sed vnum hoc tantum, *qui volunt Diuites fieri*, tunc pergens, *incidunt*, inquit, *in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Id est, volendo esse diuites, non minus male viuunt, nec minus male pereunt quam ipsi mali diuites: quia voluntate peruersa diuitiarum, tam peruersi fiunt quam si ipsas haberent diuitias. Et manifestam rationem affert, *Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Id est, ipsa est rerum mala cupiditas quæ malos facit, non res ipsæ si bene concupiscantur vel bene possideantur.

L. 10. Mor. c. 17.

1. Tim. 6.

Quia vero pene omnes sic volunt diuites fieri & sic incidunt in illa pericula quæ denuntiat Apostolus, plane fit euidens quod erat demonstrandum, nempe quod omnes viuant & pereant sicut iste malus Diues. Cur enim periit? & quid est quod male vixit, vt in

Inferno sepeliretur? Quid aliud refertur quam quod diues esset, quod indueretur & vesceretur splendidius, nec pauperis misereretur? At quàm multos esse qui sic viuant, quis non videt? Aut etiamsi non ita viuant, ita tamen vellent viuere, quod satis esse diximus ad similem vitam? Nam cur iste perierit & non illi? Quid dicent de isto diuite quod diues de illis non possit dicere? Imo quàm multa posset Diues illis objicere quæ non possent in ipsum retorquere? Nam neque ebrius, neque periurus, nec auarus, nec impudicus, nec detractor, nec vllo singulari notatur vitio quo pene omnes iam inuruntur. Et tametsi vitiosus esset, non erat tamen Christianus, non abundabat illa gratia qua tu frueris, vt vitium fugias; Non his erat imbutus præceptis, quibus te instructum gloriaris ad vitam rectius instituendum. Nesciebat Christum sicut tu didicisti; non audiuerat illum natum esse in præsepio, & in Cruce mortuum, vt contemnendas doceret diuitias; nec de alio malo diuite qui sepultus esset in Inferno quidquam audierat sicut audiuisti. Et tamen ille periit! tu vero non modo illi similis, sed longe deterior, non eodem iactaberis casu, non eadem inuolueris ruina, non eundem in te effectum causa producet? Quid est quod ille pereat à concupiscentia sua mala, tu vero minime pereas in quo magis mala est concupiscentia? Videri debet quæ in 2. parte, Dominica Septuagesimæ ad verba Domini, *pauci electi*, habetur Veritas:

Quæ causa est cur pauci salui sint, hæc in te causa est, cur ex illis fortè non sis.

Quod si putes te bona quædam habere opera quæ non habebat iste diues, ac proinde non esse tibi timendum licet in vitiis & concupiscentiis similem cum illo vitam ageres: Vide quid dicas, vide ne nimiùm de te præsumas, aut de aliis liberius iudices. Vnde habes istum diuitem non aliquid etiam boni egisse? Certe nouerat Abrahamum quem proprio compellat nomine, simulque patrem vocat, & tamquam loci præfectum in quo spectatur, illum agnoscit & omni cultu prosequitur; Quæ omnia plane indicant, miserum illum diuitem fuisse Iudæum, illum vel legisse sacros Codices, vel ex his audiuisse quæ ad legem & mores spectabant illorum temporum, ac consequenter templum adiuisse, Deum orasse, sacrificiis & orationibus interfuisse, dies festos obseruasse, &

talia legis præcepta quorum erant Iudæi obseruantissimi non omisisse. Nemo enim tam impius qui non boni aliquid aliquoties operetur, sicut & nemo tam pius qui non interdum peccet. Atque idcirco responsum fuit diuiti, *quod recepisset bona in vita sua*, id est, compensationem & mercedem bonorum operum quæ fecerat, nullum est enim bonum opus quod non aliquo remuneretur præmio, siue in præsenti hac vita, siue in altera: sicut nec vllum omnino peccatum, quod non aliqua expietur pœna, vnde & dictum de Lazaro *quod receperit mala*, Id est, culparum quas committere potuit pœnam. Et inde ratio redditur cur Diues in inferno sic sepultus & Lazarus in sinum Abrahamæ sit receptus, non quod diues nihil boni, vel Lazarus nihil mali fecerint, sed quod diues bona siue mercedem bonorum suorum operum in vita receperit, nempe diuitias & alia vitæ commoda; Lazarus autem similiter mala, id est, pœnas suis debitas culpis, id est, mendicitatem, esuriem, vlcera, contemptum & alia quæ passus est; quasi aperte diceretur quod Scriptura passim & sancti Patres vno consensu docent, quòd qui non admodum probi sunt & tamen in hac vita multis temporalibus redundant bonis, ac paucis vexantur malis, præiudicium esse futuræ damnationis, nec illis superesse quam æternas inferorum pœnas. Receperunt bona in vita sua pro suis bonis operibus; nihil expectent in cœlo. Non receperunt autem mala pro suis malis operibus, nec vllam sibi voluerunt infligere pœnitentiam, timeant, omnino timeant quæ parata sunt illis suis malis operibus sempiterna supplicia.

Iam ergo tu qui gloriaris te multa bona præstare opera, nonne recepisti bona in vita tua? nonne recepisti bona temporalia, sanitatem, diuitias, & honores; aut certe nonne velles hæc recipere, nonne his velles abundare? Nolles quidem hæc recipere quasi in mercedem, quasi in vicem & locum æternæ beatitudinis; sed tamen illa libenter recipis, & gaudes his acceptis, & doles nisi accipias; & quantumcumque pecces, si te aliquibus castiget Deus pœnis, id vehementer doles, & nihil vehementius oras quam vt te illis liberet, quam vt te sanum semper, numquam ægrotum, tibi prosperos semper, numquam aduersos permittat dies. Recepisti, recepisti bona in vita tua, non omnia quidem quæ velles, nam multo plura velles quæ non recepisti, sed tantò in perniciem tuam damnosius; sic enim euidenter significas te his ita delectari & affici

quaſi ſint ſummum bonum tuum, quaſi non ſis contentus ſine illis, quaſi eſſent illa tibi debita, quaſi denique velles aliquid amplius quo eſſes ſimilior illi Diuiti, quo eſſes ditior & ſplendidior in veſtibus, epulis, domeſtica ſupellectile, cæteriſque vitæ præſentis commodis, quod eſt omnino velle recipere bona in vita ſua; Quod tam commune eſt omnibus etiam Chriſtianis, niſi diligenter aduertant & ſibi temperandis ſtudeant, quam familiare eſt & commune omnibus amare diuitias, honores & vitæ commoda: nolle vero egeſtatem, aduerſos caſus, abiectiorem ſtatum, & quidquid corpus humanum lædit aut popularem gloriam.

III. PVNCTVM.

HINC ergo eſt quod habet Veritas: *Quam deteſtantur omnes ſortem diuitis Epulonis, eam penę omnes conſectantur*, ſiue qua parte vixit, ſiue qua eſt mortuus & ſepultus in Inferno. Quam quidem mortis & ſepulturæ poſtremam partem vt deteſtandam nemo vellet, ſed tamen quia primam volunt omnes, volunt ſimul & conſectantur hanc alteram quæ ita primæ iungitur vt nullus male pereat qui non male vixerit, nec vllus male viuat qui non male pereat, niſi à male viuendo reſipiſcat. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, quia ſimiliter nempe vixiſtis, licet diſſimili vitæ modo. Similis illa eſt omnium vita quæ in explendis concupiſcentiis tranſigitur; & talis eorum omnium vitæ mors eſt conſimilis, ſimiliter omnes pereunt, omnes ſimiliter in Inferno ſepeliuntur. Ibi cum diuitibus miſcentur pauperes ſi pauperes tam male non habitas concupierunt diuitias quàm eas male diuites habuerunt. Ibi à Ioanne cum homicidis fornicatores, & cum idololatris mendaces viſi ſunt in eodem ſtagno ardenti igne & ſulphure, quia licet eorum fuerit diuerſus ſtatus, ſimiliter tamen in ſuo peccarunt ſtatu, nec proinde pœna diſſimilis.

Luc. 13.

Apoc. 21.

Quænam autem eſt illa pœna? Quid eſt quod ait, *Crucior in hac flamma*; Quod genus flammæ? quæ ſpecies cruciatus? & quanta eſt eius duratio? Sunt iſta modò nobis attentius expendenda, non ad tempus terendum quod datum eſt æternitati redimendæ, non ad miſerationem in nobis excitandam erga infauſtam illam animam quæ ſe ait in flamma cruciari, quia nulla eſt miſeratione digna, nec vlla proſit illi noſtra commiſeratio. Nos Lector, nos

Auditor ſpectare debet iſta Conſideratio, non ad ſolum mouendum terrorem qui vanus eſt ſine fructu, non ad fructum aliqualem qui finita meditatione finiatur, ſed ad ſeriam ad ſolidam & permanentem vitæ totius emendationem. Sic de illis cogitemus pœnis quaſi certo futuris niſi reſipiſcamus. Ne à nobis illas disiungamus: cùm alioquin quantumcumque graues repræſententur, nihil iſta prorſus efficiat repræſentatio, niſi certo nobis perſuadeamus rem hîc agi noſtram, nos in harum periculo tamdiu verſari pœnarum, quamdiu verſabimur in aliquo de tribus illis ſtatibus quos ſupra vidimus habere ſimilitudinem cum malo Diuite, id eſt, quamdiu circa terræ diuitias, circa carnis delicias, & circa mundi honores praue affecti fuerimus. Aut deponenda iſta prauitas concupiſcentiæ, vel aliquando clamandum, *Crucior in hac flamma.* Res iſta modo hîc agitur, an malimus fouere concupiſcentias & in illa flamma cruciari, quàm concupiſcentias reprimendo cruciatum illum redimere. Concupiſcentiæ flammam cum gehennæ flamma comparemus. Videamus an tale bonum ſit concupiſcere quod æternis ematur flammis; vel vtrum tale ſit malum, concupiſcentiam retinere, vt æternos infernalis flammæ cruciatus malimus pati quàm malum illud retinendæ concupiſcentię ſubeamus. Quod futurum eſt tamquam præſens ſtatuamus, quia & forte inſtat præſentius quam putemus, & licet diſtaret longius, non poteſt illud longius non eſſe admodum breue ſi cum futura comparetur æternitate. Interrogemus animam in illis flammis cruciatam, quid de præterito ſuo, quid de noſtro præſenti ſentiat? Quid feciſſe vellet dum vixit? Quid ſi modo daretur viuere? Quid ſi noſtro in ſtatu eſſet, an recuſaret pœnam quæ ſubeunda nobis eſt in reprimenda concupiſcentia? Quanto in lucro poneret temporales has quaſcumque pati pœnas, ne ſuas pateretur æternas? Nonne id vero tibi hoc ipſum modo datur? Nonne pœnas illas æternas aliquando meruiſti? Quid eſt igitur quod ibi non crucieris niſi quia te diuina miſericordia reſeruauit ad hunc qualemcumque laborem qui ex te quæritur in continendis tuis concupiſcentiis? Nonne par & æquale eſt beneficium vel etiam majus, non adiiſſe cruciatus illos ſempiternos, quàm ex illis diu multumque toleratis ereptum eſſe? Si ereptus inde eſſes in hanc lucem vt iterum viueres, non dubitares pati quod patiendum eſt, & dubitabis detentus ne illuc incideres quò te tua vocabant cri-

mina ? Si de suis fratribus solicita est damnati Diuitis anima ne veniant in istum vbi cruciatur locum, te illa spectat solicitudo animæ, tu ex illis vnus es eius frater, tu illi magis similis similitudine concupiscentiæ, quam frater fratri: nec minus profectò videt damnandum hominem ex tali concupiscentia quam se certò propterea sentit damnatam. Nõ est illius Charitas quæ nulla est in inferno, sed diuina est misericordia quæ te torpentem excitat eius exemplo quod proponit, eius pœnis quas repræsentat, eius dictis quæ modo tibi exhibet, vt dum clamantem audieris, *Crucior in hac flamma*, quasi tibi clamantem audieris; *Sic mecum cruciaberis nisi resipiscas. Resipisce ne sic mecum crucieris.*

Hac instructus fideli mente, iam abyssum illam ingredere, plenam horroris, plenam confusionis, plenam horrendæ societatis. Locus est stagnum igne ardens & sulphure, quò sententiâ post mortem pronuntiatâ detruditur peccatrix anima: & primum quod sentit supplicium, Dei est priuatio, pœna est damni, pœna est omnium grauissima. Sentitur quid sit Deus, quale sit animæ Bonum, visus Deus & amatus; quàm hoc solum esset eius bonum, & quo se priuauit in æternum sua culpa, sua concupiscentia! *Non videbit Deum in æternum*, hoc vnum perpetuo cogitat, *numquam videbo Deum*, nulla spes, nulla melioris status expectatio! Cupit & desperat simul, se visuram Deum! Horret simul quod quærendum videt; blasphemat, odit, & execratur quod summè tamen amandum nouit. Vitane dicenda sit, an mors quod viuunt, an neutrum, an vtrumque simul, difficile est definire; nam vitalis quædam mors est, mors est bonorum omnium, vita malorum omnium. Quod timent habent: & quod habent timent: quod magis amant, magis cruciat: quod magis quærunt magis ab eis fugit: finem pœnarum quærunt, & dum vident nullum esse, tanto magis illum quærunt & tanto magis inde cruciantur. *Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.* Greg. l. 9. Mor. c. 48.

Quidquid cogitent siue præteritum, siue præsens, siue futurum, nullum horum vellent cogitare; & tamen illud triplex tempus sic simul & semper cogitant vt dum in nullo conquiescunt, aliud semper & aliud sibi circumuoluant, & quem secum inuehunt illa tempora cruciatum, semper multiplicent: semper vnum fugientes semper alium reperiant & simul alium. Quæ pœna pœnarum

est omnium nutrix.

In præterito quod leue & momentaneum præteriit non
cogitari præ pudore & tædio, & tantus est pudor tantum
dium, vt non possit illud momentaneum quo dira constat
tas, non cogitari. Vermis est conscientiæ, perpetuo rode
mam.

De præsenti, tanta occurrunt quæ cogitando cruciant,
tanta sunt, & nihil horum est quod cogitare vellent, & ni
rum est quod non cogitare cogantur: quia sic affixi sunt suis
bus pœnis, vt quas singulas patiantur distincte sciant &
sciant: & sicut actu ac reipsa semper patiuntur, sic actu
sciant & cogitent quid singulis patiantur momentis.

Ad futurum vero dum se conuertunt, videntque myriad
myriadum immensas, innumerabiles, interminatas, imp
les; tanto stupore detinentur vt quod mente non potest co
hendi infinitum! comprehendere satagant, & dum vide
esse totum illud futurum quod vident, magis illud vider
tant, quod dum videre appetunt nec tamen possunt, sic
in modum cruciantur vt quos tota patientur æternitate cr
simul totos quodammodo patiantur. Nam hæc est vis imagi
facultatis vt cum præsertim timor impendentis mali m
stringit, totum illud simul malum velut præsens statuat, &
rem eius inferat sæpe magis vehementem quàm dum actu
est præsens. Sic peior est bello timor ipse belli; sic Christus
nus dum in horto Gethsemani parata sibi cogitaret supplici
tantis simul animo tormentis affectus est, quanta post ex s
seorsim toleratis sentire potuit. O æternum *semper*, sempe
rum! ô fatale *numquam*, numquam defuturum!

Atque hæc animi, vt est animus, sua sunt certa & sing
quædam tormenta; Vt vero corpus suum resumet, aut du
rim quasdam induit corporeas qualitates, accedit illa pœn
dicitur sensus, quæ videlicet tam varia tam multiplex & tam
est quàm capax est anima sentiendi & patiendi tot illis d
modis quot sunt in humano corpore diuersi sensus.

In *visu* mirum hoc est, quòd cum sint apud inferos den
tenebræ, sic anima videt & non videt, vt perinde crucie
dendo ac non videndo; Videndo quidem quia quidquid hor
Iob 20. supplicij potest incutere, videt apertissime. *Vadent & venie*

Digitized by Google

rum horribiles! cumque alia ſciat ibi eſſe quæ non videt, ſuſpicatur & metuit ne ſint etiam grauiora quam quæ videt, & proinde illa videre vellet vt ſe ſuo metu liberaret. *Euigilabunt in opprobrium vt videant ſemper.* Dan. 12. Id eſt, ſicut vigiles qui venturos obſeruant hoſtes ſunt ſemper inquieti, ſiue aliquid videant ſiue non videant, ne quid non viſum lateat & inopinati appareat & magis noceat: ſic miſeræ damnatorum anguntur animæ.

In *auditu,* cum nulla ſit anima quæ ſummis illis in cruciatibus non edat gemitus & eiulatus quos poteſt vehementiſſimos, quis cogitare poſſit, quanta ſit in tot diuerſis gemitibus audiendi acerbitas & moleſtia; cum præcipue ſic ſingula diſtinctè à ſingulis audiantur vt varietas & multitudo tot gemituum non confundat voces aut obruat, vnde aliud naſcitur doloris incrementum vt quidquid vnaquaque gemat anima, non tantum nihil reportet ſolatij, ſed cruciatus plurimùm, quia quod ſingulæ gemunt, in ſe alterutrum vnuſquiſque retorquet cum tali probro & aculeo vt ſuæ damnationis cauſam in alium quiuis conjiciat. Pater accuſat filium, & filius Patrem. Vir vxori maledicit, & vxor viro. *Illic gemitus & ſtridor dentium,* non tam frigore quam mutuis odiis quibus inter ſeſe decertant & velut dentes exacuunt.

In *guſtu,* ſenſibilem certe præ cæteris oportet huius ſenſus eſſe cruciatum, quandoquidem tacitis aliis hoc vnum noſtri Diuitis anima gemit, deplorat, & petit ſibi mitigari. *Pater Abraham,* inquit, *miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma,* quaſi diceret quia cruciatum ſitis ſentio præ cunctis acerbiſſimum. Qua in petitione mirum quidem eſt quod tam modicum aliquid petat qualis eſt aquæ gutta, ſed magis mirum quod nec ipſam obtineat.

In *odoratu,* cum ſatis ex ſe ſit acutus ad horrorem iſte ſenſus tum vero magis illic acuitur ex tribus cauſis, Prima ex ſitu loci qui cum ſit teterrimus, ſulphureus, & à ſole remotiſſimus, nihil niſi fœtorem acerbiſſimum exhalare poteſt. Secunda, damnatorum eſt ipſa ſocietas quæ cum ſit conflata ex ſolis vitioſis & ſceleratis animabus, habent ſingula ſuum putorem vitia, quem ſpiritus exuti carne ſentiunt. Tertia, Dæmonum artificioſa malignitas qui quod poſſunt ad pœnarum augmentum, non omittunt: nec dubium eſt quin multa poſſint ad hunc ſenſum exacerban-

Psal. 74. dum. *Fæx eius non est exinanita.*

In *tactu* denique, pœnarum hîc sedes est, hic tormen compendium simul & cumulus, hic totus Infernus videtur ctus & comprehensus, nisi contra manis dicere per vniuers ferni vastitatem hic sensus ad dolorem ita est dilatatus, vbique ignis, vbique flamma, vbique sulphur accensum, que tactus, & vsquequaque crucietur! Sed quali, Deus im lis, cruciatu! Satis esset, ignem dixisse, vel flammam. Qui ad tormentum acerbius? Sed quantum putas discrimen in stratem hunc ignem, & illum quo damnati cruciantur? scilicet est inter pictum & verum ignem; Pictus est, inqui gustinus, noster hic ignis quantumcumque vehementiss comparetur ad illum ignem qui diuino furore dicitur esse

Deut. 32. sus. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad Inf*

Isa. 33. *nissima.* Vnde & Ipse idem: *Quis,* inquit, *poterit, habitare cum igne deuorante, aut quis habitauit ex vobis cum ardoribu ternis?*

Quibus tormentis omnibus & singulis addi debet quo omnia torqueant animas, quod nulla eorum vmquam si tio, nullum remedium, nulla mitigatio: nihil temporis nitas, nihil pœnarum cum aliis societas & communicati assuetudo, nihil eorum quidquam quod nostros hîc dol niat: nullum illic temperamentum, nulla commiseratio, meritum, nullum suffragium: aduersa omnia, extrema

Ier. 30. pugnantia omnia, *Quid clamas super contritione tua? Insan dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tua, & propter dur ta tua, hæc feci tibi!*

Huc te, Lector, rursum conueni, & quantùm modò cor recordari licet quam in illis tormentis quæ consideraτ recordare hinc tria potissimum quæ ex omnibus considera ras. Primum est, quotquot in hac vita magis velint sua bo iste malus diues, quàm mala recipere, versantur in certo lo sortis eiusdem cum illo subeundæ, id est, suæ damn Secundum est quod nisi efficacius cum Gratia mentem mu ex illis es qui bona malunt recipere quam mala.

Vnde Tertium sequitur, hîc alterutrum tibi deliberand sit satius mentem mutare, vel in illam tormentorum æter vltro incumbere. Satisne grande malum tibi videtur illa

Digitized by Google

rum æternitas vt eius euitando periculo satius iudicetur mutare mentem, vel adire periculum potius quam semel suscepta mens de bonis huius vitæ conquirendis immutetur?

Nec dicas si quid pecces te confessurum, quia nisi hoc sit mutare mentem, nihil dices. Neque id etiam objicias te sat multa mala recipere: nam nisi libenter & ex virtute recipias, nihil agis. Sicut enim esse diuitem & bona recipere nihil noceret si bene bonis vtereris, sic plane mala recipere nihil prodest si male malis vtaris, hoc est si repugnanter, inuitè, ac nonnisi murmurando. Neque aliud quidquam ex illis tuis malis referes quam quod miserior eris ipso non solum misero Prodigo, sicut ante consideratum est, sed ipso etiam damnato Diuite, quia hic saltem bona recepit in vita, & ex bonis ad mala transiit: tu vero ex malis ad mala gressum facies, sicut ait Propheta: *De malo ad malum egressi sunt.* Ier. 9. Nonne hoc est omnium esse miserrimum, cum præsertim ex illis paucis malis fœlicissimus esse posses?

Vide supra in hac parte, Fer. 2. Hebdom. 22. vbi hæc demonstratur Veritas:

Qui sibi non cauent in prosperis, sunt illi stulti de quibus Sapiens, *prosperitas stultorum perdet illos.*

Videri possunt & multa passim his multùm affinia.

SABBATO.

DE VIDVA IMPORTVNA CREBRO HIS VERBIS ORANTE IVDICEM:

Vindica me de aduersario meo. Luc. 18.

VERITAS PRACTICA.

Si nos ita Deus non vindicat de aduersariis, sicut Iudex Viduam: Nos ita Deum non oramus sicut Vidua Iudicem.

RATIO EST, *Quia si Deum non oramus quo affectu I*
dicem, non oramus sicut illa, nec proinde Deus nos
de aduersariis sicut Iudex Viduam.

Sed cum de aduersariis oramus Deum, non oramus illum
ctu orabat Vidua Iudicem.

Ergo est euidens Veritas: Et diligenter aduertendum
quod nos pari Deum non oremus affectu, cum multo
diriores patiamur aduersarios.

I. PVNCTVM.

QVÆ toto capite decimo septimo sancti Lucæ
tur, iam supra variis in locis visa sunt, vnde f
quens caput transitu, consideratione dignis
quod cùm Dominus nos ad continuam & numquam d
orationem hortaretur, significat se velle nos ita imp
Luc, 11. huic pene soli videatur importunitati, siue vt alibi dic
bitati, concessurus quod petetur. Atque illud vt persu
tiùs, proponit Parabolam Viduæ tam importunæ apu
Prætorem seu Iudicem vt his illum quotidie vocibus
ret: *Vindica me de aduersario meo.* Qui quidem Iudex
impius & iniquus, *qui nec Deum timeret nec hominem*
repellebat in dies Viduam: At illa vehementius dum v
Deum, inquit ille, *non timeo, nec hominem reuereor: tamen*
sta est mihi hæc Vidua, vindicabo illam. Tùm concludi
multo id magis Deum suis præstiturum, si à suis sic
certe si non ita oretur, non esse mirum si nostras Deus
exaudiat, nec proinde hunc defectum in Illum esse con
sed potius in nos ipsos qui sicut oportet non oramus.
hæc Veritas modo expendenda: *Quod si nos Deus licet*
ita tamen vindicat de nostris aduersariis, sicut Iudex Vidu
uit; nos ita Deum non oramus sicut orabat Vidua Iudicem.

Ratio manifeste deducitur ex Parabola, siue ex ipsa
mini Parabolam proponentis Intentione. Cum enim i
nus à minori, vt vocant, ad majus vellet ostendere ac
suadere quod numquam Deus se orantibus desit, quom

suadebit si verum non constet quod persuadere contendit? Aut quomodo id verum esse constabit si orantes Deum, quod orabat Vidua vt se ab aduersariis vindicet, non tamen vindicat? Certe alterutrum ex his duobus concludendum, aut Christum non rectè id affirmasse, quod dictu nefas est, & quod omnino nequit fieri; aut eos qui videntur orare Deum, non orare sicut orandus est, non orare sicut orabat Vidua Iudicem, quod tam facile est creditu quam factu facile. Si enim non eadem importunitate, & non eodem cordis affectu, seu affectus sinceritate, Deum orent, profectò non orant Deum sicut Vidua Iudicem: Nam hoc vno maxime commendatur oratio Viduæ quod esset frequens, importuna, vehemens, & singulari quodam ex affectu deprompta, vnde hoc vno etiam Iudex permotus est; quamobrem non potest significantiùs exprimi quantùm oratio nostra conueniat cum oratione Viduæ, vel quantùm ab ea dissentiat, nisi ex paritate vel imparitate affectus; atque adeo sicut qui pari affectu Deum oraret, Deum orare diceretur sicut illa suum orabat Iudicem, licet aliæ quædam abessent circumstantiæ, quia videlicet illa est primaria & capitalis quæ hoc in negotio spectari debet; sic plane qui non eodem oraret affectu Deum quo illa Iudicem precabatur, licet alia non deessent, ex hoc vno tamen defectu dicendus est non orare sicut illa, nec orare sicut oportet. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*, quasi ex consequenti diceretur, nulla est illorum proinde oratio quia nullus est orantium affectus quem ita singulariter Deus spectat in orante, vt nisi orans ex affectu oret, non oret Deum. Adeps ille est victimæ quem sibi semper offerri volebat Deus, vt expresse dicitur: *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.* Hinc apte Dauid dum se ad orandum aptaret cum gratia, *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Id est, hoc affectu orem quo se Deus à me velit orari.

Is. 29. Matth. 15.

Leuit. 3.

Ps. 62.

II. PVNCTVM.

SED cum de Aduersariis oramus Deum, non oramus illum quo affectu orabat Vidua Iudicem: & quo affectu Deus orari vult.

Triplex genus aduersariorum & tantundem de ipsis orationum.

cogitari posset. Primum est de Dæmonibus qui nobis maxime aduersantur & à quibus sæpe oramus liberari. Secundum est de hominibus qui vel vniuersim oppugnantes Ecclesiam nos oppugnant, vel particulatim nostræ se opponunt saluti, vel quoquo modo nos infestant.

Tertium denique de nobis ipsis; Nos ipsi nobis acrius aduersamur, *Caro enim concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis*, nisi scilicet cum Gratia contra vestrum hunc dimicetis aduersarium. Atque hic est præ cæteris aduersarius de quo vnusquisque Deum orare debeat ac dicere; *Vindica me de aduersario meo.* Quod si vere ac sincere sicut Vidua diceret, profecto vindicaretur & spiritus aduersus carnem præualeret, sicut præualuit Dauid aduersus Philistæum. Sed quod est dolentissime deplorandum, ille est potissimum aduersarius de quo dum oramus, minus cum orante Vidua consentimus, minus pati cum illa minusque sincero affectu oramus. Talis quippe tantusque est internus noster affectus circa quoduis obiectum, qualis quantaque est illius obiecti æstimatio, siue nostrum de illo iudicium; nam appetitiuæ facultates sequuntur apprehensiuas: cum autem naturali iudicio corrupto & deprauato parum nobis aduersarium aut vix aduersum illud reputemus quod repugnat spiritui, sic propterea fit, vt vix vllo affectu contra illum oremus, non eo certe quo Vidua contra suum, quia non sicut illa suum vere iudicabat aduersarium ita nos nostrum credimus, imo tamquam amicum fouemus, retinemus, sustentamus & ne à nobis discedat summopere satagimus. Recte enim sanctus Augustinus de hac lucta spiritus & carnis agens: *Hanc*, inquit, *pugnam non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum, debellatores vitiorum. Non expugnat concupiscentiæ malum, nisi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæcitate seruientes, insuper etiam beatos se putant satiando eas potius quam domando.* Quod verò dicit, *legem Dei nescientes* ita viuere, non eos solos comprehendit qui legem Dei penitus nesciunt, sed illos etiam qui sic effuse, sic intemperatè viuunt quasi nescirent quid Deus iusserit aut vetuerit, qui certè multi sunt vt deplorabat Apostolus: contra vero pauci qui arctam ingrediantur viam vt expresse Dominus docuit. Et certe quis appetitum laudis & bono-

Gal. 5.

L. de contin.

Phil. 3.

rum temporalium inter aduersa ponat, cùm sine hoc appetitu vix quisquam oblatos honores acciperet, aut illos inter bona recenseret; vnde sicut omnes amant & appetunt honorem, pecuniam & voluptatem, ita hunc appetitum amant sine quo non amarent alia; *Concupiscentiam concupiscunt*, vt ait Psaltes; quasi diceret, tantum abest vt sibi aduersam sentiant concupiscentiam, quin potius omne aduersum sentiunt quod illi aduersatur concupiscentiæ: & sibi satis non putant res humanas concupiscere nisi & ipsam rerum concupiscentiam diligant, ac nouis quotidie stimulis se ad illam magis ac magis concupiscendam acuant. *Vt iniquum agerent, laborauerunt*, ait Propheta, id est, studio etiam & artificio, naturæ pronitatem ad vitia concitant. Ps. 105. Ier. 9.

III. PVNCTVM.

SI nos igitur non ita Deus vindicat de nostris aduersariis sicut Index Viduam, nos ita Deum non oramus sicut Vidua Iudicem: Nos ita non censemus nostros esse aduersarios contra quos tamen sæpe oramus, sicut Vidua censebat suos, nec proinde tali oramus affectus vehementia, sinceritate & constantia; sed quasi res nostra non esset, vel quasi res esset nobis indifferens, sic oscitanter & languide Deum oramus *vt oratio nostra fiat potius in peccatum*, sicut ait Psalmista, quàm in laudem Dei, nostramque spiritus vtilitatem. Si de solis illis ageretur aduersariis qui vel nostro detrahunt nomini, vel bona diripiunt temporalia, vel nostris quoquo modo se opponunt cupiditatibus, quàm longe alius nostras ardor inflammaret preces! Sed cum de ipsis cupiditatum hostibus deprimendis negotium nobis cum Deo est, tam leuiter illud pertractamus, vt cum ipsis contra Deum ac nos ipsos, hostibus conspirasse videamur. Ps. 108.

Quod certe multis modis Deum offendit. Primo, manifesta dissensio est Iudicij nostri à diuino Iudicio, nam aliter atque Ille de nostris iudicamus aduersariis. Secundo, pietatis & orationis quidam abusus est, cum in re grauiori leuiùs, & in leuiori grauiùs ac vehementius Deum precamur. Tertio, totius vitæ spiritualis dispendium est, nam cum illa consistat potissimum in internis animi motibus temperandis quod fit diuino per orationem impetrato auxilio potiùs quàm nostra vlla industria: profectò qui

Deum oret perperàm, non magis illud exoret auxilium quàm si penitus non oraret. Quartò, exarmamur & imbecilles valde reddimur aduersus *principes illos & potestates, aduersus mundi rectores* Ephes. 6. *tenebrarum harum* de quibus sæpe Apostolus, Nam nostra contra illos armatura cum sit oratio, & mortificatio; perit illa prorsus armatura, quando acceptas non habet Deus nostras preces; & tantum Dæmoni contra nos damus roboris quantum ipsi nobis detrahimus; nam nostra Dæmon magis est infirmitate fortis quàm suis viribus. Quinto, sic impie resistitur sancto Spiritui, nam Rom. 8. *quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Id est, postulare facit si consentimus. Nec dubium esse potest quin contra hos maxime nos inducat ad orandum quos suos deputat singulares aduersarios, quod cum illi negamus quid aliud est quàm contra illum obniti. Sexto, sic nobis ipsi orantes repugnamus & contradicimus: Nam cùm sæpe communes tum Scripturæ, tùm Ecclesiæ recitemus preces quibus vehementer excitamur aduersus internos hosce nostros aduersarios: quomodo nobiscum conueniemus, si mentem linguæ non concordemus; aut quomodo non à nobis ipsi dissentiemus, si aliud ore, ac corde aliud teneamus? Quid est autem hypocritam agere, nisi hoc fit?

Quamobrem cum Diuo Augustino concludamus, in hunc psalmi versum: *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus* 144. *qui inuocant eum in veritate, ERGO*, inquit, *qui Deum ipsum à quo accepit de quibus gaudet, præponit his omnibus rebus quas accepit, ipse inuocat Deum in veritate. Nam vt noueritis, si talibus hominibus proponatur & dicatur, quid si ista omnia, de quibus gaudes velit tibi auferre Deus, iam non amabitur. Non erit qui dicat, Dominus dedit,* Iob 1. *Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Sed forte cui abstulit, quid dicit? Deus quid tibi feci? Quare mihi abstulisti, & illis dedisti? Iniquis das, & tuis tollis? Accusas Deum quasi iniustum, & laudas te quasi iustum. Conuertere, accusa te, lauda illum. Tunc eris rectus cum in omnibus bonis quæ facit Deus, tibi placet; in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non displicet. Hoc est, inuocare Deum in Veritate. Qui sic inuocant Dominum exaudit Deus: prope est, ibi est, nondum dedit quod vis, ibi est tamen. Quomodo medicus si forte aliquid imponat, vel oculo vel visceribus quod vrendo sanet, si roget æger, vt tollatur illi, medicus expe-*

Stat tempus, non facit quod rogat æger, non tamen recedit. Et propè est, & non facit, & ideò magis non facit quia propè est. Curando enim imposuit quod imposuit, & curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad præsentem voluntatem, exaudiendo ad futuram sanitatem, & hoc vtique ad voluntatem: Nam vtique sanus esse vult etiam qui vri non vult. Prope est ergo Dominus omnibus inuocantibus eum. Sed quibus omnibus? Omnibus qui inuocant eum in veritate. Tales omnes confirmat decidentes: qui inuocant eum in Veritate.

Vide in 2. p. in Feriis Rogationum: Et infra in hac p. Fer.2. Hebdom. 27.

DOMINICA XXV

AVT XXIV.

SECVNDVM REGVLAS OFFICI

DIVINI, ET PRAESCRIPTVM CVIVSQV

ANNI ORDINEM.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE.

Vide in 1. p. Dominica 4. post Epiphaniam, vnde hûc om
transferuntur.

HAC HEBDOMADA, occurrit historia
Lazaro infirmante, mortuo, & suscitato: tum ce
bre Iudæorum Concilium contra Dominum, c
pergens Ierosolymam, Matrem filiorum Zebedæi
tentem suis primas sedes, repulit; & duobus Cæ
prope ciuitatem Iericho, visum restituit.

Quorum omnium Consideratio moderation
affectuum quam vocant internam animi Mortificat
nem, inspirabit. *Ioan.11. Matth.20.*

FER

Digitized by Google

FERIA SECVNDA.

DE LAZARO INFIRMANTE.

Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. Ioan. 11.

VERITAS PRACTICA.

Qui non libenter infirmatur pro Dei gloria; & grauius infirmatur, & contra Dei gloriam.

RATIO EST, Quia qui non libenter infirmatur pro Dei Gloria, dolet se dolere, & dolorem animi iungit dolori corporis.

Sed qui dolorem animi sic iungit dolori corporis, & grauius patitur, & contra Dei Gloriam.

Ergo & qui non libenter infirmatur pro Dei Gloria; Quæ certe est multum consideranda Veritas, ad quascumque corporis infirmitates libenter acceptandas.

I. PVNCTVM.

VANDOQVIDEM pro Dei gloria Lazarus frater Marthæ & Mariæ fuit infirmatus, & mortuus, & suscitatus, major apparebit hæc Dei Gloria si triplicem illum statum, modico temporis interuallo, tam diuersum in tres singulos partiamur dies. Ac primo quidem hodie de infirmante, tum sequenti biduo de aliis statibus.

Tam insignis porro est historia, vt qui eam refert sanctus Ioannes, vix vllam eius omittat circumstantiam; expendi possent singula minutatim dum sacra legentur vel audientur Euangelistæ verba: *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis eius: Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirma-*

batur. Miserunt ergo sorores eius ad Eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham & sororem eius Mariam, & Lazarum.

Huius dilectionis præcipue meminit sacer Euangelista vel vt magis mirum & stupendum videatur quod qui singulariter à Christo diligerentur, ita tamen affligerentur: vel potius ne mirum & stupendum videatur si domus illa tam cara & dilecta Christo sic infirmetur, quia cum illa infirmitas futura esset pro Dei gloria, sic solet Deus ad hunc finem illis vti potius quos habet cariores quàm aliis; in eoque vel maxime ponit signum suæ dilectionis cùm ex multis vnum ad suam gloriam destinat, quouis modo procurandam. *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.*

Is. 49. Quod autem dicitur, Infirmitatem hanc non esse ad mortem, cum tamen ex ea Lazarus fuerit mortuus, verissime tamen dicitur cum & ipsa mors Lazari, vt ait sanctus Augustinus, non esset ad mortem quo sensu timere poterant eius sorores, sed potius esset ad miraculum quo facto Christus glorificaretur, & in eum crederent homines, ac vitarent veram mortem.

Sicut verò Lazarus, sic & omnes infirmi suo modo dici possunt infirmari pro Dei gloria, si modo patienter infirmitates suas tolerent; atque vt etiam patienter eas tolerent, videtur hoc esse motiuum efficax, si cogitent sic se infirmari pro Dei gloria: nam inde duo sequentur bona non parui male habentibus solatij, quod sic videlicet *& leuius reddatur infirmitatis malum & fructuosius.* Vt è contra si quis non libenter pateretur pro Dei gloria, duo plane opposita sequerentur mala, nempe *quod grauius pateretur & contra Dei gloriam*; quæ duo mala simul iuncta & simul opposita duobus bonis, quæ ex voluntaria infirmitatis tolerantia percipiuntur, longe potentiùs cum Gratia voluntariam hanc tolerantiam persuadebunt, quàm si sola esset bonorum inde fluentium consideratio.

Quamobrem sic considerandа Veritas proponitur vt qui non libenter pro Dei gloria pati velit, certo sibi persuadeat, quod volens nolens in hæc duo incurrat incommoda, *Vt & grauius, & contra Dei gloriam, patiatur.* Sic autem facile persuadetur. Nam qui non libenter pro Dei gloria velit infirmari, dolebit se dolere & dolorem animi iunget dolori corporis. Quod enim non liben-

ter toleratur, perinde quasi est ac tolerari coacte, inuite, dolenter, ægre, grauiter, & vno verbo non minus dolenti animo quam corpus ipsum dolet; Quod rex ille Antiochus satis suo probat exemplo, cum ægrotans dicebat: *in quantam tribulationem deueni, & in* 1. Mach. 6. *quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea*, quasi diceret, sicut ex animi tristitia languescit corpus, ita ex languore corporis ingrauescit animi tristitia, seque ita mutuo conficiunt corpus & anima, vt sibi suæ pœnæ reciprocum afferant incrementum, & pœna corporis redundet in animum, & animus mœrens virus effundat in suum corpus. Sic Sapiens in Prouerbiis, *Spiritus tristis exsiccat ossa*, Et Ecclesiasticus: Pro. 17. *à tristitia festinat mors, & cooperit virtutem. Et tristitia cordis, flectit ceruicem*, Id est, robur quodcumque debilitat, & tantum abest vt dolorem minuat, quin potius augeat.

II. PVNCTVM.

SED *qui dolorem sic sibi auget & multiplicat, in duo illa incurrit incommoda, vt & grauius patiatur, & contra Dei gloriam.*

De primo quidem patet: Nec minùs euidens erit alterum tantispèr cogitanti quod sicut ille diceretur pro Dei Gloria pati qui libenter pateretur, quia sic indicaret quanti Deum faciat, cuius voluntatem præfert suæ sanitati, suo corpori, suæ vitæ, quod non potest non esse Deo gloriosum: sic prorsus ex opposito dicendus erit contra Dei gloriam infirmari & pati qui dolebit animo, quòd corpore doleat: nam ex illo dolore animi manifeste indicat quod corpus suum præferat diuinæ voluntati, cuius nutu & imperio quam patitur infirmitas corporis accidit; quod profectò non parùm diuinam oppugnat gloriam. *Numquid parum vobis est* Is. 7. *molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Quasi diceretur, ne quidem hominibus molestos esse oportet, quanto minus Deo! Aut certe si molesti estis Deo, satis indicatis quàm parui ducatis Eum: nam etsi solent infirmi esse molesti, non tamen viris præstantibus, quorum dignitate ac obseruantia se continent, sed infimis tantum personis molestiam illam suam exhibent; vndè patebit quod si molesti fuerint Deo, Deum velut in infimis & abiectis habent. Poteſtne aliquid magis esse aduersum diuinæ Gloriæ?

Quod si verò perpendas accuratius quid sit molestum esse I
nempe murmurare, conqueri, diuinam accusare Bonitatem
velut innocentem prædicare: Deum autem quasi crudelem a
se duriorem clamitare, quid dices esse contra Dei gloriam,
hæc agnoscas esse? Perinde quasi est cum Deo velle conten
& de iustitia decertare. Sic apte sanctus Gregorius in illum
Ps. 142. in septem Ps. Pænit. mi versum, *Non intres in iudicium cum seruo tuo: QVI contra ditoris flagella murmurat, quasi cum eo in iudicium intrat. Dei que accusat iudicium qui se æstimat iniuste percussum. Et quasi cum in iudicio contendit qui inter flagella innocentem se ostendit. Hin*
Iob 39. *nim Dominus ad beatum Iob loquitur, dicens, numquid qui conte cum Deo, tam facile conquiescit? vtique qui arguit Deum debet re dere ei.* Habesne quod contra respondeas?

III. PVNCTVM.

HINC *ergo manifestè patet, quod qui non libenter infirmatu Dei gloria, & grauius infirmatur, & contra Dei Gloriam:* N
ne est enim grauius infirmari cùm qui solo dolebat corpore, d
simul & animo? Nonne hoc vero est diuinam expugnare glo
cum sic animo doles quod de corporis tui statu disponat I
prout velit? Quanti nempe Deum ducis? Hinc scilicet p
quantam Deo afferas vel auferas gloriam. Minoris autem D
ducis quàm tuum corpus, si doles animo dolere corpus. N
cum non doleat corpus nisi ex Dei nutu & voluntate; si dolet
mus de hac diuina voluntate, mallet corpus suum sanum q
istam Dei voluntatem, sicque corpus suum præfert Deo; q
nisi cum ignominia diuini Numinis dici vel cogitari non pot
Is. 40. *Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus?*

Certe quando Deum præferres corpori, semper hoc i
quæri posset, *Cui assimilasti & adæquasti Deum?* Quid magni
& gloriosi, si tantus tantillo præferatur? Sed cùm etiam I
corpori posthabetur, iniuriosa nimis est hæc diuina depressio.

Quamobrem ex omni parte vides, quanti referat, libe
infirmari & pati. Si te tui mouet ratio, vide quid proponi
Tantò magis aut minùs infirmaberis, quanto magis aut m
libenter patieris; Quid potentius in rem tuam? Si te diuina
gunt, contemplare attentius quanta hinc resultet Dei glo

cum inde tota sic pendeat, vt nisi libenter patiaris, ipsam funditus diuinam pessundes gloriam. Quid terribilius timenti Deum? Si de te solo ageretur, res tuas forte nolles à diuinis seorsum agere: Si de solo duntaxat Dei cultu negotium esset, fortasse nimis onerosum causarere negotium. Sed hîc vtrumque simul tam facili nexu conjungitur, vt res tua, sit res Dei; & negotium Dei, tuum sit, tanto minus onerosum quanto erit magis Dei.

O quàm verè & practice sanctus Cyprianus de bono patientiæ: *Ad varia quoque*, inquit, *carnis incommoda, & crebros corporis durosque cruciatus quibus humanum genus quotidie fatigatur & patitur, patientia necessaria est. Examinandis autem nobis atque explorandis diuersi importantur labores & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatu vulnerum, de amissione charorum. Nec aliud magis iniustos discernit & iustos quam quod in aduersis per impatientiam queritur & blasphemat iniustus: patientiâ iustus probatur sicut scriptum est, In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum atque argentum.* *Ser. 5.*

Vide in 1. p. Sabbato Hebdom. 2. post Epiphan. Et in 2. p. Fer. 6. Sexagesimæ, & tota pene Hebdomada 2. Quadragesimæ.

FERIA TERTIA.

DE LAZARO MORTVO.

Tunc Iesus dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est. Ioan. 11.

VERITAS PRACTICA.

Quo minus accepta mors est, eo magis acceptanda.

Vel sic

Quod grauius in morte est malum, non ita effugies, fugiendo mortem quàm acceptando.

SENSUS ET RATIO EST, *Quia quod grauius in morte est malum, malum est animæ.*

Sed non ita effugies hoc malum, fugiendo mortem, quàm libenter eam acceptando.

Ergo & certa est Veritas, & libenter moriendum, sic volente Domino.

I. PUNCTUM.

VT ergo audiuit Dominus quia infirmabatur Lazarus, tunc quidem mansit in eodem loco, duobus diebus. Deinde post hæc dixit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum; Dicunt ei discipuli, Rabbi, nunc quærebant Iudæi te lapidare, & iterum vadis illuc.* Respondit Iesus paulo fusiori sermone, cuius summa est, nihil illis esse timendum, se præsente, iamque Lazarum dormire dormitionem mortis, & esse verè mortuum. *Et gaudeo*, inquit, *propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas ad Condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Quæ sacra Euangelij verba dùm pro affectu reuolueris, ingredere cum Domino Iesu lugubrem illam mortui domum Lazari. Sæpe aditur hæc domus ad Conuiuiũ quod ibi paratur Domino celebrãdum, nec infructuose reditur; Nunc vero ad luctum si adeatur, Eccle. 7. erit & forte fructuosior reditus, iuxta illud Sapientis, *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum Conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.*

Vt nempe ad illud se cum gratia præparet, nam hic inter cæteros videtur optimus meditandæ mortis scopus ac finis. Cum autem multa sint quæ hanc animi præparationem faciant, tum hoc vno præsertim continentur omnia, vt *libenter ac voluntarie*, quando dies noster aduenerit, moriamur. *Eamus & nos & moriamur cum Eo*; tam libenter quam ipse Lazarus, tam libenter quam ipse Christi Discipulus, & quàm ipse Christus. Quid enim times timendo mortem? quidquid sit, *Quod grauius in morte est malum non ita effugies fugiendo mortem, quàm libenter illam acceptando.* Digna certe quæ modò expendatur Veritas: & hæc aperta Ratio qua declaratur; Nam quod grauius in morte est malum, malum est ani-

mæ; Malum quidem est corporis, malum est vitæ præsentis, malum forte familiæ, forte & ciuitatis & prouinciæ, malum denique malorum temporalium hoc est extremum omnium. Sed quid omnia temporalia, si ad malum animæ comparentur? Non est dubium Christiano quin si saluetur anima, nihili prorsus sint alia quæuis ducenda: si vero pereat, hoc vnum maxime malum esse, hoc vnum grauius esse malum mortis, hoc vnum esse vere timendum, sicut monebat Dominus: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.* Nonne hoc est quod ipsi sanctiores Viri tremunt & pauent? Nonne hoc est quod instanti morte dicunt ad pauorem suum excitandum vel excusandum: Non se videlicet naturalibus illis moueri motibus quos vel amor vitæ vel honorum vel parentum vel quorumlibet bonorum omnium quæ deseruntur, aut malorum temporalium quæ importantur, excitare solent: sed quæ spectant animum, quæ diuinum iudicium, quæ horrendam pœnarum æternitatem, illa esse videlicet illa esse quæ pauendam reddunt mortem; quia siue præteritum respiciant, vident multa mala quæ nollent se fecisse, & multa bona quæ fecisse vellent; siue præsentem suum spectent statum, ignorant prorsus *vtrum amore an odio digni sint*; Non desperant, sed valde timent quia vel peccata sua manifeste vident, vnde & gemunt; vel si non vident, tanto acrius timent quia sciunt alios esse Dei oculos, alia Eius iudicia, & tam longe à nostris dissitas eius esse sententias de rebus temporalibus, & de humanis actibus, quàm cœlum distet à terra. Siue ad futurum denique quod sequitur, se conuertant; occurrit illa Iudicis facies quæ in Apocalypsi describitur, & quam ipse dilectus Discipulus Scriptor nonnisi tremens ac pauidus spectare potuit. *Et conuersus*, inquit, *vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere.* Id est, veste talari propria Iudicis: *& præcinctum ad mamillas zona aurea*: Id est, nullo mouendum misericordiæ motu. *Caput autem eius & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix*, Hæc eius scilicet mentis puritas, hæc eius æternæ legis sanctitas, vnde iudicium de nobis feret, quia hæc erat vitæ nostra regula quam peccando infregimus. *Et oculi eius tamquam flamma ignis*, incensi scilicet contra pecca-

Luc. 12.

Eccl. 9.

Apoc. 1.

ta.

tum. *Et pedes eius similes Aurichalco sicut in camino ardenti* : vt designentur parata iudicandis supplicia, & summa quam in illos exercet potestas. *Et vox illius tamquam vox aquarum multarum*, quæ scilicet ex alto decidunt, nec eò reuertuntur; sic eius lata sententia rata fixaque est, nec inde ad aliud appellatur tribunal. *Et habebat in dextera sua stellas septem*, id est, lumina, gratias, & beneficia quæ stanti ad iudicium animæ repræsentabit, vt eius ingratitudo & peruersitas magis appareat. *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, Nempe est sententia proferenda quæ peccatricem animam à Deo quem offendit excidat quodammodo, & longe procul disiungat. *Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* Quasi dicatur, nihil tùm habituram animam quod in sui defensionem respondeat, quia tam clare omnia vidit Iudex, nihil vt illum lateat. Ac tandem, inquit qui hæc narrat sanctus Ioannes : *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tamquam mortuus.* Adeo scilicet
Iob 26. sunt pauenda omnia vt quod est in libro Iob *ipsa columnæ cœli contremiscant, & paueant ad nutum eius*: quanto magis tabulæ & virgulta vt ait S. Gregorius. Hoc est itaque grauius in morte malum, quia hoc est in se grauius malorum omnium quæ dicuntur pœnæ : & hoc est malum quod à morte pendet & statim sequitur incur-
In Ioannem. rendum. *Quid est mors*, inquit S. Augustinus, *relictio corporis, depositio sarcinæ grauis : sed si alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam.* Id est, nisi hoc esset malum mortis, Mors esset bonum.

II. PVNCTVM.

S*ED non ita effugies hoc mortis, siue hoc animæ malum; fugiendo mortem quàm libenter illam acceptando.* **Primo quidem quantumcumque timeas & timendo cures ne moriaris, non effugies mor-**
Hebr. 9. **tem & damna inde sequentia :** ***Nam statutum est hominibus semel mori : post hoc autem Iudicium.*** **Deinde vero licet tibi fingas te longiorem petere vitam vt præteritam emendando, futuram facias securiorem; Verba sunt, & quàm sint prorsus inania, patet ex his qui è morbo conualescunt, nec tamen à vitiis resipiscunt. Denique quando vel etiam concederemus te in meliorem euasurum, vix illum, per multos vitæ annos, conscendes meritorum gradum quem postremo vitæ die potes attingere, si fauente Deo, libenter**

ac

ac voluntarie postremum illum diem amplectaris obeundum : ac proinde viuendo non ita effugies mortis malum, quàm sic libere moriendo. Sunt enim in hac volenti ac libera mortis acceptione tam multi multarum virtutum actus inter se inuicem connexarum, vt mirum sit vel tantum bonum à Christianis non agnosci, vel agnitum non exerceri, & adhuc esse qui non libenter moriantur.

Sicut autem omnes Virtutes ad tres Theologicas & quatuor Cardinales referuntur, ita rem omnem confecero, si hoc libenter acceptandæ mortis exercitium ostendero septem illas virtutes omnino complecti. Sic autem euidenter ostenditur.

FIDES quæ prima est Theologicarum & omnium quas dicunt supernaturalium & infusarum Virtutum, hic nobiliter exercetur. Nam qui libenter & christiane mortem acceptat, manifestè profitetur quod ait S. Paulus, *credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Quomodo enim tam libenter moreretur, nisi hoc crederet ? Credit non modo Deum esse, sed esse Dominum suæ vitæ quam Illi à quo accepit restituit tamquam depositum sibi creditum, & quando repeteretur, reddendum. Credit Deo, quo Apostolus credebat sensu cum diceret, *scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Hebr. 11. 2. Tim. 1.

Credit hoc ipso actu quo se morti occurrenti libenter offert, credit inquam sic à Deo mortem sibi offerri, vt quæcumque naturalis insit in corpore mortis causa, supernaturalem in Deo magis tamen attendat, cuius vnius respectu & cultu suam libentissime profundit vitam. Credit & reipsa profitetur se fidelem Dei seruum, cum in re omnium difficillima sic se credit addictum Deo vt ne perdat obedientiam, perdat vitam; Quod de Moyse tamquam illustre factum narrat Scriptura: *Mortuus est Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino.* Sic sibi Dominum credit iubere mori quando mors instat, quocumque instet ex casu, & sic illi obedit vt Moyses quando instantem mortem libenter excipit. Denique cum probe sciat quod ait Apostolus, *impossibile esse sine fide placere Deo*, velit autem tum vel maxime Deo placere qui se ad mortem libenter parat, nonne id plane sequitur quod quidquid Fide diuina credendum est, credit : cum præsertim illo instanti Fides præter alias exigatur Virtutes, sue vt resistatur oppugnanti Deut. 34. Heb. 11.

Digitized by Google

tum aduersario, siue vt insignem illam Christianæ religionis tesseram suo proferat Christo, mox illi sistendus vt Iudici.

SPES quæ fidem proxime sequitur sic illam etiam in ista voluntaria mortis acceptatione tam fideliter comitatur, vt hæc prompta voluntas moriendi sit Diuinæ Spei singularis quidam effectus vel causa. Nam nisi quis firme speraret quam promisit Deus vitam æternam, quomodo præ se ferre posset se illam expetere, se illam adire libentissime, se terrenis omnibus propterea volenti animo renuntiare? Nonne quot formabit actus optatæ mortis, vel optandæ Beatitudinis, tot formati erunt actus illius Spei quæ talem sperat & talem optandam offert Beatitatem? Cum autem tanti Spes boni præsertim fundetur in Diuina Bonitate ac meritis Christi Saluatoris, nonne simul ac speratur illud bonum, speratur etiam in illa Dei bonitate ac meritis Christi Redemptoris? *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc Spes mea in sinu meo.* Nonne qui hoc dicit; libenter moritur? & nonne qui libenter moritur, hoc ipsum dicit?

Iob. 19.

Adde, quod nostram propius rem attingit: cum Spes vera non sit sed præsumptio, si quis speret & optet beatam vitam nisi simul quod ex parte sua præstare debet, præstare sit paratus; hinc fit, vt quantum bene mori optat, bene quod restat viuere simul optet, & quidquid vno verbo necesse est ad bonum illum vitæ deficientis statum, statim cum gratia solicitat, vrget, exequitur, confitetur, communicat, vngitur, & quidquid ad illud æternitatis iter spectare potest, tam libenter expedit quàm ipse hoc iter libens aggreditur. Nonne hoc est tolli quod grauius in morte malum est animæ? Quod vel maximè verum esse constabit si quæ tertia & excellentior virtus est CHARITAS hûc accedat ad alias.

Accedit autem tam certò & determinate quàm certus & determinatus hic esse Charitatis actus agnoscitur, cum voluntatem nostram Diuinæ conformamus, & tanto excellentior esse actus agnoscitur quanto vel supra naturalem hominis propensionem vel libentius exercetur. Quæ in nostro casu duæ præsertim circunstantiæ cum euidenter adsint, quid est quod ipsa Charitas non adesse dicenda sit? Quid est quod Charitate præsente & præsidente operi,

Digitized by Google

opus ipsum non sit perfectum, cum sit Charitas perfectionis vinculum? Hinc illa quæ cæteroquin tam rara, tam dubia tam incerta Contritio est, hinc pura & perfecta formatur cùm ille pari animo suum detestatur peccatum quo se Deo in mortem offert, id est, pure propter Deum quem ita dolet offensum, vt sua morte velit offensam expiare. O pretiosam in conspectu Domini mortem! Genus est quoddam martyrij quo non tantum culpa sed omnis etiam pœna consequens exhauritur.

Iam vero vt de illis quatuor quæ morales alias complectuntur virtutes aliquid delibetur: Nonne hic est PRVDENTIÆ Christianæ singularis actus sic se à grauiori animæ malo redimere, sic omnium maximo suo negotio prospicere, sic anteactam vitam vel malè vel otiosè positam tam modico pretio reparare? Nonne hoc est quod volebat Apostolus, Vt essent omnes *non quasi insipientes sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt?* Ephes. 5.

Quid tam IVSTITIÆ proprium quàm sic Deo, sic proximo, sic sibi ipsi quidquid debetur reddere? Totum quod sumus Deo debetur, & totum illud redditur, nec alias melius redditur quàm cùm se homo sic offert ad mortem, vt licet necessariam, voluntate tamen liberam & acceptam efficiat, sic plene Deo satisfacit cum quid amplius donet non habeat. Aut si quid habet vlterius & si quid debet proximo, non dubitabit reddere qui non dubitat mori, aut velle mori. Rem enim alienam non reddere, vel opus debitum non præstare, illorum est qui volunt viuere non qui mori optant. Nam si quid aliquem detinet à reddendo quod debet, amor est debiti quod retinetur; quid est autem quod amorem illum fouet nisi vitæ præsentis amor, quo extincto quid restat quod non simul cum vita libenter detur?

Sic etiam sibi fit ab vnoquoque satis, quando quod debetur animæ, tunc redditur, cùm ipsi opportunius est animæ; cum alioquin anima periret nisi redderetur, & cum inde saluatur quia redditur. Hoc est *pro iustitia*, quod volebat Sapiens, *agonizari pro anima sua, & vsque ad mortem certare pro Iustitia.* Ecclesi. 4.

FORTITVDINIS verò quàm sit hic actus proprius, nullus ignorat qui virtutem hanc sciat, cùm expressum hac de re Diuus Thomas articulum habeat, quo versari præcipue fortitudinem docet circa timores periculorum mortis, *cum ea sit inter omnia mala corporalia maxime terribilis.* Ipsa sunt Eius verba, qui & alio quæ- 2. 2. q. 123. a. 4. a. 6.

batur. Miserunt ergo sorores eius ad Eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham & sororem eius Mariam, & Lazarum.

Huius dilectionis præcipue meminit sacer Euangelista vel vt magis mirum & stupendum videatur quod qui singulariter à Christo diligerentur, ita tamen affligerentur: vel potius ne mirum & stupendum videatur si domus illa tam cara & dilecta Christo sic infirmetur, quia cum illa infirmitas futura esset pro Dei gloria, sic solet Deus ad hunc finem illis vti potius quos habet cariores quàm aliis; in eoque vel maxime ponit signum suæ dilectionis cùm ex multis vnum ad suam gloriam destinat, quouis
Is. 49. modo procurandam. *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.*

Quod autem dicitur, Infirmitatem hanc non esse ad mortem, cum tamen ex ea Lazarus fuerit mortuus, verissime tamen dicitur cum & ipsa mors Lazari, vt ait sanctus Augustinus, non esset ad mortem quo sensu timere poterant eius sorores, sed potius esset ad miraculum quo facto Christus glorificaretur, & in eum crederent homines, ac vitarent veram mortem.

Sicut verò Lazarus, sic & omnes infirmi suo modo dici possunt infirmari pro Dei gloria, si modo patienter infirmitates suas tolerent; atque vt etiam patienter eas tolerent, videtur hoc esse motiuum efficax, si cogitent sic se infirmari pro Dei gloria: nam inde duo sequentur bona non parui male habentibus solatij, quod sic videlicet *& leuius reddatur infirmitatis malum & fructuosius.* Vt è contra si quis non libenter pateretur pro Dei gloria, duo plane opposita sequerentur mala, nempe *quod grauius pateretur & contra Dei gloriam*; quæ duo mala simul iuncta & simul opposita duobus bonis, quæ ex voluntaria infirmitatis tolerantia percipiuntur, longe potentiùs cum Gratia voluntariam hanc tolerantiam persuadebunt, quàm si sola esset bonorum inde fluentium consideratio.

Quamobrem sic consideranda Veritas proponitur vt qui non libenter pro Dei gloria pati velit, certo sibi persuadeat, quod volens nolens in hæc duo incurrat incommoda, *Vt & grauius, & contra Dei gloriam, patiatur.* Sic autem facile persuadetur. Nam qui non libenter pro Dei gloria velit infirmari, dolebit se dolere & dolorem animi iunget dolori corporis. Quod enim non liben-

ter toleratur, perinde quasi est ac tolerari coacte, inuite, dolenter, ægre, grauiter, & vno verbo non minus dolenti animo quam corpus ipsum dolet; Quod rex ille Antiochus satis suo probat exemplo, cum ægrotans dicebat: *in quantam tribulationem deueni, & in* 1. Mach. 6. *quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea*, quasi diceret, sicut ex animi tristitia languescit corpus, ita ex languore corporis ingrauescit animi tristitia, seque ita mutuo conficiunt corpus & anima, vt sibi suæ pœnæ reciprocum afferant incrementum, & pœna corporis redundet in animum, & animus mœrens virus effundat in suum corpus. Sic Sapiens in Prouerbiis, *Spiritus tristis exsiccat ossa*, Et Ecclesiasticus: Pro. 17. *à tristitia festinat mors, & cooperit virtutem. Et tristitia cordis, flectit ceruicem*, Id est, robur quodcumque debilitat, & tantum abest vt dolorem minuat, quin potius augeat.

II. PVNCTVM.

SED qui dolorem sic sibi auget & multiplicat, in duo illa incurrit incommoda, vt & grauius patiatur, & contra Dei gloriam.

De primo quidem patet: Nec minùs euidens erit alterum tantispèr cogitanti quod sicut ille diceretur pro Dei Gloria pati qui libenter pateretur, quia sic indicaret quanti Deum faciat, cuius voluntatem præfert suæ sanitati, suo corpori, suæ vitæ, quod non potest non esse Deo gloriosum: sic prorsus ex opposito dicendus erit contra Dei gloriam infirmari & pati qui dolebit animo, quòd corpore doleat: nam ex illo dolore animi manifeste indicat quod corpus suum præferat diuinæ voluntati, cuius nutu & imperio quam patitur infirmitas corporis accidit; quod profectò non parùm diuinam oppugnat gloriam. *Numquid parum vobis est* Is. 7. *molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Quasi diceretur, ne quidem hominibus molestos esse oportet, quanto minus Deo! Aut certe si molesti estis Deo, satis indicatis quàm parui ducatis Eum: nam etsi solent infirmi esse molesti, non tamen viris præstantibus, quorum dignitate ac obseruantia se continent, sed infimis tantum personis molestiam illam suam exhibent; vndè patebit quod si molesti fuerint Deo, Deum velut in infimis & abiectis habent. Poteftne aliquid magis esse aduersum diuinæ Gloriæ?

Quod si verò perpendas accuratius quid sit molestum esse Deo, nempe murmurare, conqueri, diuinam accusare Bonitatem, se velut innocentem prædicare: Deum autem quasi crudelem aut in se duriorem clamitare, quid dices esse contra Dei gloriam, nisi hæc agnoscas esse? Perinde quasi est cum Deo velle contendere & de iustitia decertare. Sic apte sanctus Gregorius in illum Psal-

Ps. 142. in septem Ps. Pœnit. mi versum, *Non intres in iudicium cum seruo tuo: QVI contra Conditoris flagella murmurat, quasi cum eo in iudicium intrat. Dei namque accusat iudicium qui se æstimat iniuste percussum. Et quasi cum Deo in iudicio contendit qui inter flagella innocentem se ostendit. Hinc etenim*

Iob 39. *nim Dominus ad beatum Iob loquitur, dicens, numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? vtique qui arguit Deum debet respondere ei.* Habesne quod contra respondeas?

III. PVNCTVM.

HINC *ergo manifestè patet, quod qui non libenter infirmatur pro Dei gloria, & grauius infirmatur, & contra Dei Gloriam:* Nonne est enim grauius infirmari cùm qui solo dolebat corpore, dolet simul & animo? Nonne hoc vero est diuinam expugnare gloriam cum sic animo doles quod de corporis tui statu disponat Deus prout velit? Quanti nempe Deum ducis? Hinc scilicet patet quantam Deo afferas vel auferas gloriam. Minoris autem Deum ducis quàm tuum corpus, si doles animo dolere corpus. Nam cum non doleat corpus nisi ex Dei nutu & voluntate; si dolet animus de hac diuina voluntate, mallet corpus suum sanum quam istam Dei voluntatem, sicque corpus suum præfert Deo; quod nisi cum ignominia diuini Numinis dici vel cogitari non potest:

Is. 40. *Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus?*

Certe quando Deum præferres corpori, semper hoc idem quæri posset, *Cui assimilasti & adæquasti Deum?* Quid magni Deo & gloriosi, si tantus tantillo præferatur? Sed cùm etiam Deus corpori posthabetur, iniuriosa nimis est hæc diuina depressio.

Quamobrem ex omni parte vides, quanti referat, libenter infirmari & pati. Si te tui mouet ratio, vide quid proponitur: Tantò magis aut minùs infirmaberis, quanto magis aut minus libenter patieris; Quid potentius in rem tuam? Si te diuina tangunt, contemplare attentius quanta hinc resultet Dei gloria,

cum inde tota sic pendeat, vt nisi libenter patiaris, ipsam funditus diuinam pessundes gloriam. Quid terribilius timenti Deum? Si de te solo ageretur, res tuas forte nolles à diuinis seorsum agere: Si de solo duntaxat Dei cultu negotium esset, fortasse nimis onerosum causarere negotium. Sed hîc vtrumque simul tam facili nexu conjungitur, vt res tua, sit res Dei; & negotium Dei, tuum sit, tanto minus onerosum quanto erit magis Dei.

O quàm verè & practice sanctus Cyprianus de bono patientiæ: *Ad varia quoque*, inquit, *carnis incommoda, & crebros corporis durosque cruciatus quibus humanum genus quotidie fatigatur & patitur, patientia necessaria est. Examinandis autem nobis atque explorandis diuersi importantur labores & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatu vulnerum, de amissione charorum. Nec aliud magis iniustos discernit & iustos quam quod in aduersis per impatientiam queritur & blasphemat iniustus: patientiâ iustus probatur sicut scriptum est, In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum atque argentum.* Ier. 3.

Vide in 1. p. Sabbato Hebdom. 2. post Epiphan. Et in 2. p. Fer. 6. Sexagesimæ, & tota pene Hebdomada 2. Quadragesimæ.

FERIA TERTIA.

DE LAZARO MORTVO.

Tunc Iesus dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est. Ioan. 11.

VERITAS PRACTICA.

Quo minus accepta mors est, eo magis acceptanda.

Vel sic

Quod grauius in morte est malum, non ita effugies, fugiendo mortem quàm acceptando.

SENSVS ET RATIO EST, *Quia quod grauius in mor[te]*
est malum, malum est animæ.

Sed non ita effugies hoc malum, fugiendo mortem, quàm libent[er]
eam acceptando.

Ergo & certa est Veritas, & libenter moriendum, sic volen[te]
Domino.

I. PVNCTVM.

VT ergo audiuit Dominus quia infirmabatur Lazarus, tunc qu[i]dem mansit in eodem loco, duobus diebus. Deinde post hæc dix[it] discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum; Dicunt ei discipu[li] Rabbi, nunc quærebant Iudæi te lapidare, & iterum vadis illuc. Re[s]pondit Iesus paulo futiori sermone, cuius summa est, nihil il[li] esse timendum, se præsente, iamque Lazarum dormire dormiti[o]nem mortis, & esse verè mortuum. *Et gaudeo*, inquit, *propter v[os] vt credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. Dixit ergò Th[o]mas ad Condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit it[a]que Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habente[m].* Quæ sacra Euangelij verba dùm pro affectu reuolueris, ingrede[re] cum Domino Iesu lugubrem illam mortui domum Lazari. Sæ[pe] aditur hæc domus ad Conuiuiũ quod ibi paratur Domino celebr[an]dum, nec infructuose reditur; Nunc vero ad luctum si adeatu[r],
Eccle. 7. erit & forte fructuosior reditus, iuxta illud Sapientis, *Melius [est] ire ad domum luctus quàm ad domum Conuiuij, in illa enim finis cu[n]ctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.*

Vt nempe ad illud se cum gratia præparet, nam hic inter cæ[teros] videtur optimus meditandæ mortis scopus ac finis. Cu[m] autem multa sint quæ hanc animi præparationem faciant, tu[m] hoc vno præsertim continentur omnia, vt *libenter ac voluntar[iè]* quando dies noster aduenerit, moriamur. *Eamus & nos & mori[a]mur cum Eo*; tam libenter quam ipse Lazarus, tam libenter qua[m] ipse Christi Discipulus, & quàm ipse Christus. Quid enim tim[es] timendo mortem? quidquid sit, *Quod grauius in morte est malu[m] non ita effugies fugiendo mortem, quàm libenter illam acceptando.* Dig[na] certe quæ modò expendatur Veritas: & hæc aperta Ratio qua d[e]claratur; Nam quód grauius in morte est malum, malum est an[imæ]

Digitized by Google

mæ; Malum quidem est corporis, malum est vitæ præsentis, malum forte familiæ, forte & ciuitatis & prouinciæ, malum denique malorum temporalium hoc est extremum omnium. Sed quid omnia temporalia, si ad malum animæ comparentur? Non est dubium Christiano quin si saluetur anima, nihili prorsus sint alia quæuis ducenda: si vero pereat, hoc vnum maxime malum esse, hoc vnum grauius esse malum mortis, hoc vnum esse vere timendum, sicut monebat Dominus: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.* Nonne hoc est quod ipsi sanctiores Viri tremunt & pauent? Nonne hoc est quod instanti morte dicunt ad pauorem suum excitandum vel excusandum: Non se videlicet naturalibus illis moueri motibus quos vel amor vitæ vel honorum vel parentum vel quorumlibet bonorum omnium quæ deferuntur, aut malorum temporalium quæ importantur, excitare solent: sed quæ spectant animum, quæ diuinum iudicium, quæ horrendam pœnarum æternitatem, illa esse videlicet illa esse quæ pauendam reddunt mortem; quia siue præteritum respiciant, vident multa mala quæ nollent se fecisse, & multa bona quæ fecisse vellent; siue præsentem suum spectent statum, ignorant prorsus *vtrum amore an odio digni sint*; Non desperant, sed valde timent quia vel peccata sua manifeste vident, vnde & gemunt; vel si non vident, tanto acrius timent quia sciunt alios esse Dei oculos, alia Eius iudicia, & tam longe à nostris dissitas eius esse sententias de rebus temporalibus, & de humanis actibus, quàm cœlum distet à terra. Siue ad futurum denique quod sequitur, se conuertant, occurrit illa Iudicis facies quæ in Apocalypsi describitur, & quam ipse dilectus Discipulus Scriptor nonnisi tremens ac pauidus spectare potuit. *Et conuersus*, inquit, *vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere.* Id est, veste talari propria Iudicis: *& præcinctum ad mamillas zona aurea;* Id est, nullo mouendum misericordiæ motu. *Caput autem eius & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix,* Hæc eius scilicet mentis puritas, hæc eius æternæ legis sanctitas, vnde iudicium de nobis feret, quia hæc erat vitæ nostræ regula quam peccando infregimus. *Et oculi eius tamquam flamma ignis*, incensi scilicet contra pecca-

Luc. 12.

Eccl. 9.

Apoc. 1.

tum. *Et pedes eius similes Aurichalco sicut in camino ardenti* : vt designentur parata iudicandis supplicia, & summa quam in illos exercet potestas. *Et vox illius tamquam vox aquarum multarum*, quæ scilicet ex alto decidunt, nec eò reuertuntur; sic eius lata sententia rata fixaque est, nec inde ad aliud appellatur tribunal. *Et habebat in dextera sua stellas septem*, id est, lumina, gratias, & beneficia quæ stanti ad iudicium animæ repræsentabit, vt eius ingratitudo & peruersitas magis appareat. *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, Nempe est sententia proferenda quæ peccatricem animam à Deo quem offendit excidat quodammodo, & longe procul disiungat. *Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* Quasi dicatur, nihil tùm habituram animam quod in sui defensionem respondeat, quia tam clare omnia vidit Iudex, nihil vt illum lateat. Ac tandem, inquit qui hæc narrat sanctus Ioannes : *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tamquam mortuus.* Adeo scilicet

Iob 26. sunt pauenda omnia vt quod est in libro Iob *ipsa columnæ cæli contremiscant, & paueant ad nutum eius* : quanto magis tabulæ & virgulta vt ait S. Gregorius. Hoc est itaque grauius in morte malum, quia hoc est in se grauius malorum omnium quæ dicuntur pœnæ : & hoc est malum quod à morte pendet & statim sequitur incur-

In Ioannem. rendum. *Quid est mors*, inquit S. Augustinus, *relictio corporis, depositio sarcinæ grauis : sed si alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam.* Id est, nisi hoc esset malum mortis, Mors esset bonum.

II. PVNCTVM.

SED non ita effugies hoc mortis, siue hoc animæ malum; fugiendo mortem quàm libenter illam acceptando. Primo quidem quantumcumque timeas & timendo cures ne moriaris, non effugies mor-

Hebr. 9. tem & damna inde sequentia : *Nam statutum est hominibus semel mori : post hoc autem Iudicium.* Deinde vero licet tibi fingas te longiorem petere vitam vt præteritam emendando, futuram facias securiorem; Verba sunt, & quàm sint prorsus inania, patet ex his qui è morbo conualescunt, nec tamen à vitiis resipiscunt. Denique quando vel etiam concederemus te in meliorem euasurum, vix illum, per multos vitæ annos, conscendes meritorum gradum quem postremo vitæ die potes attingere, si fauente Deo, libenter

ac

Digitized by Google

ac voluntarie postremum illum diem amplectaris obeundum : ac proinde viuendo non ita effugies mortis malum, quàm sic libere moriendo. Sunt enim in hac volenti ac libera mortis acceptione tam multi multarum virtutum actus inter se inuicem connexatum, vt mirum sit vel tantum bonum à Christianis non agnosci, vel agnitum non exerceri, & adhuc esse qui non libenter moriantur.

Sicut autem omnes Virtutes ad tres Theologicas & quatuor Cardinales referuntur, ita rem omnem confecero, si hoc libenter acceptandæ mortis exercitium ostendero septem illas virtutes omnino complecti. Sic autem euidenter ostenditur.

FIDES quæ prima est Theologicarum & omnium quas dicunt supernaturalium & infusarum Virtutum, hic nobiliter exercetur. Nam qui libenter & christiane mortem acceptat, manifestè profitetur quod ait S. Paulus, *credere oportet accedentem ad Deum* Hebr. 11. *quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Quomodo enim tam libenter moreretur, nisi hoc crederet ? Credit non modo Deum esse, sed esse Dominum suæ vitæ quam Illi à quo accepit restituit tamquam depositum sibi creditum, & quando repeteretur, reddendum. Credit Deo, quo Apostolus credebat sensu cum dice- 2. Tim. 1. ret, *scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.*

Credit hoc ipso actu quo se morti occurrenti libenter offert, credit inquam sic à Deo mortem sibi offerri, vt quæcumque naturalis insit in corpore mortis causa, supernaturalem in Deo magis tamen attendat, cuius vnius respectu & cultu suam libentissime profundit vitam. Credit & reipsa profitetur se fidelem Dei seruum, cum in re omnium difficillima sic se credit addictum Deo vt ne perdat obedientiam, perdat vitam ; Quod de Moyse tamquam Deut. 34. illustre factum narrat Scriptura : *Mortuus est Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino.* Sic sibi Dominum credit iubere mori quando mors instat, quocumque instet ex casu, & sic illi obedit vt Moyses quando instantem mortem libenter excipit. Denique cum probe sciat quod ait Apostolus, *impossibile esse sine fide* Heb. 11. *placere Deo*, velit autem tum vel maxime Deo placere qui se ad mortem libenter parat, nonne id plane sequitur quod quidquid Fide diuina credendum est, credit : cum præsertim illo instanti Fides præter alias exigatur Virtutes, siue vt resistatur oppugnanti

Digitized by Google

opus ipsum non sit perfectum, cum sit Charitas perfectionis vinculum? Hinc illa quæ cæteroquin tam rara, tam dubia tam incerta Contritio ést, hinc pura & perfecta formatur cùm ille pari animo suum detestatur peccatum quo se Deo in mortem offert, id est, pure propter Deum quem ita dolet offensum, vt sua morte velit offensam expiare. O pretiosam in conspectu Domini mortem! Genus est quoddam martyrij quo non tantum culpa sed omnis etiam pœna consequens exhauritur.

Iam vero vt de illis quatuor quæ morales alias complectuntur virtutes aliquid delibetur: Nonne hic est PRVDENTIÆ Christianæ singularis actus sic se à grauiori animæ malo redimere, sic omnium maximo suo negotio prospicere, sic anteactam vitam vel malè vel otiosè positam tam modico pretio reparare? Nonne hoc est quod volebat Apostolus, Vt essent omnes *non quasi insipientes sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt?* Ephes. 5.

Quid tam IVSTITIÆ proprium quàm sic Deo, sic proximo, sic sibi ipsi quidquid debetur reddere? Totum quod sumus Deo debetur, & totum illud redditur, nec alias melius redditur quàm cùm se homo sic offert ad mortem, vt licet necessariam, voluntate tamen liberam & acceptam efficiat, sic plene Deo satisfacit cum quid amplius donet non habeat. Aut si quid habet vlterius & si quid debet proximo, non dubitabit reddere qui non dubitat mori, aut velle mori. Rem enim alienam non reddere, vel opus debitum non præstare, illorum est qui volunt viuere non qui mori optant. Nam si quid aliquem detinet à reddendo quod debet, amor est debiti quod retinetur; quid est autem quod amorem illum fouet nisi vitæ præsentis amor, quo extincto quid restat quod non simul cum vita libenter detur?

Sic etiam sibi fit ab vnoquoque satis, quando quod debetur animæ, tunc redditur, cùm ipsi opportunius est animæ; cum alioquin anima periret nisi redderetur, & cum inde saluatur quia redditur. Hoc est *pro iustitia*, quod volebat Sapiens, *agonizari pro anima sua, & vsque ad mortem certare pro Iustitia.* Ecclesi. 4.

FORTITVDINIS verò quàm sit hic actus proprius, nullus ignorat qui virtutem hanc sciat, cùm expressum hac de re Diuus Thomas articulum habeat, quo versari præcipue fortitudinem docet circa timores periculorum mortis, *cum ea sit inter omnia mala corporalia maxime terribilis.* Ipsa sunt Eius verba, qui & alio quæ- 2. 2. q. 123. a. 4. a. 6.

Digitized by Google

stionis eiusdem articulo quærens ex duobus fortitudinis actibus, *aggredi & sustinere*, Vter eorum sit magis virtuti proprius, respondet illum esse quo sustinetur, quia difficilius, quia longius, quia præsentius est malum, atque ita qui se mori sentit & libens videt, sicut habet quod constanter sustineat, sic profecto habet quod proprie fortis sit & fortitudinis suæ præmium referat, iuxta illud
Apoc. 2. Domini, *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*
q. 141. TEMPERANTIA denique cum ex eodem sancto Doctore potissimum in his versetur temperandis quæ appetitum magis alliciunt, vt sunt voluptates, honores & diuitiæ; quid ex his magis allicit quam ipsa vita quæ cæterorum est sedes & fundamentum bonorum? ac proinde quis temperantior quam qui vitam omnem suam voluntate moriendi præcidit, quo vno actu voluptates omnes, vniuersas diuitias, & quoscumque mundus
Phil. 1. honores offert, contemnit, abjicit, detestatur; *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* O lucrum quo perditæ salus animæ reparatur! Periisses homo nisi periisses.

III. PVNCTVM.

QVOD est igitur grauius in morte malum, nempe malum animæ, non tam effugies, fugiendo mortem, quàm libenter illam acceptando; ac proinde nihil est quod ad naturalem excusandum mortis metum dicas, te non ita mortem timere quàm quod mortem sequitur; nam illud ipsum quod sequitur, non euitatur timendo vel fugiendo mortem, sed potius illam acceptando, quandoquidem talis acceptatio tanti est ponderis apud nostrum Iudicem, vt qui nobis alioquin esset infensissimus ob contractas vitæ præteritæ maculas, hoc insigni facto placetur, & sibi
Ez. 43. satisfactum ducat. *Et placatus ero vobis, ait Dominus Deus.*

Parumne tibi hoc videtur, vt tam modico pretio quod exigitur, tantum malum auertatur, tantum bonum comparetur? Vide qua de re agitur. Vide quid à te idcirco exigitur? Agitur de summa rei tuæ: de bona vel mala morte tua: de fœlici vel infœlici vitæ exitu: de fausto vel infausto iudicio sistentis se post mortem animæ tremendo Christi tribunali: de Cœlo denique vel de inferno. Nil minus horum agitur. Quod autem à te idcirco exigitur, vt auspicatò & fœliciter tibi cedant omnia, non est quod

putas, non est mors subeunda, quæ propterea tamen non esset recusanda. Non est tibi vero propterea moriendum vt beate viuas, vt commutes infernum cœlo. Nam etsi detrudendus esses in infernum, morieris, statutum est, ratum fixumque est. Quid ergo à te exigitur? ô diuinam pietatem! ô humanam duritiam! Quod vnum à te exigitur hoc est vt quod velis nolis, necessario tibi est subeundum, tu id velis libenter, tu necessitati consentias, tu id volens ac libens agas quod nolens & inuitus agas necesse est.

Si de tuis quos victurus esses annis detrahendi essent aliqui, si ex florenti ætate sic ad interitum raperéris, vt penes te esset, florem ætatis præscindere vel fouere; nutare forte posses; & carius videri posset pretium: Sed non iste est modò rei status: Actum est, morieris, non est deliberandi locus, non est emergendi via, velis nolis, moriendum. Iam non sunt in arbitrio tuo vita & mors. Iacta sors est, excedendum. Quod vnum tibi de tua restat libertate, hoc est quod dixi, vt id libere facias quod est necessarium. Acquiesce diuinæ voluntati. Sine te ab illa volentem duci & non inuitum trahi. Quid frustra reluctaris, non euinces: Non mortem effugies. Neque est malum istud quod timere debes & fugere, nam non est malum mori, sed male mori. Hoc est autem quod potes fugere, volendo mori. Mortem accepta, plus agis quam si mortem tolleres, nam malam tollis mortem, tollis tremendum iudicium, tollis infernum.

Sic præclare sanctus Chrysostomus: *Mors munus necessarium est naturæ iam corruptæ quæ non est fugienda, sed potius amplectenda: Fiat voluntarium quod futurum est necessarium:* OFFERAMVS DEO PRO MVNERE QVOD PRO DEBITO TENEMVR REDDERE. Quasi diceret, tale est debitum mori vt ipsam recusare non possis mortem, potes quidem recusare liberam, potes recusare libertatem, sed non necessitatem moriendi. At vero, inquit, nec ipsa libertas est recusanda, nam sic oblata & conjuncta necessitati, perinde valebit apud Christum ac si omnino libera esset & non necessaria. *In Matth.*

Et vero etiam alio sensu hæc libertas seu libera mortis acceptatio, dici potest necessaria, quatenus scilicet illas includit virtutes quæ sunt ad salutem ita necessariæ vt neque salus sine illis possit comparari: neque illæ virtutes sine libera mortis acceptione possint exerceri. Quam enim ille Fidem aut Spem habere dicendus

Digitized by Google

est qui apertum sibi cœlum videns, si libenter velit mori, malit sibi cœlum claudi quam id velle? Quam ille Charitatem in Deum moriens exercebit qui diuinæ voluntati quantum potest resistit, nolendo mori: licet ipsi cogatur inuitus subjici? Quo sensu, quo animo Deum oras vt adueniat regnum eius, & vt fiat eius volun-

l. de Mortalit. tas? *Quàm præposterum est*, inquit S. Cyprianus, *quámque peruersum, vt cùm voluntatem Dei fieri postulamus, quando euocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Hoc nitimur & reluctamur, & peruicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia, & mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis. Quid ergo rogamus & petimus vt adueniat regnum Dei cœlorum, si captiuitas terrena delectat.*

Quænam porro potest illius esse Prudentia, qui vno voluntatis actu cum possit summum malum in summum bonum conuertere, malit illum voluntatis actum recusare quàm vel tale malum effugere, vel tale sibi bonum comparare?

Quænam autem illius putas erit Iustitia, qui sic negat Deo quod illi debet tot titulis, & id sibi recusat quo vno recusato iacturam animæ facit. Certe id nolle cum possis, iniustum nimis est: & negare se posse cum sit præsens Gratia quæ id petit & vrget, Fortitudinis & Temperantiæ defectus est numquam satis deplorandus.

Sic illi miseri qui non nisi dolentes & renitentes sunt mortui,

Sap. 5. sic infaustam suam mortem in inferno gemunt: *nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

Sicut verò non pugnat cum hac lubenti mortis acceptione, quæcumque fuerint necessaria valetudinis remedia sibi procurare, vel orare Deum, & quoquo etiam modo sanitatem optare: ita plane cauendum est in istis omnibus, ne plus æquo feratur animus, ad optandum & orandum, magis vt conualescat infirmus quam infirmetur diutius aut etiam moriatur: NAM MAGIS SÆPE TIMENDVM EST NE NON MORIATVR ÆGROTVS, QVAM NE MORIATVR.

Quæ certe Veritas posset separatim proponi, vel simul his quæ dicta sunt jungi, & paucis ita declarari: Timendum magis est ægroto & cuiuis hominum, ne quod Deus primo suæ bonitatis ordine de illo statuit, inuertatur & deflectatur in alium qui dicitur Iustitiæ, seueritatis & pœnæ. Quod paucis sed efficacibus ver-

Digitized by Google

bis sanctus Augustinus Deo loquens sic exprimit : *In te offenderunt iniusti vt iuste vexarentur, subtrahentes se lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in asperitatem tuam.* L. 5. conf. c. 2.

Sed sæpius secundum primum illum ordinem morbus & mors sic ordinata sunt vt si per nimias infirmorum aut aliorum pro ipsis deprecationes relaxentur, differantur, immutentur, fiat deflexus ab illo primo in alium ordine, iuxta illud Psalmi notissimum ; *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi : Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Id est, peribunt recedentes ab illo qui de ipsis statutus erat ordine. Rectè autem sanctus Augustinus præter cætera perpendit illud : *Et Israel non intendit seu non attendit mihi. Quis,* inquit ? *Cui ? Israel mihi ! ô ingrata anima, per me anima, à me vocata anima, à me in spem reducta, à me à peccatis abluta. Et Israel non attendit mihi. Baptizantur enim, & transeunt per mare rubrum, sed in via murmurant, contradicunt, conqueruntur, seditionibus perturbantur, ingrati ei, qui liberauit à persequentibus hostibus, qui ducit per siccum, per eremum cum cibo tamen & potu, cum lumine nocturno, & vmbraculo diurno. Et Israel non attendit mihi. Et dimisi eos secundum affectiones eorum:* Quasi diceretur, dum me ad salutem suam sequi nolunt, cogunt me ipsos persequi ; nec aliis vtar instrumentis, & hostibus ad eos persequendos, quam ipsis eorum affectibus, quos vbi sinam expleri, tam certo peribunt, quàm certe salui essent, si se potius siuissent regi. Ps. 80.

Nonne hoc igitur timendum in infirmis, & moribundis, ne, si auertant à se mortem temporalem, auertant vitam æternam, quæ in illa morte tamquam medio per primum Bonitatis ordinem ordinato continebatur ? Vnde rursum à Propheta Regio dicitur de istis, qui se à nutu diuino subtrahunt : *Isti non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Sed cur ita puniuntur de viis Domini derelictis si eas non cognouerunt ? Ratio est, quia cognosse poterant, nisi tam prauè affecti fuissent, vt cognosse noluerint. Et hæc prauitas affectus Deum irritare præsertim dicitur, quia Deus hanc præsertim punit ; & ne putetur id aliquoties tantum, vel in aliquibus fieri, propterea minis addit iuramentum, quasi se ita velit astringere, vt pene non sit ipsi liberum aliter agere ; quod expendens sanctus Augustinus sic apte ad rem nostram : *Loqui Dominum*, inquit, *magnum est, quanto magis* Ps. 94.

Digitized by Google

iurare Deum? Iurantem hominem debes timere, ne propter iurationem faciat quod contra voluntatem eius est, quanto magis Deum, qui nihil temere iurare potest? Iurationem ad confirmationem voluit esse. Et per quem iurat Deus? per seipsum. Non enim habet majorem per quem iuret, per seipsum confirmat promissa sua, per seipsum confirmat minas suas. Nemo dicat in corde suo, verum est quod promittit, falsum est quod minatur. Sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur. Tam certus debes esse de requie, de fœlicitate, de æternitate, de immortalitate, si feceris præcepta ipsius: quàm certus esse debes de interitu, de ardore ignis aeterni, de damnatione cum diabolo, si contempseris præcepta eius.

Heb. 6.

Dici autem eius præcepta possunt, illæ ipsæ viæ quibus nos regit, & quibus nos ita fideliter insistere præcipit, vt non minus suo modo periculosum sit ab illis viis deflectere, quàm à præceptis. Sic de Pharizæis, qui non sunt vsi occasione sancti Ioannis Baptistæ, seu qui non profecerunt eius admonitionibus, expresse dicitur, *quod consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo.* Id est, cùm illa tunc esset via, qua Deus Pharizæos ad meliorem statuerat reuocare frugem, nec tamen isti viam hanc obseruarint, sic aberrarunt & perierunt: *Væ filij desertores, dicit Dominus vt faceretis consilium, & non ex me!*

Luc. 7.

Is. 30.

Sic sapientissimi quique, & suæ salutis consultissimi non aliter sibi volunt prospectum remediis naturalibus, vel supernaturalibus, quàm prout Ille ordinauit, cuius nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt. *Vita in voluntate eius*, id est, tamdiu bona est vita, quamdiu voluerit. Depositum quoddam est, omni custodia conseruandum donec Is repetat à quo accepimus, quo etiam repetente non est cunctandum reddere. *Si appropiat tempus nostrum, moriamur in virtute*; inquiebat Iudas Macchabæus. Vel generose dices cum Apostolo: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Id est, confitendo melius esse mori cum velit, quàm viuere cùm id nolit.

Ps. 29.

1. Macch. 9.

Act. 21.

Illustre est exemplum Mauritij Imperatoris, cui cùm optio esset data, aut diutiùs viuere cum periculo suæ salutis; aut vnà cum liberis cruenta morte, citiùs defungi, vt æternas pœnas redimeret: hoc postremum elegit, vt fusè refert ex multis, Baronius ad annum Christi sexcentesimum secundum.

Vide in 3. p. Fer. 3. Hebd. 6. vbi explicatur secunda petitio orationis Dominicæ: *Adueniat regnum tuum.*

FERIA

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE LAZARO SVSCITATO.

Lazare veni foras; Et statim prodiit qui fuerat mortuus. Ioan. 11.

VERITAS PRACTICA.

Sicut nonnisi per Christum viuis; sic nonnisi propter ipsum viuas.

RATIO EST, *Quia idcirco nonnisi per Christum viuis, quia te à morte per mortem suam ita redemit vt non viueres, nisi te ita redemisset.*

Sed cùm sis ita redemptus, nonnisi propter ipsum viuas oportet. Vel quod eodem recidit: Sic Ille te redemit vt nonnisi propter ipsum viueres.

Ergo alterum infer ex altero. Et sicut nonnisi per Christum viuis, sic nonnisi propter ipsum viuas.

I. PVNCTVM.

QVÆ longior est narratio suscitati à mortuis Lazari, videri debet apud Euangelistam, & ex singulis eius partibus nonnihil ad profectum delibari. Tum vero animus intendatur in Lazarum suscitatum, quo affectu Liberatorem suum Christum agnouerit, adorarit: quibus verbis se nouam ei debere vitam professus sit: quo deinceps Eum cultu ac studio fuerit prosequutus, ac se ipsi totum addixerit. Sic plane Tu quisquis hæc legis vel audis, si diligenter attenderis, non minus te Christi totum agnosces, quàm ipse Lazarus, hoc nouo nomine vel benefi-

cio quo illi singulariter astringeris de noua tibi vita per eum restituta. Tu nonnisi per ipsum denuò viuis sicut si suscitatus esses; ac propterea *Tu nonnisi propter ipsũ viuas oportet sicut viueret suscitatus.*

Ratio prorsus est eadem; Cur enim à Christo suscitatus sibi facile persuaderet non aliter esse viuendum quam propter Christum, nisi quia nouam hanc ei vitam debet, quam profectò par est illi consecrare, ac reddere, si præsertim significet Christus se hanc velle vitam suo mancipatam obsequio? At nonne tu sic nouam ab eo vitam accepisti? Hoc primum expende. Numquid non eras mortuus non tantum originali peccato cum vniuersis hominibus, sed actuali, quod vocant, & singulari tuo lethifero, statim atque peccasti? Nonne triplicem incurristi mortem, à qua te Christus liberauit, mortem scilicet animæ seu gratiæ, mortem salutis seu beatitudinis, mortem corporis seu vitæ præsentis? Expende hæc etiam atque etiam, & tibi singulariter applica, quod de omnibus vniuersim ait Apostolus, *nos mortuos fuisse in delictis, & cum Christo conuiuificatos.* Coloss. 2.

Ac primo quidem de morte animæ seu gratiæ non dubitas, quin, statim atque peccaueris, sequutum fuerit peccatum illud, quod idcirco mortale dicitur, quòd mortem afferat, *Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur: Et peccatum cum consummatum fuerit generat mortem,* mortem præsentem animæ, mortem spiritualem, mortem oppositam vitæ quam viuebat, cùm ante peccatum esset in gratia, & à qua morte per Christum resurgit, cum per ipsum redit in gratiam. Nonne id agnoscis? Ezech. 18. Iac. 1.

Deinde vero de morte quam appellamus mortem salutis, & beatitudinis, quia reuera est eius priuatio, nonne tam verè mors dici debet, quam verè beatitudo dicitur vita beata & æterna? Nonne autem ista mors tam certò infertur ex morte animæ, quàm mors animæ sequitur ex peccato? Nonne peccatum ex æquo priuat animam tam vita gloriæ, quàm vita gratiæ? Nonne denique si peccator gloriosam illam aliquando possideat vitam, non minus illam debet Christo, quàm vitam gratiæ spiritalem?

Restat itaque de tertia quam dicimus mortem corporis, & præsentis vitæ, quæ licet non ita consequenter ex peccato videatur sequi, ac duæ præcedentes: sequitur tamen hoc sensu, quòd nisi diuina interueniret misericordia, nisi diuinus intercederet Christi sanguis, qui propterea est effusus; statim post peccatum

peccator corpore, seu vita præsenti moreretur, sicut anima statim moritur morte quam diximus gratiæ. Sic enim primus homo post peccatum, eodem ipso instanti quo peccauit, & morte spirituali mortuus est, & mortis corporalis obeundæ reus fuit; neque minùs à peccato mors corporis manat quàm mors animæ; cùm ante peccatum corpus esset immortale, nec nisi peccato, *& inuidiâ diaboli mors introierit in orbem terrarum.* Hæc sunt enim, vt ait Apostolus, *stipendia peccati, Mors.* Id est, omne genus mortis, Id est, mors corporis, & animæ: Vnde quod vixerit Adam post peccatum, & nouum fuit beneficium, & venturi Christi collatum meritis: nam nisi tùm prouisum, & promissum fuisset hoc remedium, perinde corpore, ac animo periisset. Quod idem dicendum prorsus est de vnoquoque particulari, sicut videlicet vnusquisque peccando perit morte animæ, sic periret morte corporis, nisi reseruaretur vita corporis, vt mors animæ reparari possit: atque ita quòd non pereat corpore, non minùs debetur Christo Redemptori, quàm quod non pereat animâ, si resipiscit; neque minùs quàm Lazarus, aut alius à Christo suscitatus nouam hanc illi suam deberet vitam. Sap. 2. Rom. 6.

Sic expressè sanctus Augustinus: *Vna,* inquit, *mors Christi duabus mortibus nostris, scilicet animæ & corporis saluti fuit.* Duas tantum meminit mortes quia mortem animæ confundit cum morte beatitudinis: apertè autem distinguit mortem animæ, & corporis, vt duplex illud beneficium distinctè notũ faciat, quo per Christum viuimus animâ, & corpore, seu vita spirituali, & corporali. Esto id sit particulare Lazaro, & aliis à Christo suscitatis, quòd amissam vitam corporalem ab illo recuperarint, quo modo nostram nobis non restituit; sed de modo amissæ, vel restitutæ vitæ non hîc agitur, satis est ad similitudinem recuperatæ vitæ, quòd quemadmodum suo modo Lazarus restitutam sibi vitam Christo debet, sic nos illi nostram nobis suo modo reparatam debeamus. Quo in modo si quid ex vna parte deest, suppletur & excedit ex altera: Nam neque solùm, sicut Lazarus, vitam corporis à Christo accepimus, sed vitam vtramque animæ, quæ longe est aliâ præstantior; neque id semel tantùm, sicut Lazaro, nobis id beneficij collatum est; at quoties post peccatum reuiximus in nouam Gratiam. Quoties autem istud accidit? Quoties id etiam citiùs id ipsum præstare voluit, & noluisti? L. 4. de Trin.

II. PVNCTVM.

SED cùm sis ita redemptus, non nisi per ipsum viuas oportet: Vel quod eódem recidit, sic te Christus redemit, vt non nisi propter ipsum viueres.

Quasi gemina esset propositio, vel quasi duplex motiuum proponeret, quo ex prima præmissa sequeretur non aliter esse viuendum quam propter Christum.

Ep. 143. Primò quidem, quia id exigit beneficium Redemptionis. *Cui enim iustiùs viuam*, ait sanctus Bernardus, *quàm ei, qui si non moreretur, ego non viuerem? Cui commodius, quàm promittenti vitam æternam?*

Deinde verò, quòd ea fuit intentio Christi nos redimentis, vt sic nouo hoc beneficio sibi nos astringeret, nulli vt alteri, nec nobis ipsis, sed illi soli viueremus. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur*, ait Apostolus, Et rursum: *æstimantes hoc; quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Quasi diceret, sic mortuus est propter nos, vt sic propter ipsum viueremus. Quod idem ipsum ait Dominus de alio genere mortis, quod in singulos quodammodo subit dies, cùm se manducandum nobis præbet: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

Rom. 14. — 2. Cor. 5. — Ioan. 6.

Stupenda sane similitudo! sicut Christus propter Patrem, sic nos propter Christum: sic nos propterea redemit suo sanguine, sic pascit suo corpore!

III. PVNCTVM.

SICVT igitur nonnisi per Christum viuis, sic nonnisi propter Ipsum viuas oportet, quia quàm verum est vnum, tam certum est aliud, cum in vno Redemptoris titulo sit vtrumque fundatum; nec magis Christus te redimendo tibi tuam vitam restituerit, quàm tu illam Christo debeas totam reddere, viuendo secundum ipsum tanta religionis ac fidelitatis plenitudine, quantam hoc Beneficium Redemptionis exigit, & quanta hæc Apostolica declarant

verba: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.* Quæ quia 1. Cor. 6.
pluribus alibi sunt declarata, satis hîc fuerit illa breuiter indicare, quæ huc faciliùs & opportuniùs reuocare possis.

Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes.

In 1. parte, Die 4. Ianuarij.

Nihil est in vitæ nostræ vsu minus nostrum, quàm ipse vitæ vsus.

In 2. p. Feria 6. Quæ parasceue dicitur. Quæ hic sunt maxime propria.

Sicut à Deo, sic ad Deum.

In eadem 2. p. Dominica 4. post Pascha.

AD EADEM VERBA:

Lazare veni foras.

DE CONVERSIONE INDVRATI PECCATORIS IN QVATRIDVANO LAZARO MORTVO, ET SVSCITATO FIGVRATA.

VERITAS PRACTICA.

Si quid est in rerum natura Christo difficile, natura est hominis in peccato indurati.

RATIO EST, *Quia si quid est Christo difficile, hoc vnum est quod illi magis resistit.*

Sed quod vnum magis Christo resistit, natura est hominis in peccato indurati.

Ergo & hoc vnum est Christo difficile; ac proinde cauendum diligenter ne hanc induamus naturam ita peruersam; & non obduretur quis ex nobis fallacia peccati, vt commendat Apostolus. Hebr. 3.

I. PVNCTVM.

SI sola spectaretur diuina potentia cuius vnius est miracula facere, non esset vnum dicendum alio majus miraculum, sed facta comparatione ad facultatem naturæ quam excedit, potest considerari triplex gradatio in miraculis, quorum alia dicantur maxima, tum media, & minima; quorum etiam quælibet habeant diuersos gradus, secundum quos diuersimodè, vt ait Diuus Thomas, excedunt facultatem naturæ. Sanctus autem Augustinus inter omnia quæ fecit D. N. Iesus Christus, atque adeo inter ipsa maxima miracula, resurrectionem Lazari dicit præcipuè prædicari: nec aliam rationem magis vrget quàm quæ petitur ex ipsius significatione miraculi. *Tres*, inquit, *resuscitatos mortuos in Euangelio legimus, & fortè non frustra. Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt præter id quod mira sunt, aliquid profectò significant, quorum factorum significationem inuenire, aliquanto est operosius quam ea legere vel audire.* Et nonnullis interiectis; *Resuscitauit filiam Archisynagogi adhuc in domo iacentem: resuscitauit Iuuenem filium viduæ extra portas ciuitatis elatum: resuscitauit Lazarum sepultum quatriduanum. Intueatur quisque animam suam; si peccat moritur: Peccatum, mors est animæ. Delectauit quod malum est, consensisti, peccasti, consensio illa occidit te. Sed intus est mors quia cogitatum malum nondum processit in factum: talem animam resuscitare se significans Dominus, resuscitauit illam puellam quæ nondum erat foras elata, sed in domo mortua iacebat: quasi peccatum latebat. Si autem non solum malæ delectationi consensisti sed etiam malum fecisti: quasi mortuum extra portam extulisti. Iam foris es & mortuus elatus es, tamen & Ipsum Dominus resuscitauit, & reddidit Viduæ Matri suæ. Si peccasti, pœniteat te & resuscitat te Dominus, & reddet Ecclesiæ Matri tuæ.*

1. p. q. 105 a. 8.

Tract. 49 in Ioan.

Tertius mortuus est Lazarus, est genus mortis immane, mala consuetudo appellatur: aliud est peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat & continuo corrigitur, cito reuiuiscit quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consueuit sepultus est, & bene de illo dicitur, fœtet; Incipit enim habere pessimam famam tanquam odorem teterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditis moribus. Dicis ei, noli facere, quomodo te audit quem

terra sic premit, & tabe corrumpitur, & mole consuetudinis pragrauatur.

Tum post pauca: *Ecce ipsa soror Lazari melius suscitata est quàm frater eius, de magna mala consuetudinis mole est liberata, erat enim famosa peccatrix, & de illa dictum est, dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Postquam autem fusius enarrauit quomodo Dominus, antequam mortuum suscitaret, seipsum turbauerit, fremuerit, fleuerit & contenta voce clamauerit, Lazare veni foras, tum ipse sanctus Doctor exclamando concludit, *ô quam difficile surgit quem moles mala consuetudinis premit!* Quasi diceret, hæc est plena significatio miraculi, hæc est ratio propter quam illud inter maxima repono miracula, quod rem scilicet valde difficilem & valde momentosam exprimat. Sicut enim Christus sic fremendo, lachrymando, & clamando videtur indicare, esse quodammodo difficilius, hunc mortuum suscitare, quàm alios; sic planè significat hanc vel maximè reperiri difficultatem in illis inueteratis, & induratis peccatoribus conuertendis, qui quatriduano mortuo Lazaro figurantur. Infremendum, inclamandum, intonandum in his reuocandis ad veram vitam. *Si quid in tota rerum natura Christo est difficile, natura est huiusmodi peccatoris.* Et si quod est in tota hac maximi omnium miraculi considerandum historia, difficultas hæc est Christi laborantis in hoc negotio: Nempe vt omnes intelligant quàm sit deplorandus, & cauendus talis animi status, vnde sit tam operosum emergere: vel si qui fortè iam eò miseriarum inciderint, ij discant cum Christo laborare, si sibi consultum velint.

Hoc itaque priùs nobis est inquirendum, quid sit vniuersim quod dici possit Christo difficile: qua in quæstione videntur esse quatuor paucis quidem, sed distinctis articulis, enodanda.

Primus est, quòd, sicut dictum est de miraculis, si sola spectetur Christi potentia, nihil prorsus illi est difficile, nihil eorum, quæ potest, quidquam est quod non tam facile possit quàm velit, & nihil prorsus est quod non possit, quemadmodum Ipse ait in Euangelio: *Pater meus vsque modo operatur & ego operor. Quæcumque enim Ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Id est, simili & tam facili modo quàm ille qui dixit & facta sunt. Ioan. 5.

Secundus articulus est, quòd si quid propterea dicitur Christo difficile, id dicitur ratione rei faciendæ, quæ repugnat non omni-

Luc. 18. no quidem fieri, sed nonnisi difficulter ex parte sua; *Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei!* Tum vero se Dominus explicans, *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Id est, ista impossibilitas vel difficultas ex hominibus nascitur.

Tertius, cùm difficultas illa ex multis possit manare causis, hinc fit, vt ex vario causarum concursu, major aut minor sit difficultas; ac propterea etiam vnum quid alio difficilius, Christo dicetur, quando scilicet ex pluribus vel implicatioribus humanis causis
Hebr. 6. difficultas orietur. Vnde Apostolus: *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti & prolapsi sunt, rursus renouari ad pænitentiam*, Id est, hoc est valde difficile propter illas simul concurrentes causas, quæ tantò majorem difficultatem faciunt, quantò plures ita simul concurrunt.

Quartus, non obstantibus his oppositis causis, cum non cesset diuina Christi Bonitas homines ad se allicere, terrendo minis, blandiendo promissis, illustrando intellectum, mouendo volun-
Matth. 23. tatem, & aliis innumeris modis *quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas*: Et tamen nolunt, ac pro sua libertate recusant, resistunt, differunt; tunc illud quod difficilius Christo dicitur, dicitur ei resistere: & quod illi resistit pertinaciùs, dicitur
Is. 43. illi etiam esse difficilius: *Seruire me fecisti in peccatis tuis: Præbuisti*
Ibid. 1. *mihi laborem in iniquitatibus tuis. LABORAVI sustinens; laboraui*
Ier. 6. *rogans. Laborare fecistis Dominum*: nempe resistendo tot gratiis,
Mal. 2. quibus ad se peccatorem excitabat. O verè tanto maior malitia resistentis; quantò maior est bonitas excitantis!

LI. PVNCTVM.

SED *quod vnum sic magis Christo resistit, natura est hominis in peccato indurati.*

Iam fætet, quatriduanus est enim. Sicut ex parte mortui videtur esse difficilius iam resolutum in tabem & fœtorem corpus reuocare ad vitam: sic induratum, & multo tempore tabescentem in peccato renouare ad pœnitentiam.

Ratio peti potest ex illo memorato quatriduo quo Lazarus in monumento

monumento iacuit: & de quo multi multa, quæ vt meliùs intelligantur, præmitto quod in hunc locum sanctus scribit Augustinus: *De quatuor*, inquit, *diebus multa quidem dici possunt sicut se habent obscura scripturarum, quæ pro diuersitate intelligentium multos sensus pariunt. Dicamus & nos quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus, quomodo in illo cæco intelligimus quodammodo humanum genus, sic forte & in isto mortuo multos intellecturi sumus, diuersis enim modis vna res significari potest. Homo quando nascitur, iam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit. Vnde dicit Apostolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, In quo omnes homines peccauerunt. Ecce habes vnum diem mortis, quod homo trahit de propagine mortis, Deinde crescit, Incipit accedere ad rationem, vt legem sapiat naturalem quam omnes habent in corde fixam: Quod tibi vis non fieri, alij ne feceris. Numquid hoc de paginis discitur, & num in natura ipsa quodammodo legitur; furtum vis pati? vtique non vis, Ecce lex in corde tuo quod non vis pati, facere noli: & hanc legem transgrediuntur homines. Ecce alter dies mortis.*

Data est etiam lex diuinitùs per famulum Dei Moysem: dictum est illic non occides, non machaberis, non falsum testimonium dices, honora Patrem & Matrem, non concupisces rem proximi tui, non concupisces vxorem proximi tui. Ecce lex scripta est & ipsa contemnitur. Ecce tertius dies mortis.

Quid restat? Venit & Euangelium, prædicatur regnum Cælorum, diffamatur vbique Christus, minatur gehennam vita promittitur æterna, & ipsa contemnitur quartus: hic est scilicet dies, intelligendo, vt patet, per singulos quatuor dies, diuersa quatuor luminum genera quibus humanum genus illustratum fuit, & quibus se per peccatum suum priuat.

His vero quatuor luminibus, quatuor adduntur alia quibus cùm se priuent Indurati Peccatores, facillimum erit intelligere quomodo præ cæteris peccatoribus resistant Christo. Primum est, lumen prudentiæ Christianæ *quæ*, vt ait sanctus Thomas, *ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur, iudicat, & præcipit, & quæ sola dicitur prudentia simpliciter quæ in peccatoribus esse non potest*; aut *si prudentes dicuntur, prudentes sunt in generatione sua, prudentes secundum carnem & mundum, sicut prudens diceretur latro qui conuenientes vias adinueniret ad latrocinandum.* An tibi prudens videretur? 2. 2. q. 47. a. 13.

q. 52. a. 2. Secundum lumen est, quod donum Intellectus & Consilij dicitur, *quo prudentia naturalis & humana maxime perficitur & iuuatur secundum quod regulatur & mouetur à Spiritu sancto*, Vt Idem ait sanctus Doctor; Hoc se autem priuant peccatores, quatenus se habituali & sanctificante priuant Gratia seu Charitate, quam
1. 2. q. 68. a. 5. ita comitantur dona Spiritus sancti, vt destructa per peccatum Gratia, simul etiam dona destruantur.

Tertium lumen est ad resipiscendum & resurgendum à lapsu, quod nisi proponeret Deus peccatori numquam resurgeret, nisi vero etiam hoc illustratus lumine velit resurgere, lumen repellit,
Iob 24. lumen extinguit; *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.*

Quartum denique lumen quod multa continet alia, lumen est internum quo peccatores miserandum suum videant statum, & præsentem, & futurum, cuius aspectu terreantur, moueantur,
2. Tim. 2. resipiscant. *Resipiscant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Hos si viderent laqueos; si viderent se his implicatos, an vellent in peccato vel ad horam persistere? Quod si hoc tamen non vident, non est defectus luminis, sed lumen re-
Prou. 1. pellentis. *Et non fuit qui aspiceret*; ex illis scilicet qui horrenda hæc mala non viderunt.

Iam vero quod est præcipuum rei discutiendæ Caput, ex horum quatuor contemptu luminum & fiunt peccatores indurati, & magis Christo resistunt. Nam indurari peccato cum nihil aliud sit, quàm sic illi assuescere, vt, quod primò erat tantum naturalis quædam libido & inclinatio, fiat consuetudo, & talis necessitas
Ephes. 4. vt non putet peccator se posse aliter viuere *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*: Vel priuabitur diuino illo lumine quod habuisset nisi sic desperatus esset & abiectus ad proprias concupiscentias; Vel interdum illustrabitur, & sibi notus fiet. Si lumen deest, en induratum hominem, sicut absente sole nigrescunt omnia. Si lumen adest, en rebellem lumini, en Christo resistentem, & Spiritui gratiæ contumeliam inferentem. Nam cum sit ipsa consuetudinis mole velut oppressus, quantùm assurgit ex diuino lumine, tantùm recidit & resupinatur ex opposita consnetudine. Hæc est videlicet, Hæc est natura indurati peccatoris, vt quantùm est induratus peccato, tantùm Christo resistat. Quod de se luculenter confitetur sanctus Augustinus; *Sic intelli-*

gebam, inquit, *meipso experimento, id quod legeram, quomodo caro concupisceret aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem. Ego quidem in vtroque; sed magis ego in eo, quod in me approbabam, quam in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis iam non ego: quia ex magna parte id patiebar inuitus, quod faciebam volens. Sed tamen consuetudo aduersus me pugnacior ex me facta erat; quoniam volens, quo nollem, perueneram. Et quis iure contradiceret, cum peccantem iusta pœna sequeretur? Et non erat iam vlla excusatio, qua videri mihi solebam, propterea me nondum contempto sæculo seruire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis. Iam enim & ipsa certa erat. Ego autem adhuc obligatus, militare tibi recusabam; & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium: qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur. Et sicut nemo est, qui dormire semper velit, omniumque sano iudicio vigilare præstat: differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum grauis torpor in membris est, eumque iam displicentem carpit libentius, quamuis surgendi tempus aduenerit: Ita certum habebam, esse melius tua Charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere.* L. 8. Confess. c. 5.

Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat. Non enim erat, quod tibi responderem, dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, & vndique ostendenti vera te dicere: non erat omnino, quid responderem veritate conuictus, nisi tantum verba lenta & somnolenta: Modò, ecce modo, sine paululum. Sed modo & modo, non habebant modum: & sine paululum, in longum ibat. Frustra condelectabar legi tuæ secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captiuum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati, est violentia consuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus eo merito quo in eam volens illabitur.

Nonne hoc est Christo resistere, & tantò magis resistere, quantò Christus retardantem magis stimulabat, & retardans magis repellebat stimulantem?

Non sic Dæmon, non sic resistit, nam ita induratus est in sua malitia, vt nullis à Christo molliatur, aut iuuetur auxiliis ad eam deponendam. Homo vero peccator vel antequam induretur, vel postquam est induratus; non caret gratiis quibus emolliri possit,

si velit, & conuerti. Si autem pro sua libertate nolit, hoc est quod propriè, hoc est quod vnicè, hoc est quod maxime Christo resistit, hoc est quod Scripturæ gemunt, & deplorandum docent. *Percussisti eos & non doluerunt; attriuisti eos & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Quasi diceretur, si vellent, reuerti possent, nam idcirco percutiuntur, atteruntur & mouentur à Domino; sed nolunt, sed renuunt disciplinam, & hoc ipso quo sic nolunt, tùm præcipue rebellare ac resistere dicendi sunt.

Ier. 5.

Audite rebelles & increduli.

Num. 20.

III. PVNCTVM.

Si quid est igitur in rerum natura, Christo difficile, natura est hominis in peccato indurati. Non alia quæuis natura, quantumcumque sit contumax, illi resistat: non ignis, non aquarum, non sensibilium aut insensibilium quodlibet rerum genus creatarum; non Angelorum, non Dæmonum, non Inferni, non Mortis; *omnia subiecta sunt ei:* Sola illi humana se opponit natura, quamquam inhumana potius dicenda est, quæ se tantæ Bonitati opponit; & nisi humanitatem quodammodo exueret, non tam facilè incurreret in diuinam offensam, aut faciliùs rediret in Gratiam: sineret se moueri, crederet tot motiuis resipiscentiæ; iustum esse agnosceret, *subditum esse Deo:* Sed dum homo se potiùs liberum, quàm humanum sentiens, libertate sua sic fertur in peccatum, vt consuetudinem peccandi contrahat, & in peccato suo magis ac magis in dies roboretur, tunc ille est *rebellis aduersus Dominum*, ille est *qui tetendit aduersus Deum manum suam*, vt est in libro Iob, *& contra omnipotentem roboratus est; cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.*

1. Cor. 15.

Iob. 15.

Sed quid tandem accidit? quò se tandem illa profert rebellio? quò demum tendit ille tam præceps aduersus Dominum cursus? Audi sanctum Gregorium in illa libri Iob iam prolata: *Sunt nonnulli qui etsi aliquando agere contra omnipotentis Dei iudicium nituntur, ipsa impossibilitate explendæ suæ voluntatis fracti ad semetipsos respiciunt, atque ad eum, quem contemnere voluerant, conuertuntur: & qui discedere longe poterant, si quod vellent implere valuissent, per hoc aliquando saluantur, quia quod nequiter voluerunt, implere nequiue-*

L. 12. Mor. c. 22.

runt: Vnde ad se reducti, cuius sint condicionis aspiciunt, & plangunt se contraria Veritati voluisse. Et sunt nonnulli qui hoc quod peruersè contra Deum appetunt, iusto Dei iudicio implere nequiùs permittuntur. Et cùm eos malitia accendit, potentia roborat, tanto iam semetipsos in errore cognoscere nequeunt, quanto in rebus affluentibus extra se semper per potentiam trahuntur: De quorum nunc intentione dicitur: tetendit enim aduersus Deum manum suam & contra omnipotentem roboratus est. Contra Deum quippe manum tendere, est in operatione praua, despectis Dei iudiciis, perseuerare. Et quia tunc magis irascitur Deus quando permittit impleri quod saltem concipi in cogitatione non debuit, contra omnipotentiam iniquus iste roboratur quia prosperari in mala sua actione permittitur, quatenus & peruersa faciat, & tamen fæliciter viuat. De quo adhuc subditur: Cucurrit aduersus eum erecto collo. Erecto collo contra Deum currere, est ea quæ Creatori displicent, cum audacia perpetrare, de quo rectè dicitur, cucurrit, id est, in malo opere obstaculum de aduersitate non habuit. De quo adhuc additur, & pingui ceruice armatus est. Pinguis ceruix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus, quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus pingui ceruice contra Deum armatur, quia rebus temporalibus tumens contra præcepta Veritatis quasi de magnitudine carnis erigitur. Habent enim hoc potentes & iniqui proprium, vt fallacibus diuitiis occupati, veras Dei opes negligant, & quantò minus quod verum est inquirunt, tantò amplius falsis diuitiis extollantur. Cura etenim multiplex terrenarum rerum quia occupat, excæcat; vnde adhuc aptè subiungitur: Operuit faciem eius crassitudo. Id est, oculos mentis premit seu cæcitatem mentis adducit, vt Idem sanctus Doctor prosequitur fusiùs.

Ex quibus videas quod quærebatur, quò tandem spectaret illa tam pertinax contentio quo induratus peccator resistit Christo, nempe in cæcitatem mentis, & grauiorem quandam duritiam. Vnde nihil expectes quam sempiternum eius interitum. Se prius ipse peccator excæcat & indurat vt dictum est; sed postquam diu multumque reuocanti Christo restitit, tum & ipse Christus sibi resistentem excæcare, & indurare dicitur. Sic de Pharaone & inde de aliis omnibus sanctus Augustinus: *Vt tale cor haberet Pharao quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitij proprij fuit: Quod verò facta sunt ea quibus cor, suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei, hoc est enim quod dicitur induratum, dispensationis fuit diuinæ quâ tali cordi non solum* L. 2. in Exod. c. 18.

iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur.

Istam autem quam vocat dispensationem tribus hisce fieri modis docent Theologi, negatiue, permissiuè, & per occasionem. *Negatiuè,* quatenus subtrahit vel non impertit illa majora interna, & externa auxilia, quibus peccator magis illustraretur, quàm si non ita Christo restitisset. *Permissiuè,* quatenus permittit Diabolo tentationes quibus hominem impetat, & expugnet, quas non permisisset, vel quas homo superasset; *Per occasionem,* quatenus positiue vel permissiuè, causa est aliquarum rerum ex quibus ille peccator occasionem accipit magis peccandi, vel errandi circa peccatum suum, vel sibi sic blandiendi, vt non illud agnoscat, vel negligat, vel præsumat, vel desperet se vmquam correcturum, sitque tandem peccatum illud, quod neque in hoc sæculo, nec in alio remittetur: Non quòd remitti non posset, sed non remittetur, quia peccatorem non pœnitebit, in peccato suo morietur.

Iob. 12. Quod præclare admodum in illa verba Iobi de Deo. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat:* L. 11. Mor. c. 5. sanctus Gregorius sic illustrat: *Omnipotens Deus humanum cor destruit cum relinquit: ædificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Vnde plerumque fit vt cùm audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moueatur.*

Obserua verbum, *repletur,* nam potest quis habere gratiam, & non repleri gratia; quando itaque puniri priuatione Gratiæ dicuntur indurati, non de omnis gratiæ priuatione intelligas, sed de illa pleniori quam recepissent si non essent indurati, aut si non punirentur.

Ad alterum porro propositæ Scripturæ membrum, *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat,* sic pergit sanctus Doctor: *Quia omnis homo per id quod malè agit, quid sibi aliud quàm Conscientiæ suæ carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius accuset? Qui cùm, iudicante Deo, in malitia suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat quem inuenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in male*

consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc, quod recte se agere æstimant, in grauiores culpas vertunt: fitque modo miserabili, vt, quod exitum putant, hoc inclusionem inueniant. Dicatur ergo, si incluserit hominem, nullus est qui aperiat, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire; Vnde & ad Moysem dicitur de Pharaone: Ego obdurabo cor eius; obdurare quippe per iustitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit, Recludit itaque hominem quem in suorum operum tenebris relinquit. Quasi hoc ipsum rursus diceret, & confirmaret, quod paulo ante dictum est de cæcitate, & obduratione, quæ primò est ab ipso homine sese per suam obstinationem indurante, tùm à Deo post multas impertitas, & recusatas Gratias sic deserente hominem, vt, cum propter eius inueteratam consuetudinem opus esset robustioribus auxiliis ad resurgendum; tantum abest vt illa robustiora dentur, quin potius solita minuantur, atque ita tandem fiat, quod ait Sapiens & quod declaratum est in 3. p. Dominica 9. *Cor durum habebit male in nouissimo.* Eccles. 3.

Vide & supra in hac parte, Feria 2. Hebdom. 17. Nec vero tantis hic opus est ad declarandum thesim, quantis ad hypothesim demonstrandam, qua tibi, Lector, vel Auditoribus tuis, illa omnia particulatim applices, quæ de induratis vniuersim commemorata sunt: Te illum scilicet esse ni caueas, qui assuetus peccato, grauem illam prauæ consuetudinis molem tibi accersas, & imponas, vnde paulatim indurescas, obtenebréris, deseraris, & pereas. Satisne prouides extirpandæ superbiæ, vanitati, acediæ, inuidiæ, similibusque vitiis? Nonne iam pridem in his obduruisti? Nonne saltem periculum, ne altiores agant radices, & penitiora cordis possideant? Nonne tibi regius Psaltes, & Apostolus Ps. 94. hodie suum illud incitamentum inspirare videntur, *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra,* Hebr. 3. Quo die scilicet vox illa Christi auditur, *Lazare veni foras,* vox illa Domini est quæ si auditur, non sunt obduranda corda, ne forte pòst non audiatur. Da Domine *da voci tuæ vocem virtutis*, Tu qui iussisti famu- Ps. 67. lis tuis Mosi & Aaron vt loquerentur ad petram, & illa daret aquas. Tu qui ossibus aridis vt audirent verbum tuum præcepisti, Num. 20. clamante Propheta palàm tuo iussu: *Ossa arida, audite Verbum Domini,* Ez. 37. Tu cuius verba sunt quasi malleus conterens petram. Tu Hier. 23.

qui Lazarum licet quatriduanum, & fœtidum è monumento suscitasti. Tu qui affirmas venisse horam, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audiant vocem filij Dei, loquere vel mihi Lazaro: vel mihi Lazaris inclamanti, mecum loquere, vel ego tecum, *Lazare veni foras*: Miser & indurate peccator, incipe te hodie nosse, vide quàm sis illi similis mortuo quem funesta prauæ peccati consuetudinis moles premit! *Veni foras*: ne diutiùs simules peccatum tuum, ne tibi palpes, ne te tibi abscondas; agnosce qui sis, agnosce quam sis alienus à statu morituri & iudicandi. *Veni foras*: extra illam tuam libidinem, quæ te captiuum tenet in lege peccati, agnosce infamem tuum statum, egredere, veni quò te vocat Christus tuus.

Ioan. 5.

Lazare, quem iacentem & mortuum profusis lacrymis deplorat Christus, veni foras ad vultum illum spectandum, qui tuo pudore rubet, qui tuis illacrymatur miseriis!

Indurate peccator! credis scripturis? credis Deo qui toties, & tam multa dixit contra cordis tui duritiem! Putasne te tutum viuere, qui non ignoras te in peccato esse obstinatum: aut si hoc ignoras, putasne hanc futuram ignorantiam indemnem & impunitam?

Obstinate! quid te in peccato retinet? quid te à peccato retrahit? *Veni foras*, vt quàm sint hæc longe dissita, spectes attentiùs.

Veni, & vide quid à te quæritur? Nihil prorsus quod non possis. Non jejunia, non eleemosynæ si non possis: non longiores, quàm quas commodè possis, preces fundere, non quidquid extra te est; sed hoc vnum quod à te totum est, vt te præteritorum pœniteat, & seriò resipiscas. Etiamsi Christus non venisset, & loquutus esset, nonne satis erat momentosum salutis negotium cui procurando nihil negares operæ, nihil laboris? Nihilne vero dabis Christo? Nihilne proderit quod Christus venerit, quod sit loquutus, quod fleuerit, quod te rogarit, & te ad se inuitarit?

Perge in his affectibus, quantùm aspirauerit gratia, & vide in 2. parte, In die Ascensionis Domini hanc Veritatem ibi expositam:

Sedentem in cœlo Christum, & inde nobis loquentem non audire, periculosius est, quàm dum in terris loqueretur.

Multa

Multa his etiam conformia passim habentur, quæ collecta videri possunt in 1. p. Dom. 4. Aduentus; & in 2. p. Dominica Sexagesimæ.

Nec aliena forent à suscitato Lazaro quæ de aliis duobus mortuis suscitatis iam dicta sunt, & in plures Veritates distincta: In 3. p. Fer. 6. Hebd. 9. In 4. p. Dominica 15. & 23.



FERIA QVINTA.

DE CONCILIO PONTIFICVM ET PHARIZAEORVM COLLECTO POST SVSCITATVM LAZARVM: VBI HAEC CAIPHAS PROPHETAVIT.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Ioan. 11.

VERITAS PRACTICA.

Non minùs expedit ad salutem vt vetus homo moriatur in nobis, quàm vt nouus Homo moreretur pro nobis.

RATIO EST, *Quia quæcumque afferatur causa propter quam expediebat nouum Hominem mori pro nobis, si causa illa nullum habet effectum, nisi etiam vetus homo moriatur in nobis, non minus expedit hunc veterem hominem mori, quàm nouum.*

Sed causa illa nullum alioquin habet effectum.

Ergo non minus vnum expedit, quàm aliud: Atque ita prorsus quanti à nobis fieri debeat perfectæ Mortificationis internæ praxis, patebit euidenter.

I. PVNCTVM.

AVDITO à Iudæis stupendo illo miraculo, quo Christus quadriduanum mortuum suscitarat, *Collegerunt*, inquit Euangelista, *Pontifices & Pharizæi Concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic Homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quidquam nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente; & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum.*

In qua sacra narratione cùm multa sint quæ ad fructum vtiliter expendi possent, tum illud maxime, quòd ille dixit qui Concilio præsidebat Pontifex: *Vos nescitis quidquam nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* Tria sunt enim quæ admirationem huius Dicti faciant; Primum, quòd tam piè tam impius de futura Christi morte prophetarit: Sic videlicet Pietas & Veritas possunt etiam per Impios nobis prædicari. Secundum est, quòd ita quidem piè locutus est Caiphas, vt impiè simul quod dixit, dixerit: piè quidem locutus est non à semetipso, sed à Spiritu sancto id agente, & intendente ex verbis eius, vt mors Christi prædiceretur: sed impiè simul hoc ipsum dixit, quatenus ea mente dixit, vt persuaderet Concilio cui præerat, melius esse si hunc hominem licet innocentem morti addicerent, quàm vt propter ipsum omnis populus perderetur à Romanis, quod erat impium & scelestum sic de Christo sentire, & loqui. Sic tamen Deus peruersis hominum voluntatibus, seu dictis & factis bene vtitur, & ea ad diuinos suos fines conuertit, sicut Ioseph dicebat fratribus suis: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Gen. 50.

At quod tertium est admirandum in verbis illis: *Expedit vt vnus moriatur homo:* non verba, sed res ipsa est quæ omnem superat admirationis modum. Quale hoc enim, Deus immortalis, quale hoc reipsa est, quod illis verbis continetur? Quid est quamobrem ita expediret vt vnus homo moreretur pro populo? Quis ille vnus

moriturus? Cur ille vnus præ cæteris? Quo tandem mortis genere? Nonne sufficiebat pati, nec mori: aut si mori expediebat, cur ita pati?

Etiamsi horum nesciremus rationem, non est tamen dubium, quin ita expedierit, & oportuerit pati ac mori Christum, quandoquidem ita Spiritus sanctus expedire pronuntiauit; Sed aliud est inde ad praxim consequens, quod non ita forte patet, nec ita creditur, & quod tamen non minùs expedit, nempe, *Vt, sicut nouus Homo pro nobis, ita & vetus in nobis moriatur.* Hoc est scilicet, hoc est penliculatius considerandum. Considerationis autem summa est vt firmiter illud apprehendamus, atque omnino persuasum habeamus, perinde vnum atque aliud expedire.

Non potest verò id manifestiùs persuaderi quàm declarando vnam amborum esse causam; sic enim ratiocinari fas est ad necessariam inde consecutionem inferendam pro morte veteris hominis: Si causa quæ affertur, quæcumque tandem illa sit, propter quam expediebat nouum Hominem mori pro nobis, si causa, inquam, illa nullum habet effectum nisi etiam vetus moriatur in nobis, perinde profecto expedit hunc veterem hominem mori, sicut nouum. Quid clarius? Nondum indagatur causa, cur nouus homo sit mortuus, nec dum etiam exponitur, quid sit veterem mori hominem; hæc facilè posteà suggerentur; quod vnum hîc premitur, & vrgetur, hoc est, quacumque data causa cur expedierit nouum hominem mori, si ostendatur nullam esse talem causam nisi simul homo vetus moriatur, sic planè simul ostenditur, non minùs expedire hunc veterem hominem mori, quàm nouum. Nonne id euidens? Quonam aptius modo concluderes necessarium fuisse saluti hominum, vt Christus carnem sumeret, vt pateretur, & moreretur; Nonne sic diceres? Si nulla est hominum salus nisi Christus incarnetur, patiatur & moriatur, necessarium est saluti hominum quod ita moriatur. Sic prorsus modo ad rem nostram: Si mortuo etiam nouo pro nobis homine, nulla est salus nisi vetus homo simul moriatur in nobis, perinde necessaria est ad salutem mors huius veteris quàm noui hominis. Quid similius, quid euidentius? Nonne sic talem Fidei, Baptismi, & Pœnitentiæ necessitatem, atque ipsius Christi mortis, Christus ipse demonstrat, quando his, aut similibus ait verbis *Nisi credideritis, nisi baptisati fueritis, nisi pœnitentiam habueritis, non in-*

Luc. 13. Ioan. 8. *trabitis in regnum Dei. Omnes similiter peribitis. Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccati vestris*, quasi diceret ; si causa cur ego sum, suo frustretur effectu nisi credideritis quia Ego sum, non minùs expedit vos id credere, quam me esse. Sic plane, si causa cur nouus homo sit mortuus, nullum habet effectum, nisi & vetus moriatur, nonne hunc expedit æque mori ac nouum ? Vellesne talem causam suo defraudari effectu ? Vellesne talem tibi effectum deperire ?

II. PVNCTVM.

SED *Causa illa nullum alioquin habebit effectum.*

Non vna sed plures à sanctis Patribus afferuntur causæ quas In 3. p. q. 1. 46. & 50. Diuus Thomas collegit, & seorsum tribus in locis refert, cùm nempe quærit vtrum conueniens aut necessarium fuerit Christum incarnari, pati, & mori. Dic porro quamcumque voles, nihil dices quantum ad causæ verum effectum, nisi simul cum morte noui hominis includas mortem veteris. Visne quod multis placet, idcirco expediisse vt nouus Homo moreretur, quia sic vehementiùs nos ad se attrahebat, nos ad amorem sui prouocabat ? Sed quis effectus huius causæ nisi hunc nouum ames hominem ? Et quomodo hunc amabis, nisi concupiscentiam reprimas, & veterem cum ipso crucifigas hominem cum actibus suis ? Nam sicut Gal. 5. *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, sic plane qui sic carnem non crucifigunt non sunt Christi, & Phil. 3. quos vocat Apostolus *inimicos crucis Christi*, suos Christus vocat inimicos.

Vis pro causa proferre quòd sic definitum ac statutum erat diuinitùs, non placandum homini Deum, nisi nouus hic homo moreretur ? At numquid eodem statutum est diuino consilio, numquam homini Deum reconciliandum, nisi & ipse homo secundum illum quem dicimus veterem statum, aut hominem moreretur ? Quæ pax cum Deo, cuius voluntati tantùm resistis, quantùm in Iob. 9. te vetus homo viuit ? *Quis restitit ei, & pacem habuit?*

Placetne magis causam afferre, vt aspecta Christi morte disceremus mortem non timere ? Sed quis mortem potiùs non magis timeat, si post Christi mortem noluerit in se veterem mori hominem ?

Dices forte commodiùs id ita factum à Christo, vt, quantum esset peccati malum, agnosceremus, atque ita illud vehementius fugeremus. Itane vero dices te peccatum fugere, nisi quæ malorum omnium radix est, Concupiscentiam reprimas, & morti tradas quantùm mori potest? Quod si ad nostros Inimicos fortiùs debellandos, & prosternendos referas causam Christi morituri, sicut de Samsone dicitur quod *multò plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat*: quomodo id proferre audebis nisi veterem simul hominem moriturum concedas, cùm per illum viuentem hominem nostri æquè viuant in nobis inimici, & tam atrociter in nos desæuiant, quàm si Christus non esset mortuus? Iud. 16.

Denique, si quod habet Euangelicus textus, & quod vnum cætera continet, sic expediebat nobis vt vnus homo moreretur, *ne tota gens periret*, si tu hanc causam magis vrgere velis quàm alias, magis etiam vrgeberis ad concedendum quod intenditur; cùm nisi vetus homo moriatur, non minùs tota gens pereat, quàm si homo ille, quem mori expediebat, non esset mortuus. Quid est enim gentem perire, quo sensu à Spiritu sancto asseritur, nisi animas damnari, nisi homines in peccato mori? Quid est verò cur homines in peccato moriantur nisi quòd affectus prauos circa res temporales non deponant, vnde nulla formetur Contritio, vel Attritio, ac proinde nulla peccati remissio? Quid postremò tandem est causæ, cur istos non deponant affectus, nisi quia vetus homo non est mortuus, nisi quia semper viget & regnat in animo, rerum Concupiscentia, quæ sicut causa est peccati, sic & causa est perditionis. Nonne hoc est quod supra tam sæpe est demonstratum, ac præsertim hisce tribus propositis Veritatibus:

Licet omni peccatori sit necessariò pœnitendum, vix tamen vllus est qui necessariam agat pœnitentiam. In 1. p. Dom. 4. Aduentus.

Quæ causa est cur pauci salui sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis. In 2 p. Dom. Septuages.

Si ordinatis ad salutem mediis non vteris, Mediatore Christo abuteris. In 2. p. Sabbato post Cineres.

Recole quæ ibi dicta sunt, & videbis non minùs perire homines non mortuo vetere homine, quàm si nouus non esset mor-

tuus; ac proinde si hanc profers causam, cur hunc mori expediat, non certiorem habebit effectum, quàm illæ priores aliæ, quæ nullum prorsus habent, nisi vetus homo simul moriatur. *Hoc scientes*, inquit Apostolus, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*; Quasi diceret, vt verè peccatum destruatur sicut debet destrui ad plenam eius remissionem, debet vetus homo noster esse crucifixus, & mortuus: Atque hoc ita est consequens, & connexum cum illo nouo, qui crucifixus est homine, vt simul vetus sic crucifixus. Magna vis est in illa voce *simul*, nam perinde est ac si dicat, sic primò factum est in nouo homine, vt post idem fiat in vetere; aut nisi fiat idem in vetere, nihil in nouo factum est.

Rom. 6.

III. PVNCTVM.

HINC ergo patet Veritas, *Quod non minus expedit ad salutem vt vetus homo moriatur in nobis, quam vt nouus Homo moreretur pro nobis*, cùm ex omnibus illis causis, quæ demonstrant quàm expediret nouum mori hominem, nulla sit quæ non idem concludat de vetere; nulla sit quæ suum habeat effectum, nisi simul cum nouo vetus moriatur; nulla vna denique sit, ex qua non modo id inferatur quod intendimus, sed multò etiam magis quam ex proposita Veritate contendimus. Quod enim habet Veritas, non minus expedire ad salutem vt vetus homo moriatur, quam nouus, hoc ita rationes allatæ probant, vt non modo non minùs, sed magis etiam id expedire ostendant. Nam cùm ex illis rationibus intelligatur mortem veteris hominis esse velut finem & effectum mortis noui, profectò quàm certò constat, finem in omnibus esse magis spectandum, quàm quæ ducunt ad finem, tam certum & constans esse debet, mortem veteris hominis magis expedire, quàm noui. Vnde si audimus Christum vel exultasse, vel doluisse cum ad mortem properaret, non alia magis de causa diuersos istos affectus induit, quàm ex proposito sibi fine suæ mortis.

Exultabat scilicet quod nobis monstraret viam mortis, & vitæ. Dolebat verò quòd pauci viam illam sectarentur. Ita vero propterea grauiùs angebatur quàm de doloribus corporis sui, quia quisquis sapis magis dolet de priuatione finis intenti, quàm de mediis quibus intenditur. Vide in 2. parte, Fer. 5. primæ Hebdom. in Qua-

dragesima, vbi de dolore Christi ex perituris, & damnandis hominibus, pro quibus frustra passurus erat.

Atque hinc triplex motiuum cum diuina gratia non parum efficax reuocandæ ad praxim huius Practicæ Veritatis, de morte veteris hominis.

Primum est, Necessitas, quanta scilicet & major etiam quàm ipsius noui mors hominis, quem si expediebat mori ne periremus; sic planè magis nos mori expedit ob eundem finem: alioquin & perires, & periret quidquid Christus pro te viuens egit, & moriens. *Vt quid perditio hac!* Matth. 26.

Secundum est, Æquitas & decentia quædam tam rationabilis, vt non modo fidei, sed rationi sit quodammodo renuntiandum si post tale mortis exemplum, quod nostri causa nouus Homo subire voluit, nolimus nostrum veterem mori hominem. Quid enim vetus iste præ nouo? Si sic oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam: adeone vesani erimus vt nobis non ita moriendum putemus, ad eandem participandam gloriam? Nollesne cum illo beatus esse? At quomodo cum illo consurges nisi cum illo moriaris? Potestne quis resurgere à mortuis, nisi fuerit mortuus? Mirum certe videri nobis deberet quod etiam mortuis concederetur cum Illo resurgere; Nos enim omnes quid sumus? At quanto magis stupendum stupore quodam horrendo, si cum illo resurgere prætendamus non etiam cum illo mortui. Vide in die Paschæ, vbi hæc gemina Veritas exhibetur: Luc. 24. In 2. parte.

Nemo cum Christo mortuus, qui cum ipso non resurgat.

Nemo cum Christo resurgit, nisi qui cum Ipso sit mortuus.

Tertium est Facilitas, & suauitas huius mortis, si præsertim comparetur cum asperitate mortis Christi. Videsne quantos in Cruce moriens ferat cruciatus? Si tanti à te quærerentur, nonne Christus, nonne Salus, nonne Infernus euitandus, nonne Cœlum possidendum hos à te sicut à cæteris Martyribus meritò tolerandos exigerent? Sed pone metum: Non hoc à te exigitur, non Cruces, non cilicia, non flagella, non alia etiam jejunia quàm quæ fieri vulgò solent. Quod vnum petitur, *nolle peccare est*; Non dicitur,

non peccare, quis est enim qui non peccet? sed nolle peccare, id est, non peccare ex affectu, ex affectu voluntario rei creatæ cuiuslibet, hoc est veterem hominem mori cum actibus suis. Sentiatur licet affectus, licet animum moueat, pulset, incitet, molliat, & quouis verset impetu; tolerantur ista, nec adesse vetantur; sed absit consensus, absit affectus, absit voluntarius inde sequens affectus; & vetus homo est mortuus.

Adeone peccatum placere potest, vt non sit satis peccare vel ex imprudentia, vel ex infirmitate, vel ex repentino quodam impetu, nisi etiam ex complacentia vel ex affectu pecces? O detestandum affectum rei supra omnes detestabilis, quale est peccatum! Nec dicas te non affici circa peccatum: Nam inordinatus cuiuslibet rei affectus, quem emendare nolis, affectus peccati est: & donec talis affectus deponatur, vetus homo sic in te viuere dicitur, sicut illo affectu deposito diceretur mori.

Multæ his conformes passim occurrent Veritates, ex quibus hæ præcipuè videri debent:

Vel nouus homo Christus, veteris hominis est ruina, vel vetus noster homo ruina est nascentis noui hominis.

In 1. parte, 1. Dominica infra octauam Natiuitatis.

Quanta est modo nobis obligatio ad non suscipiendam circumcisionem legalem, tanta est ad suscipiendam spiritualem.

In 1. p. Die 1. Ianuarij.

Non quid liceat, sed quid magis expediat.

Die 8. Ianuarij.

Tantum proficies, quantùm à te deficies.

In 1. p. Fer. 5. Hebdom. 4. post Epiph.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homine, vnicuique Christiano est abstinendum.

In 1. p. Sabbato Hebdom. 5. post Epiph. Vbi fusius explicatur quid sit in praxi depositio huiusce veteris hominis.

Sicut

Sicut martyrio vita naturalis, ſic mortificatione vita ſenſualis.

Id eſt

Sicut ne pereat fides, perdenda eſt martyrio vita naturalis: ſic, ne pereat fidelitas, perdenda eſt mortificatione vita ſenſualis.

In 1. p. De Communi ſanctis Martyribus.

Nemo cum Chriſto candidus, niſi ſit ſimul rubicundus.

In 2. p. Dominica Paſſionis, & tota ibi ſequenti Hebdomada.

In morte Immortalitas.

In patientia Impaſſibilitas.

Feria 2. & 3. Hebdomadæ Reſurrectionis Domini.

Satius eſſet nullo die velle viuere, quàm non omni die velle cum Chriſto mori.

In 3. p. Fer. 5. ſecundæ Hebdomadæ.

Quò minùs concupiſcentiæ mortificabis, eò magis à concupiſcentia mortificaberis.

In 3. p. Fer. 4. Hebdomadæ quintæ.
Videri etiam poſſunt tres poſtremæ Feriæ Hebdom. 13.

Qui non vult mortificantem Dominum, non vult viuificantem.

In 3. p. Die 26. Iulij.

Mortificatione potius tibi ſunt omnia ſubtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

In 3. p. Die 24. Auguſti.

Quæ autem ex hac 4. parte videri poſſent, videri poſſunt facilius in Indice, quàm vt indicentur hîc fuſiùs.



FERIA SEXTA.

DE MATRE FILIORVM ZEBEDÆI, PETENTE PRIMAS SEDES SVIS FILIIS.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad Dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo. Math. 20.

VERITAS PRACTICA.

Sic petendus à Deo status, vt, non quem quisque velit, Deus donet: sed quem Deus donet, quisque velit.

RATIO EST, Quia sic petendus à Deo status est, vt status possit esse certa viuendi regula.

Atqui vt status possit esse certa viuendi regula, non quem quisque velit petendus est, sed quem Deus donet.

Ergo hic est à Deo petendus status, & non alius; alioquin nescitur quid petatur.

I. PVNCTVM.

DISCEDENS à Bethania Dominus pergebat Hierosolymam cum duodecim discipulis, quibuscum & sermonem serebat de instanti sua Passione & Resurrectione. Tunc vero, inquit Euangelista, *accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis* Iacobo scilicet & Ioanne, *adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit, Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum*

dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

Hic inter alios aptissimè sanctus Ioannes Chrysostomus, *Patitur sæpe Dominus discipulos aliquid non rectè dicere, aut agere, vt occasionem inueniat exponendi regulam pietatis.* Non rectè igitur discipuli à quibus mater fuerat solicitata, & quos ipse Dominus arguit; at vero hinc sapientissimè Dominus regulam pietatis seu normam piè viuendi proposuit, cùm dixit, à Patre suo, seu à diuina prouidentia status vitæ degendæ esse expectandos, non autem pro sua cuique cupiditate ambiendos. Quod vt altiùs animis nostris infigatur, hæc inde Veritas modo expendenda elicitur: *Sic petendus à Deo status, vt, non quem quisque velit, Deus donet: sed quem Deus donet, quisque velit.* Ratio est varia & multiplex, quæ sic tamen paucis contrahitur: Sic petendus à Deo status est, vt status possit esse certa viuendi regula. Primò explicetur quid status. Deinde cur petendus à Deo. Ac tertiò quamobrem designetur certa viuendi regula.

De primo, per statum hîc intelligitur personæ quædam Condicio permanens, ac velut immobilis, aut, vt ait sanctus Thomas, *non ex aliqua causa leui, vel de facili mutabilis.* Et paulo post distinguens hæc tria, officium, gradum, & statum: *Officium*, inquit, *dicitur per comparationem ad actum: Gradus autem dicitur secundum ordinem superioritatis, & inferioritatis. Sed ad statum requiritur immobilitas in eo quod pertinet ad conditionem personæ.* Sic dicitur status Clericalis, siue Ecclesiasticus, vel Laicus: Status Matrimonij vel Cœlibatus: status religiosus vel sæcularis. Sunt nempe hi tres præcipui status, vel ordines ad quos alij omnes referuntur: vnde sanctus Gregorius, *In tribus*, inquit, *ordinibus sancta Ecclesia constat, Coniugatorum videlicet, Continentium, atque Rectorum: vnde & Ezechiel tres Viros liberatos vidit, videlicet Noe, Daniel, & Iob: & in Euangelio Dominus, dum alios in agro, alios in tecto, atque esse in molendino alios perhibet, tres procul dubio in Ecclesia ordines ostendit.*

2. 2. q. 183. a. 1.

l. 32. Mor. c. 17.

Ez. 14.

De his paulo fusiùs sanctus Bernardus: *Hoc mare magnum & spatiosum, in quo vtique certum est nihil aliud quàm præsens sæculum amarum & fluctuans designari, tribus hominum generibus suo cuique modo peruium est vt transeant liberati. Tres enim sunt, Noe, Daniel & Iob, quorum primus naui, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines, tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit ne periret diluuio, vbi protinùs Rectorum Ecclesiæ formam agnosco. Da-*

Serm. de tribus ordin. Ecclesiæ.

niel vir desideriorum, abstinentiæ & castimoniæ deditus, ipse est soli Deo vacans, pænitentium & continentium ordo. Iob quoque substantiam huius mundi benè dispensans in coniugio fidelem designat populum terrena licite possidentem.

Sub his vero statibus quàm sint alij multiplices, & diuersi quis non videt? Sic nempe diuina Prouidentia factum est, primo quidem ad necessitatem vitæ humanæ quæ sic exigit, vt se mutuis homines iuuent officiis, & variis officiorum actibus, sicut corpus humanum diuersis membrorum ac partium muneribus. Deinde vero ad decorem vniuersi quod non modo variis constat creaturis, sed distinctis etiam inter homines ordinibus, & ministeriis, vt, quandoquidem homo microcosmus seu paruus mundus dicitur, non deesset in illo varietas quæ in majori mundo spectatur, & elucescit. Denique diuinum hæc diuersitas spectat cultum; quàm enim sunt varij hominum status, tam variis ipsi homines Deum colunt modis: qui cum in vna religione, atque in vno Spiritu ritè adunantur, non minorem Deo reddunt cultum in via, quàm exhibebunt in patria, dum suis quisque distinguetur meritis, & coronis.

Adde quod, sicut in variis creaturis perfectiones diuinæ repræsentantur, sic in diuersis statibus diuersi gradus perfectionis, quos Christus vniuersos possidet. Non poterat vna simplex creatura Deum repræsentare, idcirco plures sunt conditæ, quæ sparsim suo modo contineant quod vna simul complecti nequit. Sic neque poterat vnus aut alter status Ecclesiæ tam multiplices, quibus abundabat Christus, gratias continere, quamobrem varij fuerunt ordinandi, quibus diffunderentur vberiùs; quò illud Psalmi refert sanctus Chrysostomus: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* (Ps. 44.) *HANC*, inquit, *vestem rex texuit, eaque illam per baptismum induit, quotquot enim in Christo baptisati estis, Christum induistis. Antea enim erat nuda, turpis, & inhonesta, exposita omnibus qui transibant viam. Ex quo autem illam vestem induit, euecta est ad illam altitudinem, & vt à dextris staret digna fuit habita. Pulchre autem ipsam quoque describit varietatem, non constat autem vestis ex vno tantum genere, neque enim licet seruari tantummodo ex gratia, sed fide quoque opus est, & post fidem, virtute.* Quasi diceret, non id tantum consistit in interna gratia, sed in externis quoque ministeriis, ad quæ quique fidelium destinantur si modo

se sinant regi.

Secundum est quod explanetur, cùm sint videlicet tam varij status, ac varij etiam statuum gradus, cauenda hîc potissimum naturæ corruptæ prauitas quæ velut hedera sursum semper adrepit, & parietem cui adhæret, paulatim excedit, & euertit. Hæc est filiorum Zebedæi ambitio, quæ primas eblanditur sedes, sola suæ cupiditatis ratione habita, non diuinæ dispositionis, cuius vnius est de vnoquoque nostrum statuere quid particulatim velit.

Neque verò sola cauenda est ambitio, sed & voluptas, & auaritia, quæ non primas quidem sedes semper ambiunt, sed commodiores, suauiores, atque huic sæculo conformiores; quæ peruersa mentis cupiditas non minus obstare potest diuinis consiliis & decretis, quàm si altiora quærerentur subsellia. Quamobrem quod dicitur petendum esse à Domino statum, perinde est, ac si diceretur, cauendam esse prauam illam concupiscentiam, quæ se semper in eligendo vitæ statu, nisi caueatur, obtrudit: & summissis Deo quibusuis cupiditatibus, diuinum illud & summum agnoscendum est Dominium, quo, vt aiunt Scripturæ, *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.* Et breuiùs, nec minus efficaciter: *Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini*; hoc est, propria cuiusque sors & conditio sic ab eo pendet, vt, nisi quam manu tenet, & proponit sortem acceptemus, nulla nobis sit propria. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus. VIAS tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua. Notam fac mihi viam in qua ambulem. Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Sic aliæ scripturæ præscribunt vt *depreceris Altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* Id est, prout ipse cognoscit.

1. Reg. 2.

Ps. 74.

1 Reg. 3.

Ps. 24.

141.

Eccles. 37.

Inter multas autem rationes cur ita sit petendus à Deo status, ista magni est ponderis, quòd cum status sit quædam viuendi regula, conandum omnino est vt sit certa, secura, recta. Nam, vt ait sanctus Dorotheus, si regula praua est, totum id deprauari contingit quod ad illam regulam exigetur. Quò spectat illud Domini: *si oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Ita planè si quis dubitet quas expensas facere possit in mensa, in vestibus, in domesti-

Luc. 11. Matth. 15.

ca supellectili, atque etiam in eleemosynis & quibusuis bonis operibus: quas item preces, quæ jejunia, quibus denique abstinere, quæ agere, & quæ pati potissimum debeat; Hoc à statu petendum est, hoc inde prorsus pendet. *Videte*, inquit Apostolus, *vocationem vestram*, quasi diceret, vultis scire in dubiis quid mali vel boni sit: quid fugere, vel amplecti debeatis, *Videte vocationem vestram*, Illa discernet, illa dijudicabit, illa dicet vni esse malum quod bonum dicet alteri, & verè dicet si vera est Vocatio, si certa est & secura regula; sed si non certa, non secura, quid videbis videndo Vocationem tuam nisi decipulam, & foueam qua capiaris & pereas? *Formido, & fouea, & laqueus super te qui habitator est terræ*, id est, si tuum ita spectas statum, vt non sit certa vitæ regula, sicut spectare solet qui terræ dicitur habitator, qui terræ dicitur, non cœli cultor & amator.

1. Cor. 1.

Is. 24.

II. PVNCTVM.

ATQVI *vt status possit esse certa viuendi regula, non quem quisque velit petendus est, sed quem Deus donet & destinet.*

Non est enim certa viuendi regula, nisi prout subjicitur & subordinatur primæ & summæ viuendi regulæ, quæ Lex æterna est, vt expressè habet Diuus Thomas: Status autem quem quisque velit, hoc ipso satis intelligitur non esse subordinatus legi æternæ, quo hîc distinguitur à statu quem ordinarit Deus. Et reuera si spectemus quid quisque velit, cum statum eligit inconsulto, vel nolente Deo, quid aliud occurret quàm quod iam dictum est de triplici concupiscentia, quæ tam vehementer hîc mouetur & regnat, vt vix vllus sit ex his qui sæculares dicuntur, seu filij huius sæculi, vix, inquam, vllus qui statum aliter eligat, nisi prout mouetur cupiditate aliqua vel honoris, vel voluptatis, vel terrenæ cuiuspiam commoditatis. Et putabis hunc statum certam esse viuendi regulam?

1. 2. q. 71. a. 6.

Nam quod est valde obseruandum, sic administratur status, sicut assumitur; quæ prima cupiditas fuit in eligendo statu siue honoris, siue pecuniæ, siue voluptatis, illa ipsa statum administrat, illa ipsa modum viuendi statuit, illa ipsa vbique regnat, domi, foris, priuatim, publicè; quidquid vel humana ratio, vel diuina gratia possent contrà suggerere, præualet illa cupiditas,

Vnde apte apud Marcum de illis dicitur, *circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur*; Cur enim introeuntes dicuntur, nisi quod hi præsertim designentur, qui vitæ statum ex aliquo concupiscentiæ motu inchoant, tum vero circa reliqua concupiscentiæ magis ac magis progrediuntur, quasi hoc vnum in suo statu intenderent, *cupiditatem explere*. Itane vero status, regulam vitæ statuit? Marci 4.

O quàm præclare contrà sanctus Gregorius: *Numerari culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. Tunc solùm verò potestas benè regitur, cùm non amando sed timendo retinetur. Quæ vt ministrari recte valeat, oportet primùm vt hanc non cupiditas sed necessitas imponat.* Quia scilicet si sibi cupiditas potestatem seu statum imponit, vix vmquam status hanc cupiditatem deponet. Sicut cupiditatem status est primò sequutus, sic deinde cupiditas statum perpetuo sequitur. Aut deponat statum, aut non deponet cupiditatem. Non est autem facile & obuium vnicuique statum deponere, vnde licet aliquando quis vellet cupiditatem reprimere, vix tamen possit, aut potius vix se posse putet, quamdiu statum administrabit, in quo ita connexam fouet concupiscentiam, vt si statum administraret sine concupiscentia, non nisi ægram & inuitam in eo vitam traheret. L. 25. Mor. c. 16.

Quod luculente descriptum habes in libro Iob, & insigniter declaratum à magno sancto Gregorio: *Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum consilium suum: immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo.* Tum verò sanctus ille Doctor: *Fit plerumque vt ipsa huius mundi prosperitas, quæ ab impiis inhianter appetitur, eorum gressus ita obliget, vt etiam cùm ad bona opera voluerint redire, vix possint: quia recta agere non valent, cùm huius mundi amatoribus displicere timent. Vnde agitur, vt per gloriam quam impius ex peccato assequitur, eius adhuc peccata ampliùs multiplicentur: quod benè Baldath exprimit cum subiungit, immisit enim in rete pedem suum, & in maculis eius ambulat. Qui pedes in rete mittit, non cùm voluerit ejicit: sic qui in peccata se dejicit, non mox vt voluerit, surgit, & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, & cum expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Sæpè namque contingit vt quisquis huius mundi delectatione persuasus in eo ad honoris gloriam pertingat, vt ad desideriorum suorum effectum perueniat, & peruenisse se, ad hoc quod expetiit, læte-* Iob 18. L. 14. Mor. c. 5. & 6.

tur: Sed quia bona mundi non habita in amore sunt, & plerumque habita vilescunt, percipiendo discat, quàm sit vile quod expetiit. Vnde reuocatus ad mentem exquirit, qualiter sine culpa fugiat, quod se cum culpa conspicit adeptum: sed ipsa eum dignitas quæ implicauit tenet, & sine culpis aliis fugere non valet hoc, vbi non sine culpis peruenit. Immisit ergo in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, quia cùm expediri nititur, tunc veraciter conspicit quàm duris nexibus tenetur. Neque enim vere obligationem nostram cognoscimus, nisi cùm euadere nitentes, quasi leuare pedes conamur. Vnde & hanc eandem obligationem aptè subjungit: tenebitur planta illius laqueo. Quia videlicet stringitur finis in peccato.

Poteratne aptius aliquid dici ac vehementius?

III. PVNCTVM.

S*IC petendus igitur à Deo status, vt non quem quisque velit, Deus donet: sed quem Deus donet, quisque velit.* Sic enim multi Deum adeunt quasi eius consilium & voluntatem postulantes, cùm ipsi reipsa potius velint Deum sibi adhærere, & suam sequi voluntatem. Quò spectat illa Veritas quæ in 2. parte exponitur: *Fer. 4 Pent.*

Qui cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum, sed Deo consulit.

Non à Deo consilium petere, sed Deo dare velle videtur.

L. 10. Conf. c. 26. *Omnes vnde volunt, consulunt,* inquit ibi sanctus Augustinus, *sed non semper quod volunt audiunt. Optimus minister tuus est qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit.* Tunc sicut bonitatis est diuinæ negare quod petitur, sic seueritatis & iustitiæ, dum illud conceditur, aut permittitur. Sic disertè sanctus Gregorius: *Majoris iracundiæ est cùm hoc tribuitur quod male desideratur, atque inde repentina vltio sequitur, quia hoc quoque obtinuit quod Deo irascente concupiuit: vnde & per Psalmistam dicitur, cum escam carnis male populus desiderasse perhibetur: adhuc esca eorum erat in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit plurimos eorum.* Quamobrem Idem sanctus Doctor sincere & serio est audiendus, dum quasi ex prædictis concludendo *L. 10. Mor. c. 12.*

ait,

ait, unde necesse est, ut ad omne, quod in hac vita concupiscitur, prius [illegible] 25. Mor. c. 16. *vol*[illegible] *cordis auris percipere appetit, s*[illegible] *non verbis, sed rebus sonat; locus ergo regiminis cum regendi*[illegible]*, in se prius necesse est, ut quisque discutiat si loco vita congruit, si ab honore actio non dissentit, ne iustus omnium Rector, eo*[illegible] *in tribulatione preces non audiat, quo ipsa quoque eius, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat.*

Aptissime autem sanctus Chrysostomus ad Christi verba quæ ad rem proximè nostram spectant: *Principes gentium dominantur eorum.* Math. 20. *Tyrannica,* inquit, *hæc passio est, & nonnumquam eximios etiam* Hom. 66. in Math. *viros perturbat, quapropter cum vehementiore etiam castigatione indigeat, acrius etiam ipsos* [illegible]*git comparatione gentium, tumentem ipsorum animum retinens;* [illegible] *qui primatum quærunt, sibi ipsis dedecori sunt, ignorantes hoc se pacto in infima detrudere.* Itemque alibi: *Quicumque desiderat primatum in terra, inveniet confusionem in cælo, ut iam* In Imperf. Hom. 35. *inter servos Christi non sit de primatu certandum.* Et infra: *Volens Dominus duorum fratrum ambitionem extinguere, & decem discipulorum invidiam, introduxit differentiam inter Principes mundiales & Ecclesiasticos, ostendens quia primatus in Christo, neque ab aliquo appetendus est non habente, neque alteri invidendus est habenti.*

Salubre est illud etiam Divi Leonis monitum: *Principatus quem* Ep. 85. *aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, Ipse tamen Initij sui est pernitiosus exemplo: & difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

Quæ his autem conformia possent aliunde peti, suggeruntur in 7. parte, Feria 4. Hebdomadæ 2. in Quadragesima; & quæ Feria sequenti proponitur Veritas, hodiernam confirmat.

SABBATO.

DE CÆCO ILLVMINATO PROPE IERICHO.

Quid tibi vis faciam? Luc. 18.

VERITAS PRACTICA.

Peruersè cæcus est, à quo sit quærendum potiùs, *quid sibi velit fieri*: quàm cum Apostolo quærat: *Domine quid me vis facere?*

RATIO EST, *Quia peruersè cæcus ille dicendus est, qui ex duobus merito & dignitate longè imparibus, videre non vult quod est dignius, & præferendum alteri.*

Sed ille, à quo quærendum est potiùs, Quid sibi velit fieri, *quàm cum Apostolo quærat*, Domine quid me vis facere, *videre hoc non vult quod dictum est.*

Ergo & peruersè cæcus est; & multi tales, & te inter multos vnum facilè inuenies, si te tantisper noris.

I. PVNCTVM.

ET *factum est*, inquit sanctus Lucas, *cùm appropinquaret Dominus Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Duo cæci referuntur à sancto Mathæo, sed vnus erat insignior & suo nomine notissimus, quem S. Marcus vocat Bartimæum Timæi filium. Hunc ergo validè inclamantem iussit Dominus ad se adduci, & interrogauit illum dicens, *Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt videam. Et Iesus dixit ei, Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit & sequebatur illum magnificans Deum.*

Tu cum illo sic magnifica Dominum, & gratias age de lumine naturali, & supernaturali dato, vt tamen agnoscas tua peruersitate aliquando fieri, vt velut cæcus petas potiùs tuam voluntatem fieri, quàm diuinam.

Serm. 1. in Conuers. S. Pauli. Hoc pridem deplorauit sanctus Bernardus his verbis: *Heu plures habemus Euangelici illius cæci quàm noui Apostoli imitatores. Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, vt faciam tibi? Quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit vt serui faciat voluntatem? Magis dic, quid me facere velis; sic enim decet, sic omnino dignum est non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Sic*

Digitized by Google

profectò, sic multorum vsque hodie pusillanimitas & peruicacitas exigit vt ab eis quæri oporteat, quid vis vt faciam tibi: non ipsi quærant, Domine quid me vis facere.

Sic ille, vnde est nata Veritas quæ modo expendatur, his prope terminis quibus vtitur sanctus Abbas, nisi quod additur *peruersè cæcum hunc esse*. Id est, voluntariè malignum, malitiosum, improbum, &, nisi resipiscat, pœna dignum: atque etiam vt resipiscat, hanc suam malignitatem sibi proponat, hoc ratiocinio: Peruersè, ac malignè cæcus ille dicendus est, qui ex duobus sibi propositis, quæ merito & dignitate, ac omni denique præstantiæ modo longè à se distent, videre nolit quod sit eorum præstantius, ac dignius, ne cogatur indignius, & inferius alteri præstantiori subjicere; quia nempe hoc inferius majoris facit, & carius habet.

Primò quidem est cæcitas, quia non videt quod reipsa est, nec rectè de rebus iudicat. Deinde est malitia, quia non vult videre quod satis pateret oculis animi si vellet attendere. Tertio malitia est culpæ, ac pœnæ rea, quia tenetur, & potest videre, quod videre non vult. Quarto dolositas quædam inest, quia idcirco non vult propter latentem inordinatum affectum, quem ita tegit, & simulat. Quinto, turpiter fallitur, quia quantò magis se latere putat aut sibi sapientius prospicere, tantò magis Deo patet, & se odiosum ei reddit, & diuinæ reum iustitiæ. *Percutiet te Dominus amentia & cæcitate, vt palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris & non dirigas vias tuas.* Deut. 28. Id est, hæc prima pœna est cæcitatis tuæ, vt cum sis voluntariè cæcus, nolendo videre quæ posses, tum postea non possis videre quæ velles. *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum.* Ephes. 4. Quasi diceret Apostolus, à tenebris procedunt ad tenebras, à cæcitate in cæcitatem! *excæcauit eos malitia eorum*, Sap. 2. & malitiam eorum sequuta est alia cæcitas.

Satisne hoc tibi peruersum, & cauendum malum videtur?

II. PVNCTVM.

SED *ille à quo quærendum est potiùs*, Quid sibi velit fieri, *quàm cum Apostolo quærat*: Domine quid me vis facere, *videre non vult quod sit dignius, & præstantius bonum è duobus, quæ sese offerunt, merito & dignitate longe imparibus.*

Primo, ne vagetur in incertum oratio, quærendum est determinatiùs quis ille sit, à quo quærendum est quid sibi velit fieri, nempe is est, qui se indifferentem non præbet ad omnia quæ sibi videt à Deo, vel à superioribus iniuncta munera: qui se difficilem & morosum exhibet; qui quod potest recusat, & quod non potest expetit; qui de bono vel malo iudicat prout ipsi sapit; qui nihil, nisi quod sapit bonum, sibi velit euenire: qui suum duntaxat spectat commodum; qui se fingit non posse quod non vult agere: qui libenter repellit quod non habet gratum, & qui nullam potest pati repulsam: qui tamquam debitum petit quod amat, & velut iniuriam ducit quod recusatur, vel quod non petenti offertur; qui denique liberum sibi putat resistere, vel contradicere quibus volet, sibi autem nolit contradici. Numquid iste est à quo superior, vel quis alius, vt pacem cum eo habeat, quærere debet, *quid sibi velit*, ne si forte quod nolit offeratur, aut si quod velit non concedatur; immurmuret, dissentiat, alienetur, ægrotet, nihil possit, nihil agat, & omnis disciplina domestica proinde conturbetur? *Hi sunt*, inquit sanctus Iudas Apostolus, *semetipsos pascentes, nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, &c.* Ac paulo post: *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba*, Id est, magnificè de se sentiunt, quos volunt deprimunt, & quos volunt exaltant; Numquid sunt multi tales non tantum in sæcularibus familiis, sed in religiosis etiam institutis? Numquid tu ex illis? Numquid aliquando tu velles quod non habes: aut quod habes id nolles? An æqua lance pendis omnia quæ tibi possint accidere?

2. Reg. 14. *An sicut Angelus Dei qui nec benedictione, nec maledictione mouetur?* Hinc te agnosce, & quæ sequuntur tibi applica. Nam quisquis ille est, videre non vult quod ex duobus multum inter se dissitis sit vnũ altero dignius, nempe ex voluntate diuina & humanâ, quænã sit dignior & præstantior. Nonne sunt illæ duæ voluntates tantò à se magis discrepantes, quantò voluntas humana fuerit propria, sui, suorumque amans commodorum? nonne istæ duæ voluntates simul occurrunt, altera vt alteri cedat apud te, prout ille fueris à quo quæratur, *quid tibi velis fieri*: vel qui quærat à Domino, *Domine quid me vis facere?* Nonne tunc erit voluntas humana quando quæretur, quid tibi velis fieri, sicut erit diuina quando quæres à Domino, quid ipse velit? Numquid denique qui suam potiu-

quam diuinam vult fieri voluntatem, non vult videre vtra ex duabus voluntas sit melior, cum aliter non malit suam nisi quod sibi videat meliorem: quod tamen non ita esse profecto videre posset, si vellet: Sed videre non vult, ne contra quod ipse videret, cogeretur facere; quod se putat liberiùs posse si non id videat. *Latet eos hoc volentes*, ait sanctus Petrus: Sed an putant hoc latere Deum? 2. Pet. 3.

III. PVNCTVM.

PERVERSE *cæcus est igitur à quo quærendum est potiùs*, quid sibi velit fieri, *quàm cum Apostolo quærat*, Domine quid me vis facere? Nam cæcus est qui non videat quantò sit præstantius & vtilius, diuinæ magis voluntati adhærere quàm suæ: & peruersè cæcus est qui maligne nolit id videre. Quod præclarè regius expressit Psaltes, cum dixit, *noluit intelligere vt bene ageret, Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit: IBI est finis*, inquit sanctus Augustinus, *ibi est fructus: si non potest non habere malitiam, vel oderit illam. Cum enim odisti illam, vix tibi surrepit vt aliquid mali facias.* Quasi diceret, satis alioquin videres quid esset mali & illud euitares si velles: sed quia malitiam non odisti, propterea dissimulas te videre malum quod surrepit, sicque tantò facilius & damnosiùs surrepit, quantò minus illud vides: nec propterea tamen es excusandus, imo inde magis condemnaberis, prout Ipse Iudex Christus Dominus iam pridem denuntiauit: *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Id est, vt quod velit faciat, potiùs quam quod velit Deus, nec arguatur à propria etiam Conscientia, quod suam voluntatem diuinæ præferat. Hoc est *veritatem in iniustitia detinere*; Hoc est *cauteriatam habere conscientiam*; Hoc est dolosè cum Deo agere: Hoc est illi tacitè dicere, *Recede à nobis & scientiam viarum tuarum nolumus*: Hoc est *velamen ponere super cor suum*: Hoc est *in tenebras diem vertere*: Hoc est *spiritui gratiæ contumeliam facere*. Quæ cùm in scripturis, & multis iam ante propositis Veritatibus proscripta sint, restat hanc Apostoli paraenesim audire attentiùs, & imo infigere pectori: *Eratis aliquando tenebræ*,

Psal. 35. Ioan. 3. Rom. 1. 1. Tim. 4. Iob 21. 2. Cor. 3. Iob 3. Hebr. 10. Ephes. 5.

nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & Veritate. PROBANTES QVID SIT BENEPLACITVM DEO.

Vide in 2. p. Dominica Quinquagesimæ, cuius Euangelium de hoc ipso Cæco proponitur, & vbi hæc Veritas declaratur:

Cæcutientibus in via perfectionis, lux perfecta Christus patiens.

In 3. etiam parte, Sabbato Hebdomadæ 9. satis hæc apta exponitur:

Quo magis oculata est Concupiscentia, magis est cæca.

In hac denique 4. parte, tota est Hebdomada vicesima de Cæco nato.

DOMINICA XXVI VEL XXV, VEL XXIV.

PROVT OCCVRRET, EX REGVLIS DIVINI OFFICII.

De Zizaniis in medio tritici seminatis. Math. 13.

Vide in 1. p. Dominica 5. post Epiphaniam.

HAC HEBDOMADA, paratur & peragitur celeberrimus ille Ingressus & triumphus Ierosolymitanus, quando plebs vniuersa venit obuiam Domino cum palmarum ramis, & tanto cum pietatis sensu, vt inde nonnulla quæ Deuotionem, & singularem erga Christum Dominum spectant affectum, eruantur & in practicas Veritates deducantur.

FERIA SECVNDA.

DE ZACCHÆO QVÆRENTE VIDERE CHRISTVM DOMINVM.

Et quærebat videre Iesum, quis esset. Luc. 19.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Inuentus etiam & cognitus Dominus, semper est quærendus.

Ps. 104. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.*

RATIO EST, *Quia semper quærendus est Dominus, si semper in Eo sit quod piè quæras, & fructuosè inuenias.*

Sed semper in eo est etiam inuento & cognito, quod piè quæras, & fructuosè inuenias.

Ergo Inuentus etiam & cognitus Dominus, semper est quærendus: Atque hic primus Deuotionis affectus est erga Christum Dominum exercendæ.

I. PVNCTVM.

ET ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic Princeps erat Publicanorum, & ipse diues; & quærebat videre Iesum quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suscipiens Iesus, vidit illum, & dixit ad illum, Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Tum sequitur mirabilis eius Conuersio, & insignis quædam parabola de decem seruis, quibus concredita fuit ad negotiandum pecunia. Cui Parabolæ cùm prope similis illa sit, quæ pòst de Talentis refertur, non hîc diutiùs immorabimur in illa recensenda: & quod præcipuum est in Zachæo spectandum, ac primum in Christi cultu exercendum, *vt quæramus videre Iesum quis sit*, diligentius modò & attentius expendemus. Neq; enim solis peregrinis & ignaris quærendus est quis sit Iesus, sed ipsis etiam eruditis & peritis: atque vt habet proposita Veritas, *Quantumcumque sit inuentus, & cognitus Dominus, semper est quærendus.*

Quod vt melius intelligatur, distinguenda est triplex cognitio

tio quæ de Christo potest haberi; Prima est *Religionis*, seu quam exigit Religio Christiana, vt nempe sciamus, & credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est. Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistēs. Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Et quæ plura S. Athanasius de duabus eius naturis in vnica personæ refert, nec non illa quæ in symbolo, quod dicitur Apostolorum, exprimuntur de illius Passione, Morte, Sepultura, Resurrectione, Ascensione in Cœlum, & secundo Aduentu ad Iudicium. Quæ licet omnia non sint perinde omnibus scitu necessaria, qui tamen illa scire possint & negligant vel audire vel audita retinere, negligentiæ est arguendæ: *Rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei*, hoc est, prima rudimenta institutionis Christianæ. Hebr. 5.

Secunda Cognitio est, *Eruditionis*, quam scilicet Eruditi acquirunt vel in scholis, vel studio particulari, accuratiùs inuestigantes quæcumque in summa Diui Thomæ, parte tertia de Incarnationis mysterio disputantur; quod certe studium non potest non laudari nisi prauo fine corrumpatur, *Vt non ad inanem gloriam*, inquit sanctus Bernardus, *aut curiositatem, aut aliquid simile: sed tantum ad ædificationem tuam & proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt vt scientiam suam vendant, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt vt ædificent, & Charitas est. Et item qui scire volunt vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere vt benefaciant.* Ser. 36. in Cant.

Tertia denique quam de Christo habemus Cognitio est *pietatis*, qua scilicet Pietas, & Deuotio circa illum fouetur, crescit, & perficitur. Quo in sensu ad propositam Veritatem declarandam hîc primò dicitur, quod semper est quærendus Dominus, si semper in eo sit quod piè quæras & fructuosè inuenias; Quasi diceretur, Nostra in Christum pietas semper augenda est, si semper augeri possit. Hæc enim duo, *magis quærere Christum*, Et *magis in Christum affici*, pro vno & eodem habenda sunt: Nam non magis quæritur Christus nisi vt magis ametur: neque est alius aptior ad eum magis diligendum modus, quàm vt magis quæratur. Sicut

enim ex amore magis quæritur, ita dum quæritur, magis ama

Cant. 3. *Quæram*, inquit sponsa, *quem diligit anima mea:* Quasi dic
quia diligo quæram, & idcirco quæram vt magis diligam.
nonne iam illum inuenerat, nonne iam illum habebat quem
gebat? quomodo posset diligere quem non cognouisset, c
non inuenisset, quem non haberet? Responderi aliud non p
quam quod semper magis ac magis est quærendus Dominu
semper in eo sit quod piè quæras & quod fructuosè inueni
eum magis ac magis diligendum. Sic non modo sponsa q
Sponsum, sed alios etiam inuitat, vt ipsi secum quærant, atq

In caput 5. Cant. magis excitentur, ipsa sponsum quantis potest effert laudibu
delis quippe anima, inquit sanctus Gregorius, *quò dulciora & a
ra de Redemptore suo audit, eò ardentius inhiat, & manifestiora
cognoscere appetit, dicens, quò abiit dilectus tuus, & quæremus e
cum? Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum al
altero qualiter inueniatur, suscitatur, quid aliud quam quo modo
debeat, perscrutatur?* Nempe infatigabiliter & tam constanter
dicetur in Eo aliquid superesse quod quæratur.

II. PVNCTVM.

*SED semper in eo est etiam inuento, & cognito quod piè quær
fructuosè inuenias.*

Ephes. 3. Cum enim dicat Apostolus *inuestigabiles esse Christi diuitia*
est, animi dotes, & virtutes innumeras & immensas, quis
ita nosse affirmet, vt non semper supersit quod cognoscat?
inquam, cui non statim illud exprobretur quod est in libro
*forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omni
tem reperies? Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior in*

Serm 9. de Natiu. Dom *& vnde cognosces?* Sic apte sanctus Leo, *Nemo ad cognitionem
tatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, c
multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat; Nam qui se
quò tendit peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inqui
deficit.*

Is. 10. Rom. 9. Abbreuiata quidem in humanitate Christi Diuinitas dici
Propheta, & confirmatur ab Apostolo; sed non ita dicit
quid de Diuinitate detractum sit, aut quod ita cogitando
ille Deus-homo comprehendi, vt non semper multò plura s

Digitized by Google

sint cogitanda: quin potius in eo ipso quod videmus abbreuiatum, & contractum, magis est quod videndo admiremur, & quod minùs intelligendo assequamur. *Ibi enim agnoscitur*, vt ait sanctus Bernardus, *longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem: vagientem sed miseros consolantem. Videas si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, Passio saluans, Mors viuificans, infirmitas roborans.* Serm. 2. super Missus est.

Nonne hæc sunt, quæ tanto minus comprehendi possint quanto magis à se distant, & simul tamen vnita sunt? Nonne hæc sunt, quæ quantumuis quisque norit, in his tamen meliùs agnoscendis potest vltra proficere? Nonne hæc est diuina Sapientia de qua non minus potes dicere, quàm Sapiens de humana: *Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?* Id est, quanto plura de Christo didici tanto sublimiora restant quæ possim adhuc discere. Denique nonne est illa Sapientia quæ quasi obscurior dilucidari semper expetit, nec frustra se promittit elucidandam, cùm præter fructum quem affert tum his quibus illustrata fuerit, tum his à quibus lucem acceperit, summum promittat præmium; *Qui elucidant me*, inquit, *vitam æternam habebunt.* Omnes alloquitur, omnibus idem seruatur donatiuum. Nam si quos forte non habes quibus elucides; tibi loquere, tibi quidquid ambiguum, quidquid obscurum occurrerit, meditare attentiùs, & meditando dilucidabitur. Eccl. 7. Eccli. 24.

III. PVNCTVM.

AVDIENDVS igitur Psaltes Regius: *quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem eius semper.* Audiendus & sanctus Augustinus in illa Psalmi verba: *Quærite faciem eius semper, vt non huic inquisitioni qua significatur amor, finem præstet inuentio, sed amore crescente, inquisitio crescat inuenti*: quia videlicet semper erit in inuento quod quæras. Audiendus & rursum sanctus Leo, *dicente Propheta, quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper, nemini præsumendum est quod totum quod quærit, inuenit,* Sermo de Pass. Dom.

ne desistat propinquare, qui cessarit accedere. Quem in sensun
multa Sapiens Ecclesiasticus de Domino numquam satis q
ac cognito dixit, vt nisi hunc sensum & hunc finem inten
Eccles. 18. non sapienter dixisse videretur: Audi & obstupesce, *quis*
enarrare opera illius? Quis enim inuestigabit magnalia eius? Vi
autem magnitudinis eius quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarra
sericordiam eius? Non est minuere, neque adjicere, nec est inueni
gnalia Dei. Cum consummauerit homo, tunc incipiet: & cum qui
operabitur. Id est, quantumcumque multa meditando cogno
tam multa tamen adhuc supersunt cognoscenda, vt, quasi
egisset, & quasi tum de illo inciperet meditari, sic semper d
ritate in claritatem progressus fiat necesse est; alioquin si ab
riori progressu cessare, & quiescere voluerit, magis operal
& laborabit, magis angetur & cruciabitur, quam si vlteriù
grediendo suam non denegaret operam: quia sibi plene sa
ctum non sentiet, plus aliquid quàm cognouit, restare subo
bitur, quo nisi peruestigato non tranquille quiescet. Sic aptè
ca reddunt, *aporiabitur*, quod vulgatus vertit *operabitur*, id est
certus erit & suspensus, quasi qui nondum assequutus est
quærebat.

Quæ quidem duobus modis, siue ex duplici causa sic sentiri
sunt, quarum vna est naturalis, supernaturalis altera. Nat
est vnicuique desiderium discendi & sciendi, & quò scientia
bilius, ac certius est obiectum, eò & sæpe in studiosis deside
sciendi est vehementius. At vero quod scientiæ nobilius, &
tius potest esse obiectum quàm Christus Dominus, in quo
Apoc. 1. omnia quæ sciantur collecta: & vnita quamobrem dicitur *a*
Is. 10. Id est, omnis literaturæ complementum: *Et consummatio abbre*
Coloss. 1. Id est, compendium eorum omnium quæ sciri possint: *Et omn*
omnibus, Id est, in quo vnò habentur omnia. Et vno denique
bo, quod vniuersa complectatur, qui propterea singulariter
Ioan. 14. tur *Veritas*, quod vnum est omnis obiectum scientiæ, de
Tract. 26. in Ioan. verè sanctus Augustinus, *quid fortius desiderat anima quàm Verita*

Altera causa quæ supernaturalis est, ipse est Spiritus sanctus
Christi Domini Spiritus, ipsius Christi Domini bonitas, & na
V. in 1. p. Fer. 4. hebd. 1. & Fer. 2. hebd. 3. quæ hoc habet eximium & singulare, vt nos magis ac mag
sui non modo cognitionem, sed affectum impellat, sicut in
1. Pet. 1. tam suaviter Angelos afficit, vt in *eum desiderent prospicere*, si

Digitized by Google

mines sui studiosos ita acuit & incendit, vt numquam non ipsum desiderent. *Qui edunt me*, inquit, *adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*. Quod de affectu simul, ac de intellectu sic apud Isaiam aptè nobis exprimitur: *si quæritis quærite, conuertimini, venite*. Si quæritis intellectu, quærite & affectu: si quæritis intellectu & affectu, conuertimini, appareat in effectu, in praxi, & opere: tùm vero *venite*, Id est, rursum quærite, & iterum conuertimini, sicque fiat *intellectus bonus omnibus facientibus eum*, Id est, quod intelligunt faciendum, faciant. Eccles. 24. Is. 21. Ps. 110.

Quò etiam illud Apostoli referas: *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum*. Nam si de intellectu intelligas, non est sensus, hæc posse intelligendo comprehendi; sed hæc ita sedulò & accuratè peruestiganda esse, quasi quæ possent comprehendi. Vel sic potiùs interpretare, tanta hæc sunt animi contentione reuoluenda, donec ea mente comprehenderis: & quia numquam illa comprehendes, idcirco semper sunt reuoluenda, idcirco contentio debet esse continua. *Sunt incomprehensibilia requirenda*, inquit sanctus Augustinus, *ne se existimet nihil inuenisse qui quàm sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit inuenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, & melior meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod & inueniendum quæritur, & quærendum inuenitur? Nam & quæritur vt inueniatur dulciùs: & inuenitur vt quæratur auidiùs.* Ephes. 3. In Imperf. Hom. 35. L. 15. de Trin. c. 2.

Quod si de affectu voluntatis verbum Apostoli *comprehendatis* accipias sicut sanctus Bernardus, vt supra iam vidimus, accipit & opponit verbo *cognoscere*: sensum hunc subjicit, *vt non curiositate*, inquit, *contenti scientiæ, tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione est fructus sed in comprehensione, alioquin scienti bonum & non facienti, peccatum est ei. Et ipse Paulus alio loco, sic currite, inquit, vt comprehendatis. Non ea disputatis comprehendit sed Sanctitas*. Et quæ plura prosequitur, quorum omnium ac dicti Apostolici sensus & finis est, vt non cessemus meditando inuestigare quantæ sint Christi Domini virtutes omnes per quatuor illas positionum differentias quas enumerat, quanta earum latitudo per omnes virtutum actus: quanta longitudo per cuncta temporum spatia & momenta: quanta earum altitudo per excellentissimam Charitatem: quanta L. 5. de consid. c. 13. & 14.

profunditas per illam humilitatem, qua seipsum exinaniuit q
nihil esset coram Deo: quasi hoc totum quod esset, Deo imm
ret: vt sic ad eius Imitationem acriùs incendamur.

O si melius nosses quàm sit Sanctus, & quàm vere sit eius vo
tas sanctificatio nostra: non sic tam leuiter in tam multis de
1. Ioan. 3. queres; Vere enim à dilecto Discipulo dictum est, *omnis qui pe*
non vidit eum, nec cognouit eum. Id est, omnis qui peccat liber
non cognouit eum, quanto peccatum oderit odio; nam si
nosset non ita peccaret libere, non se ita excusaret, non se ita
1. Cor. 8. uæ cupiditati traderet. *Si enim cognouissent, numquam Dominum*
riæ crucifixissent: Non tamen inde excusantur, nam illi magi
magis cognoscendo semper vacare debent, & nũ tam conti
studeant vt inde conuertantur, & conformiter viuant, Chri
ignorent & nesciant. Quod supra fusiùs probatum habes hac
ritate proposita:

Fer. 4. Hebd. 19. Quidquid de Christo se scire dicant Impij & munda
Christum nescire dicendi sunt.

Hanc concludamus Veritatem, & cæteras consequente
L. 15. de Trin. c. vlt. Christo meditandi formulas, hac sancti Augustini precatione,
mine Deus meus, vna spes mea exaudi me, ne fatigatus nolim te quæ
sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires qu
uenire te fecisti, & magis magisque inueniendi te, spem dedisti.
etiam in 3. p. Dominica Sanctissimæ Trinitatis, vbi hæc expon
Veritas:

Non minus peccat qui non satis, quàm qui ni
Deum scire vellet.

FERIA TERTIA.

DE COENA IN BETHANI *VBI MAGDALENA VNXIT DOMINVM.*

Et domus impleta est ex odore vnguenti. Ioan. 12.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Nullis parcendum bonis, vt Christi bonus odor simus.

RATIO EST, *Quia Christi bonus odor, est bonus de Christo sensus: Atque vt Christi bonus odor simus, sic nobis bene conuersandum est cum omnibus, vt omnes bene de Christo sentiant.*
Sed nullis propterea parcendum est bonis.
Ergo neque vt Christi bonus odor simus. Quod tamen rarum est, cum omnes sua quærant, non quę sunt Iesu Christi.

I. PVNCTVM.

REDIISSE in Bethaniam Christum Dominum, antequam Ierosolymam ingrederetur, apertè docet sanctus Ioannes, cùm eius in vrbem ingressum nonnisi crastino, seu sequenti ab hac cœna die ponat. An vero hæc cœna sit ipsa eadem quam alij duo Euangelistæ factam narrant apud Simonem dictum leprosum, dubitatur ab Interpretibus, propter nonnullas quæ earum diuersitatem indicant, circumstantias.

Iesus ergo, inquit sacer Historicus, *ante sex dies Paschæ, venit Bethaniam vbi Lazarus fuerat mortuus quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat; Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis:* ET DOMVS IMPLETA EST EX ODORE VNGVENTI. Tum verò cùm propterea murmuraret Iudas, murmurantem repressit Dominus, & se Mulieris deuotionem probare professus est, vt eius exemplo disceremus quod expresse postea docuit Apostolus, *Nullis parcendum bonis vt Christi bonus odor simus.* Verba hæc sunt Apostoli, in quibus intelligendis tota consistit ratio Veritatis propositæ: *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam ido-* 2. Cor. 2.

neus? Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed e ceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

Apostolica sanè verba, quorum duæ sunt partes præcipuæ duobus in punctis seorsim declarantur. Prima est de bono d xat Christi odore quem ait esse odorem diuinæ notitiæ pe manifestatum, quando scilicet vt habet prima nostra Propo sic religiosè cum omnibus conuersamur, vt bene omnes ædif tur, & inde ad Christum vel magis cognoscendum, vel mag ligendum: & colendum prouocentur ac melius denique d Christo & de tota religione Christiana sentiant: & quod n sentiunt, dictis & factis indicent.

l. 3. de doct. Chr. c. 12. Sic præclare & apposité ad factum Magdalenæ, Christun gentis, sanctus Augustinus: *In omnibus*, inquit, *talibus non v rum, sed libido vtentis in culpa est. Neque vllo modo quisquam s crediderit Domini pedes ita vnguento pretioso à muliere perfusos vt rioforum & nequam hominum solent, quorum talia conuiuia detesta Odor enim bonus, bona fama est qua quisquis bonæ vitæ operibus dauerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes eius pretio odore perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, uina vel prophetica persona, magna cuiusdam rei signum est.* Nemp illa magna est, quod ex bonis nostris operibus bona fama col tur; & ex illa bona fama, siue ex bonis illis conspectis vel a operibus excitentur ad rectos de Christo sensus habendos, qu nus recte de illo siue de illius dictis & factis sentiebant.

In Ps. 21. Sic Idem breuius alibi: *Quæ fuit Mulier quæ intrauit cum vng Cuius typum portabat? Nonne Ecclesia? Cuius figura erat illud vn tum? Nonne odoris Domini boni de quo dicit Apostolus, Christi odor sumus in omni loco?*

Hom. 33. in Euang. Sanctus quoque Gregorius conformiter: *quid namque vng nisi bonæ odor opinionis exprimitur? Vnde & Paulus dicit, Christi odor sumus Deo in omni loco. Si ergo recta opera agimus, quib nionibus boni odoris Ecclesiam respergamus, quid in Domini corpo vnguentum fundimus?*

Cant 2. Ser. 40. in Cant. Sanctus vero Bernardus ad illud Cantici Canticorum, *florentes dederunt odorem suum*, sic rem totam ipsis subijcit ocul *principio quidem sic fuit: Ad prædicationem nouæ Gratiæ secuta uitas vitæ in his qui crediderunt, qui conuersationem suam inter habentes bonam, Christi erant bonus odor in omni loco. Odor bon stime*

Digitized by Google

stimonium bonum. Hoc de bono opere, tamquam de flore odor, procedit. Et quoniam tali flore & tali odore inter primordia nascentis fidei fideles animæ veluti quædam spirituales vineæ refertæ apparuerunt, habentes testimonium bonum & ab his qui foris erant, non incongruè, vt opinor, de ipsis dictum sentimus quia vineæ florentes odorem dederunt. Ad quid? vt eo sanè prouocati, etiam qui necdum crediderant, ex bonis operibus illos considerantes, glorificarent & ipsi Deum, atque ita eis odor vitæ ad vitam esse inciperet. Idcirco ergo dedisse odorem non immeritò referuntur, qui non suam gloriam, sed aliorum de sua bona opinione quæsiere salutem. Alioquin poterant, more quorumdam, quæstum æstimare pietatem, verbi gratia, ostentationis & mercedis. At istud esset non dare odorem sed vendere. Nunc verò quia omnia sua in Charitate faciebant, non planè vendiderunt odorem, sed dederunt.

Præclare omnino, & cohærenter his Diui Petri verbis, proposito nostro valde opportunis: *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*; Id est, cùm placuerit Deo per inspirationes suas, Infideles siue mundanos visitare, & ad se adducere, sic multum illis proderit vestrum exemplum. Vel quasi diceretur, cum ad exercendam vestram patientiam, aut alterius cuiuspiam virtutis exemplum proximis dandum permiserit Deus vos affligi & vexari. Vel sic interpretare, cum Aduersarij, seu quiuis Iudices, & Præsides de vobis inquirent, & vestra visitabunt, nihil mali deprehendentes, imo sancta esse omnia cognoscentes, bene de Deo ac de religione sentiant. Vel denique simplicius, cùm vbicumque locorum fueritis, quemcumque visitabitis, aut à quocumque visitemini, sic modeste ac prudenter in omnibus agite, vt omnes ex vobis aliud nihil hauriant & referant, quàm sanos pietatis sensus, & verè pios in Christum affectus. 1 Pet. 2.

Si qui male de Religione sentiunt: dedocete malum, & bonum explanate. Si quid asperius opinantur: quàm sit suaue iugum, & onus Christi leue declarate. Si quid anceps & dubium: soluite, probate, confirmate. Si quid latens & obscurum: aperite, diuulgate. Magis autem exemplo quàm verbo quosuis instruite. Hoc est scilicet Christi bonum esse odorem, hoc est quod aiebat Sapiẽs: *Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Hoc est quod de Iosia dicitur, *cuius memoria in composi-* Pr. 27. Eccles. 49.

tionem odoris facta, opus pigmentarij, quia Rex ille præ aliis insigni
rem diuinam apud Iudæos procurarat. Sic denique Sapientia: *I*
Ibid. 24. *samum*, inquit, *non mistum, odor meus*, Id est, sic Christus de se,
de suis loquitur, quòd in quibuscumque muneribus ac ministe
ad proximum, non suam sed purè Dei Gloriam quærerent.

II. PVNCTVM.

SED *nullis propterea parcendum expensis, seu bonis expendendis.* Quæ propositio duplicem potest habere sensum: primus q significetur, non posse id fieri quod dictum est sine iactura vel riculo bonorum omnium. Secundus quo excitemur ad talem p tali causa iacturam.

De primo videretur nonnulla difficultas, seu dubium, Quon do dici possit, quòd necessaria sit iactura bonorum omnium inducendum in alios pietatis sensum de Christo Domino, cu dictum fuerit id potissimum fieri ex bona fama, quæ ex prob nostris operibus excitatur, & quæ cum sit vnum ex bonis nos vel maximè carum & procurandum, quid est quod iacturam possimus facere?

Respondetur, & responsio secundam illam partem verbor Apostoli declarabit, quam huc remisimus, & quæ illa præci continet quibus dicitur odorem Christi esse *odorem mortis in mort* Quâ enim ratione sic dicitur, eâdem prorsus intelligetur quon
In Ps 44. do famæ fiat iactura. Quod vtrumque sanctus Augustinus sic p clare demonstrat: *Non dixit Apostolus, bonus odor in iis qui salui fi & malus odor in iis qui pereunt: sed quod ad nos attinet, bonus odor mus, & in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Saluum fieri ho nem bono odore, non est improbabile neque incredibile. Perire au hominem bono odore, quæ ratio est? Magna vis, magna veritas, & si non potest, ita est. Nam vt noueritis quia difficilè capitur, statim subi Et ad hæc quis idoneus? Quid est, ad hæc quis idoneus? Quis intel homines mori bono odore? Tamen aliquid dicam fratres, Ecce ipse lus prædicabat Euangelium, multi illum amabant prædicatorem Eua lij, multi illi inuidebant. Qui illum amabant, bono odore saluaban qui illi inuidebant, bono odore peribant. Ideo & pereuntibus non m odor, sed bonus odor. Ideo enim magis illi inuidebant, quia tantum in illo gratia præualebat: nemo enim inuidet misero. Erat ergo glori*

in prædicatione verbi Dei, & viuens secundum regulam illius virga directionis, & diligebant eum qui in illo diligebant Christum, qui sequebantur bonum odorem. Diligebat amicum sponsi sui, sponsa ipsa quæ dicit in Canticis Canticorum, Post odorem vnguentorum tuorum curremus. Cant. 1.
Illi autem alij quanto magis eum videbant in gloria prædicationis Euangelij, & in vita inculpabili, tanto magis inuidia torquebantur & occidebantur bono odore.

Tu inde, Lector, collige, vel auditori colligendum expone quàm fuerit necessarium Apostolo, iacturam suæ famæ facere; non enim ei poterat inuideri, nisi simul odiosus haberetur, nisi simul probris & maledictis inuidorum subjiceretur, nisi simul denique derideretur; quod quid est aliud quam apud illos famæ iacturam facere? Neque hoc ignorabat Apostolus, ac propterea consequenter dicebat: *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei,* vt scilicet mundo placeam & mihi famam eloquentiæ comparem, *sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur*, licet rudis, barbarus, imperitus, & ignarus viris illis appaream, qui multum ponunt in selectis verbis. Esto, apud illos fama excidam, libenter hoc patiar, libenter hoc impendam bonum, vt quibus me volet Christus proficere, proficiam. Quod & alibi repetens, *An quæro,* inquit, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Si placeret nempe secus agendo quàm deceret Apostolum & Christi seruum, cum alioquin affirmet *se per omnia omnibus placere, non quærendo quod sibi vtile est*, vtilitate temporali, *sed quod multis vt salui fiant.* Sic denique nobis omnibus idem commendans, *Nemini dantes*, inquit, *vllam offensionem vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, per arma Iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam:* quasi diceret, quidquid spectat hoc genus boni quod honorificum siue honestum vocant, totum est plane consecrandum. Gal. 1. 1. Cor. 10. 2. Cor. 6.

Neque verò minùs alia quæ sunt vtilitatis & voluptatis bona eam in rem expendenda sunt, cum oporteat Euangelium seu Euangelicam doctrinam non verbo solum sed facto confirmare. Quomodo enim beatos pauperes, beatos mites, lugentes, & persecutionem patientes asseremus nisi nos ipsi paupertatem, mansuetudinem, luctum, tribulationes & alia quæ mundus horret, &

tionem odoris facta, opus pigmentarij, quia Rex ille præ aliis insigni
rem diuinam apud Iudæos procurarat. Sic denique Sapientia: *B*
Ibid. 24. *samum*, inquit, *non mistum, odor meus*, Id est, sic Christus de se,
de suis loquitur, quòd in quibuscumque muneribus ac ministe
ad proximum, non suam sed purè Dei Gloriam quærerent.

II. PVNCTVM.

SED *nullis propterea parcendum expensis, seu bonis expendendis.*
Quæ propositio duplicem potest habere sensum: primus q
significetur, non posse id fieri quod dictum est sine iactura vel p
riculo bonorum omnium. Secundus quo excitemur ad talem p
tali causa iacturam.

De primo videretur nonnulla difficultas, seu dubium, Quon
do dici possit, quòd necessaria sit iactura bonorum omnium
inducendum in alios pietatis sensum de Christo Domino, cu
dictum fuerit id potissimum fieri ex bona fama, quæ ex proba
nostris operibus excitatur, & quæ cum sit vnum ex bonis nos
vel maximè carum & procurandum, quid est quod iacturam e
possimus facere?

Respondetur, & responsio secundam illam partem verbor
Apostoli declarabit, quam huc remisimus, & quæ illa præci
continet quibus dicitur odorem Christi esse *odorem mortis in mort*
Quâ enim ratione sic dicitur, eâdem prorsus intelligetur quon
In Ps 44. do famæ fiat iactura. Quod vtrumque sanctus Augustinus sic p
clare demonstrat: *Non dixit Apostolus, bonus odor in iis qui salui fi*
& malus odor in iis qui pereunt: sed quod ad nos attinet, bonus odor
mus, & in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Saluum fieri ho
nem bono odore, non est improbabile neque incredibile. Perire au
hominem bono odore, quæ ratio est? Magna vis, magna veritas, & si
non potest, ita est. Nam vt noueritis quia difficilè capitur, statim subi
Et ad hæc quis idoneus? Quid est, ad hæc quis idoneus? Quis intel
homines mori bono odore? Tamen aliquid dicam fratres, Ecce ipse
lus prædicabat Euangelium, multi illum amabant prædicatorem Eua
lij, multi illi inuidebant. Qui illum amabant, bono odore saluaban
qui illi inuidebant, bono odore peribant. Ideo & pereuntibus non m
odor, sed bonus odor. Ideo enim magis illi inuidebant, quia tantum
in illo gratia præualebat: nemo enim inuidet misero. Erat ergo glor

in prædicatione verbi Dei, & viuens secundum regulam illius virgæ directionis, & diligebant eum qui in illo diligebant Christum, qui sequebantur bonum odorem. Diligebat amicum sponsi sui, sponsa ipsa quæ dicit in Canticis Canticorum, Post odorem vnguentorum tuorum curremus. Cant. 1. *Illi autem alij quanto magis eum videbant in gloria prædicationis Euangelij, & in vita inculpabili, tanto magis inuidia torquebantur & occidebantur bono odore.*

Tu inde, Lector, collige, vel auditori colligendum expone quàm fuerit necessarium Apostolo, iacturam suæ famæ facere; non enim ei poterat inuideri, nisi simul odiosus haberetur, nisi simul probris & maledictis inuidorum subjiceretur, nisi simul denique derideretur; quod quid est aliud quam apud illos famæ iacturam facere? Neque hoc ignorabat Apostolus, ac propterea consequenter dicebat: *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei,* vt scilicet mundo placeam & mihi famam eloquentiæ comparem, *sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur,* licet rudis, barbarus, imperitus, & ignarus viris illis appaream, qui multum ponunt in selectis verbis. Esto, apud illos fama excidam, libenter hoc patiar, libenter hoc impendam bonum, vt quibus me volet Christus proficere, proficiam. Quod & alibi repetens, *An quæro,* inquit, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Gal. 1. Si placeret nempe secus agendo quàm deceret Apostolum & Christi seruum, cum alioquin affirmet *se per omnia omnibus placere, non quærendo quod sibi vtile est,* vtilitate temporali, *sed quod multis vt salui fiant.* Sic denique nobis omnibus idem commendans, *Nemini dantes,* inquit, *vllam offensionem vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, per arma Iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam:* quasi diceret, quidquid spectat hoc genus boni quod honorificum siue honestum vocant, totum est plane consecrandum. 1. Cor. 10. 2. Cor. 6.

Neque verò minùs alia quæ sunt vtilitatis & voluptatis bona eam in rem expendenda sunt, cum oporteat Euangelium seu Euangelicam doctrinam non verbo solum sed facto confirmare. Quomodo enim beatos pauperes, beatos mites, lugentes, & persecutionem patientes asseremus nisi nos ipsi paupertatem, mansuetudinem, luctum, tribulationes & alia quæ mundus horret, &

quæ Christus beatificat, subeamus: aut subire parati simus
læto animo, quàm lætos eos esse volumus quibus lætitian
Act. 1. tranquillitatem cordis in aduersis prædicamus? *Eritis mihi*
vsque ad vltimum terræ, inquiebat suis Christus, & paucis hisce
bis totum id complexus est quod pluribus dicendum esset de b
omnibus vltro impendendis. Nam si testes, profectò ij esse de
quibus dicendorum fides adhibeatur; at quomodo fides eo
quæ dicent ipsis adhibebitur nisi se dictis conforment suis? C
modo testabuntur quod Christus docuit contra vanas mundi
citudines, si sint ipsi de rebus suis nimis soliciti? Quomodo t
Luc. 16. buntur id ita esse sicut Christus dixit, *quod altum est hominibu*
abominationem esse apud Deum, si quod altum est hominibus
consectentur? Quale futurum est eorum testimonium de bea
mendico Lazaro supra diuitem Epulonem, si similiores appar
Diuiti quàm Mendico?

Ep. 2. ad Nepot. O quam rectè S. Hieronymus, *non confundant sermonem*
opera tua, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat
ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est qui pleno
tre disputat de ieiuniis. Accusare auaritiam & latro potest. Sacer
Christi os, mens, manusque concordent; Id est, quisquis de Ch
loqui voluerit, tam necesse est vt quod ore loquitur, ma
opere comprobet, vt, nisi quod loquitur ita probet, non pu
probabile.

Atque hæc necessitatis Consideratio sufficeret ad alterũ pro
sitionis sensum exponendum, quo excitamur ad subeunda li
ter quæuis incommoda potiùs quàm tantæ desimus necessi
Quale enim seruo Christi probrum, si Christo suo prætulerit n
quod temporale bonum, quod sibi perire noluit? Quid tibi v
tur de Christo, cuius filius est? cuius est nominis? cuius pretij
ius valoris? Si quid boni reseruas, quod non libenter impen
in illius obsequium, tu minoris illum æstimas, quàm illud
num quod reseruas.

Non sic Ille, non sic tam parui animam tuam ducit! C
quando vel vnam sanguinis sui guttam tibi redimendo dedi
nonne satis indicasset quanti te faceret? At non satis illi fuit
tam, aut aliquam sui partem dare, sed totum planè totum, q
tus quantus ille fuit, se totum tibi dedit, & toties datum reno
quoties communicas; tu verò tui partem duntaxat dabis; & q

Digitized by Google

ſcilicet voles, nempe viliorem, & quam minùs caram habebit; nam quod ſibi reſeruatur, hoc ſemper eſt pretioſius.

Præclare admodum propterea Sapiens: *Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam. Repromiſſorem fugit peccator & immundus. Bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator: & ingratus ſenſu derelinquit liberantem ſe.* Perpendi debent omnia, Primò vide quid ſit eſſe Fideiuſſorem, ſeu Repromiſſorem, nempe qui ſe vadem, & ſponſorem pro alio ita conſtituit, vt, quoties opportunum fuerit, hunc repræſentet, & quodcumque debitum ſoluat, ſeu pœnam eius loco ſubeat. Quod certe à Chriſto Domino plenè & cumulatè factum pro nobis nemo fidelis ambigat: vnde ipſe in Pſalmis: *quæ non rapui, tunc exoluebam.* Eccleſi. 29. Pſ. 68.

Secundò, contemplare quantam à nobis exigat Gratitudinem tale Beneficium, vel quàm ſit ille ingratus, qui Benefactorem ſuum non agnoſcat. Tertiò, conſidera quid ſit eſſe gratum vel ingratum. Hanc præcipue notam deſignant omnes, vt, ſi fieri poteſt, par ſimileque aliquid accepto reddatur Beneficio, vel quidquid ſit, quo ſaltem modo & tempore Benefactor voluerit, hoc reddatur. Sic expreſsè Diuus Thomas; Et ita fert gratitudinis exprimendæ nomen vſitatum, *antipelargia*, cuius notio deducitur à Ciconiis, quarum hoc eſt proprium, vt quam pulli à parentibus receperunt gratiam, dùm volare non poterant, eandem illis viciſſim referant, dum ad volandum impotentes fient. 2.2.q. 106. a 4.

Quartò, inquire quid ſimile Chriſto fideiuſſori poſſes reddere, numquid te quodammodo fideiuſſorem ſuum appellat Chriſtus, quando te teſtem ſibi aduocat? Non credent homines Chriſto dicenti bonum eſſe pati, & contemni, niſi hoc homines ita eſſe teſtentur: fideiuſſorem Chriſti homines quærunt, te vero Chriſtus ſuum exhibet, te producit, te interponit, tuam obteſtatur fidem, vt ſibi hoc teſtimonium palam reddas, *quod ſit bonum pati & contemni.* Hoc eſt ſcilicet par Chriſto reddere, ſi hoc teſtimonium reddideris; hoc eſt Benefactori ſuo gratum eſſe; hoc eſt Liberantem ſe liberare. Nam ſicut Fides Chriſti laborat apud homines, & Veritas in iniuſtitia detinetur, ita liberatur dum noſtro teſtimonio fides illa roboratur.

Sed niſi etiam hoc teſtimonium reddideris, niſi libenter in *humilitate tua patientiam habeas*, & ſic toti mundo teſtéris bonum ac beatum eſſe pati, & contemni, hoc eſt par negare Chriſto, hoc eſt Eccleſi. 2.

ingratum esse, hoc est quod ait Sapiens, *Ingratus sensu derelin liberantem se*, quo scilicet modo & tempore liberandus erat L rator! O quale beneficium, posse liberare Liberatorem suum C stum! ô qualis ingratitudo, nolle quod possis!

III. PVNCTVM.

NVLLIS igitur parcendum bonis vt Christi bonus odor simus alioquin nobis id exprobret, quod in Scriptura legitur *tere fecistis odorem meum. Et erit pro suaui odore fœtor.* Nihil ne fœtidius, quàm vt, eò quò honori tuo parcas, vel voluptati, pecuniæ; Christi honor depereat. Perit verò dupliciter, & c salutis verbum retines, & cùm propterea retines, ne quid tib loquereris, pereat. *Væ mihi quia tacui*, saltem si hoc agnosce Nec dicas te amore pacis id silere, quod alioquin dicendum es Nam peruersa pax illa est, quam Christus dicit se non misiss terram, sed potiùs gladium illi oppositum: & iam alibi produ & probata hæc habetur Veritas:

Exodi 5. Is. 3. Is. 6. Math. 10.

Optabilius est bonum bellum, quàm mala pax.

In 3. F. Sabb. Hebd. 10.

Quod si qui etiam videantur offendi & scandalizari, cauend id quidem omnino, ne tua culpa fiat; sed dum ipsorum viti accidet; ferendum est, nec à bono propterea desistendum; hic est *odor mortis in mortem* qui vt dictum est, *aliis est vita in vit* SICVT *fragrantia vnguenti columbam vegetat, scarabeum necat*, inc Nyssenus: *& sicut lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit cut ignis aurum purgat, stipulam absumit; sic Christus malis in ruin est, & bonis in resurrectionem.* An velles solem non lucere, ne q rundam offendantur oculi? An multum curant scarabei nece qui odore vnguenti columbas ad se trahunt? O quàm rectè A stolus: *Omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio C sti:* hoc est, caueamus omnino, ne quem offendamus: sed si quis tro se offendat, caueamus etiam ne propterea cursus Euange seu prædicationis Euangelicæ retardetur.

2. Cor. 9.

Denique quid aptius ad rem nostram, quàm hæc Christi ver *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Q est accipere crucem suam, & sequi Dominum, nisi iacturam bo rum omnium pati, sicut ille est passus, dùm suam accepit cruce

Math. 10.

Quid est non esse dignum Christo, nisi ab illo esse quasi alienum, quasi reiectum, & repudiatum, vt qui terrena sapiat non æterna, non cœlestia, non quæ sunt sursum, vbi Christus est in dextera Dei sedens? *Coloss. 3.*

Videri possunt huic multæ conformes Veritates:

Nemo magis sibi Christum seruat, quàm qui minùs sibi soli seruat.

In 1. parte, Die 18. Ianuarij.

Qui non renuntiat omnibus, non potest esse Christi discipulus.

In 1. p. Fer. 3. Hebd. 6. post Epiphan.

Voluntatis eiusdem est, nolle afferre scandalum: & sufferre velle, si quando praué accipitur.

In 2. p. Fer. 3. Septuagesima.

Quæ in malo bona est Confusio, in bono mala est.

In 2. p. Fer. 6. primæ Hebdom. in Quadragesima.

Charitas non quærendo sua melius inuenit, quàm si quæreret.

In 2. p. Fer. 2. Hebdom. 3. post Pascha.

Solum pietatis genus est, in re saluti aduersa, suis esse crudelem.

In 3. p. Fer. 3. Hebdom. 5.

Rape ad Eum quos potes. Nam si potes, & non rapis, tot cœlo perdis quot Christo lucrari poteras.

In 3. p. Sabbato Hebdom. 11.

FERIA QVARTA.

DE PERFECTA DISCIPVLORV OBEDIENTIA IN ADDVCENDO AD CHRISTV PVLLO ASINAE.

Euntes autem Discipuli fecerunt sicut praeceperat Iesus. Math. 21.

VERITAS PRACTICA.

Quod in aliis Virtutibus magis esse posset vituperab hoc est in Obedientia magis laudabile.

RATIO EST, Quia, quod magis esse posset vituperabile in virtutibus, est indiscretio.

Sed hoc est in Obedientia magis laudabile, si fuerit indiscreta, sensu explicabitur.

Ergo hinc Veritas manifestè patet, & tantò magis haec salubris discretio colenda est obedire volenti, quantò haec Obedientia gularis est virtus.

I. PVNCTVM.

ET cùm appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage montem Oliueti, tunc Iesus misit duos Discipulos dicens Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis nam alligatam & pullum cum ea, soluite & adducite mihi: & si vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & con stim dimittet eos. Euntes autem Discipuli fecerunt sicut praecepit Iesus.

Considerandа certe Discipulorum Obedientia, vt, qui in re

tis difficili ad intellectum, & voluntatem, tam prompti fuerint, nulla vt intercedente mora præceptum adimpleuerint. Poterant enim hærere dubij quid vellet Dominus, cùm de asina sermonem, & præceptum illis faceret: Poterant cogitare id illi omnino insuetum, vt iumento vteretur: Poterant pudore quodam affici, & deterreri ab illis ignominiosis animalibus per vrbem adducendis: Poterant denique metuere, ne qui viderent eos aliena rapientes, contrà insurgerent, & obniterentur. Sed nihil horum apud se reputant, nihil discurrunt, nihil discernunt, nihil dijudicant, nihil verentur: toti sunt in hîs exequendis quæ sibi iussa sunt; *Et quod in aliis virtutibus magis esse posset vituperabile, hoc est in eorum obedientia magis laudabile.*

Mira certe sententia, & digna quæ attentius consideretur, tùm vt aliis virtutibus generatim consulatur, tùm particulatim obedientiæ.

Quid est autem in cæteris virtutibus magis vituperabile quàm Indiscretio, cùm vt ait sanctus Bernardus, *omni virtuti ordinem discretio ponat, ordo modum tribuat & decorem*? Vnde & post alia quædam, concludit, *Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum & morum doctrix. Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ.* Sic sanctus Papa Gregorius: *Bona quidem intentione amici Iob ad consolandum venerant, sed hoc quod pia mens Deo mundum obtulit, locutio præcipitata vitiauit; scriptum quippe est: si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti. Rectè namque offertur cùm rectâ intentione quid agitur, sed rectè non diuiditur, si non hoc quod piè agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim rectè diuidere, est qualibet bona nostra studia solicitè discernendo pensare. Sæpe ergo & quod bono studio gerimus dum discernere caute negligimus, quo iudicetur fine nescimus: & nonnumquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.*

Ser. 49. in Cant.

L. 3. Mor. c. 9. & seq.

Sic ante hos omnes Cassianus, aut potius Antonius ille magnus quem refert Cassianus inter omnes virtutes Discretioni primas dedisse, cuius hæc verba sunt: *Hæc namque est discretio quæ oculus & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur, secundum illam sententiam Saluatoris, Lucerna corporis tui est oculus tuus: quod si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: eo quòd ipse cogitationes*

1. Coll. c. 23.

Math. 6.

hominis vniuersas actusque discernens, cuncta quæ gerenda sunt peruideat atque perlustret: quæ si in homine nequam fuerit, id est, non vero iudicio & scientia communita, seu quolibet errore ac præsumptione decepta, totum corpus nostrum faciet tenebrosum, hoc est, omnem aciem mentis actusque nostros reddet obscuros, cæcitate scilicet vitiorum & perturbationum tenebris inuolutos. Si enim, inquit, lumen, quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt? Nulli namque dubium est, errante iudicio cordis nostri & ignorationis nocte possesso; cogitationes quoque & opera nostra quæ ex discretionis deliberatione descendunt, majoribus peccatorum tenebris implicari.

Atque hæc fusius tota collatione secunda confirmantur tum Scripturæ testimoniis, tum multis eorum exemplis, qui, quòd indiscreti essent suis in virtutibus, suas ipsi virtutes in vitia conuerterunt, & suis ipsi vitiis peruersi sunt. Poteſtne dici aliquid magis vituperabile?

II. PVNCTVM.

SED *hoc est in Obedientia magis laudabile, si fuerit indiscreta, quo sensu ipsi sancti Patres intelligunt.*

Ep. ad frat. de monte Dei. Hoc est, inquit sanctus Bernardus, docens perfectam obedientiam esse indiscretam, *hoc est non discernere quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à majore præcipitur. Lignum enim scientiæ boni & mali in paradiso, censura discretionis est; In conuersatione religionis penes Patrem spiritualem qui dijudicat omnia, Ipse verò à nemine iudicatur, Ipsius est discernere; aliorum est obedire. Adam gustauit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait, quare præcepit vobis Deus vt de ligno non comederetis? Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addit: sciebat enim quia qua die comederetis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Ecce vt quid præceptum sit, scilicet quod Deos fieri non sinat. Discreuit, comedit, & inobediens factus est, & de paradyso eiectus est.* Et paucis interiectis de vero loquens obediente; *Stultus*, inquit, *fiat vt sit Sapiens: & hæc omnis sit eius discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio. Hæc omnis Sapientia eius sit, vt in hac parte, nulla ei sit.*

Et post multa: *Propter quod*, inquit, *pia simplicitas, & in professione religionis & solitudinis nouus homo qui non habet vel rationem du-*

centem, vel affectum trahentem, vel discretionem moderantem, sed vi quadam vertitur in semetipsum, tamquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorum Dei quasi manibus alienis faciendus est & formandus in omni patientia, & in rota volubilis obedientiæ, & in igne probationis suæ Plasmatoris & formatoris sui voluntati & arbitrio subdendus. Nam etsi callet ingenio, si viget arte, si præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri, uti eo in bono, quo & in malo uti potest, quia hoc primum virtutis opus est. Ingenium corpus adoptet, ars naturam informet, & intellectus non elatum faciat animum sed docibilem. Et contra quosdam minus quam deceret obedientes, *Non est*, inquit, *obedientia eorum plena: non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt Eum qui non suam sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant Imperanti.* Et nonnullis interiectis, ad hæc de Paulo verba: *Et apertis oculis nihil videbat, Fœlix cæcitas qua male quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuersione oculi salubriter excæcantur.* Serm. 1. de Conuers. S. Pauli.

Sic sanctus ille Gregorius vbi de puero Samuele agit: *Puer*, inquit, *humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit, quid aliud nobis exemplo prabet nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omnis vitæ suæ iudicium Maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat:* Et post pauca: *Præceptum namque in hoc solo pensari debet, quod Maioris præceptum est, & qui obedientiæ bonum exequitur non iniunctum opus debet considerare sed fructum: quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propria, & executio alienæ voluntatis.* L. 2. in libr. Regum. c. 4.

Sic denique qui suprà idem ipse Cassianus sic vere obedientes Superiori describit, *vt vniuersa compleant quacumque fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cœlitus edita, sine vlla discussione festinant: vt nonnumquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea aut consummare nitantur, & ne impossibilitatem quidem præcepti pro sui Senioris reuerentia metiantur.* Et ibidem longinquo pòst capite: *Quartum hoc*, inquit, *præ omnibus excole quod hæc quæ supra diximus tria ornet atque commendet. Id est, vt stultum te secundum* De Instit. Ren. l. 4. c. 10. Ibid. c. 41.

hominis vniuersas actusque discernens, cuncta quæ gerenda sunt peruideat atque perlustret: quæ si in homine nequam fuerit, id est, non vero iudicio & scientia communita, seu quolibet errore ac præsumptione decepta, totum corpus nostrum faciet tenebrosum, hoc est, omnem aciem mentis actusque nostros reddet obscuros, cæcitate scilicet vitiorum & perturbationum tenebris inuolutos. Si enim, inquit, lumen, quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt? Nulli namque dubium est, errante iudicio cordis nostri & ignorationis nocte possesso, cogitationes quoque & opera nostra quæ ex discretionis deliberatione descendunt, majoribus peccatorum tenebris implicari.

Atque hæc fusius tota collatione secunda confirmantur tum Scripturæ testimoniis, tum multis eorum exemplis, qui, quòd indiscreti essent suis in virtutibus, suas ipsi virtutes in vitia conuerterunt, & suis ipsi vitiis peruersi sunt. Poteſtne dici aliquid magis vituperabile?

II. PVNCTVM.

SED hoc est in Obedientia magis laudabile, si fuerit indiscreta, quo sensu ipsi sancti Patres intelligunt.

Ep. ad frat. de monte Dei. Hoc est, inquit sanctus Bernardus, docens perfectam obedientiam esse indiscretam, *hoc est non discernere quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à majore præcipitur. Lignum enim scientiæ boni & mali in paradiso, censura discretionis est; In conuersatione religionis penes Patrem spiritualem qui dijudicat omnia, Ipse verò à nemine iudicatur, Ipsius est discernere; aliorum est obedire. Adam gustauit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait, quare præcepit vobis Deus vt de ligno non comederetis? Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addit: sciebat enim quia qua die comederetis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Ecce vt quid præceptum sit, scilicet quod Deos fieri non sinat. Discreuit, comedit, & inobediens factus est, & de paradyso eiectus est.* Et paucis interiectis de vero loquens obediente; *Stultus*, inquit, *fiat vt sit Sapiens: & hac omnis sit eius discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio. Hac omnis Sapientia eius sit, vt in hac parte, nulla ei sit.*

Et post multa: *Propter quod*, inquit, *pia simplicitas, & in professione religionis & solitudinis nouus homo qui non habet vel rationem du-*

centem, vel affectum trahentem, vel discretionem moderantem, sed vi quadam vertitur in semetipsum, tamquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorum Dei quasi manibus alienis faciendus est & formandus in omni patientia, & in rota volubilis obedientiæ, & in igne probationis suæ Plasmatoris & formatoris sui voluntati & arbitrio subdendus. Nam etsi callet ingenio, si viget arte, si præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri, vti eo in bono, quo & in malo vti potest, quia hoc primum virtutis opus est. Ingenium corpus adoptet, ars naturam informet, & intellectus non elatum faciat animum sed docibilem. Et contra quosdam minus quam deceret obedientes, *Non est*, inquit, *obedientia eorum plena: non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt Eum qui non suam sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant Imperanti.* Et nonnullis interiectis, ad hæc de Paulo verba: *Et apertis oculis nihil videbat, Fœlix cæcitas qua male quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuersione oculi salubriter excæcantur.* Serm. 1. de Conuers. S. Pauli.

Sic sanctus ille Gregorius vbi de puero Samuele agit: *Puer*, inquit, *humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit, quid aliud nobis exemplo præbet nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omnis vitæ suæ iudicium Maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat:* Et post pauca: *Præceptum namque in hoc solo pensari debet, quod Maioris præceptum est, & qui obedientiæ bonum exequitur non iniunctum opus debet considerare sed fructum: quia ad promerenda æterna vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis.* L. 2. in lib. Regum. c. 1.

Sic denique qui suprà idem ipse Cassianus sic vere obedientes Superiori describit, *vt vniuersa compleant quæcumque fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cœlitus edita, sine vlla discussione festinant: vt nonnumquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea aut consummare nitantur, & ne impossibilitatem quidem præcepti pro sui Senioris reuerentia metiantur.* Et ibidem longinquo pòst capite: *Quartum hoc*, inquit, *præ omnibus excole quod hæc quæ supra diximus tria ornet atque commendet. Id est, vt stultum te secundum* De Instit. Ren. l. 4. c. 10. Ibid. c. 41.

Apostoli sententiam facias, in hoc mundo, vt sis Sapiens: Nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his quæ tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud vtile, illud Sapiens esse iudicaris, quidquid tibi vel
Collat. 18. c. 3. *Lex Dei, vel Senioris examen indixerit.* Itemque in Collationibus: *Cæterùm*, inquit, *numquam rationem Veritatis intrabit quisquis à discussione cæperit erudiri, quia videns eum Inimicus suo potius quam Patrum iudicio confidentem, facile in id vsque propellit, vt etiam illa quæ maxime vtilia atque saluberrima sunt, superflua ei videantur & noxia. Atque ita præsumptioni eius callidus hostis illudit, vt irrationabilibus definitionibus suis pertinaciter inhærendo, hoc solummodo sibi sanctum esse persuadeat, quod rectum atque iustissimum suæ tantum obstinationis errore censuerit.*

Nonne hoc est aperte dicere non minus discretione perire obedientiam & animam, quam aliæ pereant Indiscretione virtutes? ac proinde non minus hoc esse laudabile in obedientia si fuerit indiscreta, quam in cæteris virtutibus hoc esset vituperabile?

III. PVNCTVM.

HINC ergo manifestè patet proposita Veritas, quæ si pluribus confirmanda esset, sanctus Ioannes Climacus in illo quem scripsit libro de Scala Paradisi gradu 4. de obedientia: & gradu 31. de discretione, sat multa suggerit, ex quibus pauca hæc sint instar omnium: *Obedientia*, inquit, *est inexaminatus atque indiscussus motus, tuta nauigatio, securum periculum, confectum dormiendo iter, sepulchrum voluntatis, nihil discernis, nihil resistit. Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis.* Quæ postrema sententia valde notanda est, simul enim conjungit & concordat quæ inter se videbantur diffidere, cum discretio tantopere commendaretur, ac culparetur, vt nec abesse ab obedientia, nec illi posse adesse censeretur. Sic tamen vtrumque præclare conuenit, quando de obedientia dicitur, quod *sit discretionis depositio inter diuitias discretionis*; non enim discretionem perdit obediens, sed deponit; sicut si quis pecuniam suam deponeret apud aliquem valde fidelem, non haberet apud se pecuniam, sed apud alium; sic suo quodam modo qui obedit in rebus etiam intellectui repugnantibus, discretionem suam deponit apud illum à quo iubetur; discretio-

rem, qua iudicaret non ita esse faciendum, commutat cum Illo qui aliter iudicat, & qui rem imperat. Indiscretus est, vt sit discretus: Indiscretus est secundum quoddam corruptæ naturæ iudicium, vt sit discretus sano, & recto rationis consilio. Quòd si abundare videtur rationibus contra id quod iubetur, ecce vbi viget, vbi vincit & triumphat Obedientia, cùm inter falsas illas humanæ discretionis diuitias deponit hanc discretionem, & obedientem proprio denudat iudicio vt hoc vnum quod Superior iudicat & imperat, sic ille iudicet & exequatur.

Aut si, quod verius est de veris diuitiis illud Climaci dictum mauis interpretari, sic obedientia dicenda est discretionis depositio inter diuitias discretionis, Id est, inter multiplices & eximias illas rationes licet latentes, vel quibus abundat Superior, vt id quod iubet, iubeat, vel quibus abundat Inferior vt id agat quod iubetur, etiam contra proprium sensum: quod est apud Apostolum, *locupletari & abundare in omnem simplicitatem*. Sic Diuus Thomas exponens quo sensu dixerit sanctus Benedictus etiam tentanda esse impossibilia, quæ à Superiore iuberentur, *Quia*, inquit, *an aliquid sit possibile subditus non debet suo iudicio definire, sed in vnoquoque iudicio Superioris stare*. Sic Diuus Basilius: *de Iudicij periculo, prorsus illum esse solicitum finito, qui imperat.* 2 Cor. 9. 1.2 q.13.a 5 In reg. fusior. c.28.

Quamobrem, vt ad praxim deueniatur, vide quanti facias Obedientiam, quid de hac virtute iudices, vtrum sit prudentius obedire, vel non? Nisi fueris filius Belial, id est, absque iugo, non dubitabis profecto affirmare, longè id esse melius, sapientius, & salubrius obedire. Sed persuasum habe, non esse aliud obedire, ac indiscretum esse, quo sensu dictum est; si times hanc discretam indiscretionem, times veram obedientiam. Quid est quod obedientiam profiteris & diligis, nisi vt perfectè viuas? sed quomodo perfectè viues in obedientia, nisi & ipsa perfecta fuerit obedientia? Quomodo autem perfecta, si discreta tuo sensu, si discernas quis iubeat, vel quæ iubeat; vel quo motiuo, vel similia, quæ occurrunt discretis istis viris, contra quos apte sanctus Bernardus quæ tibi diligenter applices: *Imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis Iudicium est, Statuta Seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibuscumque rationem, & male suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit, nec vmquam libenter audire nisi cùm audire contigerit quod fortè libuerit, aut quod non aliter* L. de præcepto & disp. c. 13.

licere seu expedire monstrauerit vel aperta ratio vel indubitata auth tas. Delicata satis, imo nimis molesta huiuscemodi obedientia. Non ne hæc illa est quæ ex regula traditur, OBEDIENTIA SINE MO Disputare profectò hoc est in actu cordis, non in auditu auris obedire.

Verùm hoc ante præuidisse debueras, quò turris huius euangelicæ prius iaceres fundamenta, quàm sedens computares si haberes sum ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi vt aut correctus obe Senioribus: aut confusus audias ab Illusoribus: Hic homo cæpit ædifi & non potuit consummare?

Vide in 2. parte, Fer. 4. octauæ Ascensionis, vbi hæc exhib Veritas:

Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem qua suæ inobedientiæ.

In 3. p. Sabbato Hebdom. 9. ad hanc ibi expositam Veritatem:

Quo magis est oculata Concupiscentia, magis est cæ

Sic vero in oppositum apte formari posset Veritas, atq; ex dictis probari:

Quo magis cæca est obedientia, magis est oculata

FERIA QVINTA.

INGREDIENTI DOMINO I CIVITATEM TVRBAE OCCVRRVNT CVM PALMIS, ET FAVSTA OMNIVM ACCLAMATIONE.

Ozanna filio Dauid: Benedictus qui venit in mine Domini: Ozanna in excelsis. Math. 21.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Nisi Cor, Lingua, & Manus ad Deuotionem simul conspirent, ipsa expirabit Deuotio.

RATIO EST, *Quia tunc dicitur expirare Deuotio, quando proprium illum suum non producit effectum, quo nos totos Deo deuouet, & addicit.*

Sed nisi Cor, Lingua, & Manus ad deuotionem simul conspirent, non producet illum suum effectum.

Ergo & ipsa expirabit Deuotio: seu potius ne deficiat, & expiret, procuranda sunt diligenter illa tria, de quibus expressè propterea sanctus Bernardus sermonem instituit.

I. PVNCTVM.

IN hoc celeberrimo Christi triumpho, qui à quatuor Euangelistis fuse describitur, iamque à Prophetis longè ante denuntiatus erat, & in Agno Paschali per vrbem sic festiuè cum ramis deducto figuratus: quàm sint omnia mira & consideratione dignissima, nemo non videt.

Contemplare aliqua pro affectu; Admirare Dominum asinæ insidentem, plorantem in tali triumpho, prædicentem vbi exitium, Turbas præcedentes, & sequentes cum palmarum ramis; omnes vno ore, vna mente acclamantes *ozanna*, quæ vox erat lætitiæ, & fausta precantium; Discipulos & alios Ciues sua vestimenta substernentes, solos Iudæos inuidia tabescentes, & infrendentes. Quorsum hæc omnia post aliquot dies crucifigendo? Nempe vt indicaret se libentem volentem moriturum, se Dominum & Regem hominum, à quibus quando vellet coleretur, & à quibus si malè aliquando tractaretur non nisi permissu suo id euenturum. Denique vt disceres ab his turbis, quæ profectò diuinitùs edoctæ sunt, veram deuotionem. Vide attentiùs quàm mirè tria hæc simul conjungant *Cor, Linguam, & Manus*. Cor videlicet in ardenti illo affectu quem certatim demonstrant ad Christum

quàm possunt honorificè recipiendum; Linguam vero in faustis acclamationibus; Ac denique manus & opera in cædendis nobilissimarum arborum ramis, iisque palam proferendis nullo metu Iudæorum, qui cauerant ne quis eum vt Prophetam haberet; nullo Herodis, nullo Præsidis, aut Præsidiarij timore militis, qui in vrbe nouum Regem audiebant renuntiari. Hæc est scilicet vera Deuotio, nec aliter vera, nisi cùm illa tria simul concurrunt, & concordant.

Ratio est euidentissima, quæ ab ipsa Deuotionis natura & nomine depromitur. Quid est enim Deuotio? Vnde huic virtuti nomen? Respondet sanctus Thomas his verbis: *Deuotio dicitur à deuouendo; vnde Deuoti dicuntur qui seipsos quodammodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant, propter quod & olim apud Gentiles deuoti dicebantur qui seipsos Idolis deuouebant in mortem, pro sui salute exercitus, sicut de duobus Deciis Titus Liuius narrat. Vnde deuotio nihil aliud esse videtur quàm voluntas quædam promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum; vnde Exodi trigesimo quinto dicitur, quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque deuota primitias Domino.*

2. 2. q. 82. a. 1.

l. de Abraham Patriarcha.

Sic antè pridem inter alios insigniter sanctus Ambrosius deuotionem expresserat exemplo Patriarchæ Abrahami, cuius tria præcipue facta commemorat, in quibus sigillatim ostendit, huius virtutis hunc proprium esse actum seu effectum, quo se homo totum, suaque omnia Deo donat & consecrat.

Gen. 12.

Primum est cùm iussus fuit Abraham è terra sua egredi; quo de egressu sic Sanctus ille Doctor: *Itaque cuiusmodi fuerit in eo Viro deuotio consideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum, meritoque hanc ab eo primam exegit Deus, dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui. Satis fuerat, dixisse de terra tua, ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo. Sed ideo addidit singula vt eius affectum probaret,* Id est, vt quàm deuotus esset, significaret, deserendo sua omnia, vt se totum Deo daret; sic enim pergit sanctus Ambrosius: *Coaceruanda fuerunt præcepta ne quid lateret, proponenda præmia ne forte desperaret. Tentatur vt fortis, incitatur vt fidelis, prouocatur vt iustus, meritoque exiuit quemadmodum locutus est illi Dominus:* Et paulo pòst in moralem sensum illa coaceruata præcepta conuertens: *Consideremus*, inquit, *ne forte hoc sit exire de terra sua, de huius terræ, hoc est de*

de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiuit Paulus qui dixit, nostra autem conuersatio in cœlis est: & de illecebris & delectationibus corporalibus, quas velut cognatas animæ nostræ dixit, quam compati necesse est corpori, donec eius colligata vinculo adhæret. Ergo exire de conuersatione terrena, & à sæcularibus oblectamentis, & superioris vitæ moribus atque actibus debemus, vt non solum loca sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adhærere Christo, deseramus corruptibilia, Id est, nulla re terrena & humana detineamur quin ex totis nobis, Dei simus.

Secundum Abrahami factum, quod sanctus Doctor affert in exemplum veræ deuotionis, hoc est quando fame vrgente descendit in Ægyptum cum Sara coniuge. *Pulcherrimus*, inquit, *& hic locus ad incitanda studium deuotionis quod is qui Deum sequitur, tutus semper est. Et ideo Deum debemus præferre omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum filiorumque gratia, nec vxoris contemplatione reuocari debemus ab exequutione præceptorum cælestium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Itaque magnum exemplum deuotionis Abrahæ quod cum vxore speciosa descendit in Aegyptum. Erat quidem iusto viro cura conjugalis pudicitiæ, sed majus erat studium maturandæ deuotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cælestibus. Itaque quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia.* Gen. 12.

Tertium denique factum Abrahami est, cùm filium suum ad holocaustum iussus offerre, *Non post dies*, inquit sanctus Ambrosius, *vt Cain obtulit, sed exurgens manè strauit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidens ligna ad holocaustum surgens abiit; & venit ad locum quem dixerat ei Deus die tertia. Primo aduerte immolantis studium maturum atque festinum, vt mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde vt sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet, & sacrificio necessaria prepararet*; Quasi diceret sanctus Doctor, In hoc vno Abrahami facto tria continentur quibus manifestè Patriarcha indicauit, quàm se totum daret deuotioni, seu potius quàm se totum deuotione daret Deo. Primum est quòd filium suum Isaac, in quo habebat omnia, libenter Deo voluerit immolare. Secundum est, quod in hoc peragendo sacrificio nullam interposuerit moram, sed ipso, quo iussus est, momento temporis se ad iter accinxit, quasi qui nulla re detineretur quin totus esset Dei, licet L. de Cain & Abel c. 8. Gen. 22.

multa eum humanitùs detinere possent.

Tertium est, quod tametsi multos habebat seruos, quorum asinam sternere, ligna concidere, & alia sacrificio necessaria parare, nihil tamen horum seruis reliquit, sed ipse vnus o peragens nulla in parte perficiendo sacrificio deesse volui qua pars sui esset, ex qua totus non esset Dei.

O vere Virum fidelem qui se non minus in holocaustum De tum immolauit, quàm filium! O vere magna virtus Deuotio tales viros facit.

II. PVNCTVM.

SED nisi Cor, Lingua, & Manus ad deuotionem simul conspirent, Deuotio non producet hunc effectum, Deuotio non totum hominem dabit.

Nam nisi sit ipsa tota & completa deuotio, quomodo to hominem Deo dabit? Nonne qua parte ipsa deficiet, defect effectum redundabit? Nonne idcirco dictum à Domino, *quo* Math. 7. *nis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fruct cit*, quasi diceret, vt habet interlinearis: *à radice fructus pullulat*, qualis est causa, talis effectus: si manca, si dimidia qua parte deficiens deuotio, non alius ab illa est expectandus ctus, quam deficiens, non alium Deo dabit hominem, quà midiatum, & aliqua sui parte destitutum.

At vero quis nesciat non posse dici totam & completam deuotionem, nisi totis constet suis partibus? Quis autem ig has eius esse partes, quæ his tribus humani corporis membris *de, lingua, & manu*, designantur, nempe cogitationes, verb opera? Quis non videat, quis non in se sentiat se in his t exercendum, si deuotionem exercere velit? Quis alioquin au se deuotum profiteri, si vel nullas corde pias motiones & co tiones sentiat; vel nullis ore possit preces fundere, nulla de nulla de diuinis verba rebus se posse promere; vel nulla der pietatis opera se posse operari, aut nisi cum nausea, cum t nisi renitentem & inuitum? Quis inquam non modo in his tribus qui deficiat, sed qui seorsum in vno desit aut altero, n agnoscat & fateatur tam longè alienum à vera deuotione, vera Deuotio non potest esse nisi tribus istis in partibus?

Digitized by Google

Licet enim Deuotio possit esse alia Cordis, alia Linguæ, & alia quædam Operum, neque simul hæ tres actu semper conjungantur; si tamen illa quæ linguæ aut operum diceretur deuotio, non aliquid participaret ex illa quæ esset Cordis; putasne quod esset vera deuotio? Putasne quod non esset illa hypocrisis, & simulata deuotio, propter quam dicebat Dominus: *Hypocritæ, bene de vobis prophetauit Isaias, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me?* Quod si etiam sola esset Cordis deuotio, nec vlla linguæ, vel operum ederetur, quando interdum sese daret eius exercendæ opportunitas vel publica, vel priuata, vt in templis frequentandis, in Sacramentis adeundis, & aliis Christianæ religionis muneribus excolendis, putasne quod illa cordis deuotio, vera esset deuotio? Nonne hoc hæreticum sapit, & impium, qui nulla templa recipiat, nullum sacrificium, nullas publicas preces, nullos religiosæ disciplinæ ritus, nullas ceremonias: totum corde, totum intus in animo, nihil extra prodatur? Et vbi vox Apostoli, *obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, Gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Ac paulo post: *Volo vos ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* Id est, toto corpore ad pietatem rite composito, secundum communem & ab omni Ecclesia probatum orandi morem, non ex vana quadam complacentia, vel prauo quouis affectu; sed purè propter Deum, leuando simul mentem & manus, vt exterior corporis species sit internæ figura puritatis. Atque in hoc situ & habitu sic omnes consentire velim, nullus vt omnino dissentiat.

Math. 15.

1. Tim. 2.

Ibid.

Non semper autem ista exterior exercetur deuotio, sed semper vera deuotio paratum reddit hominem ad illam exteriorem exercendam, quando id Ratio siue Religio postulabit, aut non est vera deuotio, nec totum proinde hominem Deo subjiciet.

Quod egregiè Diuus Thomas illustrat & confirmat cùm ad illa quæ possent objici contra quæ dixit & quæ supra commemorata sunt de proprio deuotionis actu & effectu, sic respondet: *Cùm deuotio sit actus voluntatis hominis seipsum offerentis Deo ad ei seruiendum qui est vltimus finis, consequens est quod deuotio imponat modum hu-*

2. 2. q. 82. a. 1. ad 4.

manis actibus, siue sint ipsius voluntatis circa ea quæ sunt ad finem; siue etiam sint aliarum potentiarum quæ à voluntate mouentur. Et pau-
ad 2. lo post: *Deuotio*, inquit, *inuenitur in diuersis generibus actuum, non sicut species illorum generum, sed sicut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium.* Id est, vna est virtus, Deuotio, quæ quidquid corde, lingua, & opere circa Dei cultum exercetur, ipsa vna efficit si non actu semper, saltem virtute, ac propterea modum etiam ita imponit humanis actibus, vt nihil homo agat, quod deuotioni repugnet; & ea omnia sit paratus agere, quæ illa virtus exiget. Cum enim humani actus, siue boni siue mali sint, tribus hisce tantum modis fiant, vel cogitando, vel loquendo, vel operando vt
1.2. q. 72. a. 7. expresse idem sanctus Doctor docet, & ipsa satis comprobatur experientia, nonne quando dicit deuotionem imponere modum humanis actibus, perinde est ac si diceret imponere modum cordi, linguæ & manibus, imponere modum cogitationibus, verbis, & operibus; sicque hominem Deo subjicere; ac consequenter nisi tria illa conspirent ad deuotionem, deuotionem non esse veram, nec posse illum suum effectum producere, quo fit homo totus Dei.

Quod & Diuus Bernardus fructuosè prosequitur in illo sermone quem scripsit de triplici custodia manus, linguæ, & cordis: *Omnes,* inquit, *nobis causamur deesse gratiam, sed iustius forsitan ipsa sibi queratur gratia deesse nonnullos. Nempe res cordis est, gratia deuotionis ista quam quærimus; & hoc munere ipse se fraudat qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterum vnde illi cura cordis, cui ne ipsa quidem adhuc oris circumspectio, seu manus custodia subest? Non sibi deesse miretur consummationem qui nec initium apprehendit: sed ne is quoque qui initium iam tenere videtur, si ad medium non peruenit.* Quasi diceret sicut ad domum ædificandam tria hæc; *fundamentum, parietes, & tectum,* sunt ita necessaria, vt non sit domus, nisi tribus his constet: sic nec vera deuotio nisi tribus his rite custoditis, *manu, lingua, & corde.* Videri possent quæ plura perse-
2. Macch. 1. quitur: Et hæc tria magnifice continentur his sacris verbis: *Det vobis* (Deus) *cor omnibus vt colatis eum & faciatis eius voluntatem, corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.* Quæ ad cultum Sanctissimi Sacramenti Diuus Thomas sic applicat: *Recedant vetera, noua sint omnia, Corda, voces, & opera.*

III. PVNCTVM.

HOC ipsum est igitur, quod habet Veritas: *Nisi Cor, lingua, & manus ad deuotionem simul conspirent, ipsa expirabit deuotio.* Diuersa est similitudo, sed ipsa prorsus res eadem; Nam quod est domum destrui, hoc est animam expirare; & sicut vtrumque illud accidit defectu partium, quibus & domus constat, & quoduis animatum; sic plane deuotio ruat & expiret necesse est, si aliqua trium illarum partium ipsi desit. *Nomen habes quod viuas & mortuus es. Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant.* Apoc 3.

Vix vlla est alia virtus, in qua magis decipiantur homines quàm vera deuotio. Non est quod putant, multum orare, multum affici, multa scire de diuinis, vel multa de his loqui: sed hoc vnum vel maxime, *TOTVM ESSE DEI, totum corde, lingua & manu;* quod quia nisi recte meditando comparatur, paucique sunt qui se rectis addicant meditationibus, idcirco tam pauci sunt qui non modo verè sint deuoti, sed quid sit esse deuotum vix sciant. Hinc apte Diuus Thomas expresso docet articulo deuotionis causam esse meditationem, *Dictum est enim,* inquit, *quod deuotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo promptè se tradat ad diuinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit eò quod bonum intellectum est obiectum voluntatis. Vnde & Augustinus dicit in libris de Trinitate quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est quod meditatio sit deuotionis causa inquantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat diuino obsequio.* Tum post multa concludens articulum de viris doctis, qui sat multa considerant & meditantur nec tamen deuoti sunt, sic opportunè respondet hoc ita fieri, quòd *elati sua doctrina non se Deo totaliter tradant, si tamen,* inquit, *scientiam & quamcumque aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat, ex hoc ipso deuotio augetur.* Quasi diceret, totum est in se subdendis Deo. Si se melius Deo subdant indocti quam docti viri, certe indocti præstant deuotione doctis: sed si viri docti se suamque doctrinam Deo subdunt, tunc docti præstant aliis, non quòd sint doctiores, sed quòd doctrina recte vtantur, dum se recte Deo subdunt. 2. 2. q. 82. a. 3.

O quàm aptè propterea dictum à Psalte Regio, *Subditus esto Domino, & ora eum:* quasi diceret, nil putes alioquin te agere, quid- Ps. 36.

quid ores, nisi te prius Deo subdas, aut nisi ores, & mediteris, vt discas quomodo te oporteat subiectum esse Deo. Tam multa sunt enim, quæ si tantisper considerentur, nobis persuadeant hanc perfectam subiectionem, vt vel arguaris si non ea consideres: vel si consideres, teipsum arguas & dicas, *Nonne Deo subiecta erit anima mea? Veruntamen Deo subiecta esto anima mea. Quantumcumque accedam,* inquit ibi summus Doctor S. Augustinus, *quantumcumq; ascendam, quantumcumq; transiliam, sub Deo ero, non contra Deum. Securus ergo transcendo cætera, quando Ille me sub se tenet, qui est super omnia.*

Ps. 61.

FERIA SEXTA.

DE PVERIS SIMVL CVM VIRIS, ET SEORSVM CLAMANTIBVS Ozanna filio Dauid.

Ex ore Infantium & lactentium perfecisti laudem. Ps. 8. Math. 21.

VERITAS PRACTICA.

Sic sibi Christus placet in pueris, vt si pueros imitentur Viri, magis sibi Christus in viris placeat.

RATIO EST, Quia magis sibi Christus placet in vera virtute quam in non vera.

Sed si pueros imitentur viri, vera est virorum virtus, cum puerorum virtus non sit vera.

Ergo sibi magis Christus placet in viris quàm pueris, vnde est viris motiuum efficax, vt, in quo pueros Christo placere vident, eos imitentur.

I. PVNCTVM.

QVAS Christo Domino Pueri dederunt laudes, singularem merentur admirationem & discursum, ob hæc tria præcipuè. Primò quia laus ab Infantibus & pueris Christo data Diuinitatis eius testimonium perhibebat nobilius, quàm quæ à cæteris dari poterat; nam quòd virum laudabilem ratione prædití collaudarent nonnisi naturale & humanum videretur: sed quòd pueri & Infantes, qui nec naturaliter loqui, nec viros laude dignos agnoscere poterant, ita tamen Christum laudent, vt vox illorum præ cæteris audiatur, nonnisi miraculo, diuinæque potentiæ referri potest. Vnde vbi ex Psalmo legitur, *ex ore Infantium & lactentium perfecisti laudem*, alia versio habet, *Ex ore Infantium & lactentium fundasti fortitudinem*, vel, *constituisti robur*. Quasi diceretur, vt interpretatur sanctus Chrysostomus; *Potentiam tuam ex hoc maxime ostendisti quod infantium linguas commoueris ad laudes tuas celebrandas.*

Secundò, magis mira est hæc à pueris Christo data laudatio, quia magis fuit constans & producta longiùs, non enim solùm cum viris laudes suas adiungebant, quando Christus per vrbem incedebat triumphanti similis, sed in ipso templo magnificos celebrabant choros; & postridie cum Dominus in vrbem rediit, soli dicuntur pueri diuinas illas voces, *ozanna filio Dauid*, decantasse, quod Pharizæis tam acerbum erat audire, vt de hoc maximè cum Christo expostularent.

Tertiò denique cùm inter Iudæos illos, qui Christo laudes decantabant, pauci admodum, & vix vlli essent, qui puritatem mentis colerent, vitia vero sectarentur omnes; parum erat Christo talis accepta laus, quæ à puro non fundebatur pectore. Nec tamen laudes tali die sibi datas abnuebat; quamobrem pueros excitauit, vt quandoquidem laudandus erat, sic à puris laudaretur linguis & mentibus. Nesciebant certe infantes quid loquerentur, vnde ex hac parte laus ab illis profecta minus honorifica censeri posset: sed quia tamen à puro profectò laus erat organo, malebat Christus hoc laudandi sui genus, malebat ab imperitis, si puri essent, se laudari; quàm à peritis & quibusuis aliis, qui non ita puri essent.

O præclarum Viris documentum, & motiuum profectò e
ad colendam illam puerorum puritatem, quâ Christo pla
siue dum illum dictis colunt, siue dum factis celebrant & hon
*Nam si tantopere Christo placuit puerorum puritas, quantò mag
rorum?*

Aperta est enim, & valde consideranda ratio, cur ratione
diti magis Deo placeant, si puerorum puritatem habeant,
ipsi puri pueri nondum humanæ compotes rationis. Quid
manifestius, quàm quod Christo magis placeat vera virtus,
If. 11. non vera? Nonne ille est, de quo speciatim dicitur, quod *n
cundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum a
arguet*; Id est, non errabit in discernendis rebus, sed quod v
est à non vero discernet, & approbabit? Nonne ille est qu
Ioan. 7. vehementer illud vrgebat: *Nolite iudicare secundum faciem,
stum iudicium iudicate.* Nam quid est iudicare secundum fa
nisi apparentia pro veris sumere? Quid iustum iudicium iud
nisi quæ sola vera sunt, æstimare? Nonne ille est de quo ait
2. Cor. 1. stolus, *quod in Eo non fuit EST & NON, sed EST in ill*
quod est videlicet in Veritate, & reipsa; non autem quod ta
est? Nonne Ille est de quo illud apud Patres celebre refert
ctum: *Estote boni trapezitæ siue numularij*: hoc est periti reru
matores & iudices vt sicut adulterinum à vero numum, sic
à non vera virtutem dijudicetis & probetis? Credine vero
quod in illo non perfectum & absolutum fuerit, quod in
optabat?

II. PVNCTVM.

*SED si puerorum puritatem imitentur Viri siue adulti, Vera
erit in viris, quæ non est vera in pueris.*

2. Ethic. 6. Nam cùm ad veram virtutem, quæ definitur habitus Ele
in mediocritate consistens, requiratur discretio, & illa iudic
turitas, quæ bonum à malo, & verum à falso capax est sel
&, quæ in solis adultis reperitur, quis non videat in istis etia
lis veram esse posse virtutem?

Nonne hoc est quod expresse tradunt omnes sancti Pat
Math. 18. illa Christi Domini verba, *Nisi conuersi fueritis & efficiamin
paruuli.* Nempe vt sitis tales per virtutem, quales sunt pue
nat

Digitized by Google

naturam. Non quod æqualis omnino puritas requiratur ad virtutem, sed qualis illa cumque sit, tam vera virtus erit, quàm propiùs ad naturalem puerorum puritatem accedet, si ex rationali affectu comparetur & exerceatur.

Non præcipitur Apostolis, inquit sanctus Hieronymus, vt ætatem habeant paruulorum, sed vt innocentiam; & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam; vt malitia, non sapientia paruuli sint. Et ad verba: *Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum:* sic idem sanctus Doctor, signanter dixit, talium, non istorum, vt ostendaret non ætatem regnare, sed mores, & his qui similem haberent innocentiam & simplicitatem, præmium repromitti: Apostolo quoque in eandem sententiam congruente: Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. Sic & sanctus Ambrosius exponens eadem Christi verba: *Sinite pueros venire ad me.* Atqui ætas hæc, inquit, infirma est viribus, inualida ingenio, immatura consilio. Non ergo ætas præfertur ætati, alioquin obesset adolescere. Quid votis opus est vt æui maturitas consequatur, si mihi meritum regni demptura cœlestis est? Ergo Deus vitæ processum ad vitia dedit, non ad incrementa virtutis? Cur autem pueros aptos regno dicit esse cœlorum? fortasse quia malitiam nesciant, fraudare non norint, referire non audeant, scrutari ignorent opes, honorum ambitionem non appetant. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. Non enim virtutis est, non posse peccare, sed nolle; atque ita tenere perseuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imitetur naturam. Quod & alibi repetens: In hoc, inquit, melior est Christi infantia quam naturæ. Illa enim peccare nescit, ista contemnit: illa per infirmitatem innoxia est ista est innocens per virtutem. Atque ideo laudi magis ascribendum est, non tam malefacere non posse quam nolle. Quasi diceret, Esto sit aliquid naturale illud quod habent pueri vt puri sint, non est tamen illud quod habent viri dum puri esse volunt: tantumque differt vnum ab altero quantum vera virtus à non vera. Virtus quidem esse videtur in pueris sed non est vera virtus, non est voluntatis, non est electionis, non est rationis, non est singula cognoscentis actio, sed virtutis quoddam simulachrum, quædam prolusio, quædam forma & figura, qualem & ipsæ animantes belluæ præ se ferunt &

Math. 18.

1. Cor. 14.

Luc. 18.

Ser. 33.

nobis ad imitandum proponuntur: *Vade ad formicam ô piger & considera vias eius, & disce sapientiam.* Disce veram à non vera; sicut à picta & non vera domo vera domus ædificari discitur.

III. PVNCTVM.

SIC verò patet quàm verè dictum sit, *quod si Christus sibi placeat in pueris quòd puri sint, longe magis sibi placet in viris aut adultis, qui puerorum puritatem imitentur*; quia scilicet hæc Virorum puritas, vera est virtus, non autem puerorum, qui *sensum non habeant ad discretionem boni ac mali,* veram autem virtutem à Christo magis diligi quàm non veram, tam facile est intelligere quàm si diceretur virtutem supra id omne, quod non est virtus, à Christo diligi, cùm reuera non sit virtus quæ non est vera virtus; Quis porro nescit & Christum magis diligere, quod est magis diligendum; & id esse magis diligendum quod est melius bonum; atque id denique melius esse bonum quod est virtus, quàm quod virtus non est? Quid est enim præter virtutem, in omni rerum natura, nisi rerum natura, quæ qualecumque bonum sit, & à Deo dilectum, quia quæ fecit Deus diligit, non est tamen non est eius generis & ordinis bonum, cuius est virtus, si maxime Christiana virtus sit, de qua hîc solâ loquimur.

Hebr. 5.

Sap. 11.

Non cunctis naturæ bonis daretur in præmium vel minimus gloriæ gradus: at minimo virtutis gradui tota debebitur, & tota reddetur cœlestis Gloria. Non pro tota rerum natura reparanda Christus venisset, nec propterea quidquam fecit; at pro vno Christianæ virtutis actu à nobis exercendo totum Christus profudit sanguinem. Non si Mater ipsius Christi, si quod est naturæ tantùm in Illa consideres, non ipsa Christi maternitas comparetur cum vno veræ virtutis actu. *Quæ mihi mater, aut qui fratres,* aiebat ipse Dominus, *quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quasi diceret, hoc est quod pluris facio. Qua de re alibi fusius.

Matth. 12.

In 2. p. Die 20. Martij.

Hinc autem ad praxim tria referes. Primum, cæteris omnibus virtutem anteponas. Secundum, præ cæteris virtutibus Puritatem infantilem colas, qua Christo maxime placeas. Tertium, quia in viris etiam virtus non vera, sed apparens, aut inchoata tantum, aut manca & modica reperitur, vt illi exprobratur cui dicitur,

Scio quia modicam habes virtutem, sit vera virtus tua, virtus robusta, virtus constans & integra, quæ omni vitio tam seuere opponatur, quàm omni Fides errori: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum & simulationes & inuidias, & omnes detractiones sicut modo geniti infantes lac concupiscite, vt in eo crescatis ad salutem.* Vide in 2. parte, Dominica in Albis quæ est octaua Paschæ. Et in hac 4. parte: Feria 2. Hebdomadæ 16. Apoc. 3. 1. Pet. 2.

SABBATO.

DE QVIBVSDAM GENTILIBVS, IESVM VIDERE VOLENTIBVS.

Domine, volumus Iesum videre. Ioan. 12.

VERITAS PRACTICA.

Si forte times Mediatorem Christum, non ille timet alios mediatores.

Tot Ipse tibi exhibet, si velis, adhibendos, quot habet Sanctos.

RATIO quæ hoc vnum, quod hic probandum est, probat, hæc est inter alias, quod Christus non timet, nec timendum docet alios adhibere mediatores, si propterea non desinat verus esse noster Mediator.

Sed quòd alios ad ipsum adhibeamus mediatores, non desinet verus esse noster Mediator.

Ergo nec Ipse timet, nec timendum docet, si alios ad Ipsum adhibeas mediatores: sicut isti Gentiles duos adhibuerunt Apostolos,

I. PVNCTVM.

ERANT autem quidam Gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo; Nam cum prope esset vt proselyti fierent, ad festum venerant, inquit sanctus Chrysostomus. *Hi autem accesserunt ad Philippum & rogabant eum dicentes: Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas autem & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis dicens, Venit hora vt clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hæc & plura Christus Dominus qui, vt ait S. Augustinus, occasione istorum Gentilium, *annuntiat futuram plenitudinem Gentium & promittit iam adesse horam glorificationis suæ, quâ factâ in cœlis, gentes fuerant crediture, iuxta illud, Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram Gloria tua. Sed altitudinem Glorificationis oportuit præcedere humilitatem passionis; Itaque adiungit, amen, amen dico vobis, & cætera quibus se dicit granum mortificandum, & multiplicandum: Mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide populorum.*

Atque hæc est literalis Verborum Domini significatio; tùm vero inde moralis varia & multiplex de mortificatione posset erui, quæ quia satis frequenter aliàs obtigit; quod singulare est de duobus Apostolis adhibitis ad Christum Dominum adeundum, tamquam Mediatoribus ad Mediatorem, videtur singulariter considerandum. Sic enim nobis agendum est, sic nobis Christum adituris conueniendi primò sunt ex Sanctis aliqui qui nos introducant ad thronum eius Gratiæ, ne, cùm simus rei multorum criminum quæ nos inde meritò sæpiùs arcere possent, præsumamus aut desperemus accedere. Præsumeret sæpe peccator, si securus ita esset, vt nullo se habere opus Intercessore crederet: at vero desperaret, nisi quos potest adhibere Conciliatores, non
1. Tim. 2. auderet, ne forte iniuria Christo fieret, qui vnus dicitur Mediator. Audeat porro confidenter, atque intelligat, quod si forte timet à peccatis suis, Mediatorem adire Christum, *Non timet Christus alios ad se adhiberi Mediatores; quin potius tot tibi exhibet adhibendos, quot habet sibi charos & electos.*

Ratio est plana & dilucida, nam si nulla Mediatoris fiat iniu-

Digitized by Google

ſtia nomini, quod tam legitime poſſidet vt ipſo ſe priuare non poſſit nomine; ſi quod reuera eſt, ſemper Chriſtus manet Mediator Dei & hominum, quid eſt quod timeat alios ſui conſortes nominis quibus ſeipſum totum communicat & impartitur? *Ita enim ſe immiſcet nobis*, inquit ſanctus Paulinus, *ac nos ſibi conferit, vt quod Ipſe accepit, nobis proficere faciat, qui quod nobis, id eſt, minimis eius tribuitur, ſibi acceptum ferat. Sic & honori ſuo implicans ſuos, prope omnia nobis etiam nomina ſua communicauit, vt virtus Dei dicitur: ita & nobis virtus eſſe dignatur.* Ep. 4. ad Sev.

Neſcis ingrate neſcis Chriſti Domini bonitatem qui negas eum velle quod bonitatis eſt maxime proprium, ſeſe quantis poteſt modis effundere? Cur *oleum effuſum* diceretur nomen eius? Cur dicerentur *aſcenſuri Saluatores in montem Sion?* Cur Ipſe ſuos vocaret fratres quorum eſt Dominus? Nonne hæc ſunt manifeſta communicandi nominis argumenta, dum ſacro eius nomini nullum fiat detrimentum? Cant. 1. Abdias. cap. 10.

II. PVNCTVM.

SED quòd alios ad ipſum adhibeas mediatores, nihil de illius peribit nomine, nec eſſe deſinet vnus ille Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſicut ait Apoſtolus: 1. Tim. 2.

Tres enim ſunt inſignes differentiæ quibus præ cæteris ita eſt Chriſtus Mediator, vt vnus eſſe dicatur. Prima eſt quod Chriſtus ſit mediator Redemptionis: Alij vero tantum Interceſſionis. Sic enim Apoſtolus ſtatim ad prædicta ſubjungit; *qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Sic ſe videlicet mediatorem inter Deum & homines exhibuit, dando ſemetipſum Deo pro hominibus, quod alij certe non faciunt, ſed tantum orando, vel operando aliquid quod nobis applicant: & licet etiam ſemetipſos offerrent, non ij profecto ſunt qui poſſent *dare redemptionem ſemetipſos pro omnibus*, ſicut Chriſtus homo Deus dedit, vnde vnus hoc ſenſu iure merito dicitur mediator de quo apte ſanctus Anſelmus: *Erant homines mortales & peccatores: Deus verò cui erant conciliandi vt poſſent ſaluari, immortalis erat & ſine peccato. Mediator autem inter Deum & homines oportebat vt haberet aliquid ſimile Deo & aliquid ſimile hominibus, ne in vtroque hominibus ſimilis longe eſſet à Deo, aut in vtroque Deo ſimilis longe eſſet ab hominibus, & ita mediator non* Ibid.

esset. Et ideo inter mortales peccatores, & immortalem iustum apparuit mortalis cum hominibus, & iustus cum Deo. Sic etiam egregiè Theodoretus; *quemadmodum qui duos quispiam manibus inter se conserentes & confligentes vult reconciliare, se medium interponens, & hunc quidem dextra, illum vero sinistra tenens ad amicitiam deducit & coniungit; Ita Ipse cum diuinam naturam humanæ vnisset, inuiolabilem & quæ non potest dissolui, pacem conciliauit.*

Secunda differentia est quod Christus per se & à seipso Mediator est omnium, non autem alij, qui nonnisi per Ipsum, hanc participant dignitatem, & ita eam participant vt Ipso egeant mediatore Christo, per quem sicut cæteri hominum, Deo reconcilientur, *omnes enim peccauerunt & egent Dei Gloria*, Id est, Gratia quæ semen est gloriæ; Nec ipsa etiam Virgo mater, licet totius expers peccati, hoc à se habet vt sit mediatrix hominum, sed à Filio benefico qui nihil suum illi negat cuius habendi sit pura capax Creatura.

Rom. 3.

Tertia denique differentia quæ ex aliis profluit, Christus solus est Mediator principalis, immediatus & primarius: alij vero ministeriales, mediati & secundarij, vt aiunt sancti Patres, & cum Diuo Thoma Theologi. Præclarè vero admodum sanctus Bernardus: *Hic Christus Iesus mediator fidelis sicut in persona vna, Dei hominisque substantiam copulauit ineffabili Sacramento, sic & in ipsa reconciliatione, consilio vsus altissimo, mediam non deseruit æquitatem, vtrisque tribuens quod oportebat, Honorem Deo, homini miserationem. Hæc enim optima inter offensum Dominum, & reum seruum forma compositionis, vt nec honorandi Domini Zelo seruus opprimatur austeriori sententia, nec rursum dùm huic immoderatius condescenditur, ille debito fraudetur honore. Audi igitur & diligenter obserua Angelicam in huius mediatoris ortu distributionem: Gloria, inquiunt, in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Huius denique gratia obseruationis fideli Reconciliatori Christo nec timoris spiritus defuit quo Patri semper reuerentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam eius quæreret: nec spiritus Pietatis quo misericorditer compateretur hominibus: vnde & necessarium habuit spiritum quoque Scientiæ per quem timoris pariter & pietatis fieret distributio inconfusa. Et nota quod in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterunt: sed manifestè defuerunt tria tribus; Dico enim Euam, Diabolum, & Adam. Non habuit Eua scientiam qua vt ait Apostolus,*

Cyrill. l. 12.
Th. c. 10.
3. p. q. 26.
Serm. 2. de Annunt.

seducta est in præuaricationem. Verùm hæc quidem serpenti non defuit qui callidior describitur cæteris animantibus, sed pietatem malignus non habuit qui ab initio factus est homicida. Adam verò pius fortè videtur, mulierem non contristando: sed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens quàm diuinæ. Vtinam magis timor Domini præualuisset in eo, sicut de Christo signanter legitur, quia repleuit eum non pietatis spiritus sed timoris. In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est, & solus ipse est qui totum sibi hominem debeat vendicare. In his igitur tribus timore, pietate, & scientia Mediator reconciliauit homines Deo.

Itemque alibi, ad prima Canticorum verba, *osculetur me osculo oris sui, HVC accedit quod is qui nostrũ profitetur se mediat orẽ ad Deum, Dei filius est & Deus est. Et quid est homo vt innotescat ei aut filius hominis vt reputet eum? Quæ mihi fiducia vt tantæ me audeam credere majestati? Vnde inquam terra & cinis præsumo Deum curam habere mei? Ad hæc diligit Patrem suum, me vero opus non habet, bonorum meorum non eget; Vnde ergo constabit mihi quod mediator meus in parte nequaquam sit?* Serm. 2. in Cant.

Tum paucis interjectis: *Vt ex æquo partibus congruens Mediator neutri suspectus sit, Deus filius Dei, fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc osculo oris sui; securus suscipio Mediatorem Dei filium quem agnosco & meum. Minimè plane iam mihi suspectus erit Frater enim & caro mea est. Puto enim spernere me iam non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea.*

Nec minùs Idem suauiter in Sermonibus de Natiuitate Domini: Serm. 5. *Benedictus*, inquit, *qui propter nimiam Charitatem suam qua dilexit nos, filium suum dilectum in quo ei benè complacuit, misit per quem reconciliati pacem habemus ad Eum, & idem fit nobis reconciliationis huius & mediator & obses. Non est quod vereamur fratres mei, sub tam pio mediatore, non est quod de tam fido obside dubitemus. Sed qualis mediator est, inquies qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur, pannis inuoluitur sicut cæteri, plorat vt cæteri, denique infans iacet vt cæteri consueuerunt. Magnus planè Mediator est etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt non perfunctoriè sed efficaciter quærens. Infans quidem est, sed verbum infans, cuius ne ipsa quidem infantia iacet: Consolamini, consolamini dicit Dominus Deus vester, dicit hoc Emmanuel nobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lachrymæ, clamant panni. Clamat stabulum curando sese homini qui in latrones*

Digitized by Google

inciderat præparari. Clamat præsepe eidem homini qui iumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Clamant lachrymæ, clamant panni eiusdem ipsius cruenta iam vulnera ablui & detergi. Siquidem nullo horum Christus eguit, nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. Videsne quàm sit semper agnitus & omni cultu honoratus mediator Christus?

III. PVNCTVM.

NON *Ille timet igitur alios mediatores; neque nobis timendum est hoc nomen Sanctis indere, quia nihil inde Sancto sanctorum deperit à quo sicut sancti habent sanctitatem, ita & sanctitatis insignia,* quorum vnum hoc est vt nos peccatores Christo reconcilient velut quidam Sequestri & mediatores quorum interuentu id impetremus quod alioquin vix auderemus petere vel expectare. Sic Diuus Thomas postquam de Christo Mediatore egit, *Nibil tamen prohibet*, inquit, *aliquos alios, secundum quid, dici mediatores inter Deum & homines, prout scilicet cooperantur ad vnionem hominum cum Deo dispositiuè vel ministerialiter.*

3. p. q. 26.

Sic pridem antè sanctus Ambrosius libro de viduis: *Magnis*, inquit, *tenebatur febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent, habes Apostolos proximos, habes martyres proximos, si ipsa martyribus deuotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinques. Proximus est enim, qui misericordiam facit. Fac tu misericordiam, & eris Petro proxima. Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos: quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. Ama ergò propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulsæ.* Et post pauca: *Habetis ergò, viduæ, auxilium, si tales vobis generos posteritatis vestræ patronos, tales proximos eligatis. Ergo rogauerunt pro Vidua Petrus & Andreas. Vtinam existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste qui pro Socru rogat Petrus & Andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Videtis enim quòd magno peccato obnoxia, minus idonea sit quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi,*

secrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm vincerent, cognouerunt.

Neque dicas, nihil opus esse istis, cùm ex Diuo Bernardo supræ relatum fuerit nihil esse nobis timendum in Christo qui frater noster esse voluit. Nam duplici certe de causa timere homo poterat accessum ad diuinam majestatem: Prima quia homo, id est, puluis & cinis, & primigenia peccati labe infectus. Secunda quæ est grauior, quod peccata peccatis addens se diuina prorsus reddat indignum benignitate. Quantum igitur ad primam spectat causam, non est quod homo timeat, cum Deus homo sit factus; quantùm vero ad secundam, profectò est quod vereatur & paueat vt Idem sanctus ait Bernardus, iam suprà in 2. parte in Festo Annuntiationis auditus: Quod & ipsum breuius his verbis repetit. *In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas: Iesum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia sua: Pater enim diligit filium. An verò trepidas & ad ipsum? frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absq; peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare diuinam, quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Aduocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtiq; Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.* *In Natiu. B. Virg.*

Possesne tu dubitare, an idem possis dicere post talem tantumq; virum? si tanta S. Bernardi fiducia est in Beatissima Virgine, quænam erit, peccator, tua, nisi ad Illam recurras? tene Sanctiorem Sanctis reputes, tene securiorem columnis illis Ecclesiæ, tu virgultum leuissimum, tu arundo ventis omnibus agitata! Hoc de te si sentires, & quanto minus timeres, tanto tibi magis esset timendum. Vide supra dictam diem 25. Martij in 2. parte.

DOMINICA XXVII.
VEL XXVI, XXV, XXIV.
SECVNDVM REGVLAS DIVINI OFFICII, VT SVPRA EST MONITVM.

DE GRANO SINAPIS, ET FERMENTO FERMENTATO.

Vide in 1. parte. Dominica VI. post Epiphaniam.

HAC HEBDOMADA, reuersus iterum Ierosolymam Dominus, & ingressus in templum, ibi postremum Sermonem apud Iudæos habuit, in quo extremum malum illis impendens denuntiat, nempe priuationem tantarum quas hactenùs habuerant Gratiarum, multis proinde in exemplum adductis parabolis, vnde Veritates eódem prorsùs spectantes eruentur.

FERIA SECVNDA.
DE FICV MALEDICTA, ET EIECTIS E TEMPLO VENDITORIBVS.

Iam non amplius in æternum, ex te fructum quisquam manducet. Marci 11.

VERITAS PRACTICA.

Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. *Ier. 48.*

Facit autem fraudulenter qui facit negligenter.

RATIO postremæ partis vnde alia patebit euidentius, hæc est in primis quod fraudulenter facere aliquid est fictè ac simulate agere.

Sed qui negligenter facit opus Domini, sic fictè ac simulate agit.

Ergo & facit fraudulenter, & in expressam incurrit maledictionem.

I. PVNCTVM.

ILLO ipso die quo triumphans, in vrbem ingressus erat Dominus, *cùm iam vespera esset hora*, inquit sanctus Marcus, *exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die cum exirent à Bethania, esuriit: cúmque vidisset à longe ficum habentem folia, venit si quid forte inueniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia, non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei, Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius. Et veniunt Ierosolymam. Et cum introisset in templum cœpit ejicere vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & non sinebat vt quisquam transferret vas per templum, & docebat dicens eis, Nonne scriptum est, quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus Gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum!*

De hac vendentium & ementium ejectione dubitatur an pridiè vel hac die, facta fuerit. De ficulnea vero, quantum ad factum, nulla superest quæstio nisi quod sanctus Matthæus addit, *arefactam esse continuò ficulneam:* Sanctus autem Marcus, *aridam factam à radicibus*, Vnde pòst sanctus Petrus Domino dixit: *ecce ficus cui maledixisti, aruit.*

Sed cur tanta in arborem seueritas cùm vel maximè fructum

ferendi tempus nondum adesset? Respondent omnes Patres hæc esse mystica, figurata, & quæ aliquid aliud significent quàm quod exhibent. Nam licet etiam tempus ferendi fructus esset, cum tamen sciret Christus nullum in arbore fructum esse, cur eam adiisset nisi quid aliud adumbrasset? Volebat igitur Dominus maledicens arbori, suis demonstrare discipulis quàm sibi esset facile sibi aduersantes punire si vellet; Cùm enim multa eius bonitatis in Iudæos signa vidissent, nulla vero seueritatis & iustitiæ, dubitare quodammodo poterant an si vellet, posset: vel potius licet posset, an tamen vellet aliquando illos punire. At ne dubitent, ecce quid possit, ecce quid velit, ecce quid aliquando sit facturus non tantum in Iudæos, sed in eos omnes qui multis acceptis gratiis vt multos fructus ferrent, non sunt vsi, nihilque frugiferum retulerunt. Veniet aliquando tempus illud quo inquirat ab eis fructum, quem cùm minime repererit, sic maledicentur, sic arescent, & sic ferendi deinceps fructus erunt incapaces, sicut ista quam vident maledicta ficus. Quod quidem supplicium tanto certius illis infrugiferis mentibus futurum est, quanto magis nocentes sunt quàm ista ficus, quæ si fructum non retulit, non est mirum cum non esset tempus fructuum: At vero Gratiarum dissipatores nonnisi tempore frugis reddendæ repetuntur, quam si non reddant, in culpa sunt; & culpam haud dubie pœna sequetur. Nam si vel innocens arbor infrugifera punita est, quantò magis illi nocentes? Sicut autem arboris pœna fuit, arescere, nec vllum deinceps posse fructum ferre, sic illi quibus abusi sunt gratiis deserentur, & qui cum facile poterant, noluerunt; non ita poterunt quando volent.

Sed neque in externis suis negotiis fœliciores sibi promittant exitus, nihil illis prosperum stabit, quin potius cuncta illorum consilia, vota, negotia disturbabuntur, euertentur & corruent: sicut enim Dei opus deseruerunt aut non nisi negligenter egerunt, ita deserentur à Deo suis in operibus & desideriis. Quod figuratum etiam & adumbratum voluit Dominus in illis Emptoribus & Venditoribus, quos eiecit è templo, atque illorum mensas & merces euertit; quasi aperta voce diceret, sic euertentur rerum diuinarum contemptores, sic fraudulenti & negligentes in opere Domini, Dominum sentient sibi aduersantem.

Hoc est videlicet quod ante pridem percelebri ferebatur Pro-

phetæ ſententiâ, quam modo conſiderandum proponimus: *Male-dictus qui facit opus Domini fraudulenter ſeu negligenter:* quod enim Hebræa dicunt *fraudulenter*, hoc ipſum græcè Septuaginta Interpretes reddiderunt *negligenter:* nec ſine diuino prorſus conſilio ſic factum eſt, vt idem vnum, duabus hiſce vocibus exprimeretur, quarum alteram altera longè clariorem facit. Quid enim eſſet opus Domini fraudulenter facere vix caperemus niſi diceretur hoc idem eſſe quod negligenter. At quale quantumcumque crimen eſſet, opus Domini negligenter facere, non tam euidenter intelligeretur quàm cum dicitur hoc ipſum eſſe quod fraudulenter. Cum huius itaque Conſiderationis Practicæ finis & fructus ſit cauere negligentiam illam in opere Domini quæ diuinæ maledictioni ſubiacet, non poteſt melius proponi quantopere ſit cauenda, & quantæ maledictioni ſubiaceat quàm cùm demonſtratur negligentiam eſſe meram fraudem; nec minùs eſſe coram Deo negligenter eius opus operari, quam fraudulenter. Quis hoc enim crimen, & ipſum fraudulenti nomen non deteſtetur? Ier. 48.

Sic autem idem eſſe demonſtratur: Nam quid eſt fraudulenter facere aliquid, niſi hoc idem quod ficte ac ſimulatè? Quod certe non poteſt aptius declarari quàm ex illo infideli facto cuius cauſa Ieremias nobilem hanc quam verſamus ſententiam protulit. Cùm nempe Chaldæis iuſſiſſet Dominus per Ieremiam vt bellum inferrẽt Moabitis, recuſarentq; Chaldæi ſe in hanc dare pugnam, vrgentur illi acrius à Propheta: & tandem diuinis comminationibus excitantur ad arma quidem capienda contra Moab, ſed non ad ſerio concertandum. Conueniunt ex vtraque parte hoſtes vt bellum indicetur, ſed non geratur. Inſtruunt Chaldæi aciem, parant ſe Moabitæ ad pugnam, ſed neutri pugnant niſi pugna ludicra & colluſoria, niſi pugna ficta & ſimulata, non ſeria, non hoſtili, non cruenta. Quamobrem contrà Ieremias, contra Chaldæos inſtat vehementius; *Et maledictus*, inquit, *qui facit opus Domini fraudulenter, & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Vocat opus Domini, bellum contra Moabitas imperatum à Domino, hoc opus dicit fieri fraudulenter, id eſt, ficte & ſimulate prohibendo gladium à ſanguine, quaſi qui vellent Deum aut Prophetam fallere, quaſi qui vellent bellum gerere quod tamen nolunt.

Sic in ſacris dicuntur Prouerbiis, *conſilia impiorum fraudulenta*; & *fraudulenta oſcula odientis*, id eſt, ficta & ſimulata. Quod egre- Prou. 12. Ibid. 27.

gie Propheta Isaias neque minus claris quàm his fusis declarat verbis: *stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vanam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt, Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in sermone mendaci, cùm loqueretur pauper iudicium.*

Is. 32.

Videsne quid sit agere fraudulenter, & quàm sit impium, quando præsertim in opere Domini sic ficte agitur & simulatè?

Act. 5. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?*

II. PVNCTVM.

SED *qui negligenter facit opus Domini, sic ficte & simulatè agit.* Tria hic expendi possent; Primum quid sit opus Domini. Secundum quid negligenter facere. Tertium, quod sic consequenter ficte agatur. De primo, cum quidquid fit propter Deum, dici possit opus Domini, & cùm quidquid facimus, nonnisi propter Deum fieri debeat, sic profecto quidquid agimus dicetur opus Dei; Sed illa tamen quæ vel ad pietatem & cultum Dei, vel ad salutem animarum tum propriæ, tum proximorum, propiùs spectant, singulari quodam modo dicuntur *opus Domini*, quia directiùs & puriùs in illis operibus Dei Honor & Gloria solet intendi. Sic Apostolus de suo Timotheo scribens Corinthiis, *Videte*, inquit, *vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego.* Tum verò expressius eidem Timotheo, *Exerce*, inquit, *teipsum ad pietatem: Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Fidelis sermo & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus & maledicimur quia speramus in Deum viuum.* Et paucis interjectis: *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis: Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*

1. Cor. 16. 1. Tim. 4.

Hoc est scilicet opus quod præ cæteris operibus opus Domini meritò nuncupetur. Hoc est opus ad quod operandum maxime creati sumus & redempti. Hoc est opus quod vnicum Christus Dominus in terris est operatus, Hoc est opus in quo præcipue nobiscum Dominus operatur, & in quo maxime cum Christo nobis est

laborandum. Hoc est denique diuinum opus in quo decertandum est cum Christi hostibus. Vnde si bellum contra Moabitas imperatum dicitur opus Domini, cur non ita dicatur bellum illud quod imperatur in meditando & concionando, vel quiduis tale opus in quo bellum geritur contra Dæmones, contra mundum, & contra carnem, qui non minus sunt hostes Domini quàm Moabitæ?

Sed cauenda hîc maxime negligentia, quod secundum est explicandum, & quod tribus modis potest intelligi. Primo ante ipsum opus, vel remotè vel proxime. Remote quidem cùm in ipso totius vitæ decursu, negliguntur ea vel non satis diligenter curantur quæ Meditationi seu Prædicationi Euangelicæ forent vsui, de quibus dicebat Apostolus: *Attende lectioni & doctrinæ.* Tum vero proximè negligentes illi censentur qui sacra illa sapientum monita negligunt, *Hominis est animam præparare. PRAEPARA foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam. ANTE orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum. OPERAMINI opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.* Prou 16. Ibid 27. Eccli 18. Ibid 51.

Deinde autem in ipso dicuntur negligentes opere, qui quod agendum est non agunt fideliter, qui meditando non pugnant fortiter contra hostes, qui seipsos non suscipiunt debellandos, qui naturales concupiscentias circa vanos mundi honores, vel vitæ temporalis commoda non tam constanter quotidie aggrediuntur, quàm opus *esset vt eas euellant & destruant, & disperdant & dissipent, & post ædificent & plantent.* Ier. 1. Qui magis placita populo quam salubria prædicant, qui Domino dicente ad Impium, *morte morieris, non annuntiant ei, neque loquuntur vt auertatur à via sua impia & viuat. Qui sunt speculatores cæci: qui sunt canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Ezech 3 33. Is. 56. Sunt hi scilicet in ipso Domini opere negligentes, quantumcumque aliter sibi videantur laborare, quia non agunt quod præsertim agendum est.

Post ipsum denique opus, non caret vitio qui caret vigilanti reflexione, vel in opus quod egit vt illud ad examen vocet an recte peractum fuerit; vel in ea quæ sequuntur agenda cùm sibi tum aliis, pro vario rerum occurrentium statu, *vt honestè omnia & secundum ordinem fiant.* 1. Cor. 14.

In his itaque tribus temporis differentiis qui parùm seculi mansuetudine soliciti fuerint, dici debent opus Domini facere negligenter; atque ex consequenti quod Tertium & postremum est hic enodandum dicuntur *ficte & simulate agere*, quia se prorsus eodem gerunt modo circa bellum contra spiritales nequitias suscipiendum, quo Chaldæi contra Moabitas. Educunt quodammodo suas in aciem copias nec tamen dimicant; meditantur, & prædicant, meditando etiam & prædicando vident quid sibi vel aliis agendum esset, nec tamen agunt aut serio agere statuunt. Diceres quasi ex condicto conuenisse cum suis concupiscentiis vt eas quidem prouocarent ad pugnam, nec tamen contra pugnarent. Quid enim meditantur aut prædicant nisi quod Christus dixit & fecit? Quid autem aliud dixit aut fecit quam vt nosmetipsos abnegantes nostram post ipsum crucem tolleremus, quod est proprias concupiscentias debellare? At verò dum in hoc opere Domini negligentes sunt, dum id meditando vel prædicando non seriò, non planè, non omnino concludunt; quid aliud dicas eos agere quàm ficte & simulate agere, quàm non id agere quod se fingunt & simulant agere? Dum meditantur & prædicant, videntur quidem agere: sed dum meditando ac prædicando negligentes sunt, nec tum illud agunt quod agendum esset; nonne totum quod agunt fictum est & simulatum? Nonne hoc ipsum est quod ait Apostolus, *sic pugnare quasi aërem verberando?* Non sic verò ille non sic Apostolus, *sed castigo*, inquit, *corpus meum & in seruitutem redigo*, quasi diceret, non ficte & simulate pugno sicut illi qui solum aërem verberant, sed seriò sed ex animo, sed verè ac reipsa, quoniam castigo corpus meum & in seruitutem redigo, vt caro subjiciatur Spiritui, & Spiritus Christo Domino; quæ vera & Christiana est pugna quam pugnare iubemur, aut quam nisi pugnemus, negamus agere quod iubemur, vel simulamus agere.

III. PUNCTUM.

FACIT *igitur opus Domini fraudulenter qui facit negligenter*, quia facit fictè & simulatè. Quia verò sic ficte agit in re tam seria, quale est opus Domini, qualis est meditatio, vel prædicatio, propterea iure merito *maledictus* dicitur, & apte comparatur illi maledictæ ficui quæ habebat tantum folia non autem fructus.

Arefecit

Arefecit Dominus arborem maledicto, inquit Beda, *vt homines hac videntes siue audientes, multo magis intelligerent se diuino condemnandos esse iudicio, si absque operum fructu, de plausu tantum sibi religiosi sermonis velut de sonitu & tegumento blandirentur viridantium foliorum.* Hom. 7. in quadrag.

Mirum quidem videri potuisset sic negligentiam maledici, cùm non videretur tale crimen quod ita puniretur; Sed cùm intelligitur nihil minus esse quàm dolum & fraudulentiam, non tam mira videri debet pœna negligentiæ, quàm culpa negligentis. Quid enim magis execrandum quàm fraudulenter & dolosè cum Deo agere? Sic præclarè Sapiens dum grauioris cuiusdam supplicij diuinitùs cuidam illati rationem reddit: *Quoniam*, inquit, *accessisti malignè ad Dominum; cor tuum plenum est dolo & fallacia!* Eccles. 1.

O si hæc intelligerent qui sacra meditantur & prædicant Euangelia, si cogitarent se dolosos illos & fallaces esse, si sint in opere Domini negligentes, nisi serio secum & cum illis quibuscum agunt, contra vitiosas pugnent concupiscentias; Nonne acrius ad hoc sacrum bellum inflammarentur? Bellum illud est de quo dicitur, *bellum Domini exit contra Amalec à generatione in generationem,* Exodi 17. Id est, semper pugnandum contra semper rebellantes naturæ corruptæ motus. Et quoniam huius pugnæ nobilior exercitatio fit meditando & prædicando, sic eò semper dirigi debet meditatio vt quomodo semper sit pugnandum, doceat, aptet, informet. Sibi hæc dicta putet quisquis verbum Domini mente vel ore sit tractaturus: *Vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, & non concupisces ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* 1. Reg. 15. Quæ postquam omnia suo more sanctus Gregorius in moralem traduxit sensum, sic concludit; *omnia igitur Amalec demoliri iubentur, quia qui castè proponunt viuere, de blandimento carnis in se aliquid retinere non debent. In carne quidem esse debent, vt bona per carnem agant, sed sic debent à carnis voluptate per mentis subtilitatem discedere, vt contumelias de carne non tolerent.*

Quàm malè autem cesserit Sauli & populo, quod quæ pulchriora erant Amalec, reseruarit: habetur in eodem scripturæ textu, quem Idem sanctus Doctor fusè in rem nostram exponit; & ipso satis aperte patet funesto Saulis exitu quem vt alibi est obseruatum Amalecita reseruatus interfecit. Sic planè, quod meditando ne- 2. Reg. 1.

gliges oppugnare vitium, te in conflictu expugnabit.

Nec minus apta sunt & opportuna quæ de cauenda in prædicando negligentia Diuinus ille Præco & Pontifex in Pastorali refert: *Si medicinalis*, inquit, *artis minimè ignari, secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa inuoluantur, aspiciant qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt ea, sectione verborum. Vnde & benè per Prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet Gladium suum à sanguine. Gladium quippe à sanguine prohibere est Prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere, de quo rursum Gladio dicitur, Et Gladius meus deuorabit carnes.* Tum post multa, in illud Mosis: *Si quis Domini est, iungatur mecum. Ponat vir Gladium super femur suum: Si ergo*, inquit, *ille Dei dicitur qui ad ferienda vitia Zelo diuini amoris excitatur: profectò esse se Dei denegat qui inquantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.*

3. parte, adm. 26.

Exodi 32.

Vide in 3. p. Sabbato Hebdom. vndecimæ: Nec non in fine eiusdem partis, vbi ad Renouationem Votorum, Parabola de arbore fici plantata in vinea, nec ferente fructum, exponitur.

FERIA TERTIA.

PARABOLA DE DVOBVS FILIIS A PATRE IN VINEAM IRE IVSSIS.

Quis ex duobus fecit voluntatem Patris?

VERITAS PRACTICA.

Licet non facias semper quod proponis, semper est tamen proponendum quod facias.

RATIO EST euidens, Quia licet non facias aliquod boni genus, non est idcirco aliud omittendum.

Sed si non semper proponeres quod facias, tu omitteres aliquod boni genus, quia non facis aliud.

Ergo licet non facias semper quod proponis, semper est tamen proponendum quod facias.

I. PVNCTVM.

DVM Iudæos in Templo doceret Dominus, hæc inter alia quæ perfidam eorum fidem demonstrarent, proponebat: *Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit, fili, vade, hodie operare in vineam meam. Ille autem respondens ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait: Eo Domine, & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt ei, primus.* Tum verò Dominus responsum eorum in ipsos retorquens, ostendit illos esse similes huic secundo qui non fecit quod proposuit: Publicanos vero & alios peccatores conuersos siue ex Gentilibus ad fidem, siue ex Iudæis ad meliorem frugem, esse velut illum primum qui licet nihil boni se facturum promitteret, fecit tamen, & hoc suo facto sese magis obedientem præstitit & longè magis laudabilem.

Quæ vt nobis fructuosius applicemus, obserua in vtroque hoc filio esse simul aliquid boni & aliquid mali. Nempe in primo malum est quod dixit, Nolo ire: bonum vero, quod iuit. In secundo autem, bonum est quod promisit, malum vero quod promissis non stetit. Quibus quidem vtriusque status incommodis quæ nobis etiam nimis sunt communia, facile esset remedium adhibere, si & diceremus nos facturos, & faceremus quod dicimus: Sed cùm multi proponant nec tamen faciant quod proponunt, licet retineant semper bonam boni faciendi voluntatem, videretur illis aliquando satius esse non proponere quod faciant, quàm non facere quod proposuerunt.

At vero errant & contrà est Veritas quæ modo expendatur: *Licet non facias semper quod proponis, semper est tamen proponendum quid facias.*

Neque est opus longo discursu ad explanandam Veritatem: quid enim notius quàm quod licet non facias aliquod boni genus, non sit tamen aliud omittendum? *Nec enim omnia possunt esse in* Eccles. 17.

hominibus, inquit Sapiens, *Quid lucidius sole? & hic deficiet.* Tametsi vero in te illa esse possent in quibus deficis, quid stultius quàm si quod boni genus deficiat, tum & aliud idcirco velis deficere: quasi qui post iacturam aliquam vellet aliud sibi damnum adjicere, quod Impatientis est vitium & detrimentum, vt ait Sapiens: *qui impatiens est sustinebit damnum, & cùm rapuerit, aliud apponet.* Vnde & Idem de eodem; *Impatiens*, inquit, *operabitur stultitiam:* Et rursum paulò pòst, *qui impatiens est exaltat stultitiam suam.* Nam profectò qui sapit, si quo in genere boni deficit, cogitat potius de damno resarciendo per aliquod aliud boni genus, quàm de malo augendo per nouum boni defectum. *Fili, peccasti? non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare vt tibi dimittantur.*

Pr. 19. Ibid. 14. Eccles. 21.

II. PVNCTVM.

SED *si non semper proponeres quod facias, tu omitteres aliquod boni genus quia non facis aliud.*

Omitteres enim proponere, quod cùm seriò fit, id est, cum vera & sincera faciendi quod proponis voluntate, quoddam est boni genus valde laudabile, licet postea non actu fiat quod proponis, & licet tua culpa sit quod non fiat. Nam dum ita proponis, non modò bonam boni faciendi voluntatem concipis, sed conceptam probas, corroboras, & tunc saltem in internum formas effectum.

Deinde, non ita facile raperis in oppositum bono proposito vitium quàm si nullo modo firmasses animum in illo bono præstando; Nam vt optime Vir pius ait, *quod si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille qui raro aut minus fixè aliquid proponit?*

L. 1. de Imit. Chr. c. 19.

Tertiò, licet deficias, defectus sæpe non est ita voluntarius ac si contrà nihil statuisses, repentinus forsan est motus, forsan iniecta grauis tentatio, forsan humana quædam infirmitas, aut quid simile non præuisum, irrepens & sese insinuans in animum: quod certe malum est, sed non ita voluntarium quàm si plenè aduerteres & liber esses sicut cùm antè contra malùm illud statueras te facturum. Sic nempe multis sæpius accidit quod aiebat Apostolus, *non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio*; quo in facto licet nonnulla intercederet culpa, non ita tamen grauis esset, ac si non esset oppositus animi status quem illa declarant verba, & quem ea quæ vocantur bona proposita quotidie magis

Rom. 7.

ac magis ſtabiliunt.

Denique, licet cadas, reſurgis tamen velociùs, cùm cecidiſti contra propoſitum. Statim enim vt illecebra peccandi deſiit, recurrit animo quod propoſueras, ſiue bonum agendum, ſiue malum euitandum; & ſiue alterum omiſeris, ſiue alterum commiſeris, ibi ſtatim præter admiſſam culpam, agnoſcitur mentis inconſtantia, tum mens ipſa confunditur, erubeſcit, compungitur, reſipiſcit, & ſanior ſæpe à culpa reſurgit quàm ſi non cecidiſſet. Hinc apte Sapiens: *ſepties cadit Iuſtus & reſurgit:* id eſt, quotieſcumque cadet, toties reſurget, & nihil illi caſus oberit quin potius inde proficiet, vnde illud frequentiſſimum ſancti Gregorij: *Electorum corda ad ſe ſemper ſolicitè redeunt & ſemetipſa grauiter vel pro leui motu exceſſionis affligunt, & dum mota diſcunt quomodo ſtare debuerint, aliquando meliùs concuſſa ſolidantur.* Prou. 24. 1. Mor. 24.

Iam verò nonne hoc eſt maximi boni genus ſic rarius cadere & velocius atque etiam fœlicius reſurgere? Nonne hoc autem te priuares bono ſi non ſemper proponeres, cum ex frequentatis bonis propoſitis bonum illud emanet?

III. PVNCTVM.

LICET *ergo non ſemper facias quod proponis, ſemper eſt tamen proponendum quod facias*; Nam etſi pecces non faciendo quod propoſueras, non idcirco tamen peccaſti quia propoſueras non peccare, nam vel frequentius vel grauius forte peccaſſes, ſi nullum anteceſſiſſet bonum propoſitum. Et eſto quacumque de cauſa peccaueris, nonne reſurgendum? *Numquid qui cadit non reſurget, & qui auerſus eſt, non reuertetur?* At vero reſurgenti nonne neceſſe eſt renouare mentem, & obfirmare animum contra peccatum? nonne neceſſe eſt conteri de peccato? nonne Contritio nouum includit quod vocamus bonum propoſitum? Nonne ſic expreſsè Tridentinum: *Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, CVM PROPOSITO NON PECCANDI DE CAETERO.* Nonne qui hoc propoſitum omitteret, non diceretur conteri? Ier. 8. Seſſ. 14. c. 4.

Denique ſi quoties peccatur, toties eſt reſurgendum; ſi nemo reſurgit à peccato niſi conteratur: ſi nemo conteritur niſi cum propoſito non peccandi, Vide etiam atque etiam quid inde ſit concludendum, nempe toties repetenda eſſe bona propoſita,

quoties peccaueris. Tantum abest vt post peccatum desistas à proponendo quod facias, quin potius quia peccasti, proponendum; quia statim à peccato resurgendum, quia pœnitendum, quia conterendum; quæ nulla prorsus hæc sunt nisi proponas. *Ego dixi in*
Ps. 29. *abundantia mea, non mouebor in æternum. DIXI confitebor aduersum*
31. *me iniustitiam meam Domino. DIXI, custodiam vias meas vt non de-*
38. *linquam in lingua mea. DIXI, nunc cœpi.* Quid sunt ista nisi quoti-
76. die vel etiam sæpius renouantis & meliora semper proponentis consilia?

Vide in 1. parte, die 25. Ianuarij, In Conuersione S. Pauli Apostoli, vbi hæc Veritas declaratur:

Sicut frequenter dicendum cum Dauide: *Dixi nunc cœpi:* sic simul cum Apostolo, *Domine, quid me vis facere.*

L. 1. c. 19. Nec omittendum ex Imitatione Christi, tam opportunum Monitum: *Omni die*, inquit, *renouare debemus propositum nostrum, & ad feruorem nos excitare: quasi hodie primùm ad conuersionem venissemus, atque dicere, Adiuua me Domine Deus in bono proposito, & sancto seruitio tuo: & da mihi nunc hodiè perfectè incipere, quia nihil est quod hactenus feci.*

AD stabiliendam verò firmius mentem in promissis Deo factis, conjungi posset præcedenti, vel separatim proponi hæc alia Veritas.

Quàm pudendum tibi esset, si quod promittis homini non solueres, tam impudenter agis si quod promittis Deo non exoluas.

RATIO EST, *Quia vbi est maior ratio promissi exoluendi; siue quod idem est, vbi est major pudendi ratio si promissum non solueres, tam impudenter agis si non soluas.*

Sed si quid promittis Deo, major est ratio promissi exoluendi, seu major est pudendi ratio si non soluas, quàm si quod promissum homini non exoluas.

Ergo quàm pudendum tibi esset si quod promittis homini non solueres, tam impudenter agis si quod promittis Deo non exoluas.

I. PVNCTVM.

NE simus similes isti perfido Filio qui iussus à Patre in vineam ire, respondit, *Eo Domine, & non iuit*, multum confirmandi sumus in promissis adimplendis quæ Deo facimus. Nihil est autem quod nos facilius in id officij persoluendum adducat quàm consideratio fidelitatis quæ seruari solet inter homines qui sibi aliquid repromittunt. Vix enim vllus est qui non putet nomini suo non paruam inferri notam & iniuriam si fine legitima causa, promisso & fidei datæ non respondeat. Nimis enim probrosa est & quam vocant honesto viro non ferenda prorsus hæc iniuria quæ nomen eius statim insequitur qui datam non seruat fidem, *Homo nullius fidei, Homo cui nullus tutò fidat*; *Homo perfidus & infidelis*. Quis has infames sibi accersat voces? quem non puderet sic maledici, sic infamari?

Quamobrem vt inde ad promissa Deo facta non minori fidelitate ac animo seruanda excitemur, Videtur peropportuna hæc Veritas, quæ modò diligenter expendatur: *Quàm pudendum tibi esset si quod promittis homini non solueres, tam impudenter agis, si quod promittis Deo non exoluas.*

Nam quid est agere impudenter apud aliquem vel in quouis negotio, nisi pudorem illum exuere quem naturalis verecundia solet ita in nobis excitare vt homo verecundus non audeat quidquam loqui vel agere quod honesto repugnet, quod personam deceat, quod vel loco vel tempori non conueniat? Quid porro magis esse impudentem quàm eo loco vel tempore vel negotio talem esse, quo minus esse oportebat, quo major erat seruandi pudoris ratio? *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem*; Hi nempe *Is. 56.* de quibus Propheta loquitur cum latrare & seruandis inuigilare deberent domesticis, tunc sibi saturandis vacabant; hoc erat esse impudentissimos.

Sic prorsus ad rem nostram, cùm ita sit à natura comparatum vt nos pudeat si fidem homini datam non seruemus; profectò non potest non esse impudentis & inuerecundi hominis quem tunc

non pœniteat si fidem fallat, & quo maior erat pudendi ratio, seu quo maior erat obligatio fidei datæ seruandæ, quæ tamen perfidè & malignè est violata, tanto ille impudentius agere dicendus est

Deut. 32. qui promissa non exoluit & datam rupit fidem. *Generatio peruersa*

Luc. 9. *est & Infideles filij! O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos?*

II. PVNCTVM.

SED si quid promittis Deo, major est ratio promissi exoluendi, seu major est pudendi ratio, si non soluas, quàm si quid promissum homini non exoluas.

Nam quæcumque ratio pro fide seruanda inter homines afferatur siue ex natura ipsius promissionis datæ & acceptæ, quæ talis est vt obligetur promittens se daturum quod promittit, neque nisi legitime possit à promissione resilire, vt passim docent Iuris & Casuum Interpretes: siue id à virtute fidelitatis procedat quæ sic seruari debet in humano consortio, vt vix vlla esset hominum associatio nisi fidelitas seruaretur: siue ex aliis commodis aut incommodis quæ inde plurima recensentur; Quidquid denique proferri possit, longe magis valet pro soluendis Deo promissis. Nam res de quibus agitur inter Deum & homines sunt longè majoris momenti. Personæ illæ diuinæ cum quibus homo rem habet, sunt longe præstantiores. Fidelitas quæ debetur Deo longe magis obstringit promittentem vel sese offerentem. Quidquid inde commodi vel incommodi sequitur longe est ponderosius quàm quidquid creata omnia creare nobis possint. Quale putas enim illud esse, vel quanto interesse putas interuallo, si quis apud Deum aut fidelis aut infidelis reperiatur? Nonne audiuisti quod ait Sapiens in

Prou. 25. infidelis viri derisum: *Nubes & ventus & pluuiæ non sequentes, sic vir Gloriosus & promissa non cōplens.* Nonne quod Idem de Deo alibi do-

Eccl. 5. cet expressius: *Displicet Ei infidelis & stulta promissio.* De fideli autem seruo quàm sit ipsi carus & acceptus tam multa passim occurrunt vt vni fidelitati cætera quodammodo videantur subjici & seruire.

Matth 25. *Serue bone & fidelis intra in Gaudium Domini tui.*

Et certe si tollis fidelitatem in promissis Deo factis, qualis erit tandem tota nostra Religio? qualis nostra pœnitentia? qualis oratio? qualis nostra publica vel priuata Pietas quæ tota vel in no-

stris Deo dandis, vel in diuinis acceptandis promissis ponitur? Nonne ridicula & quasi ioco dicta erunt nostra omnia, si facta dictis non conformentur? Itane Deus verbis & labiis colitur, non autem corde & factis? Itane deludentur quæ tam seuerè præcepit ad integram promissorum fidem? *Quod semel*, inquit, *egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.* Deut. 23. An quando promisisti, sic reuera volebas agere, vel nolebas? Si nolebas, nonne Deum latere aut deridere te putas? Si reuera volebas, quid te ab illa voluntate dimouit, nisi Caro & sanguis quæ si Deo comparentur, Vide quam iniuriam Deo facias cui quod in humanis infirmius & indignius est audes præferre!

Nec dicas, non esse votum, nec te ita fidem obstrinxisse promittendo vt te obligatum propterea crederes: Nam etsi hoc verum esse potest in quibusdam casibus vt in orando, vel in quopiam simili opere, quod vocant supererogatorium, operando: non ita tamen est in his quæ vt plurimum promittendo complectimur; sunt enim per se suo modo iam debita; Etiamsi non promitteres te futurum humilem, patientem, castum ac benignum, nonne id iam debes? nonne si quid horum promittis, duplici hoc debes nomine, tum ratione rei iam debitæ, tum ratione promissionis quam de re ipsa danda Deo facis? Quod certe nil tale est in promissis homini factis quæ tales ordinarie non includunt res debitas, sed vel gratuitas, vel reciprocas, vel neglectas; Vnde illud euidens est quod habet propositio, quod si quid promittis Deo, maior est ratio promissi exoluendi, seu maior est pudendi ratio, si non illud soluas quam si quod promissum homini non exolueres. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Act. 5.

III. PVNCTVM.

QVAM *pudendum igitur tibi esset si quod promittis homini non solueres, tam impudenter agis si quod promittis Deo non exoluas.* Cur enim te puderet coram hominibus, aut cur non ita pudendum tibi videatur coram Deo, nisi quia non vides Deum, aut non cogitas te ab eo videri, vel quod eius de te Iudicium non ita reuereris sicut humanum iudicium? Itane verò de Deo sentis? At nonne hoc pudendum est, ita de Deo ac de diuinis sentire vt minus apud te va-

leant quàm humana? quid magis potens ad diuinam in te prouocandam Iustitiam quàm sic illam conculcare? aut quid magis alienum à diuina bonitate quæ relucet in promissis à Deo tibi factis? Itane putes illum suis in te promissis esse obstrictum, te vero tuis in ipsum non credas obligatum? quod promisit se daturum sic se daturum profectò voluit, nec se à volendo vel dando reuocabit,
Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mu-*
Ioan. 10. *tetur. Dixit ergo & non faciet, locutus est & non implebit? NON po-*
2. Tim 2. *test solui Scriptura. ILLE fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Quantum in se est videlicet, quantum adiecta condicio promissionis factæ subsistet. Promisit regnum Cœlorum, sed violentis sed vim sibi facientibus. Promisit peccatorum veniam, sed vere pœnitentibus non autem aliis. Promisit misericordiam, sed miserenti, sed misericordiam facienti. Vnde tu nisi vim tibi facias vel nisi te pœniteat, & nisi aliorum misereat, quod sæpe promisisti te facturum: an putas illum suis se obstrictum promissis? Quid ergo speras nisi tu & ipse tuis te astringas? quid vero damni si nil ab illo speres?

Videsne quò res deuoluatur? & quantum insit periculi, quantum momenti, quantumue ponderis in promissis Deo factis exoluendis: Atque adeo si quid nos mouet humanitùs ad fidem liberandam datam hominibus, illo ipso magis accendamur ad fidem Deo datam exoluendam. Sic Scriptura de vtroque simul promissionis genere: *si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris*
Prou. 6. *tui, & captus propriis sermonibus, incidisti in manum proximi tui:*
Ecclesi. 7. *discurre, festina, temetipsum libera.* Et rursum: *Ne ponas scandalum in æquitate tua.* Id est, *ne te infamem reddas, & ne propterea scandalum parias, quod sis iniquæ fidei.* Si quid rogareris ab aliquo contra fidem & promissionem alteri datam, nonne responderes te non posse, te fidem obligasse; te teneri verbo & promisso? Sic loquere
Iud. 11. de tuis Deo factis & toties repetitis promissis, *Aperui os meum ad*
2. Cor. 13. *Dominum, & aliud facere non potero. NON enim possumus aliquid aduersus Veritatem, sed pro Veritate.* Sic loquendum, sic agendum.

Vide in 1. parte, Fer. 3. Hebdom. primæ in Aduentu, vbi hæc Veritas exhibetur:

Quam in se attrahit gratiam qui se Deo libens offert, candem sibi detrahit qui quod offert non reddit.

FERIA QVARTA.

PARABOLA DE VINEA LOCATA MALIS AGRICOLIS, QVI NEGATO FRVCTV SERVOS ET FILIVM DOMINI SVI OCCIDERVNT.

Insignis est ista parabola & in quatuor partes posset eius Tractatio diuidi. Prima est, de vinea suis omnibus partibus absoluta & locata Vinitoribus siue Agricolis qui tempore fructuum missos ad se seruos Domini sui occiderunt.

Cùm tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad Agricolas, vt acciperent fructum eius. Et Agricolæ apprehensis seruis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Math. 21.

VERITATES PRACTICÆ.

Quod te imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc te parationem magis deberet reddere.

Nempe incertitudo exigendi & reddendi fructus.

Quanto minus puniri timet Infructuosus, tanto iam magis punitus est.

Nempe hac magna pœna est non sentire suum miserum statum, nec ei prouidere: qua punitur pœna Infructuosus qui puniri non timet.

Frustra tibi Cultor, si culturam non pateris. Id est, si non vis excoli.

In 3. p. in fine, vbi de Votorum Renouatione agitur. Videri etiam potest in 2. p. Dominica Septuagesima, vbi de missis operariis in vineam.

SECVNDA Pars Parabolæ continetur his verbis Patris-familias mittentis ad Agricolas filium suum:

Verebuntur filium meum.

Quem tamen sicut seruos priùs missos Agricolæ occiderunt.

VERITAS PRACTICA.

Cum sit iste omnis fructus vt auferatur peccatum; non veretur Filium Dei qui peccare non veretur.

RATIO EST, *Quia non veretur Filium Dei qui negat ei fructum quem requirit.*

Sed qui peccare non veretur, negat ei fructum quem requirit.

Ergo non veretur Filium Dei qui peccare non veretur; quod certe est ad cuiusque peccati fugam Incitamentum efficax.

I. PVNCTVM.

QVANTA sit Diuina Bonitas Dei Patris sic mittentis Filium suum post missos & occisos seruos, si dici posset, hic esset dicendi locus; vel certe reseruetur in discursum particularem, & videatur in 1. parte, Feria secunda primæ Aduentus Hebdomadæ, vbi ad verba Christi Domini, *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum Vnigenitum daret*, hæc proponitur Veritas:

Sic Deus dilexit mundum, vt sic mundus diligeret Deum sicut dilectus est.

Nempe donando ei quod carius & pretiosius habuerit sicut Deus dedit nobis charissimum suum Filium. Vnde & in præsenti parabola secundùm Marcum dicitur de Patre-familias siue de Deo

Marci 12. mittente filium: *Adbuc ergo vnum habens filium charissimum, & il-*

lium misit ad eos nouissimum, dicens, quia reuerebuntur Filium meum.

Sed quidquid sit de opere ipso missi ad nos Filij, non minori dignus est admiratione Finis propter quem mittitur & qui hac voce exprimitur: *Verebuntur,* nempe Agricolæ, nempe omnes homines pro quibus mittitur, *Verebuntur Dei filium,* Id est, pro reuerentia quæ tali debetur Personæ, reddent fructum petenti Domino, cessabunt à peccatis. *Iste est enim omnis fructus vt auferatur peccatum,* sicut dixit Isaias, & hic proprius effectus est talis reuerentiæ vt qui verebuntur Eum, non audeant id perpetrare quod perpetrassent nisi essent reueriti talem Personam vt mox dicetur plenius; Vnde vix vlla posset aptior ad veram praxim perpendi Veritas quàm quæ hic proponitur. *Si quis adhuc peccare non veretur, non veretur filium Dei*; quidquid dicat, quidquid sibi fingat de pio sensu quem erga illum habet, non veretur filium Dei qui negat ei fructum quem ab eo præsertim exigit, & propter quem exigendum præcipuè venit. Cùm enim inter plures qui de vno & eodem opere possint haberi fines, vnus esse soleat Operantis præcipuus & primarius quidam finis, à quo vel cæteri pendent, vel ad quem omnes referuntur, profectò quidquid aliud obtineat, nihil se obtinere credet qui operatur, nisi finem illum propter quem præcipuè operatur attingat. *Da mihi liberos, alioquin moriar*, dicebat Rachel marito suo Iacob, quia fructus & finis conjugij præcipuus hic est, habere liberos, quantumcumque pulchra sit Rachel, quantumcumque cara sit suo viro, quantumcumque diues & honorata, nihil se habere putabit, nisi quod vnum præcipue desiderat, habeat; vnde & de alia muliere non habente filium rectè seruus Elizæi ad Dominum suum qui ab illa petebat muliere quid vellet sibi fieri, *Ne quæras,* inquit seruus, *filium enim non habet*; Quasi diceret, hoc præcipuè vellet habere, filium; cùm sit præcipuus Coniugum finis.

Is. 27.

Gen. 30.

4. Reg 4.

Sic superbus ille Aman cùm tam multa possideat quanta ipse narrat, nil se habere putat quamdiu viderit Mardochæum sedentem & non sibi accidentem sicut cæteros, quia hoc vnum præsertim in mente habebat vt sibi omnes cultum exhiberent, ex quibus si vel vnus eximatur, nihil alij omnes conferent ad ipsius fœlicitatem, quia nulla fœlicitas nisi fine quem intendis adepto.

Esther 5.

O quàm proinde expedit rectum sibi finem proponere, ne si erres in fine, cuncta in errorem trahantur! O quàm proinde iuuerit rectè intueri quem sibi finem Christus præcipue proposuerit, ne si

ab illo fine deerremus, ab ipso longè Christo procul retrahamur? Certè dubitari non potest, quod si quem Christus præcipuum habuerit finem, aut si quem maximè fructum à nobis Ipse requirat, quin sit illi tam integrè concedendus, vt quisquis Illi hunc neget fructum, neget se illum reuereri, quia hoc est Illum reuereri, hunc Illi dare fructum quem requirit. Vnde ipse Dominus postquam dixit ex fructibus arborem esse agnoscendam, statim intulit:
Math. 7. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum:* Vel vt habet sanctus Lucas: *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Luc. 6. quasi diceret Dominus, neque mihi neque vobis id proderit, quia non propterea præsertim veni vt me vocaretis *Domine, Domine*, sed vt faceretis quæ dico; Hic est fructus vnde arbor cognoscetur an sit bona vel mala, prout quis scilicet perfectiùs quæ dico faciet: & hic est fructus quem requiro quem quisquis mihi negauerit, non me verebitur.

II. PVNCTVM.

SED qui peccare non veretur, negat hunc Christo fructum quem requirit.

Nam vt iam ex Propheta dictum est, *Iste est fructus eius vt auferatur peccatum*, Id est, potissimus & primarius quo habito sequuntur vel supplentur cætera quæ desiderari possent: & quo non habito nihil prosunt alia: quemadmodum fusè demonstratum est in hac 4. parte, Dominica decima octaua de Paralytico, cuius cùm peteretur sanitas, Christus ante omnia remissionem ei peccatorum impertiuit, *Homo confide. Fili remittuntur tibi peccata tua.* Vnde Math. 9 hæc ibi proponitur Veritas:

Nulla nisi primaria satis esse potest cura de peccatis euitandis.

Quia scilicet nulla est cura nisi quæ suo modo respondeat curæ quam Christus Dominus habet de his expellendis: Cura eius autem est primaria, vnde & talem necesse est esse nostram concluditur.

Deinde verò, cùm in hac parabola nostra Paterfamilias mittens Filium ad Agricolas expressis dicat verbis, *Verebuntur filium meum*, profectò sic euidenter exprimit primarium hunc esse finem

suum vt expellatur peccatum. Nam perinde est ac si diceret, hoc est quod primum intendo *vt vereantur filium meum*; Quid est autem *vereantur* nisi vt quod odit & vetat, caueant pro eo quem illi deferunt cultu; vel certe si non caueant, quantumcumque aliud illi præstent officium, non illum vereantur; Hoc est enim proprie reuereri aliquem, nec erat vlla vox aptior qua finis iste de peccato primùm expellendo declarari posset.

Nam hoc est maximè quod peccati malitiæ opponitur, & quod veræ virtutis bonitatem ac meritum indicat manifestiùs. In hoc enim malitia peccati est non tantum vt semel aut iterum offendat Deum, sed toties offendat quoties peccatori libuerit, nullo legum aut Iuris respectu habito; *sit fortitudo nostra, lex iustitiæ*; Dixerunt hoc inter alia peccatores, inquit Sapiens, *cogitantes apud se non rectè*. Vnde & alius Sapiens qui dictus est Ecclesiasticus singulariter rogabat Dominum: *Animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me*. Id est, ne permittas ita mihi peccatum dominari, vt velut omni pudore excusso, nihil verear, nihil me à peccando retardet; Quæ peccati siue peccantium peruersitas cum ab ipsa mundi origine viguerit, tum senescenti mundo futuram grauiorem prædicens Apostolus, *Hoc autem scito*, inquiebat, *quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, proditores, proterui, tumidi & voluptatum magis amatores quàm Dei*, hoc est Impudentes, Inuerecundi.

Sap. 2.

Eccles. 23.

2. Tim. 3.

Quamobrem quid erat aptius quod contrà opponeretur nisi quod dicitur, *Verebuntur filium meum!* discent à Filio meo, timere me: Vnde & filius dictus est *plenus Spiritu timoris Dei*, Quasi hoc vnum præ cæteris inspirare deberet. Nempe hic excellens Timor est qui dicitur reuerentialis quo, vt ait expresè sanctus Thomas, *voluntariè & filiorum more Deum reueremur & nos ipsi subducere refugimus*.

Is. 11.

2. 2. q. 19. a. 9.

ATQVE hinc alterum quod præmiseramus de vera & perfecta virtute patet, nempe hoc filiali timore continetur quidquid perfectius & efficacius de vera praxi virtutum dici potest; Nam timor sine amore nimis seruus est & captiuus: amor autem sine timore, nimis liber est & solutus. Quod vtrumq; extremum ita temperat reuerentialis iste Timor, vt quod esse potest vel in solo timore, vel in solo amore vitiosum, planè resecet; atque inde duntaxat quod est optimum in duobus simul iunctis ita retineat vt fiat ille timor Dei qui *super omnia se superposuit*, super omnia Eccles. 25.

mala quæ fugiat, super omnia bona quæ perficiat.

Vidésne quantæ virtutis sit vox illa, *Verebuntur?* Nec dicas, nullam tamen aut modicam vim habuisse, cum nec Iudæi nec alij peccatores qui propè sunt numero infiniti, Filium Dei magis vereantur quàm si non venisset. Respondet enim S. Chrysostomus, sic dictum esse, *verebuntur*, quasi diceretur, *habebunt homines quem vereantur: habebunt homines quo discant vereri Deum*; Liberum illis quidem erit vereri aut non reuereri, vnde & vnus Euangelista sic

Luc. 20. refert: *Forsitan cum hunc viderint, verebuntur*; *VT libera reseruetur voluntas*, inquit sanctus Hieronymus: sed tamen nihil illa libertas obstat quo minus habeant quod vereantur, nec quo minus vereri debeant.

Nec rursum instes, id quidem verè dici posse de Iudæis qui cum præsentem Christum haberent, eius præsentiam reuereri poterant & ita contineri: Non ita verò de nobis qui absentem Christum non cernimus, nec proinde illum quem eius Præsentia produceret sentire affectum reuerentiæ possumus, nec à peccato coërceri.

Hebr. 13. Falleris, longe falleris qui hæc sentis, Nam *Iesus Christus heri & hodie; Ipse & in sæcula*, inquit Apostolus, Hoc habet Fides si vera de Christo fides est, hoc habet maximè proprium vt quantum ad affectum & effectum de quo hic potissimùm agimus, nempe odium & fugam peccati, tam præsentem nobis Christum subjiciat, quàm dum ageret inter viuos, siue quod idem est, tam reuerendum nobis, tam timendum & diligendum faciat quàm si præsens adesset ipsis subiectus oculis. *Est enim fides, sperandarum siue*

Ibid. 11. *absentium substantia rerum*, græcè ὑπόστασις subsistentia, quasi quæ res subsistere faciat velut præsentes, vnde in sacro textu sequitur, *argumentum non apparentium*, ἔλεγχος demonstratio, conuictio, firma persuasio, at longè certior ac nobilior quàm quæ ex sensibus, ex opinione, vel scientia depromi possit. Sic apertè sanctus

Serm. 2. de Ascens. Leo, vbi agit de Ascensione Domini: *Tunc*, inquit, *Filius hominis, Dei filius excellentius sacratiusque innotuit, & ineffabili modo cœpit esse Diuinitate præsentior qui factus est humanitate longinquior.*

Heb. 11. Sic dicitur, *quod fide Moses inuisibilem tamquam videns sustinuit.* Sic denique sanctus Apostolus ex hac sibi proposita per fidem præsentia Christi Domini, docet examinandam vniuscuiusque fidem, an vera sit & probata: *Vosmetipsos*, inquit, *tentate, si estis in fide,*

2. Cor. 13. *Ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis*

vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis? Quaſi diceret, hæc eſt certa fidei veſtræ probatio, ſi de Chriſto ita ſentiatis ſicut ſi præſens eſſet, ſicut reuera præſens in vobis eſt per ſuam ſanctificantem Gratiam, quam omnes habent qui extra peccati mortalis ſtatum viuunt. Vnde & Idem alibi poſtquam dixit, *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu*, & quæ multa proſequitur, tandem concludit, *Itaque Chariſsimi mei, ſicut ſemper obediſtis, non vt in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea: cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Nam ſi & ipſis Dominis carnalibus vult ſeruos obedire *cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſeruos Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo:* quanto magis ipſi Chriſto ſemper ſeruiendum, tamquam præſenti? Si nimis indignum & abiectum eſt Chriſtiano ſeruo ſeruire ad oculum Domino ſuo, id eſt, quia tantum præſens eſt, quanto magis indignum, ita ſeruire Chriſto? Phil. 2. Ephes. 6.

Quapropter quod dictum eſt, *verebuntur filium meum*, tam verè dictum eſt de conſequentibus futuris ſæculis, quàm de illo ipſo tempore quo præſens aderat Dominus; cùm vel maximè, quod eſt valde notandum, reuerentia illa quam adhibendam Filio Pater prædicit, non ſit tantum veneratio quædam exterior, nec internus animi cultus qui ſolo in affectu ſiſtat, ſed in effectum & in opus tranſeat neceſſe eſt, atque ita in praxi Chriſtum vereamur ſicut Deo dicebat Iob: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Iob. 9.

Hoc eſt enim verè Chriſtum vereri quando in occurſu peccati admittendi, peccatū admitteres niſi vereteris Illum offendere quī ſe tibi tot nominibus aſtrictum voluit; aut quando per illius vitam & mortem agnoſcis quàm ſit graue peccatum, & quam grauis futura ſit peccatoris pœna, ſi tam grauiter ipſe Chriſtus pro noſtris peccatis paſſus eſt: atque in particulari etiam quàm ſit execranda ſuperbia, quàm ſint cauenda murmura in noſtris humiliationibus, quàm ſit ipſa humilitas, patientia, manſuetudo cæteræque virtutes amplexandæ, atque eorum oppoſita vitia deteſtabilia; cùm in Chriſto luculentè videamus quid fugere quid amplecti expediat.

Hic eſt germanus verborum ſenſus, *Verebuntur filium meum*; Verebuntur delicias & diuitias quærere, aſpicientes eius aſperrimam paupertatem; Verebuntur honores ambire, conſiderantes

non pœniteat si fidem fallat, & quo maior erat pudendi ratio, seu quo maior erat obligatio fidei datæ seruandæ, quæ tamen perfidè & malignè est violata, tanto ille impudentius agere dicendus est
Deut. 32. qui promissa non exoluit & datam rupit fidem. *Generatio peruersa*
Luc. 9. *est & Infideles filij! O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos?*

II. PVNCTVM.

SED si quid promittis Deo, major est ratio promissi exoluendi, seu major est pudendi ratio, si non soluas, quàm si quid promissum homini non exoluas.

Nam quæcumque ratio pro fide seruanda inter homines afferatur siue ex natura ipsius promissionis datæ & acceptæ, quæ talis est vt obligetur promittens se daturum quod promittit, neque nisi legitime possit à promissione resilire, vt passim docent Iuris & Casuum Interpretes: siue id à virtute fidelitatis procedat quæ sic seruari debet in humano consortio, vt vix vlla esset hominum associatio nisi fidelitas seruaretur: siue ex aliis commodis aut incommodis quæ inde plurima recensentur; Quidquid denique proferri possit, longe magis valet pro soluendis Deo promissis. Nam res de quibus agitur inter Deum & homines sunt longè majoris momenti. Personæ illæ diuinæ cum quibus homo rem habet, sunt longe præstantiores. Fidelitas quæ debetur Deo longe magis obstringit promittentem vel sese offerentem. Quidquid inde commodi vel incommodi sequitur longe est ponderosius quàm quidquid creata omnia creare nobis possint. Quale putas enim illud esse, vel quanto interesse putas interuallo, si quis apud Deum aut fidelis aut infidelis reperiatur? Nonne audiuisti quod ait Sapiens in
Prou. 25. infidelis viri derisum: *Nubes & ventus & pluuia non sequentes, sic vir Gloriosus & promissa non cōplens.* Nonne quod Idem de Deo alibi do-
Eccl. 5. cet expressius: *Displicet Ei infidelis & stulta promissio.* De fideli autem seruo quàm sit ipsi carus & acceptus tam multa passim occurrunt vt vni fidelitati cætera quodammodo videantur subjici & seruire.
Matth 25. *Serue bone & fidelis intra in Gaudium Domini tui.*

Et certe si tollis fidelitatem in promissis Deo factis, qualis erit tandem tota nostra Religio? qualis nostra pœnitentia? qualis oratio? qualis nostra publica vel priuata Pietas quæ tota vel in no-

stris

stris Deo dandis, vel in diuinis acceptandis promissis ponitur? Nonne ridicula & quasi ioco dicta erunt nostra omnia, si facta dictis non conformentur? Itane Deus verbis & labiis colitur, non autem corde & factis? Itane deludentur quæ tam seuerè præcepit ad integram promissorum fidem? *Quod semel*, inquit, *egressum est* Deut. 23. *de labiis tuis, obseruabis; & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.* An quando promisisti, sic reuera volebas agere, vel nolebas? Si nolebas, nonne Deum latere aut deridere te putas? Si reuera volebas, quid te ab illa voluntate dimouit, nisi Caro & sanguis quæ si Deo comparentur, Vide quam iniuriam Deo facias cui quod in humanis infirmius & indignius est audes præferre!

Nec dicas, non esse votum, nec te ita fidem obstrinxisse promittendo vt te obligatum propterea crederes: Nam etsi hoc verum esse potest in quibusdam casibus vt in orando, vel in quopiam simili opere, quod vocant supererogatorium, operando: non ita tamen est in his quæ vt plurimum promittendo complectimur; sunt enim per se suo modo iam debita; Etiamsi non promitteres te futurum humilem, patientem, castum ac benignum, nonne id iam debes? nonne si quid horum promittis, duplici hoc debes nomine, tum ratione rei iam debitæ, tum ratione promissionis quam de re ipsa danda Deo facis? Quod certe nil tale est in promissis homini factis quæ tales ordinarie non includunt res debitas, sed vel gratuitas, vel reciprocas, vel neglectas; Vnde illud euidens est quod habet propositio, quod si quid promittis Deo, maior est ratio promissi exoluendi, seu major est pudendi ratio, si non illud soluas quam si quod promissum homini non exolueres. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Act. 5.

III. PVNCTVM.

QVAM *pudendum igitur tibi esset si quod promittis homini non solueres, tam impudenter agis si quod promittis Deo non exoluas.* Cur enim te puderet coram hominibus, aut cur non ita pudendum tibi videatur coram Deo, nisi quia non vides Deum, aut non cogitas te ab eo videri, vel quod eius de te Iudicium non ita reuereris sicut humanum iudicium? Itane verò de Deo sentis? At nonne hoc pudendum est, ita de Deo ac de diuinis sentire vt minus apud te va-

leant quàm humana? quid magis potens ad diuinam in te prouocandam Iustitiam quàm sic illam conculcare? aut quid magis alienum à diuina bonitate quæ relucet in promissis à Deo tibi factis? Itane putes illum suis in te promissis esse obstrictum, te vero tuis in ipsum non credas obligatum? quod promisit se daturum sic se daturum profecto voluit, nec se à volendo vel dando reuocabit,
Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mu-*
Ioan. 10. *tetur. Dixit ergo & non faciet, locutus est & non implebit? NON po-*
2. Tim 2. *test solui Scriptura. ILLE fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Quantum in se est videlicet, quantum adiecta condicio promissionis factæ subsistet. Promisit regnum Cœlorum, sed violentis sed vim sibi facientibus. Promisit peccatorum veniam, sed vere pœnitentibus non autem aliis. Promisit misericordiam, sed miserenti, sed misericordiam facienti. Vnde tu nisi vim tibi facias vel nisi te pœniteat, & nisi aliorum misereat, quod sæpe promisisti te facturum: an putas illum suis se obstrictum promissis? Quid ergo speras nisi tu & ipse tuis te astringas? quid vero damni si nil ab illo speres?

Videsne quò res deuoluatur? & quantum insit periculi, quantum momenti, quantumue ponderis in promissis Deo factis exoluendis: Atque adeo si quid nos mouet humanitùs ad fidem liberandam datam hominibus, illo ipso magis accendamur ad fidem Deo datam exoluendam. Sic Scriptura de vtroque simul promissionis genere: *si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris*
Prou. 6. *tui, & captus propriis sermonibus, incidisti in manum proximi tui:*
Ecclesi. 7. *discurre, festina, temetipsum libera.* Et rursum: *Ne ponas scandalum in æquitate tua.* Id est, *ne te infamem reddas, & ne propterea scandalum parias, quod sis iniquæ fidei.* Si quid rogareris ab aliquo contra fidem & promissionem alteri datam, nonne responderes te non posse, te fidem obligasse; te teneri verbo & promisso? Sic loquere
Iud. 11. de tuis Deo factis & toties repetitis promissis, *Aperui os meum ad*
2. Cor. 13. *Dominum, & aliud facere non potero. NON enim possumus aliquid aduersus Veritatem, sed pro Veritate.* Sic loquendum, sic agendum.

Vide in 1. parte, Fer. 3. Hebdom. primæ in Aduentu, vbi hæc Veritas exhibetur:

Quam in se attrahit gratiam qui se Deo libens offert, eandem sibi detrahit qui quod offert non reddit.

FERIA QVARTA.

PARABOLA DE VINEA LOCATA MALIS AGRICOLIS, QVI NEGATO FRVCTV SERVOS ET FILIVM DOMINI SVI OCCIDERVNT.

Insignis est ista parabola & in quatuor partes posset eius Tractatio diuidi. Prima est, de vinea suis omnibus partibus absoluta & locata Vinitoribus siue Agricolis qui tempore fructuum missos ad se seruos Domini sui occiderunt.

Cùm tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad Agricolas, vt acciperent fructum eius. Et Agricolæ apprehensis seruis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Math. 21.

VERITATES PRACTICÆ.

Quod te imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc te parationem magis deberet reddere.

Nempe incertitudo exigendi & reddendi fructus.

Quanto minus puniri timet Infructuosus, tanto iam magis punitus est.

Nempe hæc magna pœna est non sentire suum miserum statum, nec ei prouidere: qua punitur pœna Infructuosũs qui puniri non timet.

Frustra tibi Cultor, si culturam non pateris.

Id est, si non vis excoli.

In 3. p. in fine, vbi de Votorum Renouatione agitur. Videri etiam potest in 2. p. Dominica Septuagesima, vbi de missis operariis in vineam.

SECVNDA Pars Parabolæ continetur his verbis Patris-familias mittentis ad Agricolas filium suum:

Verebuntur filium meum.

Quem tamen sicut seruos priùs missos Agricolæ occiderunt.

VERITAS PRACTICA.

Cum sit iste omnis fructus vt auferatur peccatum, non veretur Filium Dei qui peccare non veretur.

RATIO EST, *Quia non veretur Filium Dei qui negat ei fructum quem requirit.*

Sed qui peccare non veretur, negat ei fructum quem requirit.

Ergo non veretur Filium Dei qui peccare non veretur; quod certe est ad cuiusque peccati fugam Incitamentum efficax.

I. PVNCTVM.

QVANTA sit Diuina Bonitas Dei Patris sic mittentis Filium suum post missos & occisos seruos, si dici posset, hic esset dicendi locus; vel certe reseruetur in discursum particularem, & videatur in 1. parte, Feria secunda primæ Aduentus Hebdomadæ, vbi ad verba Christi Domini, *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum Vnigenitum daret*, hæc proponitur Veritas:

Sic Deus dilexit mundum, vt sic mundus diligeret Deum sicut dilectus est.

Nempe donando ei quod carius & pretiosius habuerit sicut Deus dedit nobis charissimum suum Filium. Vnde & in præsenti parabola secundùm Marcum dicitur de Patre-familias siue de Deo mittente filium: *Adbuc ergo vnum habens filium charissimum, & il-*

Marci 12.

lium misit ad eos nouissimum, dicens, quia reuerebuntur Filium meum.
Sed quidquid sit de opere ipso missi ad nos Filij, non minori dignus est admiratione Finis propter quem mittitur & qui hac voce exprimitur: *Verebuntur,* nempe Agricolæ, nempe omnes homines pro quibus mittitur, *Verebuntur Dei filium,* Id est, pro reuerentia quæ tali debetur Personæ, teddent fructum petenti Domino, cessabunt à peccatis. *Iste est enim omnis fructus vt auferatur peccatum,* sicut dixit Isaias, & hic proprius effectus est talis reuerentiæ vt qui verebuntur Eum, non audeant id perpetrare quod perpetrassent nisi essent reueriti talem Personam vt mox dicetur plenius; Vnde vix vlla posset aptior ad veram praxim perpendi Veritas quàm quæ hic proponitur. *Si quis adhuc peccare non veretur, non veretur filium Dei*; quidquid dicat, quidquid sibi fingat de pio sensu quem erga illum habet, non veretur filium Dei qui negat ei fructum quem ab eo præsertim exigit, & propter quem exigendum præcipuè venit. Cùm enim inter plures qui de vno & eodem opere possint haberi fines, vnus esse soleat Operantis præcipuus & primarius quidam finis, à quo vel cæteri pendent, vel ad quem omnes referuntur, profectò quidquid aliud obtineat, nihil se obtinere credet qui operatur, nisi finem illum propter quem præcipuè operatur attingat. *Da mihi liberos, alioquin moriar,* dicebat Rachel marito suo Iacob, quia fructus & finis conjugij præcipuus hic est, habere liberos, quantumcumque pulchra sit Rachel, quantumcumque cara sit suo viro, quantumcumque diues & honorata, nihil se habere putabit, nisi quod vnum præcipue desiderat, habeat; vnde & de alia muliere non habente filium rectè seruus Elizæi ad Dominum suum qui ab illa petebat muliere quid vellet sibi fieri, *Ne quæras,* inquit seruus, *filium enim non habet*; Quasi diceret, hoc præcipuè vellet habere, filium; cùm sit præcipuus Coniugum finis.

Is. 17. *Gen. 30.* *4. Reg 4.*

Sic superbus ille Aman cùm tam multa possideat quanta ipse narrat, nil se habere putat quamdiu viderit Mardochæum sedentem & non sibi accidentem sicut cæteros, quia hoc vnum præsertim in mente habebat vt sibi omnes cultum exhiberent, ex quibus si vel vnus eximatur, nihil alij omnes conferent ad ipsius fœlicitatem, quia nulla fœlicitas nisi fine quem intendis adepto. *Esther 5.*

O quàm proinde expedit rectum sibi finem proponere, ne si erres in fine, cuncta in errorem trahantur! O quàm proinde iuuerit rectè intueri quem sibi finem Christus præcipue proposuerit, ne si

ab illo fine deerremus, ab ipso longè Christo procul retrahamur? Certè dubitari non potest, quod si quem Christus præcipuum habuerit finem, aut si quem maximè fructum à nobis Ipse requirat, quin sit illi tam integrè concedendus, vt quisquis Illi hunc neget fructum, neget se illum revereri, quia hoc est Illum revereri, hunc Illi dare fructum quem requirit. Vnde ipse Dominus postquam dixit ex fructibus arborem esse agnoscendam, statim intulit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum:* Vel vt habet sanctus Lucas: *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* quasi diceret Dominus, neque mihi neque vobis id proderit, quia non propterea præsertim veni vt me vocaretis *Domine, Domine*, sed vt faceretis quæ dico; Hic est fructus vnde arbor cognoscetur an sit bona vel mala, prout quis scilicet perfectiùs quæ dico faciet: & hic est fructus quem requiro quem quisquis mihi negauerit, non me verebitur.

Matth. 7.
Luc. 6.

II. PVNCTVM.

SED qui peccare non veretur, negat hunc Christo fructum quem requirit.

Nam vt iam ex Propheta dictum est, *Iste est fructus eius vt auferatur peccatum*, Id est, potissimus & primarius quo habito sequuntur vel supplentur cætera quæ desiderari possent: & quo non habito nihil prosunt alia: quemadmodum fusè demonstratum est in hac 4. parte, Dominica decima octaua de Paralytico, cuius cùm peteretur sanitas, Christus ante omnia remissionem ei peccatorum impertiuit, *Homo confide. Fili remittuntur tibi peccata tua.* Vnde hæc ibi proponitur Veritas:

Matth. 9

Nulla nisi primaria satis esse potest cura de peccatis euitandis.

Quia scilicet nulla est cura nisi quæ suo modo respondeat curæ quam Christus Dominus habet de his expellendis: Cura eius autem est primaria, vnde & talem necesse est esse nostram concluditur.

Deinde verò, cùm in hac parabola nostra Paterfamilias mittens Filium ad Agricolas expressis dicat verbis, *Verebuntur filium meum*, profectò sic euidenter exprimit primarium hunc esse finem

suum vt expellatur peccatum. Nam perinde est ac si diceret, hoc est quod primum intendo *vt vereantur filium meum*; Quid est autem *vereantur* nisi vt quod odit & vetat, caueant pro eo quem illi deferunt cultu; vel certe si non caueant, quantumcumque aliud illi præstent officium, non illum vereantur; Hoc est enim proprie reuereri aliquem, nec erat vlla vox aptior qua finis iste de peccato primùm expellendo declarari posset.

Nam hoc est maximè quod peccati malitiæ opponitur, & quod veræ virtutis bonitatem ac meritum indicat manifestiùs. In hoc enim malitia peccati est non tantum vt semel aut iterum offendat Deum, sed toties offendat quoties peccatori libuerit, nullo legum aut Iuris respectu habito; *sit fortitudo nostra, lex iustitiæ*; Dixerunt hoc inter alia peccatores, inquit Sapiens, *cogitantes apud se non rectè*. Vnde & alius Sapiens qui dictus est Ecclesiasticus singulariter rogabat Dominum: *Animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me*. Id est, ne permittas ita mihi peccatum dominari, vt velut omni pudore excusso, nihil verear, nihil me à peccando retardet; Quæ peccati siue peccantium peruersitas cum ab ipsa mundi origine viguerit, tum senescenti mundo futuram grauiorem prædicens Apostolus, *Hoc autem scito*, inquiebat, *quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, proditores, proterui, tumidi & voluptatum magis amatores quàm Dei*, hoc est Impudentes, Inuerecundi. Sap. 2. Eccles. 23. 2. Tim 3.

Quamobrem quid erat aptius quod contrà opponeretur nisi quod dicitur, *Verebuntur filium meum!* discent à Filio meo, timere me: Vnde & filius dictus est *plenus Spiritu timoris Dei*, Quasi hoc vnum præ cæteris inspirare deberet. Nempe hic excellens Timor est qui dicitur reuerentialis quo, vt ait expresè sanctus Thomas, *voluntariè & filiorum more Deum reueremur & nos ipsi subducere refugimus*. Is. 11. 2. 2. q. 19. a. 9.

ATQVE hinc alterum quod præmiseramus de vera & perfecta virtute patet, nempe hoc filiali timore continetur quidquid perfectius & efficacius de vera praxi virtutum dici potest; Nam timor sine amore nimis seruus est & captiuus: amor autem sine timore, nimis liber est & solutus. Quod vtrumq; extremum ita temperat reuerentialis iste Timor, vt quod esse potest vel in solo timore, vel in solo amore vitiosum, planè resecet; atque inde duntaxat quod est optimum in duobus simul iunctis ita retineat vt fiat ille timor Dei qui *super omnia se superposuit*, super omnia Eccles. 25.

vobis est, nisi forte reprobi estis? Quasi diceret, hæc est certa fidei vestræ probatio, si de Christo ita sentiritis sicut si præsens esset, sicut reuera præsens in vobis est per suam sanctificantem Gratiam, quam omnes habent qui extra peccati mortalis statum viuunt. Vnde & Idem alibi postquam dixit, *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu*, & quæ multa prosequitur, tandem concludit, *Itaque Charissimi mei, sicut semper obedistis, non vt in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea: cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Nam si & ipsis Dominis carnalibus vult seruos obedire *cum timore & tremore, in simplicitate cordis sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt seruos Christi, facientes voluntatem Dei ex animo:* quanto magis ipsi Christo semper seruiendum, tamquam præsenti? Si nimis indignum & abiectum est Christiano seruo seruire ad oculum Domino suo, id est, quia tantum præsens est, quanto magis indignum, ita seruire Christo?

Phil. 2.

Ephes. 6.

Quapropter quod dictum est, *verebuntur filium meum*, tam verè dictum est de consequentibus futuris sæculis, quàm de illo ipso tempore quo præsens aderat Dominus; cùm vel maximè, quod est valde notandum, reuerentia illa quam adhibendam Filio Pater prædicit, non sit tantum veneratio quædam exterior, nec internus animi cultus qui solo in affectu sistat, sed in effectum & in opus transeat necesse est, atque ita in praxi Christum vereamur sicut Deo dicebat Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

Iob. 9.

Hoc est enim verè Christum vereri quando in occursu peccati admittendi, peccatū admitteres nisi vererêris Illum offendere qui se tibi tot nominibus astrictum voluit; aut quando per illius vitam & mortem agnoscis quàm sit graue peccatum, & quam grauis futura sit peccatoris pœna, si tam grauiter ipse Christus pro nostris peccatis passus est: atque in particulari etiam quàm sit execranda superbia, quàm sint cauenda murmura in nostris humiliationibus, quàm sit ipsa humilitas, patientia, mansuetudo cæteræque virtutes amplexandæ, atque eorum opposita vitia detestabilia; cùm in Christo luculentè videamus quid fugere quid amplecti expediat.

Hic est germanus verborum sensus, *Verebuntur filium meum*; Verebuntur delicias & diuitias quærere, aspicientes eius asperrimam paupertatem; Verebuntur honores ambire, considerantes

eius humilitatem: continebunt se in aduersis, nec audebunt murmurare, contemplantes quanta sit ipse filius Dei passus. Sic olim
Ier. 45. cuidam conquerenti dicebat Deus: *Ecce quos ædificaui, ego destruo: & quos plantaui, ego euello: Et tu quæris tibi grandia! noli quærere.*
Ibid. 49. Et paulo post: *Ecce quibus non erat iudicium vt calicem biberent, bibentes bibent: Et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens: sed bibens bibes.* Nonne hic veritus esset murmurare in aduersis quando ita loquentem Dominum audiuisset? At quanto magis illo viso
Is. 53. quem Pater ita *percussit propter scelus populi sui.* Nonne propterea
Luc. 23. dicebat Christus: *quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quasi diceret, si ego tam sanctus, tam innocens, & tam longe positus à culpa & à pœna, tamen sic patior, quid peccatoribus fiet? Numquid est quod vereantur & paueant? Primo quidem ne peccent; tum si peccauerint, vt quibuscumque pœnis peccatum expient, & ad meliorem frugem redeant. Hic est itaque fructus quem quærebat Christus, & quem ipsi negat qui peccare non veretur.

III. PVNCTVM.

Ex quibus manifestè concluditur quod nec igitur Ipsum Christum veretur qui sic eum fraudat sibi debito & quæsito fructu, vnde quasi nil aliud sibi redditum reputaret, Is apud Prophetam
Is. 49. conqueritur, *In vacuum laboraui, sine causa & vane fortitudinem meam consumpsi; ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.* Quasi diceret, Ego quod meum fuit, feci: quàm graue malum esset, peccare, sat euidenter docui; quænam essent peccati radices & quanto essent euellendæ studio, non cessaui verbo & exemplo demonstrare. Iam vero cur inde tam pauci proficiant, cur tam multi adhuc peccatores, adhuc superbi, adhuc impudici & auari, Deus videat & iudicet, an sit meum vel peccatoris vitium? an mea id culpa fiat an hominum qui me nolunt aspicere tanquam exemplar suæ vitæ.

Ioan. 8. Quod ipsum expressius in Euangelio dixit: *Ego non iudico quemquam. Ego non quæro Gloriam meam, est qui quærat & iudicet.* Nempe Ille qui quondam agens de mittendo filio sic se denuntiabat futurum eorum Iudicem, qui debitum inde fructum non redderent: *Ponam,* inquit, *verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepe-*

ro illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. Quibus & plane sunt illa conformia quæ rursum Dominus dixit: *qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; sermo quem loquutus sum, Ille iudicabit eum in nouissimo die. Quia ego ex meipso non sum loquutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, aut quid loquar. Et scio quia mandata eius, vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Ioan. 12.

Ex quibus verbis tria possunt ad rem nostram aptè deriuari. Primum est, quanti sint facienda ea omnia quæ Christus dixit, quæ non temerè, non fortuitò, sed ante pridem in ipso Sanctissimæ Trinitatis concilio sunt præconcepta. Secundum, quale in illis obseruandis exemplum nobis Christus dederit, cùm Ipse totus in eis ex certa quadam obedientia, seruandis & docendis fuerit, nihilque prorsus aliud quàm quod Pater dederat in mandatis, loqui voluerit.

Tertium denique, quàm multorum sit criminum reus qui se illis Christi Domini verbis non conformarit, nam præter certum peccatum quod vnicuique dictorum opponitur, contemptus quidam est Christi Domini, ex quo contemptu iudicium peccatoris extremum magis formabitur quàm ex ipso peccato per quod Christus contemnitur. Tam graue est illud quod Christus venerit, neque eius aduentu & cultu à peccatis homo deſtiterit: vt quasi nihil aliud peccatum esset aut quasi nullum esset cæteroquin peccatum, nihil quodammodo in examen, in Iudicium, & in condemnationem aduocetur, quàm quod homines non fuerint reueriti filium Dei: quàm quod peccare non desierint, postquam Ille venit & postquam loquutus est quæ à peccatis eos reuocarent. *Si non venissem*, inquit, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15. Nimis hoc scilicet inuerecundum est non Eum reuereri quem Ille qui non fallitur affirmauit talem esse quem vel ipsi proditores & homicidæ vererentur. Vide in 2. p. Feria 5. primæ Hebdom. in Quadrag. Et in hac 4. parte, Sabbato Hebdom. 19. vbi hæc demonstratur Veritas:

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes comparentur, plus nostris vitiis inhonoratur Dominus, quàm nostris virtutibus honoretur.

TERTIA Pars propositæ Parabolæ considerari potest in his quæ Iudæi responderunt Christo interroganti:

Cum venerit Dominus Vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis qui reddant ei fructum temporibus suis; Vnde hæc esse posset

VERITAS PRACTICA.

Malos quidem omnes perdet Deus; sed non male omnes, nisi qui benè perdi nolint,

Tam porrò bonum est malis, benè perdi, quàm malè perdi malum est.

AD declarationem vtriusque sententiæ, præsupponendum est quid sit perdi, quid benè vel male perdi. De primo, nihil hîc aliud est perdi quam puniri, quodcumque sit genus pœnæ quo puniuntur qui dicuntur perdi. De secundo bene perdi est, ex pœna bonum elicere seu pœnam bene & fœliciter cedere; male autem perdi, malum ex malo deriuare, seu pœnam male & infœliciter cedere.

Quibus ita præsuppositis, Sensus prioris sententiæ est, sic malos omnes à Deo puniri vt nullis malè cedat pœna nisi qui nolint eam bene sibi cedere. Quod perinde est atque illud Diui Chrysostomi, *Nemo læditur nisi à seipso.*

Ratio est, quia nemo læditur nec vlli male cedit pœna, nisi qui peccet in pœna.

Sed nemo peccat in pœna nisi à seipso, nisi volens & lubens.

Ergo & nemo læditur nisi à seipso, nec vlli male cedit pœna nisi qui nolit eam bene sibi cedere, non peccando in pœna. Quod certe est non parum efficax ad bonum pœnarum vsum.

PRIMA propositio satis alioquin per se clara, clarius tamen

dilucidabitur si tria quædam distinctè perpendantur. Primum est non esse hoc in pœna lædi quando plus emolumenti capitur ex pœna quam detrimenti; Nam lædi proprie nihil aliud est quam detrimentum capere siue sanitatis siue honoris, siue pecuniæ, siue cuiuslibet similis boni temporalis vel etiam spiritualis: vnde manifeste sequitur quòd si quis nulla in re detrimentum caperet, non læderetur: Non est autem detrimentum capere quando ex alia parte plus emolumenti accedit quam quid detrimenti capiatur; sicut nec censebitur emolumentum capi quando plus erit aliunde detrimenti.

Secundum est, quod licet in pœnis nonnihil detrimenti capiatur pro qualitate pœnæ, si tamen detrimentum illud tamquam à Deo missum religiose seu Christiane capiatur, maximum inde lucrum & emolumentum prouenire. Siue ad eluendas præteritæ vitæ noxas; siue ad præsentis cuiuslibet necessitatis subsidium promerendum; siue ad futuram comparandam Gloriam, nihil efficacius *quàm tribulatio quæ patientiam operatur, patientia spem, spes autem non confundit.* Rom. 5.

Tertiũ est, quod quæ multa dici possent ad detrimentũ seu malũ aliquod Christianè ferendum, tùm eò maximè recidunt, vt ne tùm pecces, ne tum murmures, ne tum impatientiam, tristitiam, diffidentiam, tædium, abiectionem animi, acediam, incuriam vel nimiam solicitudinem, aut alium denique prauum siue inordinatum affectum admittas, propter Deum quem vereris offendere & cui te velis submittere. Hoc est vnum quo cætera omnia comprehendantur, & quod de Iobo viro illo ad omnis exemplar patientiæ nobis exhibito commemoratur: *In omnibus his*, nempe immissis à Deo detrimentis, *non peccauit Iob labiis suis.* Sic itaque clarius prima patet propositio, quod nemo læditur nec vlli male cedit pœna nisi qui peccet in pœna, quia quantum ex vna parte lædatur, si ex alia tantum emolumenti capiat, non dicetur lædi. Iob. 1.

Sed, quæ secunda est propositio, *nemo peccat in pœna nisi à seipso, nisi volens & lubens;* Licet enim pœna repugnet sensui, nec nisi repugnanter capiatur, ac proinde in impatientiam, in murmura & in alios suprà relatos animi siue corporis inordinatos motus & affectus inducat hominem, potest tamen homo cum Gratia sic illam sentire & sustinere repugnantium vt non peccet, id est, vt ne quid corde vel ore vel opere voluntarium edat quod offendat

Deum vel proximum. Nam sicut solum est peccatum quod est voluntarium, sic solum est voluntarium quod à libera voluntate procedit, & solùm libera dici potest voluntas, siue libertate necessitatis, siue coactionis vt vocant, quando quis à seipso se mouet ad volendum, ad cogitandum, vel loquendum vel agendum. *Habens potestatem suæ voluntatis*, inquit Apostolus, qua de re pleni Codices, & Vide in 1. parte, Fer. 4. Hebd. 2. post Epiphaniam. In
1. Cor. 7. 2. pene tota, vbi de Passione Domini & patientia.

Ex quibus ita delibatis satis euidenter Concluditur proposita Veritas, quòd malos quidem omnes perdet Deus sed non male omnes nisi qui bene perdi nolint; Nam licet omnes puniantur, non omnes tamen in pœnis peccant, non enim peccant nisi qui volunt, qui volunt autem peccare in pœnis, nolunt bene perdi, nolunt quod possent emolumentum ex pœnis capere. Fœlix esset & optanda perditio si quid in pœnis perderent quod ingenti pœnarum lucro redimeretur: Vnde Sapiens, *Est qui multa redimat*
Eccles. 20. *modico pretio, & restituens ea in septuplum*, sed cùm in pœnis peccant, suo se lucro priuant, & pœnis pœnas accumulant dum inde
Prou. 24. rursus punientur quod in pœnis peccauerint, *Impij autem corruent in malum.* At nonne est potens incitamentum *ad sustinendas susten-*
Eccles. 2. *tationes Dei?*

Vide praxim accurate descriptam ex D. Augustino in 2. p. Feria 3. Hebd. 1. in Quadragesima, contra excusantes humanam infirmitatem.

Tàm porro bonum est malis, bene perdi, quàm male perdi, malum est.

Hæc est altera Veritatis propositæ sententia cuius Ratio ex dictis manifestè liquet; Nam cum bene vel male perdi nil sit aliud quam bene vel male vti pœnis, profectò tam bonum est malis hominibus bene vti suis pœnis, quàm malum est & infaustum non bene illis vti. *Hæc omnia Sanctis in bona*, inquit Ecclesiasticus, *sic & impiis*
Eccles. 39. *& peccatoribus in mala conuertentur.* Hæc est scilicet differentia pœnarum quas boni vel mali patiuntur, nam vtrique patiuntur in hoc mundo; sed illi ex pœnis suis meliores euadunt, alij autem peiores. Qua in re boni Deum, & mali Dæmonem imitantur, nam hoc est maxime proprium Dei, ex malis bona facere: contrà vero Dæmonis hoc est opus, ex bonis mala & ex malis peiora

semper efficere, *Imitantur illum qui sunt ex parte illius*, inquit Sapiens. Sap. 2.

Quamobrem caue ne despondeas, aut animum nimis abjicias non tantum in pœnis quas sustines, sed neque in peccatis quæ commisisti, dummodò velis resipiscere, sic enim pœnitentem decet loqui sicut suadet sanctus Bernardus: *male quidem egi, sed factum est, & iam non potest non fieri. Quis scit si hoc mihi Deus expedire prouiderit, & de malo meo Ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit. Malum ergo puniat quod ego feci: bonum autem maneat quod Ipse prouidit. Nostris quippe inordinatis seu voluntatibus seu actionibus nouit Bonitas Dei uti, semper quidem rectè in sui ordinis pulchritudinem: sæpe autem piè in nostram vtilitatem.* Itemque alibi; *Non mentitur Apostolus asseuerans scire se quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Verumtamen solerter attende quod non ad libitum famulari sed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem seruiunt sed ad vtilitatem: non ad voluptatem sed ad salutem: non ad votum, sed ad commodum nostrum. Vsque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, vt inter hac omnia, etiam ea quæ nihil sunt, numerentur: Molestia, morbus & ipsa mors, etiam & peccatum, quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipsa non cooperantur in bonum qui ex eis humilior, feruentior, solicitior, timoratior, & cautior inuenitur?* Ep. 87. Ser. de fallacia præsentis vitæ. Rom. 8.

Sic aptè sanctus Gregorius vbi de malis agit hominibus quos ad bonorum vtilitatem sinit Deus: *quorum*, inquit, *vitam Dominus tolerat quia eos ad Iustorum suorum probationem seruat: Vt cum aduersarius noster Diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quasi suis contra nos armis vtatur. Per ipsos quippe nos sæuiens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsi flagella fiunt de quorum tali vita dum percutimur, ab æterna morte liberamur. Vnde agitur vt Electorum vitæ proficiat, etiam perdita vita reproborum, & vtilitati nostræ dum illorum perditio militat, mira dispensatione fiat, quatenus Electis Dei non pereat etiam omne quod perit.* L. 39. Mor. c. 11.

Contrà verò quod malis omnia in peius ruant, & à pœnis ad pœnas transeatur, Idem sanctus Dator sic prius dixerat: *Duobus modis in hac vita hominem Deus iudicat, quia aut per mala præsentia irrogare iam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia flagellis præsentibus extinguit. Nisi enim delictis exigentibus iustus Iudex* L. 4. Mor. c. 14.

& nunc & postmodùm quosdam percuteret, Iudas Apostolus minimè dixisset, secundò eos qui non crediderunt perdidit. Et de iniquis Psalmista non diceret, Induantur sicut diploide, confusione sua. Diploidem quippe, duplum vestimentum dicimus: Confusione ergo sicut diploide induti sunt, qui iuxta reatus sui meritum, & temporali & perpetua animaduersione feriuntur. Solos quippe pœna à supplicio liberat, quos immutat: Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt.

Sed quid aptius & opportunius ad hoc ipsum demonstrandum quàm quod ipse Dominus in hac nostra Parabola cùm in Iudæos retorsit quæ ipsi dixerant de Malis malè perdendis: *Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.* In quibus verbis duo genera pœnarum sic manifestè declarantur vt postremum quod est *conteri* sit grauius quàm primum quod est *confringi*. Nam vt ait sanctus Ioannes Chrysostomus, *de eo quod confringitur, aliquid manet: quod autem comminuitur siue conteritur, quasi in puluerem vertitur.* Quod vtrumque pœnæ genus Iudæis accidit, nam primo in captiuitate Hierosolymitana confracti sunt; Deinde vero contriti & comminuti velut puluis, quando per totum orbem sparsi sunt *& ventilati vt ab area palea*, sicut ait Theophylactus.

Beda vero ad peccatores hanc duplicem transferens pœnam sic ex sanctis Hieronymo & Ioanne Chrysostomo rem illustrat: *Peccator credens Christo, cadit super lapidem & conquassatur, siue confringitur: reseruatur enim per patientiam ad salutem. Cui vero lapis irruit, id est, qui ipsum negat comminuitur, vt nec testa remaneat in qua hauriatur pusillum aquæ.* Vel sic interpretatur. *Qui modo illum contemnunt, non penitus intereunt sed conquassantur: At quibus superueniet, in iudicio comminuentur, & projicientur tamquam puluis à facie terræ.*

Vide in 1. p. Fer. 4. 5. & 6. Hebdom. 5. post Epiphaniam. Et in 3. p. Fer. 4. Hebd. 13. vbi hæc Veritas explicatur:

Res aduersæ non possent quemquam dejicere, nisi se his priùs vellet subjicere.

QVARTA

QVARTA denique Pars Parabolæ conficitur ex his quæ in fine dicuntur:

Et cum audissent Principes Sacerdotum & Pharizæi parabolas eius, cognouerunt quid de ipsis diceret,

Vnde hæc eruitur satis opportuna Veritas:

Tam facile est malis in aliena se persona nosse, quàm in sua difficile.

Ratio est, quia tàm facile est malis se nosse quando non obest amor proprius, quàm difficile est se nosse quando talis amor obest.

Sed in aliena persona quæ malos repræsentet non obest ille amor proprius; obest vero in sua propria.

Ergo tam facile est illis in aliena se persona nosse, quàm in sua difficile. Ac proinde vt se agnoscant, se modo videant in Iudæis diuinæ Gratiæ perfidis, sicut Iudæi se agnouerunt in repræsentatis illis Agricolis quos ipsi male perdendos & puniendos iudicarunt.

TOTVS discursus est facilis, aut si quæ desiderari possent ad eum declarandum satis obuia quæque occurrunt apud Authores qui de propria sui cognitione tractant. Vt tamen ordinatè procedant omnia, sic prima propositio videtur explananda: Quando rei alicuius explorandæ vel excolendæ difficultas in vno sistit obice, tunc si obicem tollas, tollis & difficultatem. Quid clarius & apertius? Si argentum sola obscuret rubigo, nonne si tollas rubiginem, tollis obscuritatem? Nonne sic Sapiens; *Aufer*, inquit, *rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Nonne sic Apostolus in morali sensu, *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino.* Prou.25. 2. Tim.2.

Solum autem sui noscendi obicem ab amore proprio prouenire dicunt Docti omnes, omnes autem indocti sentiunt, *Difficillimum est*, inquit Aristoteles, *seipsum cognoscere, quilibet amore sui impeditur, ne recte de se indicet.* Ex sacris vero documentis, celebris est illa Diui Basilij sententia: *Firmissimum illud tenendum, rem omnium esse difficillimam seipsum cognoscere & curare, propterea quod naturaliter seipsum quis amat, & quilibet propterea, quod in seipsos propensi* L.2. Magn. Moral. In Constit. c. 23.

sunt, in veritatis iudicio falluntur. Porro ab alio cognosci curarique facile est, cùm iis qui cæteros iudicant nequaquam obstet amor sui ipsorum.

Ex quibus sancti Doctoris verbis non habetur solùm quod difficultas sui noscendi proueniat ex amore proprio, sed cur etiam inde talis difficultas proueniat, nempe quod Iudicium veritatis impediat, qua de re videri debet in prima p. Dominica 2. Aduentus, vbi dictum illud Apostoli, *Veritatem in iniustitia detinent*, explicatur apposite ad rem hanc nostram. Quò refer etiam admirandum illud Domini semel & iterum ad Iudæos dictum: *Iudicium meum iustum est quia non quæro voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me.* Quasi diceret, si quærerem meam voluntatem, iudicium meum vobis forte suspectum videretur quia voluntas humana sic solet in suis iudicium iustum corrumpere. Ac rursum paulo post: *Iudicium meum verum est quia solus non sum: sed ego & qui misit me Pater.* Ac si diceret, qui solus de se iudicat, suspectus ille est sui Iudex. Quod expressa veritate declaratum habetur in 3. p. Fer. 3. Hebd. 14.

Ioan. 5.

Ib. 8.

Nemo sui boni vel mali bonus Iudex.

Ad secundam vero propositionem qua dicitur, *in aliena persona quæ malos repræsentet non obesse amorem proprium, qui obest in sua propria.* Primò explicari posset planius quid sit in aliena persona nos repræsentari: quando scilicet vel ficta quædam persona supponitur quasi fecerit quod narratur, vel si vera est persona, factum eius aliquod nobis exhibetur quod habet talem similitudinem cum vita nostra, vel cum aliqua vitæ nostræ parte & actione, vt in illa persona facile nos adumbratos possimus agnoscere. Sic illi agricolæ seu vinitores de quibus est Parabola, dum negatis vineæ fructibus dicuntur occidisse seruos & filium Domini sui, dumque propterea puniuntur, aptè repræsentant Iudæos qui ex tam multis quas à Deo acceperant Gratijs nullo fructu reddito Prophetas ad se missos ac ipsum etiam Dei filium occiderunt, & ipsi misere perierunt. Sic illi met agricolæ & Iudæi nobis in sua persona ficta & vera, nos singulatim exhibent & repræsentant dum quis gratiis acceptis non profecerit, *& filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui Gratiæ contumeliam fecerit*, nihil aliud expectare potest quàm Infidelitatis suę pœnas.

Hebr. 10.

Hoc est in aliena persona repræsentari: Sed quod deinde Propositio continet, præcipuum est quod expendatur, dum illæ scilicet nobis spectandæ proponuntur personæ, in quibus nos agnoscamus, non inest ille obex, non ille occurrit amor deprauatus qui nostri cognitionem ex nobis ortam infuscat & peruertit. Non enim ita naturali affectu circa illas personas ac circa nos ipsos permouemur, non illis amamus bonum aut timemus malum sensibile sicut nobis: non de illorum honore vel dedecore sit certamus sicut de nostro: quamobrem statim ac audimus illorum factum impium, detestamur, & condemnamus. Statim ac audiuit Dauid quod nefas perpetrarat circa pauperis vnius ouem paruulam, nequam ille Diues quem Propheta Nathan finxerat, statim, inquam, *iratus indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan, Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc: ouem reddet in quadruplum.* At tu es ille vir, tu qui tam facile virum ouis occisorem condemnas, quid est quod post multos occisi à te hominis menses temetipsum non iudicas & condemnas? quia videlicet in illo ficto viro non occurrit Dauidi quod in Dauide occurrisset, si se sibi Dauid in sua propria repræsentasset persona. 2. Reg. 12.

Quod egregiè admodum declaratur in varia quam varij Euangelistæ referunt narratione nostræ Parabolæ; Nam ad interrogationem Domini quærentis, quid ergo Dominus vineæ veniens acturus sit agricolis illis, sanctus Matthæus dicit Scribas & Sacerdotes tum præsentes respondisse, *malos male perdet, & vineam suam locabit aliis.* Sancti autem Marcus & Lucas rem ita narrant vt Dominus ipse dixerit, *veniet & perdet colonos illos, & vineam suam dabit alijs. quo audito dixerunt Scribæ & alij, absit.* Nonne hæc varia narratio seipsam videtur destruere? quid magis oppositum quàm de eisdem dicere quod vnum & idem affirment & negent? nonne hoc est affirmare quando Christo interroganti responderunt *malos male perdet:* Et nonne hoc est ipsum idem negare quando dicenti Christo. perdet colonos istos, clamant, *absit.* Sed vtrumque tamen apte sibi connectitur, & quod probandum hîc habetur, valde confirmat. Nam vt scribit Diuus Chrysostomus, primo quidem dum de solis agricolis egit Dominus, responderunt statim Iudæi quod refert Sanctus Matthæus, *malos male perdendos*, ignorabant scilicet se proferre contra seipsos sententiam: Deinde vero Dominus hoc ipsum repetiit quod illi dixerunt confirmando & appro-

bando eorum sententiam: sed ita repetiit & ita protulit vt ex verbis & gestu ipsius intellexerint illud contra se dictum, & tum responderint quod habet Sanctus Lucas: *Absit.* Nempe vbi se clarius vident, de se negant quod de aliis non verentur affirmare, quia non ille obstat in aliena persona proprius sui amor qui occurrit in propria priuataque persona. Cum tamen postea pluribus illos vrgeret Christus & manifeste ostenderet illos esse agricolas qui nullum Domino suo fructum redderent, ac proinde illos etiam esse perdendos, tunc plane nihil habuerunt quod opponerent, & suo ipsi exemplo demonstrarunt, quod tam facile est malis in aliena persona se nosse, quam in sua difficile.

Quamobrem quantùm ad praxim, vide quid censes de Iudæis, nonne tu illos recte à Christo condemnatos credis, quòd nullum fructum retulerint? Cur igitur pari sententia temetipsum non condemnas, aut te condemnatum cur non vides qui non majorem fructum refers? An putas quod Iudæi haberent in fictis agricolis quo se agnoscerent: & non putabis te hoc ipsum habere in Iudæis? Fictum erat quod proponebatur Iudæis, nec vlli fuerunt vnquam tales Agricolæ, & tamen tuo ipsius iudicio satis erat efficax quo se Iudæi possent agnoscere. At verum omnino est quod tibi modò proponitur, nam vere Iudæi puniti sunt: & pœna eorum grauior ea fuit quam Christus his expressit verbis, *Auferetur à vobis regnum Dei*; transferetur à vobis in alios Gratia quam neglexistis. Nonne hoc putas tibi timendum? Nonne præsumere est, nisi hoc putes, nisi hoc timeas? Nonne hoc denique est quod tam fusè ac grauiter premit & vrget Apostolus: *Tu fide stas, noli altum sapere,* Rom. 11. *sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidéris.* Formidanda sane verba.



FERIA QVINTA.

NON QVID MALE FACIANT SED QVID BENE DOCEANT SVPERIORES, ATTENDENDVM.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharizæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm opera verò eorum, nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Math. 23.

VERITAS PRACTICA.

Si non facis quod doceris, quia qui hoc docent non faciunt, tam falsò te excusas, quàm verè illi à Domino accusantur.

RATIO EST, *Quia tam falsò te excusas quàm falsa illa est ratio quam excusationi tuæ prætendis.*

Sed tam falsa est illa ratio quam prætendis quàm vere illi à Domino accusantur qui dicunt & non faciunt.

Ergo si quod doceris non facis quia qui hoc docent non faciunt, tam falsò te excusas, quam vere illi à Domino accusantur, Qua ex Veritate attentius considerata, non modo qui docentes audiunt, sed & qui docent, admonentur sui officij.

I. PVNCTVM.

QVÆ vigesimo secundo capite refert sanctus Matthæus, magnam habent affinitatem materiæ cum præcedenti, & iam variis in locis consideranda occurrerunt, quapropter his omissis, transitur ad vigesimum tertium Caput vbi Dominus grauiter arguit Doctores legis, seu Scribas & Pharizæos qui alia prorsus docerent ac facerent.

Ne tamen illorum Doctrinæ & authoritati videretur quidquam detrahe e, prius monet turbas & discipulos suos, vt illos audiant & auditis obediant, dum in cathedra Mosis sedent, id est, dum scripturam sacram interpretantur, aut ex scripturis petitos mores docent. Quod autem male agant, nihil ad Scripturam aut Mosem id spectare, & idcirco nihil inde in mores transferendum. Neque propterea se à faciendis his quæ docentur, quisquam excuset: *Nam si non facis quod doceris quia qui hoc docent non faciunt, tam falso te excusas quàm vere illi à Domino accusantur.*

Hæc modo Veritas ex multis quæ proponi possent videtur considerandaquòd docentes simul & audientes ita specter, vt vtrisque sua subministrentur monita quibus quod suum est fideliter agant.

Primò quidem sanè deceret eos omnes qui docent, nonnisi sanam docere doctrinam, neque nisi conformes doctrinæ mores exhibere, vt exemplo confirmarent quod verbo docent: si tamen ista morum desit conformitas, neque facta dictis respondeant, non habent Auditores propterea quod excusent si non id faciant quod docentur: Habent quidem quod arripiant & quod prætendant suæ vel negligentiæ vel concupiscentiæ, quæ cùm repugnet auditis sacræ scripturæ verbis, vellet se inde posse tutò eximere, cúmque aliud nihil occurrat facilius quam illa morum & doctrinæ dissonantia quæ apparet in his qui alios docent, libenter hoc assumit, & quàm deprauata est concupiscentia tam praue accipit quod docetur, si prauus ipse est qui Doctoris officio fungitur.

Sed frustrà, sed falsò, sed perperàm se inde quisquam excuset: Tam falsa est enim excusatio quam falsa est ratio quam prætendit qui se idcirco excusat. Quærit nempe rationem qui rationi repugnat, nam cùm rationi non repugnet nisi vt liberius & iucundius viuat, non sit autem iucundum viuere contra rationem, quid agat

qui rationi viuendo repugnat nisi vt rationem ratione pellat? In his quidem qui se ad omnem libidinem proiecerunt sola libido illis pro ratione prætenditur, *transierunt in concupiscentiam, & in affe-ctum cordis.* Sic totus eorum intellectus, tota mens, & tota in hoc vnum eorum ratio conuersa est, vt quod prauè concupiscunt, rationabile censeatur. Sed non omnes eò dementiæ deuenerunt, non omnes ita omnem exuerunt pudorem vt pudeat non esse impudentes. Contrà prorsus puderet illos suæ libidinis, si sola libido esset, nec adiunctam haberet rationem. Moueret libido Conscientiam, & conscientia libidinem accusaret, nisi Ratio intercederet & nisi excusando libidinem, pacaret Conscientiam. Ps. 72.

Sed quæ participatio Iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quid commune libidini cum ratione? Quid vitio cum virtute? Nihil planè quidem si vera ratio, veraque virtus quæreretur: sed adumbrata sed falsa quædam supponitur, fingunt sibi quod volunt & fictum pro vero affingunt, vnde & iam supra notatum est, quod in vulgata legitur, *transierunt in affectum cordis*, alij legunt *in fictionem siue in picturam cordis*, quasi diceretur, sed fingunt & colorant nescio quid aliud quàm affectum cordis, quo se in suo affectu tegant honestiùs. Sicut quondam Gentiles humanos suos affectus faciebant Deos, vt sic affectus colerent religiosius & liberius: sic eosdem modò affectus ementito quodam Virtutum & rationabilium animi motuum vestimus nomine, quo illis facilius indulgeamus, & rationis excusatione vitium obtegamus. 2. Cor. 6.

At contrà maneat illud firmum & constans, quòd nulla est excusatio si nulla est ratio quam excusationi prætendimus. *Mentita est iniquitas sibi*, non Deo, non hominibus qui fallaciam detegunt, sed sibi vini suamque prorsus in perniciem. Ps. 26.

II. PVNCTVM.

SED quam rationem affers cur non facias quod doceris, quia ipsi qui hoc docent non faciunt, tam falsam & nullam esse patet quàm vere illi à Domino accusantur.

Nam, quod est valde notandum, non tantum accusantur à Domino quod male faciant sed quod male faciendo peruertant quod bene docent, & prauis suis exemplis destruant quod verbis ædificauerant, id est, abducant à bono suos auditores, & in malum in-

ducant; Hoc est enim primum quod illis objicit: *Væ vobis scribæ & Pharizæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et paulo post, *Væ vobis, quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quam vos.*
2. Pet. 2. Quia deprauatus malo exemplo redit ad vomitum; *& melius erat illis non cognoscere viam Iustitiæ quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.*

Nunc itaque quæro abs te, qui à peruersis Doctorum exemplis tuæ peruersitatis excusationem quæris, an rectè, an legitime Doctores illi à Domino arguantur, quod peruersis suis exemplis te peruertant? Dices profecto legitimè, ne blasphemare cogaris, Dominum arguendo. Sed ausculta, si legitime propterea Dominus illos arguit, nonne & te simul accusat qui pro ratione id assumas quod ille tamquam vitiosum iudicat & condemnat? Nonne hoc ipso quo vere accusat praua Doctorum exempla, manifeste significat rationem ab ipsis prauis exemplis petitam, nullam esse posse, cùm praua illa exempla rationi repugnent & idcirco condemnentur? Nonne hoc ipsum est quod dicebat Dominus, *si cæ-*
Matth 15. *cus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt?* Nonne idcirco toties & qui scandalizant & qui se scandalizari sinunt, id est, in peccatum induci, pariter arguũtur quòd non minus aliorum praua exempla fugere quam non aliis dare teneamur? *Non sequéris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ vt à*
Ex. 23. *vero deuies. VIDETE, ne & vos similes efficiamini factis alienis.*
Bar. 6. Eccles. 7. *DISCEDE ab iniquo & deficient mala abs te. Non te reputes in*
ibid. *multitudine indisciplinatorum*, Id est, non te propterea iustum putes quòd alij multi tecum peccent, non enim facit multitudo peccantium vt peccatum non sic peccatum, licet qui peccent sint docti, sint primores, sint seniores, sint quauis insignes dignitate, licet ad peccatum excitent, licet minentur, licet blandiantur. Nonne hic Mundus est, nonne ex tribus vnus est hostis cui non minus est resistendum quàm Carni vel Dæmoni? Quod præsertim locum habet in nostra hypothesi cum ipse ille mundus qui peccat, peccatum semper doceat esse vitandum, ac propterea se peccantem condemnet sicut & alios. Vnde fit vt quantumcumque te excuses, semper agnosces, aut certe habeas quo agnoscas te non minus peccare illis peccantibus quàm si solus peccares: Quod vel ex eo patet euidentissimè,

dentissimè, quod tu ipse non ignores nec diffitearis illos peccare qui quod docent non faciunt. Nec temerarium est illos iudicare & condemnare quando se ipsi palam iudicandos & condemnandos exhibent.

Denique, nonne in te retorquebitur quod contra illos vrget Apostolus: *In quo iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Primo quidem, vt dixi, contra bene docentes & male agentes dictum illud intorquetur, quia qui prædicat non furendum, & furatur, se sua prædicatione condemnat; sed deinde etiam illud ipsum tibi quadrat qui rationem excusati peccati tui, trahis ex peccato docentis, quia iudicando docentem, tu teipsum condemnas qui eadem agis quæ iudicas. Rom. 2.

Non argueris quod eum iudices qui se iudicandum palam exponit, sed quod illum iudicando, tu idem agas, & te tamen excusas quasi minus peccares. *Ex verbis tuis condemnaberis.* Matth. 12.

III. PVNCTVM.

QVAMOBREM *aperta est Veritas, quod si non facis quæ doceris, quia qui hoc docent non faciunt, tam falso te excusas quam vere illi à Domino accusantur*, Nam dùm vere à Domino accusantur, patet eos peccare, & dum patet eos peccare, patet nullam esse rationem qua te excuses. Nam excusare peccatum ex manifestó alterius peccato, se potius accusare est, cum ex eo ipso quod manifestum esset alterius peccatum, tu ignorare non poteras, & quanto erat magis manifestum, tanto erat manifestiùs euitandum: *qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 3.

Magna quidem peccandi est illecebra, prauum illorum exemplum qui secus agunt quàm docent, sed quis nescit ab his illecebris esse cauendum? Quis nescit quod ait Sapiens: *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam, mendacium.* Eccles. 4. 32. Et rursum, *ne ponas animæ tuæ scandalum. Et ne accipias personam vt delinquas.* 42. Aut si hæc forte ignorentur, quis nescit dictum Domini, *Cauete ab hominibus: Scandalizabuntur multi & inuicem tradent.* Matth. 10. Ibid. 24. Quis nescit, oculum scandalizantem esse eruendum, aut quis ignorat tali oculo designari Doctorem & ducem qui cauenda

ducant; Hoc est enim primum quod illis objicit: *Væ vobis scribæ & Pharizæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et paulo post, *Væ vobis, quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quam vos.*

2. Pet. 2. Quia deprauatus malo exemplo redit ad vomitum; *& melius erat illis non cognoscere viam Iustitiæ quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.*

Nunc itaque quæro abs te, qui à peruersis Doctorum exemplis tuæ peruersitatis excusationem quæris, an rectè, an legitime Doctores illi à Domino arguantur, quod peruersis suis exemplis te peruertant? Dices profectò legitimè, ne blasphemare cogaris, Dominum arguendo. Sed ausculta, si legitime propterea Dominus illos arguit, nonne & te simul accusat qui pro ratione id assumas quod ille tamquam vitiosum iudicat & condemnat? Nonne hoc ipso quo vere accusat praua Doctorum exempla, manifeste significat rationem ab ipsis prauis exemplis petitam, nullam esse posse, cùm praua illa exempla rationi repugnent & idcirco condemnentur? Nonne hoc ipsum est quod dicebat Dominus, *si cæcus*

Matth. 15. *cæcum ducat, ambo in foueam cadunt*? Nonne idcirco toties & qui scandalizant & qui se scandalizari sinunt, id est, in peccatum induci, pariter arguūtur quòd non minus aliorum praua exempla fugere quam non aliis dare teneamur? *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ vt à*

Ex. 23. *vero denies. VIDETE, ne & vos similes efficiamini factis alienis.*

Bar. 6. *DISCEDE ab iniquo & deficient mala abs te. Non te reputes in*

Eccles. 7. ibid. *multitudine indisciplinatorum*, Id est, non te propterea iustum putes quòd alij multi tecum peccent, non enim facit multitudo peccantium vt peccatum non sit peccatum, licet qui peccent sint docti, sint primores, sint seniores, sint quauis insignes dignitate, licet ad peccatum excitent, licet minentur, licet blandiantur. Nonne hic Mundus est, nonne ex tribus vnus est hostis cui non minus est resistendum quàm Carni vel Dæmoni? Quod præsertim locum habet in nostra hypothesi cum ipse ille mundus qui peccat, peccatum semper doceat esse vitandum, ac propterea se peccantem condemnet sicut & alios. Vnde fit vt quantumcumque te excuses, semper agnosces, aut certe habeas quo agnoscas te non minus peccare illis peccantibus quàm si solus peccares: Quod vel ex eo patet euidentissime,

dentissimè, quod tu ipse non ignores nec diffitearis illos peccare qui quod docent non faciunt. Nec temerarium est illos iudicare & condemnare quando se ipsi palam iudicandos & condemnandos exhibent.

Denique, nonne in te retorquebitur quod contra illos vrget Apostolus: *In quo iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Primo quidem, vt dixi, contra bene docentes & male agentes dictum illud intorquetur, quia qui prædicat non furendum, & furatur, se sua prædicatione condemnat; sed deinde etiam illud ipsum tibi quadrat qui rationem excusati peccati tui, trahis ex peccato docentis, quia iudicando docentem, tu teipsum condemnas qui eadem agis quæ iudicas. Rom. 2.

Non argueris quod eum iudices qui se iudicandum palam exponit, sed quod illum iudicando, tu idem agas, & te tamen excusas quasi minus peccares. *Ex verbis tuis condemnaberis.* Matth. 12.

III. PVNCTVM.

QVAMOBREM *aperta est Veritas, quod si non facis quæ doceris, quia qui hoc docent non faciunt, tam falso te excusas quam vere illi à Domino accusantur,* Nam dùm vere à Domino accusantur, patet eos peccare, & dum patet eos peccare, patet nullam esse rationem qua te excuses. Nam excusare peccatum ex manifesto alterius peccato, se potius accusare est, cum ex eo ipso quod manifestum esset alterius peccatum, tu ignorare non poteras, & quanto erat magis manifestum, tanto erat manifestiùs euitandum: *qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus,* Rom. 1.

Magna quidem peccandi est illecebra, prauum illorum exemplum qui secus agunt quàm docent, sed quis nescit ab his illecebris esse cauendum? Quis nescit quod ait Sapiens: *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam, mendacium.* Eccles. 4. 32. Et rursum, *ne ponas animæ tuæ scandalum. Et ne accipias personam vt delinquas.* Aut si hæc forte ignorentur, quis nescit dictum Domini, *Cauete ab hominibus: Scandalizabuntur multi & inuicem tradent.* Quis nescit, oculum scandalizantem esse eruendum, aut quis ignorat tali oculo designari Doctorem & ducem qui cauenda 42. Matth. 10. Ibid. 24.

videt nec tamen cauet, qui foueam aperit, & in eam incidit atque alios secum trahit. Erue hunc oculum, erue: Id est, longe procul inde disiungere: & quantumuis videretur prudentis esse, virorum alioquin insignium facta sequi, caue hanc prudentiam, dum eorum facta repugnant ipsorum dictis. Memento quod scribit Diuus Hieronymus aduersus Pelagianos: *Vicina sunt vitia virtutibus, vt si paululum declinaueris, aut errandum tibi sit, aut in praeceps cadendum. Quantum inter se distant pertinacia & Perseuerantia: Parsimonia & frugalitas: Liberalitas & profusio: Prudentia & calliditas: Fortitudo & temeritas: Cautela & timiditas, quorum alia ad bona, alia referuntur ad mala?* Non est prudentis sed callidi hoc in Doctore imitari quod Doctor improbat; sic enim callidè vis facto approbari quod verbo improbatur: sic enim callidè vis vt appareat ratione fieri, quod contra rationem facias.

FERIA SEXTA.

DE PRVDENTI ZELO IN ARGVENDIS ALIIS: NE QVI ALIOS ARGVIT, DE IPSIS DETRAHAT.

Serpentes Genimina Viperarum, quomodo fugietis à iudicio Gehennæ? Matth. 23.

VERITAS PRACTICA.

In arguendis aliis nisi prudentiam serpentis adhibeas, serpentis virus exhibebis.

SENSVS & RATIO EST, Quod in arguendis aliis nisi prudentiam & cautionem magnam adhibeas, de ipsis imprudenter detrahes.

Sed detrahere imprudenter de aliis, perinde est ac serpentis virus exhibere.

Ergo & patet Veritas, & patet quàm sit damnosum de aliis detrahere, Ac proinde quàm necessarium in arguendis aliis prudentiam adhibere, qualem Christus adhibuit in arguendis Pharizæis, qui contra toti vt serpentes virulenti erant cùm Christum & Apostolos arguerent.

L. PVNCTVM.

EX multis quæ contra Pharizæos hîc Christus Dominus accumulat, hæc visa est potissimum sententia seligenda quæ materiam nondum tractatam continet, & quæ tamen sæpe tractanda potest occurrere. Dum enim dicuntur Pharizæi serpentes & genimina Viperarum, arguuntur maxime vitij quod Detractio dicitur; simulque indicatur quàm graue sit & damnosum hoc vitium: quod & apertius significatur cùm ab illis quæritur, *quomodo fugietis à iudicio Gehennæ*, Id est, iudicium quod mittit in gehennam. Id est, quomodo poteritis hoc iudicium effugere & saluari, cùm toti vt serpentes ac viperæ toti sitis in effundendo malignæ vestræ linguæ virus in me ac meos discipulos; quod sane vitium tam capitale est vt infernum & gehennam præ cæteris certò accersat. Nonne hoc est quod merito, paulò attentius expendatur? Quia vero nobis non solum id incumbit ne detrahamus, sed vt detrahentes & alios peccantes arguamus, nonne periculosum est ne dum alios arguas, tu ipse de illis detrahas? Et nisi discreto ac prudenti Zelo mouearis, nonne etiam procliue est vt in patrocinium tuæ temeritatis adducas exemplum Christi, qui Pharizæos acriter & aculeate arguit? Quamobrem cautio non leuis est adhibenda; quæ vt concilietur facilius sic est concepta Veritas: *Quod in arguendis aliis nisi prudentiam serpentis adhibeas, serpentis virus exhibebis.* Id est, de aliis imprudenter detrahes, quod est virus more serpentis effundere, & quod ita damnosum est vt eius consideratione damni, discas & velis cum gratia nonnisi prudenter & caute de aliis loqui.

Quod hic porrò primum occurrit explanandum, nullam habet difficultatem, cùm & sacris Scripturæ testimoniis & ipsa satis sit notum experientia, quod nisi prudentiam & cautionem magnam adhibeas in loquendo de aliis, dum præsertim arguuntur; tu de ipsis detrahas, id est, perperàm de his loquéris, Id est, aliud aut aliter aut alio fine quàm loqui debuisses. Nonne sic aperte Apostolus: *sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere*, quando scilicet vobis objicietur aliquid grauius, vel quando quid de aliis inquiretur; cauete prudenter quid respondeatis, nam nisi hanc prudentiam & cautionem adhibueritis, excidet aliquod vobis verbum quo vel præsentem qui vobiscum loquitur offendatis, vel absentem de quo est sermo.

Coloss. 4.

Tanta est humanæ linguæ ad vitium procliuitas vt nisi cum Diuina Gratia diligenter cohibeatur, vix de alio sermonem habeat, quin sermo ille sit vitiosus, vel imponens aliquid vitiosi quod non est; vel si quod forte est, illud amplificans: vel quod occultum est manifestàns: vel quod in bonum sensum verti posset, in malum vertens: vel negando recte facta & dotes: vel ea diminuendo: vel tacendo cum bene loquendum esset, vel annuendo detrahentibus, vel tam remisse laudando, vt laus illa sit potius vituperium. Tot enim modis fieri potest Detractio, qui partim affirmatiui seu directi sunt circa malùm alterius quod detrahendo manifestatur; partim negatiui siue indirecti sunt circa bonum quod tacetur: & his duobus versiculis continentur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remissè.

Sic Pharizæi de Christo Domino; at non sic Christus de illis, nam quantùm illi de Christo imprudenter ne dicam impie detrahebant, tam prudenter & piè Christus illos arguebat. Sunt enim inter vtrosque multa quæ multum inter se discreparent & vnde prudens ab imprudenti locutio quæ de aliis habetur, discerni possit. Primum est Authoritas; Nempe Christus cum summus esset omnium Dominus, Magister, Pontifex, Pastor, Iudex, & promissus in lege Propheta qui Iudæos erudiret, poterat pro sua scilicet Authoritate quos vellet, arguere, increpare,

corripere, iudicare, condemnare: *Pater omne iudicium dedit filio.* Ioan. 5.
ERAT docens eos sicut potestatem habens: & non sicut Scribæ eorum Math. 7.
& Pharizæi, qui cùm modicam in alios haberent potestatem, certè nullam in Christum. Secundum est, manifesta Veritas, nihil enim Christus de Pharizæis dicebat quod non esset manifestò arguendum: Non ita vero quod Pharizæi de Christo murmurabant. Nam vel erat falsum, vel prauè acceptum, vel nullo prorsus modo arguendum. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8.
Tertium, Finis seu Intentio, quod enim argueret Pharizæos Dominus eò tantum spectabat vt vel ipsi corrigerentur, vel ne ipsorum exemplo cæteri deprauarentur: *Intuemini & cauete à fermento Pharizæorum & Saducæorum.* Math. 16. Hi autem Christi hostes non alio fine Christum insectabantur, quàm vt illum perderent, quàm vt eius doctrinæ obsisterent, quàm vt bonum quod construebat destruerent, & malum quod destruebat construerent. Quartum, Animus seu Affectus quo quis de alio loquitur, nam Christi animus sola Charitate mouebatur, vnde sua concludens Monita sic vniuersis materno plane affectu loquebatur: *Ierusalem* Math. 23.
Ierusalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? At Pharizæi contrà nonnisi ex æmulatione & contentione, non nisi per inuidiam & superbiam, nonnisi ex illo vecordi odio quo Christus dicit mundum se odisse, *Quia*, inquit, *ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius* Ioan. 7.
mala sint. Et viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum: vt im- Ibid. 15.
pleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me Gratis.

Quando itaque sic ex odio, vel inuidia, vel maligno quouis affectu miscetur sermo de aliis quem non libenter audirent, & quem de te nolles haberi, qui nec prodest loquenti vel audienti vel illi de quo est sermo, tunc est detractio, tunc est imprudens & nociua locutio, tunc est vitium in quod labi procliue est, nisi cautionem adhibueris & nisi cum Sapiente solicitus de refrænanda lingua dixeris, *quis dabit ori meo custodiam & super labia mea* Eccles. 22.
signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

II. PVNCTVM.

SIC autem lingua perdit detrahentem, dum perdit eum de quo detrahitur, & eum qui detractionem audit, nec quantum potest impedit.

Quæ vt triplex perditio melius intelligatur, comparatur Detractor cum serpente, & hoc esse detrahere affirmatur perinde ac Eccl. 10. serpentis aut viperæ virus exhibere. Sic aperte Sapiens: *si mordeat* Ps. 139. *serpens in silentio, nihil eò minus habet qui occulte detrahit.* Et Psaltes regius: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum*, Apte *sub labiis*, inquit S. Augustinus: *Vt aliud sub labiis, aliud in labiis aduertamus.* Sic & sanctus Hieronymus: *Serpens & detractor æquales sunt, vt ille occultè mordens venenum inserit, sic iste clàm detrahens, pectoris sui virus infundit.* Atque vt serpentis lingua dicitur esse trisulca quod quasi tres aculeos siue cuspides habeat quibus venenum suum spargit, ita detractor vt dictum est, Et se & præsentes & absentes sua lingua lædit Iac. 3. quæ propterea dicitur *inquietum malum & plena veneno mortifero.* Id est, tam noxio & insanabili, vt mortem præsentem afferat.

Sicut autem triplex Genus est vitæ, sic triplicem mortem affert detractio, cuius vix vllum est remedium. Prima dicitur vita ciuilis quæ in fama consistit quam si quis perderet, diceretur infamis & ciuiliter quodammodo mortuus, id est, priuatus bono nomine & bona fama quæ altera reputatur vita, quatenus alioquin vix inter homines viuat qui est infamatus. Hanc porrò vitam detractor tollit ab illis de quibus detrahit, tollit eorum famam, tol- 2. 2. q. 73. lit bonum eorum nomen. *Directè*, inquit D. Thomas, *detrimentum infert famæ, inquantum huiusmodi verba occultè proferens, quantum in ipso est, eos qui audiunt facit malam opinionem habere de eo contra quem loquitur.* Quod cum sit graue malum, hinc aliud genus mortis quod in ea vitæ priuatione ponitur quæ vita Gratiæ dicitur, vita interior animæ, vita qua Deus viuit in anima, & anima in Deo suo; vita quæ per solum illud peccatum tollitur quod propterea mortale dicitur quia mortem animæ affert iuxta illud Ez. 18. Prophetæ, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Hæc est detractoris anima, hæc est eius mors animæ, hoc est eius peccatum, pecca-

tum mortale, peccatum graue & damnosum. Nam vt ait expressis verbis Idem Diuus Thomas, *Auferre alicui famam valde graue est, quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior per cuius defectum impeditur homo à multis benè agendis, propter quod dicitur Ecclesiastici quadragesimo primo, Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri magni & pretiosi. Et ideo, detractio per se loquendo, est peccatum mortale.* Et paulo post, comparans illud peccatum cum furto, ait grauius esse detrahere quàm furari, *quia*, inquit, *fama praeminet diuitiis, eo quod propinquior est spiritualibus bonis; vnde dicitur Prouerbiorum vigesimo secundo, melius est nomen bonum quam diuitiæ multa. Et ideo Detractio secundum suum genus est majus peccatum quàm furtum.* Addunt etiam aliqui quàm homicidum, cùm sint multi qui famam seu vitam ciuilem naturali præferant vitæ, & longè malint non viuere quam fama sublata viuere. Quidam comparant Detractores Antropophagis, id est, barbaris qui humanas carnes comedunt, sic detractor dentibus quodammodo lacerat eos de quibus detrahit vnde dicebat Beatus Iob, *quare persequemini me, & carnibus meis saturamini:* Et Propheta Psaltes: *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Sic & Sanctus Apostolus: *si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Barbarum porro vitium & ab humano sensu longe remotum, hoc enim omnes sentimus in nobis quàm graue nobis sit, maledici, detrahi, male audire, & vel leuem famæ iniuriam pati! Nonne hunc igitur humanitatis sensum exuisse videatur, qui quod sibi tam graue sentit, tam leue ducat in aliis?

a 2. a 3. Iob. 19. Gal. 5.

Sed quod mali pestilentiam auget, tertium est vitæ Genus seu mortis oppositæ quam sibi Detractor infert, nempe illius mortis quæ *mors secunda* dicitur, mors æterna consequens internam animæ. Nam hoc ipso vel maxime vipereum virus est Detractio, quod detrahentem ita peruadat, ita inficiat, ita penetret vt vix vmquam eo liberari possit, vix vmquam sanari & saluari, sed æternæ reus pœnæ, iudicium illud gehennæ subeat de quo expresse Dominus, *serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Nam si numquam peccatum dimittitur, nonne manet semper luendum? Si vero sublatam famam & damna inde consequentia cum posset & deberet detractor restituere non restituit, quomodo peccatum dimittetur? Quàm rarum denique, quòd subla- Apoc. 20.

tam famam restituat! Ac proinde quàm frequens & ordinarium, vt peccati veniam non consequatur & sic pereat in æternum! O quam præclare propterea Sapiens: *qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.* Et rursum: *quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.*

Prou. 13. Ibid. 25.

III. PVNCTVM.

Q*VAMOBREM aperte patet quod in arguendis aliis nisi prudentiam serpentis adhibeas, virus serpentis exhibebis.* Non argues vitia sed de vitiosis detrahes; non sanabis morbum sed augebis; nulli proderis, & tibi multum nocebis. *Sagitta paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Id est, verba quæ proferuntur contra proximum non seruatis debitis circumstanciis, sunt velut sagittæ quas paruuli infantes volunt ex arcu emittere, partimque lædunt quos petunt, partim in ipsos recidunt sagittarios, partim in circumstantes detorquentur, non sine graui omnium vulnere, non sine variis ac multiplicibus singulorum detrimentis; vnde tam crebra in scripturis monita de cauenda non tantum detractione, sed & ipsis detractoribus fugiendis, *quoniam repente*, inquit Sapiens, *consurget perditio eorum: & ruinam vtriusq; quis nouit?* Id est, detractoris & auditoris; quasi diceretur, tam repentina, tam multiplex, & tam grauis est vtriusq; ruina; vt nemo satis eam norit. Vel sit interpretatio: Tam multi sunt detractores & detractorum socij; tam verò pauci qui ruinas eorum cogitent, vt meritò quæri possit, *ruinam vtriusque quis nouit?* Si enim nossent non ita faciles essent in carpendis aliis; Vel cum ita sint faciles, damna sua non cogitant.

Ps. 63.

Prou. 24.

Hinc apte S. Hieronymus: *Nulli vmquam omnino detrahas: & si aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magis tuam vitam ornare disce, quàm alienam carpere: ac semper memor esto scripturæ dicentis, noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci etenim sunt qui huic vitio renuntient; rarumque inuenies qui irreprehensibilem vitam suam exhibere velit, vt is non libenter reprehendat alienam: tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extraneum laqueum diaboli incidant.* Iam vero vide num sit illa opus singulari cautione ac prudentia quam requirit proposita Veritas in eo declinando vitio cuius

Ep. ad Celantiam.

cuius lapsus est valde facilis, difficilis admodum regressus, & mora damnosissima.

Insignis est ad omnem memoriam pœna inflicta Mariæ sorori Moysis, quòd de fratre suo paulo liberius detraxisset, nam & statim leprosa facta est & separata septem diebus ab humano consortio, & nisi frater eius orasset, grauiora forsan passa esset, quæ certe indicant quàm vere dixerit Apostolus, *Detractores, Deo odibiles.* Num. 12. Rom. 1.

Illustris est etiam ille psalmorum locus vbi detrahentem de futuro supplicio monet Dominus, vt inde sibi prospiciat. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique quòd ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* Id est, non ero similis tui de te loquens in occulto sicut de aliis loqueris, sed palam, sed manifestè coram omnibus te arguam: te castigabo, & illud ipsum probrum quod intulisti proximis, in faciem tuam Ego ipse Iudex tuus aliquando refundam: & hoc velim omnes intelligant, ne pari culpa peccent, ne pari pœna puniantur. Ps. 49.

Vide in hac 4. parte, Feria 3. Hebd. 16. de Correptione fraterna. Et Fer. 2. Hebdom. 19. vbi multa de aliis non temere accusandis.

SABBATO.

DE TEMPLI DESTRVCTIONE QVAM PRAEDICIT DOMINVS.

Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Math. 24.

VERITAS PRACTICA.

Chara Deo anima si chara esse desinit, tantò euadit vilior, quantò erat charior,

RATIO EST, *Quia si chara Deo anima, chara esse desinit, oportuit grauem interuenisse causam, oportuit eam fuisse multum infidelem & ingratam.*

Sed anima sic infidelis & ingrata, tanto euadit vilior quanto erat charior.

Ergo & certa Veritas, & certè multùm pauenda.

I. PVNCTVM.

ET egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt Discipuli eius vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Tùm secedens longius in montem Oliueti, denuntiat eis diuersa calamitatum genera quæ ventura essent in vniuersum orbem. Primo quidem contra Iudæos qui prorsus exterminandi erant. Deinde contra ipsos Discipulos qui variis erant cruciandi tormentis. Ac denique contra totum quà late patet mundum, regnante Antichristo, & redeunte ad iudicandos homines Christo Domino, Iudice viuorum ac mortuorum, quem multa & horrenda signa præcedent de quibus crastinum occurret Euangelium. Nunc quod Templi tam augusti destructionem & tam charæ ciuitatis euersionem spectat, paulò attentiùs consideremus. Satis enim admirari nemo queat quomodo illa quæ præ cæteris totius vniuersi partibus Deo chara erant, vel destructa fuerint, vel numquam restitui potuerint, quantacumque vis humana, collatis pene omnium Christianorum Regum viribus in id contenderit.

Thren. 1. *Quomodo sedet sola Ciuitas, plena populo! facta est quasi vidua,* Ibid. 4. *Domina Gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo! Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum. Compleuit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem in Sion & deuorauit fundamenta eius.* Hæc & plura Ieremias quæ modò possint dolentius deplorari non solum de destructis & numquam restitutis sacris illis Locis, sed multo magis de tam multis animabus quæ cùm in primis charæ Deo essent, sic esse desierunt ex pri-

mis & charioribus, vt quanto erant chariores, tanto euaserint viliores. Hoc est enim quod euerso postremùm templo nec vmquam deinceps restituto figuratur; hoc est expressum & ad posteros omnes transmissum exemplar infidelis & ingratæ animæ castigatæ: sic plerumque destruitur, vt numquam reparetur, sic discedit vt non redeat: sic cadit vt non resurgat, sic peccat vt non resipiscat, sic vilis & exosa redditur, *vt quanto erat charior, tanto euadat vilior.* Nonne hoc stupendum, nonne hoc perpendendum?

Quod vt solidius & fructuosius fiat, tria sunt primo declaranda ex quibus Ratio constet qua proposita Veritas magis illustretur. Primum est, hoc esse maxime proprium diuinæ Charitati qua Deo chara est anima, vt quantum in se est, *numquam excidat*, sicut ait Apostolus, Id est, ita sibi Deus quam charam habet animam, vniat & vnitam conseruet, vt nisi se inde anima volens & lubens separet, numquam à se Deus illam disiungat. *In Charitate perpetua dilexi te.* Nam enim ille amat & deserit, qui singulariter ait: *Ego Dominus & non mutor:* Nec illa Charitas ex se mutabilis dici potest quæ est vinculum perfectionis. 1. Cor. 13. Ier. 31. Mal. 3.

Secundum quod inde sequitur est, vt cùm varij sint Charitatis Gradus, quantò quis in subliniori existat, & magis charus Deo fuerit, tanto etiam arctius illi vnitus est, & strictiori vinculo quodammodo colligatus, vnde licet semper pro sua libertate possit se homo separare, difficilius tamen hæc separatio fiat propter vim vnitiuam quam vocant & constrictiuam Charitatis. *Quis nos separabit à Charitate Christi? LAEVA eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio: Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam.* Quæ sunt omnia firmitatis & constantiæ symbola. Rom. 8. Cant. 8.

Tertium denique est, quod si proinde anima Deo chara se à Deo separet & chara esse desinat, oportet interuenisse non vulgarem aliquam causam; oportet primo illud quod causa peccati & recessus à Deo fuerit, fuerit admodum graue ac vehemens. Deinde vero licet peccarit; cur non statim resurgat, cur non Gratia statim peccatorem ad se reuocet, vel cur peccator Gratiæ non obse-

cundet, mirum id certe in tali anima, cum de ipsis quibuscumque peccatoribus mirari videatur Deus, & per Prophetas quærat. *Numquid qui cadit non resurget? & qui auersus est non reuertetur? quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* Quare ergo illa tam chara Deo anima quæ cecidit non resurgit, & quæ auersa est, non statim reuertitur, cum statim sponsus ad se illam reuocet, *Reuertere, reuertere, Sulamitis: reuertere, reuertere vt intuamur te*; aut certe si non ita reuocetur, oportet sponsum esse valde offensum: oportet causam offensionis esse valde grauem.

Ier. 8:

Cant. 6.

Sic plane est, quidquid illa mortale peccarit anima, non potest non esse admodum graue, propter acceptas maiores Gratias quibus erat præ cæteris Deo charior: vnde, inquit Diuus Thomas: *Licet alia minus chara idem specie peccauisset, non idem tamen grauitate peccasset, quia non esset tam infidelis & ingrata: quia non tanta receperat beneficia quorum ratione magis aut minus infidelis & ingrata dicitur peccatrix anima.*

22. q. 186. a. 10.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Quasi diceret, vt interpretatur sanctus Augustinus, *vnde ergo dissensio! qui intus erat, foris factus est. Ambulauit mecum in domo Dei cum consensu: aliam domum erexit contra domum Dei. Quare illa relicta est vbi ambulauimus cum consensu? quare illa deserta est, vbi dulces simul capiebamus cibos?* Non potest certe non id ingratissimum recenseri.

Ps. 54.

II. PVNCTVM.

SED *anima sic infidelis & ingrata, tanto euadit vilior quanto erat charior.*

Ita enim Deo displicet ingratitudo, vt quanto anima est ingratior, tanto magis displiceat: quanto autem erat charior, tanto est ingratior si per suam culpam chara esse desinit, vnde necesse est vt tanto etiam magis displiceat & vilior fiat, sicut expresse dicitur *quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Id est, non reuertens à peccato; Id est, in eo statu quo esse chara desi-

Ier. 2.

nis, Id est, quanto magis procedis in illo ingratitudinis statu, tanto magis mihi vilescis, & sic tandem fiet vt nimis, id est, valde vilis fias. Vnde & ipsa pòst si quando resipiscat; *Vide*, inquit, *Domine & considera, quoniam facta sum vilis.* Quasi diceret, sentio quàm sim vilis, sentio quàm sit mihi damnosum, sic esse vilem; aut quia sic vilis sum coram Deo, inde prouocor ad resurgendum, inde ipsum prouoco Deum vt me in nouam recipiat Gratiam. Thren. 1.

Sed rarum istud est & valde difficile, nam hoc habet annexum ista vilitas vt majoribus sublatis Gratiis, rariores conferantur; & qui ambulare noluerunt in lumine, in tenebris ambulent: qui lucentem sibi solis ardorem neglexerunt, tabescant frigore. *Ingrati enim spes*, inquit Sapiens, *tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua superuacua.* Sap. 16.

Quod præclarè admodum & fuse prosequitur S. Bernardus Sermone contra pessimum vitium ingratitudinis: postquam enim commemorauit acceptas à Religiosis diuinas Gratias: *Sed iam*, inquit, *omnino monet fratres mei, quid sibi velit, quod minus erga nos, liberalis nunc diuina clementia videatur, vt quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, imo & fortasse recusantibus: nunc orantibus, obsecrantibus, postulantibus sæpissime, imo continuè, videatur multa minora negare? Quid enim putamus, charissimi? Abbreuiata est manus Domini, an forte thesauri gratiæ defecerunt? Quid inquam, putamus, vtrum voluntas mutata sit, an immutata facultas? Neutrum sane de eo æstimare licet: neutrum fas est credere de omnipotenti & immutabili majestate. Quid sibi vult ergo quod incessanter orantes, obsecrantes, postulantes non exaudit, quibus tantam & tam gratuitam misericordiam prærogauit?* Tum vero id declarans ex Ingratitudine fieri sic pergit demonstrare quanta inde in ruinam detrimenta importentur: *quàm multos enim videmus & plangimus, fratres, qui dummodo maneat habitus & tonsura, salua sibi omnia arbitrantur, non considerantes miseri quemadmodum Ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantùm corticem quem videt transforare dissimulet, ne forte recogitent & erubescant, ipsaque verecundia emendetur. Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interiora vniuersa præsumit, vt non vereatur ad ea quoque quæ foris apparent venenatum ducere caput: nisi forte quos videmus manifestè apostatare à Deo, repente fieri pessimos arbitramur, & non magis paulatim defecisse, cùm comederint alieni*

robur eorum, & nescierunt.

Poteftne cogitari quid illa vilius anima: quid illa vilitate deterius? De illo autem frigore cui comparata eft Ingratitudo fic Idem.

Serm. 63. in Cantica. fanctus Abbas non minus opportunè: *Hoc frigus fi femel animum, anima quidem, vt affolet, incuria, fpiritu dormitante peruaferit, ac nemine deinde, quod abfit, inhibente, ad interiora eius peruenerit, defcenderit in vifcera cordis & finum mentis, concufferit affectiones, occupauerit confilij femitas, perturbauerit iudicij lumen, libertatem addixerit fpiritus; mox, vt in corpore folet euenire febricitantibus, fubit quidam animi rigor, & vigor lentefcit, languor fingitur virium, horror aufteritatis intenditur, timor folicitat paupertatis, contrahitur animus, fubtrahitur Gratia, protrahitur longitudo vitæ, fopitur ratio, fpiritus extinguitur, deferuefcit nouitius feruor, ingrauefcit tepor faftidiofus, refrigefcit fraterna Charitas, blanditur voluptas, fallit fecuritas, reuocat confuetudo. Quid plura? diffimulatur lex, abdicatur ius, fas profcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poftremò impudentiæ manus, præfumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiffimus, plenus ille ignominia, & confufione faltus de excelfo in abyffum, de pauimento in fterquilinium, de folio in cloacam, de cælo in cænum, de clauftro in fæculum, de paradyfo in infernum.*

Ecce quò tandem ille miferandus tendit ftatus! ecce quam fit vilis in oculis Dei, ecce quid fit ita effe vilem in eius oculis, nempe vt iacentem in eo ftatu animam oculi Domini planè auerfentur! Quod & alia fimilitudine valde apta Dominus ipfe, vt iam alibi

Apoc. 3. diximus repræfentat, cum ait ingrato cuidam: *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Nec immerito*, inquit Abbas Daniel

Coll. 4. c. 1. apud Caffianum, *eos Dominus quos iam in vifceribus receperat Charitatis, noxiè tepefactos cum quadam conuulfione pectoris fui euomendos effe pronuntiat, qui cùm falutarem quodammodo ei potuiffent præbere fubftantiam, auelli ab eius vifceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis qui numquam ori Dominico illati funt cibis, quanto id quod naufea compellente projicimus, odibilius deteftamur.* Et poft pauca: *quod femel vitio perniciofi teporis abiectum eft, non dicam labiis admouere, fed etiam eminus intueri, fine ingenti horrore non poffumus.* Et quæ plura ibi habentur ad hanc animæ vilitatem & extremam vilitatis perniciem demonftrandam.

Vide fupra in hac p. Dominica vigefima prima, vbi de feruo nequam à quo repetiit Dominus quæcumq; remiferat, quia nõ remifit

vni ex conseruis suis, eandem petenti gratiam; quod serui factum Dominus cum velut Ingratitudinem interpretatus esset, sic illam vnam sibi displicere significauit, quanta displicerent illa omnia quæ iam remiserat: Non enim proprie reuocauit remissa & condonata, sed Ingratitudinem tali pœna mulctauit, qualem illa multa & grauia merebantur peccata, quæ condonauerat.

Vnde rursum apposite sanctus Bernardus: *Dico ego vobis quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis Gratiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodum Ingratitudo. Vias enim obstruit Gratiæ, & vbi fuerit illa, iam Gratia accessum non inuenit, locum non habet. VINDEMIAVIT me vt locutus est Dominus in die iræ furoris sui.* Ser. 2. de Euang. septem panum. Thr. 1.

III. PVNCTVM.

HINC *ergo patet Veritas: quod chara Deo anima si chara esse desinat, tanto euadit vilior, quanto erat charior: & tanto difficilius redit ad gratiam vnde excidit, quantò ei erat facilius, non excidere si stare voluisset.* Sic thesauri bonitatis & gratiarum transeunt in thesauros iræ & suppliciorum: vtrobique thesauri sed longe varij & diuersi. *Sic vbi abundauit delictum abundat gratia:* & vbi abundauit gratia, illic abundat delictum, siue culpam siue pœnam respicias. Quid melle dulcius? Sed si perperam & indiscrete sumatur, tanto euadit amarius quanto erat dulcius. Nihil magis decet Regem quàm Clementia, sed irritata regis clementia transit in iram quæ leonina dicitur, id est, inhumanis g auissima. Malacia seu tranquillitas maris quo est diuturnior seu quietior, eo sæuiorem cogit tempestatem. Vidistine fratres, aut consanguineos aut affines inter se dissidentes? nihil illis reconciliandis difficilius, quia cum illi natiuo essent coniuncti amoris vinculo, non facilis causa fuit cur tale vinculum dissolueretur, nec de facili etiam, iteratò ligabitur. Rom. 2. Ibid. 5. Prou 19.

Hoc & humanis accidit corporibus quæ quo firmius sana & valida constiterunt, eo periculosior morbus est quo derepente corripiuntur, quia tam valida corpora morbus nonnisi grauis & pestifer posset inuadere, fitq; sæpissime vt diuturnior sanitas, morborum ac mortis causas damnosius nutriat. *Ascendunt*, inquit Dauid, *vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* Diceres fieri pondus Ps. 106.

DOMINICA XXVIII.

ET POSTREMA POST PENTECOSTEN.

Quæ & potest esse xxvii. xxvi. xxv. xxiv. aut etiam xxiii. secundum regulam suprà datam.

DE SIGNIS DESTRVENDÆ CIVITATIS ET EXTREMI APPROPINQVANTIS IVDICII.

Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco Sancto. Matth. 24.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid abominandum desolatæ ciuitati acciderit, nulla tam grauis abominatio desolationis quàm lethale peccatum.

RATIO EST, Quia nulla tam grauis abominatio desolationis est quàm quod est grauius malum.
Sed nullum est grauius lethali peccato malum.
Ergo nec vlla grauis abominatio desolationis est.

AD primam propositionem declarandam tria breuiter recenseri possunt. Primum quid sit abominatio desolatiouis, nempe

ab ascensu, vt quo est ascensus sublimior, eo sit descensus rapidior & depressior. Denique vt vnde sermo est ortus, illic concludatur, Vide Ieremiam in lamentationibus destructæ & destruendæ ciuitatis Ierusalem, vbi beatiores euadunt miseriores, discursu quodam facto per omne miseriarum genus quod facile est animæ peccatrici applicare. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus*, Id est, vix vlla fuit distantia temporis à quo incæpta est & finita vastatio ciuitatis, adeo repentina & cumulata fuit, *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores: Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*. Tantùm scilicet à seipsis mutati, vt in aperto etiam & patenti loco, qui magis fuerant in ciuitate clari, magis essent obscuri.

Thren. 4.

Vide in 1. p. Die 5. Ianuarij. In 2. parte, Fer. 5. Hebd. 4. post Pascha. In 3. p. Sabbato Hebdomadæ 2. vbi hæc tractatur Veritas valde his opportuna:

Agni vel maxime formidanda ira.

DOMINICA

DOMINICA XXVIII.

ET POSTREMA POST PENTECOSTEN.

Quæ & poteſt eſſe XXVII. XXVI. XXV. XXIV. aut etiam XXIII. ſecundum regulam ſuprà datam.

DE SIGNIS DESTRVENDÆ CIVITATIS ET EXTREMI APPROPINQVANTIS IVDICII.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco Sancto. Matth. 24.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid abominandum deſolatæ ciuitati acciderit, nulla tam grauis abominatio deſolationis quàm lethale peccatum.

RATIO EST, *Quia nulla tam grauis abominatio deſolationis eſt quàm quod eſt grauius malum.*

Sed nullum eſt grauius lethali peccato malum.

Ergo nec vlla grauis abominatio deſolationis eſt.

AD primam propoſitionem declarandam tria breuiter recenſeri poſſunt. Primum quid ſit abominatio deſolatiouis, nempe

tam famam restituat! Ac proinde quàm frequens & ordinarium, vt peccati veniam non consequatur & sic pereat in æternum! O quam præclare propterea Sapiens: *qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.* Et rursum: *quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.*

Prov. 13. Ibid. 25.

III. PVNCTVM.

QVAMOBREM *aperte patet quod in arguendis aliis nisi prudentiam serpentis adhibeas, virus serpentis exhibebis.* Non argues vitia sed de vitiosis detrahes; non sanabis morbum sed augebis; nulli proderis, & tibi multum nocebis. *Sagitta paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Id est, verba quæ proferuntur contra proximum non seruatis debitis circumstantiis, sunt velut sagittæ quas paruuli infantes volunt ex arcu emittere, partimque lædunt quos petunt, partim in ipsos recidunt sagittarios, partim in circumstantes detorquentur, non sine graui omnium vulnere, non sine variis ac multiplicibus singulorum detrimentis; vnde tam crebra in scripturis monita de cauenda non tantum detractione, sed & ipsis detractoribus fugiendis, *quoniam repente*, inquit Sapiens, *consurget perditio eorum: & ruinam vtriusq; quis nouit?* Id est, detractoris & auditoris; quasi diceretur, tam repentina, tam multiplex, & tam grauis est vtriusq; ruina; vt nemo satis eam norit. Vel sic interpreta e: Tam multi sunt detractores & detractorum socij; tam verò pauci qui ruinas eorum cogitent, vt meritò quæri possit, *ruinam vtriusque quis nouit?* Si enim nossent non ita faciles essent in carpendis aliis; Vel cum ita sint faciles, damna sua non cogitant.

Psal. 63. Prov. 24.

Hinc apte S. Hieronymus: *Nulli vmquam omnino detrahas: & si aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magis tuam vitam ornare disce, quàm alienam carpere: ac semper memor esto scripturæ dicentis, noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci etenim sunt qui huic vitio renuntient; rarumque inuenies qui irreprehensibilem vitam suam exhibere velit, vt is non libenter reprehendat alienam: tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extraneum laqueum diaboli incidant.* Iam vero vide num sit illa opus singulari cautione ac prudentia quam requirit proposita Veritas in eo declinando vitio

Ep. ad Celantiam.

cuius

cuius lapsus est valde facilis, difficilis admodum regressus, & mora damnosissima.

Insignis est ad omnem memoriam pœna inflicta Mariæ sorori Moysis, quòd de fratre suo paulo liberius detraxisset, nam & statim leprosa facta est & separata septem diebus ab humano consortio, & nisi frater eius orasset, grauiora forsan passa esset, quæ certe indicant quàm vere dixerit Apostolus, *Detractores, Deo odibiles.* *Num. 12.* *Rom. 1.*

Illustris est etiam ille psalmorum locus vbi detrahentem de futuro supplicio monet Dominus, vt inde sibi prospiciat. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* Id est, non ero similis tui de te loquens in occulto sicut de aliis loqueris, sed palam, sed manifestè coram omnibus te arguam: te castigabo, & illud ipsum probrum quod intulisti proximis, in faciem tuam Ego ipse Iudex tuus aliquando refundam: & hoc velim omnes intelligant, ne pari culpa peccent, ne pari pœna puniantur. *Ps. 49.*

Vide in hac 4. parte, Feria 3. Hebd. 16. de Correptione fraterna. Et Fer. 2. Hebdom. 19. vbi multa de aliis non temere accusandis.

SABBATO.

DE TEMPLI DESTRVCTIONE QVAM PRAEDICIT DOMINVS.

Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Math. 24.

VERITAS PRACTICA.

Chara Deo anima si chara esse desinit, tantò euadit vilior, quantò erat charior,

RATIO EST, *Quia si chara Deo anima, chara esse desinit, oportuit grauem interuenisse causam, oportuit eam fuisse multum infidelem & ingratam.*

Sed anima sic infidelis & ingrata, tanto euadit vilior quanto erat charior.

Ergo & certa Veritas, & certè multùm pauenda.

I. PVNCTVM.

ET egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt Discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Tùm secedens longius in montem Oliueti, denuntiat eis diuersa calamitatum genera quæ ventura essent in vniuersum orbem. Primo quidem contra Iudæos qui prorsus exterminandi erant. Deinde contra ipsos Discipulos qui variis erant cruciandi tormentis. Ac denique contra totum quà late patet mundum, regnante Antichristo, & redeunte ad iudicandos homines Christo Domino, Iudice viuorum ac mortuorum, quem multa & horrenda signa præcedent de quibus crastinum occurret Euangelium. Nunc quod Templi tam augusti destructionem & tam charæ ciuitatis euersionem spectat, paulò attentiùs consideremus. Satis enim admirari nemo queat quomodo illa quæ præ cæteris totius vniuersi partibus Deo chara erant, vel destructa fuerint, vel numquam restitui potuerint, quantacumque vis humana, collatis pene omnium Christianorum Regum viribus in id contenderit.

Thren. 1. *Quomodo sedet sola Ciuitas, plena populo! facta est quasi vidua,*
Ibid. 4. *Domina Gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo! Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum. Compleuit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem in Sion & deuorauit fundamenta eius.* Hæc & plura Ieremias quæ modò possint dolentius deplorari non solum de destructis & numquam restitutis sacris illis Locis, sed multo magis de tam multis animabus quæ cùm in primis charæ Deo essent, sic esse desierunt ex pri-

mis & charioribus, vt quanto erant chariores, tanto euaserint viliores. Hoc est enim quod euerso postremùm templo nec vmquam deinceps restituto figuratur; hoc est expressum & ad posteros omnes transmissum exemplar infidelis & ingratæ animæ castigatæ: sic plerumque destruitur, vt numquam reparetur, sic discedit vt non redeat: sic cadit vt non resurgat, sic peccat vt non resipiscat, sic vilis & exosa redditur, *vt quanto erat charior, tanto euadat vilior.* Nonne hoc stupendum, nonne hoc perpendendum?

Quod vt solidius & fructuosius fiat, tria sunt primo declaranda ex quibus Ratio consiet qua proposita Veritas magis illustretur. Primum est, hoc esse maxime proprium diuinæ Charitati qua Deo chara est anima, vt quantum in se est, *numquam excidat*, sicut ait 1. Cor. 13.
Apostolus. Id est, ita sibi Deus quam charam habet animam, vniat & vnitam conseruet, vt nisi se inde anima volens & lubens separet, numquam à se Deus illam disiungat. *In Charitate perpetua* Ier. 31.
dilexi te. Nam enim ille amat & deserit, qui singulariter ait: *Ego* Mal. 3.
Dominus & non mutor: Nec illa Charitas ex se mutabilis dici potest quæ est vinculum perfectionis.

Secundum quod inde sequitur est, vt cùm varij sint Charitatis Gradus, quantò quis in sublimiori existat, & magis charus Deo fuerit, tanto etiam arctius illi vnitus est, & strictiori vinculo quodammodo colligatus, vnde licet semper pro sua libertate possit se homo separare, difficilius tamen hæc separatio fiat propter vim vnitiuam quam vocant & constrictiuam Charitatis. *Quis nos separabit à Charitate Christi? LAEVA eius sub capite meo, & dextera* Rom. 8. Cant. 8.
illius amplexabitur me. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio: Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aqua multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam. Quæ sunt omnia firmitatis & constantiæ symbola.

Tertium denique est, quod si proinde anima Deo chara se à Deo separet & chara esse desinat, oportet interuenisse non vulgarem aliquam causam; oportet primo illud quod causa peccati & recessus à Deo fuerit, fuerit admodum graue ac vehemens. Deinde vero licet peccarit; cur non statim resurgat, cur non Gratia statim peccatorem ad se reuocet, vel cur peccator Gratiæ non obse-

cundet, mirum id certe in tali anima, cum de ipsis quibuscumque peccatoribus mirari videatur Deus, & per Prophetas quærat, Ier. 8: *Numquid qui cadit non resurget? & qui auersus est non reuertetur? quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* Quare ergo illa tam chara Deo anima quæ cecidit non resurgit, & quæ auersa est, non statim reuertitur, cum statim Cant. 6. sponsus ad se illam reuocet, *Reuertere, reuertere, Sulamitis: reuertere, reuertere vt intulamur te*; aut certe si non ita reuocetur, oportet sponsum esse valde offensum: oportet causam offensionis esse valde grauem.

Sic plane est, quidquid illa mortale peccarit anima, non potest non esse admodum graue, propter acceptas maiores Gratias quibus erat præ cæteris Deo charior: vnde, inquit Diuus Thomas: 2a. q. 186. a. 10. *Licet alia minus chara idem specie peccauisset, non idem tamen grauitate peccasset, quia non esset tam infidelis & ingrata: quia non tanta receperat beneficia quorum ratione magis aut minus infidelis & ingrata dicitur peccatrix anima.*

Ps. 54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Quasi diceret, vt interpretatur sanctus Augustinus, *vnde ergo dissensio! qui intus erat, foris factus est. Ambulauit mecum in domo Dei cum consensu: aliam domum erexit contra domum Dei. Quare illa relicta est vbi ambulauimus cum consensu? quare illa deserta est, vbi dulces simul capiebamus cibos?* Non potest certe non id ingratissimum recenseri.

II. PVNCTVM.

SED *anima sic infidelis & ingrata, tanto euadit vilior quanto erat charior.*

Ita enim Deo displicet ingratitudo, vt quanto anima est ingratior, tanto magis displiceat: quanto autem erat charior, tanto est ingratior si per suam culpam chara esse desinit, vnde necesse est vt tanto etiam magis displiceat & vilior fiat, sicut expresse Ier. 2. dicitur *quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Id est, non reuertens à peccato; Id est, in eo statu quo esse chara desi-

nis, Id est, quanto magis procedis in illo ingratitudinis statu, tanto magis mihi vilescis, & sic tandem fiet vt nimis, id est, valde vilis fias. Vnde & ipsa pòst si quando resipiscat; *Vide*, inquit, *Domine & considera, quoniam facta sum vilis.* Quasi dicerct, sentio quàm sim vilis, sentio quàm sit mihi damnosum, sic esse vilem; aut quia sic vilis sum coram Deo, inde prouocor ad resurgendum, inde ipsum prouoco Deum vt me in nouam recipiat Gratiam. *Thren. 1.*

Sed rarum istud est & valde difficile, nam hoc habet annexum ista vilitas vt majoribus sublatis Gratiis, rariores conferantur; & qui ambulare noluerunt in lumine, in tenebris ambulent: qui lucentem sibi solis ardorem neglexerunt, tabescant frigore. *Ingrati enim spes*, inquit Sapiens, *tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua superuacua.* *Sap. 16.*

Quod præclarè admodum & fuse prosequitur S. Bernardus Sermone contra pessimum vitium ingratitudinis: postquam enim commemorauit acceptas à Religiosis diuinas Gratias: *Sed iam*, inquit, *omnino monet fratres mei, quid sibi velit, quod minus erga nos, liberalis nunc diuina clementia videatur, vt quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, imo & fortasse recusantibus: nunc orantibus, obsecrantibus, postulantibus sæpissime, imo continuè, videatur multa minora negare? Quid enim putamus, charissimi? Abbreuiata est manus Domini, an forte thesauri gratiæ defecerunt? Quid inquam, putamus, vtrum voluntas mutata sit, an immutata facultas? Neutrum sane de eo æstimare licet: neutrum fas est credere de omnipotenti & immutabili majestate. Quid sibi vult ergo quod incessanter orantes, obsecrantes, postulantes non exaudit, quibus tantam & tam gratuitam misericordiam prærogauit?* Tum vero id declarans ex Ingratitudine fieri sic pergit demonstrare quanta inde in ruinam detrimenta importentur: *quàm multos enim videmus & plangimus, fratres, qui dummodo maneat habitus & tonsura, salua sibi omnia arbitrantur, non considerantes miseri quemadmodum Ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantùm corticem quem videt transforare dissimulet, ne forte recogitent & erubescant, ipsaque verecundia emendetur. Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interiora vniuersa præsumit, vt non vereatur ad ea quoque quæ foris apparent venenatum ducere caput: nisi fortè quos videmus manifeste apostatare à Deo, repente fieri pessimos arbitramur, & non magis paulatim defecisse, cùm comederint alieni*

robur eorum, & nescierunt.

Potestne cogitari quid illa vilius anima: quid illa vilitate deterius? De illo autem frigore cui comparata est Ingratitudo sic Idem sanctus Abbas non minus opportune: *Hoc frigus si semel animum, animæ quidem, vt assolet, incuria, spiritu dormitante peruaserit, ac nemine deinde, quod absit, inhibente, ad interiora eius peruenerit, descenderit in viscera cordis & sinum mentis, concusserit affectiones, occupauerit consilij semitas, perturbauerit iudicij lumen, libertatem addixerit spiritus; mox, vt in corpore solet euenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur Gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, deferuescit nouitius feruor, ingrauescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna Charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, reuocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremò impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia, & confusione saltus de excelso in abyssum, de pauimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cælo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradyso in infernum.* (Serm. 63. in Cantica.)

Ecce quò tandem ille miserandus tendit status! ecce quam sit vilis in oculis Dei, ecce quid sit ita esse vilem in eius oculis, nempe vt iacentem in eo statu animam oculi Domini plane auersentur! Quod & alia similitudine valde apta Dominus ipse, vt iam alibi diximus repræsentat, cum ait ingrato cuidam: *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* (Apoc. 3.) *Nec immerito*, inquit Abbas Daniel apud Cassianum, *eos Dominus quos iam in visceribus receperat Charitatis, noxiè tepefactos cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronuntiat; qui cùm salutarem quodammodo ei potuissent præbere substantiam, auelli ab eius visceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis qui numquam ori Dominico illati sunt cibis, quanto id quod nausea compellente projicimus, odibilius detestamur.* (Coll. 4. c. 1.) Et post pauca: *quod semel vitio perniciosi teporis abiectum est, non dicam labiis admouere, sed etiam eminus intueri, sine ingenti horrore non possumus.* Et quæ plura ibi habentur ad hanc animæ vilitatem & extremam vilitatis perniciem demonstrandam.

Vide supra in hac p. Dominica vigesima prima, vbi de seruo nequam à quo repetiit Dominus quæcumq; remiserat, quia nō remisit.

Google

vni ex conseruis suis, eandem petenti gratiam; quod serui factum Dominus cum velut Ingratitudinem interpretatus esset, sic illam vnam sibi displicere significauit, quanta displicerent illa omnia quæ iam remiserat: Non enim proprie reuocauit remissa & condonata, sed Ingratitudinem tali pœna mulctauit, qualem illa multa & grauia merebantur peccata, quæ condonauerat.

Vnde rursum apposite sanctus Bernardus: *Dico ego vobis quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis Gratiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodum Ingratitudo. Vias enim obstruit Gratiæ, & vbi fuerit illa, iam Gratia accessum non inuenit, locum non habet. VINDEMIAVIT me vt locutus est Dominus in die iræ furoris sui.* Ser. 1. de Euang. septem panum. Thr. 1.

III. PVNCTVM.

HINC *ergo patet Veritas: quòd chara Deo anima si chara esse desinat, tanto euadit vilior, quanto erat charior: & tantò difficilius redit ad gratiam vnde excidit, quantò ei erat facilius, non excidere si stare voluisset.* Sic thesauri bonitatis & gratiarum transeunt in thesauros iræ & suppliciorum: vtrobique thesauri sed longe varij & diuersi. *Sic vbi abundauit delictum abundat gratia:* & vbi abundauit gratia, illic abundat delictum, siue culpam siue pœnam respicias. Quid melle dulcius? Sed si perperam & indiscrete sumatur, tanto euadit amarius quanto erat dulcius. Nihil magis decet Regem quàm Clementia, sed irritata regis clementia transit in iram quæ leonina dicitur, id est, inhumanis g auissima. Malacia seu tranquillitas maris quo est diuturnior seu quietior, eo sæuiorem cogit tempestatem. Vidistine fratres, aut consanguineos aut affines inter se diffidentes? nihil illis reconciliandis difficilius, quia cum illi natiuo essent coniuncti amoris vinculo, non facilis causa fuit cur tale vinculum dissolueretur, nec de facili etiam, iteratò ligabitur. Rom. 2. Ibid. 5. Prou 19.

Hoc & humanis accidit corporibus quæ quo firmius sana & valida constiterunt, eo periculosior morbus est quo derepente corripiuntur, quia tam valida corpora morbus nonnisi grauis & pestifer posset inuadere, fitq; sæpissime vt diuturnior sanitas, morborum ac mortis causas damnosius nutriat. *Ascendunt*, inquit Dauid, *vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* Diceres fieri pondus Ps. 106.

DOMINICA XXVIII.

ET POSTREMA POST PENTECOSTEN.

Quæ & poteſt eſſe XXVII. XXVI. XXV. XXIV. aut etiam XXIII. ſecundum regulam ſuprà datam.

DE SIGNIS DESTRVENDÆ CIVITATIS ET EXTREMI APPROPINQVANTIS IVDICII.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco Sancto. Matth. 24.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid abominandum deſolatæ ciuitati acciderit, nulla tam grauis abominatio deſolationis quàm lethale peccatum.

RATIO EST, *Quia nulla tam grauis abominatio deſolationis eſt quàm quod eſt grauius malum.*

Sed nullum eſt grauius lethali peccato malum.

Ergo nec vlla grauis abominatio deſolationis eſt.

AD primam propoſitionem declarandam tria breuiter recenſeri poſſunt. Primum quid ſit abominatio deſolatiouis, nempe

aliquid abominandum propter quod desolata sit ciuitas; vel ipsa tam grauis desolatio, vastitas, solitudo & expilatio ciuitatis vt abominationẽ sui excitet, hoc est enim proprie desolari, expilari & ita suis exspoliari bonis nihil vt supersit quam solitudo & vastitas.

Secundo, quid illud fuerit abominandum in loco sancto propter quod diceretur esse talis desolatio, vel quomodo fuerit ita desolatum templum & in solitudinem ac vastitatem redactum. Varia est interpretum opinio. Alij enim referunt ad Antichristum qui se velut Deum in templo volet adorari; sed minus literalis est ista interpretatio. Alij ad exercitum Romanorum mœnia ciuitatis obsidentem, vel ipsum templum, & tum suas aquilas, aliaue signa bellica præferentem quæ Iudæi abominabantur. Alij dicunt esse imaginem Cæsaris quam iussit Pilatus in templo vel in ipsis etiam Sanctis sanctorũ collocari. Alij potius interpretantur de statua Adriani Imperatoris quam ipse in loco templi erexit. Sunt qui probabilius referant ad seditionem illam de qua Iosephus l. 6. de bello Iudaico c. 1. quando scilicet quidam è Iudæis. Zelotæ dicti ob nimium legis Iudaicæ Zelum, se in templum receperunt, vt dum illud ac patriæ leges contra Romanos tueri volũt, illud potius contaminarint. Alij denique non aliam volunt esse abominationem desolationis in loco sancto quàm ipsam templi euersionem, ac vniuersam illam stragem quâ tota ciuitas in abominandam solitudinem, vastitatem & desolationem versa est de qua, die præcedenti.

Quidquid sit, certum est intelligi grauissimum aliquod malum quo præ cæteris desolarentur Iudæi & quod præsertim abominari dicerentur. Vnde illud Tertium superest satis perspicuum quod habet propositio, quod nulla est tam grauis abominatio desolationis quàm quod est grauius malum siue in se, siue in personis quarum est malum, siue in quos alios redundare possit. Nam si vniuersim dicatur abominandum quod desolet & vastet; certe quando quid magis desolabit & vastabit, tanto magis aut grauius dicetur abominandum, aut ipsa grauior abominatio desolationis. Sic
Ezech. 8. **Propheta Ezechiel ait se à Domino ductum vt videret in templo quas Iudæi committerent abominationes, primò quidem magnas, deinde vero majores ac majores prout grauius malum Deo Iudice continebant. Diuino nempe iudicio res pendi debent, seu rerum maior aut minor grauitas æstimari.**

AD SECVNDAM vero propositionem:
Sed nullum est grauius lethali peccato malum.

Siue illud in se consideres, prout æqua diuini Iudicij lance pendendum est; siue in bonis quibus animam priuat, & in miserandam solitudinem, vastitatem, ac desolationem adigit: siue in damnis tẽporalibus & æternis quæ secum infert: Vide in appendice ad Missiones in 3. p. post Hebdomadam vndecimam, capite decimo tertio, vbi hæc fusius exponuntur: vnde Veritas euidenter patet, *quod quidquid abominandum desolatæ ciuitati acciderit, nulla tam grauis abominatio desolationis quam lethale peccatum.* Mala simul omnia conferantur, nihil tale est malum quàm offensa Dei. Vide & pro veniali peccato in 2. p. Fer. 6. Hebdom. 1. post Octauas Paschæ. Et Ibid. Sabbato Hebdom. 3. Praxis vero est illud sentire & dicere quod Psaltes regius, *Iniquitatem odio habui & abominatus sum. Omnem viam iniquitatis odio habui.* Ps. 118. *QVEMADMODVM aliquod*, inquit S. Augustinus *immanissimum marini itineris saxum declinabat, vbi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod vt non contingat, longe inde velificat qui in ligno crucis cum mandatorum diuinorum oneribus nauigat.*

Qui legit intelligat.

VERITAS PRACTICA.

Qui quod legit intelligere negligit, negligentiæ suæ pœnas legit.

SENSVS & RATIO EST, Quod qui legit obseruanda, nec habet animum obseruandi quæ legit, peccat peccato negligentiæ & peccati sui debitas pœnas legit.

Sed qui negligit intelligere quod legit, non habet animum obseruandi ea quæ legit.

Ergo & peccat & negligentiæ suæ pœnas legit, quas vt euitet, audiat Christum admonentem, QVI LEGIT, INTELLIGAT.

CVM Christus Dominus de futura loquens abominatione desolationis dixisset eam esse quæ à Daniele Propheta quondam prædicta est, statim addidit, *qui legit intelligat*, quia subobscurum erat quid illa significarent Prophetæ verba, idcirco admonet ne leuiter & præproperè vt solet fieri, legantur, sed studiose, diligenter, & tam accurate vt intelligantur, & inde fructus colligatur. Quod sanè Monitum ad alia quæ legimus vel ex sacris libris vel ex aliis quos spirituales vocamus, transferri potest, & inde contra solitam plurimorum negligentiam qui transcursim omnia legunt, saluberrima Veritas elici, *Vt qui quod legit, negligit intelligere, timeat ne peccati sui pœnas legat.*

Sensus est autem præcipue de his quæ præcepta morum continent & quæ ita veniunt in praxim & in obseruationem, vt eorum prætermissio possit esse culpabilis; tunc planè Veritas locum habet, & sic aperte ac breuiter declaratur, quia qui legit sibi obseruanda, nec habet animum ea obseruandi, peccat vel peccato particulari quod his opponitur quæ tum legit, vel peccato generali quod dicitur Negligentiæ qua negligimus quæ sunt nostræ salutis & perfectionis, cuius si studiosi essemus vt par est, statim atque cognoscimus quid ad illam spectet, tota mente atque ambabus vt dici solet vlnis amplecteremur. Quod præclare admodum significauit Ecclesiasticus cùm dixit, *Verbum sapiens quodcumque audierit, sciens laudabit & ad se adjiciet: audiuit luxuriosus & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suum.* Quò etiam referri potest illud Ecclesiastæ, *qui timet Deum, nihil negligit.* Atque illud etiam Apocalypsis, *In mente habe, qualiter acceperis, & audieris, & serua.* Quamobrem hinc illud euidens est quod qui hunc animum in legendo non habet, plane negligens habeatur.

Eccles. 21. Eccl. 7. Apoc. 3.

Et quod aliud habet Propositio, non minus euidenter sequitur quòd suæ negligentiæ pœnas legit quas nempe passim Scripturæ denunciant, vt cum in Prouerbiis dicitur, *qui negligit viam suam, mortificabitur*: Et manifeste Apostolus, *propterea*, inquit, *abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accipit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

Prou. 19. Hebr. 2.

SED, quæ est altera & præcipua propositio, *qui quod legit, ne-*

gligit intelligere, non habet animum obseruandi ea quæ legit. Habet enim animum plane oppositum: Nam hoc ipso quo negligit intelligere, non vult obseruare, cùm ad obseruationem sit ita opus intelligentia vt qui obseruanda non intelligat non obseruet; & qui nolit ea intelligere, nolit ea obseruare. Sicut enim intelligentia medium quoddam est ad obseruantiam, ita negligentia siue ignorantia quæ ex negligentia prouenit, obex quidam est ne obseruetur quod legitur. Qui ponit autem obicem obseruádi aliquid, plane non habet animum illud obseruandi. Vnde illa sunt tam frequentur repetita ex Scripturis: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Ps. 35. *QVI dixerunt Deo, recede à nobis & scientiam viarum tuarum noluimus.* Iob. 21. Quod autem non excusetur talis ignorantia quæ est voluntaria, & eorum quæ sciri debent & possunt, habes fuse alibi demonstratum. Vide in 2. p. die 25. Martij, ad verba illa Beatæ Virginis, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, vbi hæc exhibetur Veritas:

Frustra Beatam Virginem oras, si non quæris sicut Illa quod ignoras.

Ex quibus patet Veritas; Et diligenter indagandum quam multa sint in Euangelio quæ occurrunt in singulos pene legenda dies quæ vix adhuc intelligis, & quoties ea legisti, toties ea intelligere neglexisti. *Adhuc & vos sine intellectu estis?* An satis probè hæc Matth. 15. capis? *Quod altum est hominibus, abominatio est ante Deum.* *NISI* Luc. 16. *efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth 18. *QVI non* Luc. 11. *est mecum, contra me est. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum.* Matth. 5. Cum enim tam aperte his & similibus vitâ contradicas, non aliunde prouenit quam quod nolis te illis conformare, vel non intelligas quomodo aliter te his conformare possis. *Intellige quæ* 2. Tim. 2. *dico*, inquit Apostolus, *dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum*, quasi hoc tibi diceretur, Intellige quæ dico ad teipsum cognoscendum quàm longè erres ab his quæ legis & audis ex Verbis Domini. Tum vero, si quod est, fatearis & velis resipiscere ac te magis Euangelio conformare, dabit tibi Dominus in omnibus intellectum, vt quod leges intelligas: *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Ps. 118.

Quod eleganter admodum prosequitur sanctus Gregorius ad Iob 5. illa verba Iob: *bibent sitientes diuitias eius.* *SAEPE stultus habet* L. 6. Mor. c. 5.

interni liquoris fontem, sed non bibit, quia ingenium quidem intelligentiæ accipit, sed tamen Veritatis sententias cognoscere legendo contemnit; scit, quia intelligere studendo præualeat, sed ab omni doctrinæ studio fastidiens cessat. Diuitiæ quoque mentis, sunt verba sacræ locutionis: sed has diuitias stultus oculis aspicit, & in ornamenti sui vsum minime assumit, quia verba legis audiens, magna quidem esse considerat: sed ad comprehendenda hæc nullo studio amoris elaborat. At contra alius sitim habet, ingenium non habet: amor ergo hunc ad meditandum pertrahit, sensus hebetudo contradicit, & sæpe hoc in diuinæ legis eruditione, quandoque studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit. Huius ergo stulti diuitias sitientes bibunt, dum præcepta Dei quæ ingeniosi fastidientes nesciunt, hebetes amantes assequuntur. In his nimirum tenebras hebetudinis illustrat oculus amoris: Nam hoc tardioribus situs aperit, quod velocioribus fastidium claudit.

Vide in 2. p. Fer. 2. Pentecostes, ad hanc Veritatem ibi expositam:

Quod Intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui.

Ne tamen curiosius in aliis speculatiuis & quæ non ita ducunt ad praxim, velis immorari; præsto est in eadem parte proposita Veritas:

Fer. 2. Hebd. 4. post Pascha. Non est prius intelligendum vt credas, sed primò credendum est vt pòst intelligas.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

Vt saluti suæ scilicet consulant, tutiora sunt enim montana loca quàm plana & campestria.

Et qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua.

Habebant Iudæi tecta plana in quibus versari, operari & quidlibet agere soliti erant; Monentur vero ne inde descendant in inferiorem domum sed aliunde foras sese proripiant, vt quàm maturè fieri poterit, sibi fuga prospiciant.

Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.

Ne videlicet retardetur, sed rectâ fugam ineat.

Væ autem prægnantibus in illis diebus.

Quia impediuntur à fuga, cùm vterum gerunt mulieres, aut infantulos sinu portant, quibus lac præbent.

Orate autem vt non fiat fuga vestra hyeme vel Sabbato.

Quia hyeme tempus est incommodum fugæ, propter dies breuiores, aërem frigidiorem & iter magis lutulentum. Non licebat autem Sabbato longum iter agere.

Quorum omnium verborum sensus & finis est vt quando Romani aduentabunt obsessuri ciuitatem Ierusalem, statim sine mora fugiant si se saluos velint, quia tanta erit obsessæ vrbis vexatio, vt nullis tunc sit securum in ea permanere.

Quæ in moralem sensum traducta, plane significant, maturandam esse vitiorum fugam, non differendam pœnitentiam, seu conuersionem in melius, seu bonorum desideriorum executionem propter instantes vndequáque hostes, quibus si permittat Deus animum obsideri vt sæpe fit, tùm miserandum in modum vexabitur, nec erit saluti tutum præsidium in pœnam dilationis.

Quò referuntur hæ Veritates, iam alibi declaratæ:

Quidquid offerendum Deo sciet vera Deuotio, differre nesciet.

In 1. p. Feria 2. Hebdom. 4. in Aduentu.

Sicut discursum nostri Intellectus statim sequi debet affectus voluntatis: ita & affectum effectus seu executio.

In 1. p. Die 29. Decembris.

Dum lucet ambulandum, ne tenebræ fiant.

In 1. p. Die 5. Ianuarij.

Quò longius differes, difficultatem difficilius tolles.

In 1. p. Fer. 2. Hebdom. 4. post Epiph.

Periculum in mora.

In 1. p. Die 8. Decembris. Et in 4. p. Dominica 23.

Si Tentatorem permiseris ingredi, non se permittet egredi.

Facilius excluditur quàm ejicitur.

In 2. p. Dominica 1. Quadragesima.

Si dum adest occasio, virtus abest; vix vnquam virtus aderit.

In 2. p. Fer. 2. Hebdom. 2. in Quadragesima.

Præcipitatio animi in statu vitæ deligendo, præcipitium est animæ.

Non euitat præcipitium sed mutat, qui ne nimis sit præceps, nimis est lentus.

In 2. p. In fine, Consideratione 1. & 2. de statibus.

Quò minus potes reddere quæcumque debes, eo magis ac celerius debes reddere quæcumque potes.

In 3. p. Fer. 2. Hebdomadæ primæ.

Affectum probat effectus.

In 3. p. Fer. 2. Hebd. 9.

Quod videris tibi velle, velles quidem, sed verè non vis.

In 3. p. Fer. 2. Hebdom. 12.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, &c.

Ecce prædixi vobis.

Quantum obest aduersitas improuisa, tantum præuisa prodest.

In 2. p. Fer. 6. Sexagesimæ.

Quæ viuenti res fuit gratior, hæc fiet morienti grauior.

In

In 2. p. Feria 4. Cinerum. Et Vide in hac parte, sequentem Hebdomadam, vbi de preparatione ad mortem, seu de vigilantia contra hostes animæ.

Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, &c.

Cum dies illi quorum hîc tribulatio describitur non sint tantum dies Antichristi qui paulò ante secundum Christi aduentum Christianos persequetur, sed dies illi sint, vt plures aiunt Interpretes, quibus euersa Ierosolymorum ciuitate & dispersis hinc inde per vniuersum terrarum orbem Iudæis, tanta illorum extitit tribulatio quanta vmquam fuerit maxima; quid est quod Dominus ait, *statim post tribulationem dierum illorum* signa futuri Iudicij proditura, cum iam ab illis diebus supra mille sexcenti & plures anni effluxerint, neque dum tamen signa illa prodierint? Mirum id sane & scitu dignum. Duplex affertur ratio, Prima quòd ita suos omnes Christus velit viuere quasi iam iam morituros & iudicandos, quod tota sequente Hebdomada, ex Ipsius Domini verbis patebit euidenter.

Secunda, quod quantumcumque spatiosum videatur hoc tempus, tam breue tamen & tam modicum est si coram Deo spectetur & cum æternitate comparetur, vt rectè à Christo dicatur, *statim post tribulationem dierum illorum* qui iam à multis annis elapsi sunt, futurum illud quod adhuc expectamus iudicium. Sic sanctus Petrus, *vnum hoc*, inquit, *non lateat vos, charissimi, quod vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.* Sic & sanctus Ioannes, *filioli, nouissima hora est*, Et ne quis dubitet, iterum repetens, *scimus*, inquit, *quia nouissima hora est*, hoc totum scilicet tempus quod nondum finitum est sed quod tandem finiet, & quod vbi finitum est, tam cito pertransisse cognoscitur vt qui vixerunt clament: *nos nati continuò desiuimus esse.*

2. Pet. 3.

1. Ioan. 2.

Sap. 5.

Denique dum verba illa Domini explicarentur in 2. parte Domin. 3. post Pascha: *Modicum & non videbitis me & iterum modicum & videbitis me.* Sic Diuum Augustinum de futuro iudicio iam audiuimus esse interpretatum vt diceret, *Modicum est hoc totum spatium quo præsens peruolat sæculum.* Quamobrem quæ illic ha-

bentur Veritates hûc apte referri possunt contra eos qui diuturnitate vitæ longioris, nullo venturi iudicij metu mouentur.

Nil tam modice creditur, quam modicum vitæ tempus, cum nil tamen sit tam credibile.

Ex modico illo quo viuis tempore, plus etiam vitæ perdis quàm viuas.

Tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.

Hoc signum, signum esse Crucis quod obscuratis sole & luna parebit in cœlo splendidè: sic interpretantur omnes Patres vt vniuersa id profiteatur Ecclesia: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Cur autem plangant omnes dum hoc parebit signum, manifestari potest hæc Veritate proposita:

Quàm aperte parebit signum Crucis in Iudicio, tam aperte patebit cur plangant Iudicandi.

RATIO EST, *Quia tam aperte patebit cur plangant Iudicandi quàm apertum illud erit propter quod se videbunt iudicandos.*

Sed quàm aperte parebit signum Crucis, tam apertum illud erit propter quod se videbunt Iudicandos.

Ergo & cur plangant patebit; Quod modo tamen vtilius si vellent, plangerent.

PRIMA propositio difficultatem non habet; ad pleniorem tamen eius intelligentiam, tria possent breuiter declarari. Primum, licet de omnibus iudicandis siue bonis siue malis dicatur quod viso Crucis signo plangant, tamen longe diuersus erit alterutrorum planctus. Plangent boni, sicut tremunt in cœlo Angeli, ex quodam diuinæ majestatis tremendo cultu. Plangent verò mali, sicut tremunt Dæmones ex quodam imminentis suæ

pœnæ metu. O quanta planctus diuersitas!

Secundum, de hoc malorum planctu præsertim intelligendam esse Veritatem propositam, sic enim ad fructum vberior erit discursus.

Tertium, sic manifestum esse quod habet Propositio, tunc patere cur plangant iudicandi & condemnandi quando id aperte patet propter quod se videbunt condemnandos. Nam si causa eorum planctus est pœna imminens, certe quanto hæc futura pœna patebit apertius, aut quàm propius subeunda timebitur, tanto & cur plangant, apertius esse dicetur. *Et planget terra, familiæ & familiæ seorsum*, inquit Propheta. Id est, vnusquisque separatim, vel aliqui simul seorsum ab aliis, prout quique videbunt apertius propter quod sint iudicandi. O quis tum singulorum & omnium planctus! *Zach. 12.*

SECVNDA vero Propositio sensum hunc habet, quòd viso Crucis signo videbunt mali propter quod sint iudicandi, quod vt facilius & fructuosius expendatur, tria sunt etiam quæ obseruentur. Primum est, quod licet immediata & proxima causa cur mali condemnentur sint eorum peccata siue commissionis vt vocant siue omissionis; tamen ipsa peccatorum causa spectanda est, & tum maxime spectabitur in tremendo illo iudicio siue à Iudice vt æquitatem sui Iudicij manifestiorem faciat, siue à Iudicandis vt se magis agnoscant reos & condemnandos. *Deducam eos in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi.* O qualis disceptatio. O homo tu quis es qui respondeas Deo! *Ioel. 3.* *Rom. 9.*

Secundum est, vniuersalem & magis spectandam peccatorum omnium causam esse Concupiscentiam non repressam & domitam. Hæc lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditonem; Vnde hoc sacrum est Monitum quod de continendis peccatis cætera continet, *Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* *Matth. 7.* *Eccles. 18.*

Tertium denique est, quod ad reprimendam & damnandam concupiscentiam Christus Dominus Crucem subire voluit, & tamquam vexillum huius sacræ militiæ Crucem exaltauit, vnde quod dicebat ad se venientibus vt se abnegarent & crucem ferrent hoc vnum erat vt suam concupiscentiam reprimerent, vnde &

Apostolus, veterem nostrum hominem cum Christo esse crucifixum affirmabat, hoc sensu vt intelligeremus sic nos debere moueri exemplo Christi ad illum veterem hominem, id est, corruptum & deprauatum, qualem ex Adamo accipimus, continendum; Quod & alibi sæpius, de se & aliis, *Christo confixus sum cruci.*
Gal 2. *QVI sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupis-*
Ibid. 5. *centiis.* Atque hinc fit vt sicut in hac vita Crucis aspectus erat vehementius incentiuum ad illam concupiscentiam reprimendam, ita & in altera post mortem & in Iudicio, cum parebit Signum hoc crucis, signum illud erit quo intelligent mali & iudicandi se præsertim malos & iudicandos esse, quod crucem oderint, quod crucem suam non tulerint, quod se suasque concupiscentias non represserint; Nam si eas repressissent, non peccassent, aut illos peccati pœnituisset & Iudicandi non essent. Adde, quòd cum ex Christo propterea crucifixo, tantum haberent subsidij, motiui, & exemplaris, idem vt suo modo præstarent; cum se videbunt nihilo secius Crucem tulisse quam si de Cruce Christus nihil vmquam egisset; ô vere tunc illud videbunt propter quod iudicandi erunt. Hoc vnum illis exprobrabitur, hoc illis ipsa Crux quæ parebit, obiiciet; hoc erat signum in quo pugnandum & vincendum erat, quod cum neglexeritis, hoc est modo signum in quo iudicandi estis.

Ioan. 12. & 15. Nonne hoc aperte Christus Dominus cum proxime Crucem aditurus esset, *Nunc iudicium est mundi, Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent,* Id est, excusari quodammodo possent; Nunc autem *excusationem non habent de peccato suo*, quia quam solent omnes excusationem à concupiscentia sua petere, nullam prorsus esse declarat exemplum Crucis seu Christi crucifixi; Nimis enim potens erat hoc exemplum vt qui eo se permoueri & attrahi noluerint, sibi omne detraxerint præsidium, sibi omnem excusationis viam præcluserint. Hoc signum cui contradicetur, & hoc signum cui contradicentes se condemnatos intelligent. Quamobrem hic postquam dictum est, *Tunc parebit signum filij hominis*, aptè subiungitur, *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Quia scilicet tunc videbunt quid plangant, tunc videbunt quid sit quamobrem in Iudicium aduocentur: tunc videbunt quàm sic illud formidandum: tunc videbunt quàm se longe à Cruce, dùm viuerent retraxerint;

quàm se longe à salute moriendo disiunxerint, tunc videbunt quàm se multis idcirco peccatis implicauerint, & quam se grauibus inde pœnis addixerint, quibus emergendi iam nulla pateat via.

Nonne hoc pauendum omnibus, nonne hoc plangendum & ex imo deflendum pectore! Sed frustra tunc plangent omnes, sed serius, sed luctuosius! Nunc peccator, nunc fructuose Signum hoc Crucis spectandum esset? Nunc ibi deploranda præterita, corrigenda præsentia, præcauenda futura. Nunc ibi discendum est quale de rebus iudicium ferri debeat; quale de peccatis iudicium repetatur; quale de diuina Iustitia sit statutum exemplum. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Perge vlterius, quantum cum gratia se pius prodet affectus. *Luc. 23.*

Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.

NON est dubium quin congregentur cum Electis simul & reprobi, cum aperte Dominus dixerit. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.* Et rursum: *mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Hîc autem solum Electos memorat quia primo & directe Dominus intendit beatificare homines, cum hic sit finis ad quem creati sunt; Secundariò vero & indirecte tantùm eos punire, quatenus scilicet peccauerint & se indignos æterna fœlicitate reddiderint, vnde & dicet beatis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Reprobis autem: *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius*, quasi diceret, qui non erat vobis paratus nisi vos ei peccando destinassetis. *Ioan. 5. Matth. 13. Matth. 25.*

Sicut autem multum accrescet Electorum splendor ex comparatione miserandi status reproborum, sic deplorandus horum status multo deploratior apparebit ex illorũ Conspectu quẽ *videntes turbabuntur timore horribili*, & horrendis illis agitabuntur motibus, qui fuse toto capite quinto libri Sapientiæ describuntur, ex quibus quod spectat ad Confusionem, attentius est perpendendum contra peruersum illum naturalem metum quo quis facilius peccat &

difficilius peccata confitetur, ne scilicet confundatur. At contrà potius,

VERITAS PRACTICA.

Nemo magis confundetur quam qui peccat ne confundatur.

RATIO est manifesta, quia nemo magis confundetur, quàm qui extremo illo in iudicio coram omnibus confundetur.

Sed qui peccat ne confundatur, is inter omnes extremo illo in iudicio coram omnibus confundetur.

Certa est igitur Veritas, & eius fructuosa praxis dum minor quædam confusio majori metu confusionis auferetur.

AD PRIMAM PROPOSITIONEM triplex posset declarari confusio quam in extremo illo iudicio peccator sentiet, Prima est à seipso, Vix enim dici potest quàm sit omne peccatum ipsi peccatori pudendum quando videtur in sua fœditate, nec vllis
1. Esd. 9. excusationum integumentis vetatur. *Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te.*

Secunda est ab aliis hominibus ibi tum congregatis, quibus quod latebat & quod latere semper peccator voluerat, dum apparebit, mirum quanto pudore suffundat peccatorem, sicut sentitur
Ier. 2. ex hac vita quando vel vni homini nostrum patet crimen. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes.* Id est, quique securiores.

Tertia est à Christo Domino qui se coram Patre suo & Angelis
Marci 8. eius affirmat confusurum eos qui metu confusionis peccauerint! O qualis tum confusio! Describi debet & perpendi fusiùs.

AD SECVNDAM PROPOSITIONEM, triplex affertur ratio cur qui peccat ne confundatur, is inter omnes extremo illo in iudicio coram omnibus confundetur.

Iob 20. Prima est, quòd Scripturæ potissimùm dicant, id in iudicio manifestum iri quod latere volebant peccatores. *Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum* qui nempe in tene-

bris se obtegit, vt versu præcedente describitur: *Qui sanctificabantur & mundos se putabant, simul consumentur dicit Dominus: Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis.* Id est, vt omnibus patefaciam quod latebat. *Iuxta est dies Domini magnus, dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas & super angulos excelsos.* *QVID enim per ciuitates munitas exprimitur*, inquit sanctus Gregorius, *nisi suspectæ mentes & fallaci semper defensione circumdatæ, quæ quoties earum culpa corripitur, Veritatis ad se iacula non admittunt? Et quid per excelsos angulos nisi duplicitas impuræ mentis intelligitur: Duplex quippe semper est in angulis paries. Quid per angulos parietis nisi impura corda signantur? quæ dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad semetipsa quodammodo duplicitatis peruersitate replicantur. Et quod est deterius, apud cogitationes suas in fastu prudentiæ ex ipsa se culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini vindictæ atque animaduersionis plena super ciuitates munitas & super excelsos angulos venit, quia ira extremi iudicij humana corda & defensionibus contra Veritatem clausa destruit, & duplicitatibus inuoluta dissoluit. Tunc enim munitæ ciuitates cadunt quia mentes Deo suspectæ damnantur. Tunc excelsi anguli corruunt quia corda quæ se per impuritatis prudentiam erigunt, per Iustitiæ sententiam prosternuntur.* Sic & Apostolus, *in die cum iudicabit Deus occulta hominum*, quasi diceret, in illa die quæ præsertim destinata est ad occulta hominum iudicanda.

Is. 66. Soph. 1. 3. p. Pastor. adm. 12. Rom. 2.

Secunda ratio est, quod sic videtur æquum postulare vt quæ peccator celare putauit Deum, Deus illa reuelet manifestiùs; *Et sciant omnes Ecclesiæ*, inquit, *quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua. TV fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis. REVELABITVR ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: vltionem capiam, & non resistet mihi homo.*

Apoc. 2. 2. Reg. 12. Is. 47.

Tertia denique ratio, quia sic etiam conuenienter humanæ prospicitur fragilitati; cum videlicet tam grauis denuntiatur confusio peccatoribus qui ne confundantur peccant liberius; habent certe quo libertatem illam coërceant audientes se tanto grauius confundendos quanto hîc minus confundi voluerint. *Timebunt & confundentur*, inquit Propheta, Timebunt scilicet majorem con-

Is. 20.

fusionem, & confundentur si res ita postulet, vel in humanis respectibus contemnendis, vel in profitendis religiose virtutum omnium actibus, vel in peccatis fideliter confitendis: ne si alioquin confundi metuant, & metu confusionis peccent, magis inde confundantur, in celeberrimo illo totius vniuersi theatro, vbi confundi quid tetrius? quid ignominiosius? quid ad omnem æternitatis memoriam dedecorosius?

Ier. 20. O quam proinde sapienter dictum de his qui timent hic confundi: *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod numquam delebitur!* Tota praxis siue totus Veritatis huius practicæ finis & effectus, his Ecclesiastici continetur sententiis: *Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua; & ne subjicias te omni homini pro peccato.* Id est, ne quemquam ita timeas vt ne ab illo fortè confundaris, pecces in eius gratiam. Quò etiam referri possunt hæ Veritates: *Eccl. 4.*

Qui nimis humana timet iudicia, non satis reueretur diuina.

In 1. p. Fer. 4. Hebdom. 6. post Epiphan.

Quæ in malo bona est confusio, in bono mala est.

In 2. p. Fer. 6. prima Hebdom. in Quadrag.

Humanus respectus, inhumanus Christi despectus.

In 2. p. Sabbato Hebdom. 4. in Quadrag.

Ab arbore fici discite parabolam.

VERITAS PRACTICA.

Non tantùm quòd sit Iudicium, ab arbore fici discendum est, sed quòd sit valde tremendum.

RATIO EST, *Quod ab arbore fici discimus accuratam eorum omnium quæ accepimus rationem esse reddendam. Sed hinc valde, hinc præcipuè tremendum est extremum illud iudiciũ.*

Hoc

Hoc est igitur quod ab arbore fici discendum est; Atque hic est totus hodierni Euangelij fructus.

PRIMA propositio sic breuiter dilucidéque exponitur: Idcirco ficus inter cæteras arbores aduentantem certò æstatem prænuntiat quod sole per vernum tempus incalescente flores seu gemmas florentes proferat. Quod autem sic suos tempestiuè flores adæquet incalescenti soli, symbolum quoddam est fidelitatis reddendæ Gratiis, quæ fidelitas in eo maximè sita est vt quàm fieri possit ex æquo virtutes & actiones nostræ respondeant acceptis gratiis, quæ velut sol lumen & ardorem animis nostris infundunt. Atque hoc est quod in Iudicio potissimum agitur. Hoc est quamobrem dicitur, *Mane, Tecel, Pharez, Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Appensus es in statera & inuentus es minus habens. Diuisum est regnum tuum.* Vide quinto Danielis. Hoc est quod ait Villico Dominus, *Redde rationem villicationis tuæ.* Hoc est quod ipse Iudex sæpe denuntiat his & similibus verbis, *Ille seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Dan. 5. Luc. 16. Luc. 12.

Nonne hæc accuratam significant rationem reddendam? nonne in iudicio Iudici ratio hæc vitæ redditur? Nonne idcirco ficus quæ non respondit curis coloni sui, iubetur succidi & extra vineam exportari? Nonne hæc sæpius iam audiuisti?

SED, quæ Secunda est propositio declaratæ Veritatis, hinc maximè tremendum est illud iudicium: Nam maximè tremendum est vnicuique ne multas in vanum gratias acceperit, ne dissiparit bona Domini sui, ne sit minus habens, ne talentum infoderit, ne fructum denique conuenientem culturæ non fecerit. *Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas*; Id est, numeratas gratias quas iudicando Iudex repræsentat vt inde fiat examen vitæ ac Iudicium conforme statuatur. Hæc sunt autem quæ dicit nondum quidem extremum ferens iudicium, sed iudicandum præmonens quid in illo iudicio sit dicturus & facturus: *Scio opera tua* Apoc. 3. Apoc. 3.

quia nomen habes quod viuas & mortuus es. Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.

In quibus verbis sicut magna & multum colenda est Bonitas Iudicis sic præmonendo Iudicandos, sic magna prorsus erit & multum tremenda eius Iustitia quando sic vnumquemque iudicabit vt ex æquo singula exigat prout quisquis acceperit.

Hoc est ergo discendum ex fici arbore, hoc est discendum ex Euangelio, discendum ex Apostolis, ex sanctis Patribus, & ipsa ratione quæ tale futurum credat aliquando Iudicium.

Omnes nos, inquit Apostolus, *manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum*
2. Cor. 5. *siue malum. Scientes ergo, Timorem Domini hominibus suademus.* At vnde Timor potissimùm? Audi vt apte nobis exprimit:
Hebr. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam Veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio Iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios.*

L. 8. mor. c. mor. *Iustorum mens*, inquit S. Gregorius, *semper solicita venturo examini intendit, omne enim quod agunt metuunt, dum cautè considerant ante quantum Iudicem stabunt. Enumerant mala proprij operis, & contra hæc exaggerant bona Gratiæ Conditoris.* Quomodo sint autem exaggeranda docet sanctus Augustinus, dum sic loquentem inducit Christum Iudicem. *Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi imaginem nostram, similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter paradisi delicias collocaui, tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quàm Deum maluisti! Cùm expulsus de paradiso iure peccati, mortis vinculis teneteris, virginalem vterum sine dispendio virginitatis pariendus introiui, in præsepio expositus & pannis obuolutus iacui, infantiæ, contumelias humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet vt te mihi similem facerem, pertuli: irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi: flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clauorum vestigia, quibus affixus pependi! En perfossum vulneribus latus! Suscepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem: suscepi mortem tuam, vt in æternum viueres. Conditus iacui in sepulchro, vt tu*

Ser. 67. de temp.

regnares in cælo. Cur quod pro te pertuli perdidiſti? Cur ingrate, redemptionis tuæ munera remiſti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam pro qua meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quàm vulneribus peccatorum indeſinenter occidis. Cur habitaculum quod mihi in te ſacraueram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce quàm illa in qua quondam pependeram, affixiſti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua inuitus pendeo, quàm illa in quam tui miſertus mortem tuam occiſurus aſcendi. Cùm eſſem impaſſibilis, pro te pati dignatus ſum: ſed tu deſpexiſti in homine Deum, in infirmo ſalutem, in via reditum, in iudice veniam, in cruce vitam, in ſupplicijs medicinam. Et quia poſt omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non merebери liberari. Qui tunc erit ſtridor dentium, cum ſanctorum multitudine ad dexteram regis & ad gloriam ſegregata, peccati populus in profunda tartari ſine vlla miſerationis ac veniæ ſpe demerſus, excludi ſe tenebris ſuis à beata ſanctorum luce viderit, & in profundi ſinum ſine fine deſcendens, vrgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia & perpetuam mortem non moriturus aſpexerit.

Denique quam ſit periculoſum tanto in periculo non timere Sanctus idem Doctor paucis ſed ſane terrificis declarat verbis: *Irremediabile periculum eſt ſic aliquem vitiis & cupiditatibus fræna laxare, vt ſe rationem Deo non meminerit redditurum. Puto quia magna ſit iam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidiſſe iudicij.* *Ser. 20. de temp.*

Vide in 3. p. Dominica 8. de villico iniquitatis, vbi hæ inter alias opportunæ proponuntur Veritates:

Qui ne terreatur, non cogitat reddendam rationem, magis terrendus eſt quia illam non cogitat.

Qui ſe interrogat ante Iudicium, interrogatus in iudicio facilius reſpondebit.

Sic nempe Sapiens: *Ante iudicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.* *Eccleſ. 18.*

Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Id est, potius pereant, quam quid ex verbis meis excidat; Neque
Ps 148. enim peribunt Cœli nec astra quantum ad substantiam, *nam statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi:* Sed peribunt quantum ad accidentia quædam, ad eorum nempe motum & effectus, quo
2. Pet. 3. sensu & sanctus Petrus dixit, *Adueniet dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transient,* Id est, cessabunt ab illo motus impetu quo rapiuntur, & agere in inferiora desinent. Quidquid sit, certum est ex omnibus creaturis cœlos esse firmissimos, quamobrem cum illis potissimum sua verba Christus comparat vt tam certo sciamus euenturum quod dixit quam quid est in rerum natura certissimum. Atque idcirco vult nos istud intelligere vt in sancto timore Diuini Iudicij confirmemur, neque inde vllis humanis promissis aut comminationibus auocemur, quia nil tam certum in humanis verbis quam in diuinis.

Hinc postrema hæc quæ cæteras in se continet

VERITAS PRACTICA.

Humana verba quàm sunt incerta, tam certa sunt & timenda Diuina.

Id est

Qua ratione incerta esse hominum verba demonstratur, eadem prorsus patet certa esse quæ Christus dixit.

RATIO hæc petitur ex certis quibusdam condicionibus seu qualitatibus quæ ita requiruntur ad verborum certitudinem, vt quam incertæ vel certæ fuerint in loquente, tam incerta vel certa sunt eius verba.

Sed hæ condiciones prorsus incertæ sunt in hominibus, & prorsus certæ in Christo Domino.

Qua igitur ratione incerta esse hominum verba demonstratur, eâdem prorsus patet certa esse quæ Christus dixit, Vnde simul discas quàm parum humana, quàm vero multum timenda sint diuina verba.

AD PRIMAM PROPOSITIONEM; multæ quidem in loquendo requiruntur condiciones, sed hîc tantum exiguntur quæ verborum in loquente certitudinem faciunt, & quæ quatuor numero recensentur.

Prima est, *Sapientia seu scientia* qua quisquis loquitur probè sciat quid loquatur, probè sciat quàm sit illud certum & verum. Quomodo enim id affirmabit aut negabit quod nesciet.

Secunda est, *Veritas seu veracitas* qua id velit vere loqui prout vere norit; quàm sunt enim multi mendaces qui contra mentem loquuntur!

Tertia est, *Potestas* in his maxime quæ quis loquendo promittit aut minatur. Nam si reuera non potest exequi quod denuntiat, quantumcumque se putet vera dicere, reuera tamen non erunt quæ dicit, defectu potestatis.

Quarta est, *Constantia & firmitas*, qua quis loquitur, Idem semper permaneat, Idem semper velit & possit, nam si mutatur, nihil fiet.

Hæ sunt itaque condiciones quæ simul ita in loquente requiruntur ad eius verborum certitudinem, vt quàm in Eo fuerint vel incertæ vel certæ, tam incerta vel certa dici debeant eius verba. Si vel vna desit condicio nil prosunt cæteræ, nam simul omnes ad certitudinem certo debent adesse, valentque plane hîc diuina illa Effata: *Bonum ex integra causa, malum ex quouis defectu. VERITAS indiuisibilis: aut tota simul ruat, aut tota perstet.*

SED, quæ secunda est propositio, *quàm sunt incertæ quatuor hæ condiciones in hominibus, tam certa sunt in Christo Domino.* Nam primo de sapientia seu scientia qua quis scire debet quod loquitur, En ipsa Sapientia quid sentiat de hominibus, En ipse hominum Sapientior quid de se ac de cæteris sit sentiendum, profitetur: *Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & INCERTAE PROVIDENTIAE NOSTRAE. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?* Quasi diceret, non modo cœlestia parum certo scimus, sed nec ipsa terrena: fitque vnum ex alio, vt parum norimus cœlestia quia plus Sap. 9.

nimio terrenis cognoscendis vacamus. Et quia nihil in terris certum ac verum est nisi quantum in cœlis, & nisi quantum in Deo fuerit certum ac verum, hinc fit etiam vt ignorantes quæ Dei sunt, ignoremus & alia.

Ioan. 5. Non ita vero Christus, at contra potius cum quæ sunt Dei, plane nosset, plane & quæcumque alia nouerat. *Pater enim diligit*
Hebr. 4. *filium, & omnia ei demonstrat quæcumque facit.* Hic est viuus *sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.*

Rom. 3. Secundo de Veritate, paucis rem attingit totam Apostolus: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?*

Eccles. 18 Tertio de Potestate, *quid est homo, & quæ est gratia illius? &*
1. Macch. 2. *quid est bonum, aut quid nequam illius? A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio*
Dan. 3. *eius periit. ET quis est Deus qui eripiet vos de manu mea*, dicebat Nabuchodonozor tribus illis sat notis Viris qui confidenter responderunt: *Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex liberare.* Quod & ita factum est, & rex ipse supremum Dei Numen agnoscens: *potestas eius,* inquit, *in generationem & generationem*, Id est, numquam deficiens sicut potestas hominum.

Num. 23. De quarta denique, quam esse diximus Constantiam & firmitatem, quid apertius & quid aptius quàm quod scriptum est: *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est, & non implebit?* Quò illud re-
Ps. 44. fert sanctus Augustinus quod scriptum est, *lingua mea calamus scribæ*; *QVIA*, inquit, *quod lingua dicitur, sonat & transit: quod scribitur, manet. Cum ergo dicat Deus verbum, & verbum quod dicitur, non sonet & transeat, sed & dicatur & maneat: scriptis hoc maluit Deus comparare quàm sonis.*

Quamobrem patet aperte Veritas de vtroque quod continet; nempe *Humana verba quàm sunt incerta & fluxa, tam sunt certa*
Math. 5. *& stata diuina, quæ sacris in Codicibus exhibentur*: Vnde ne Iota

Digitized by Google

vnum aut vnus apex vmquam desit quin omnia prorsus fiant. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicet Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Is. 55.
Nempe illud prosperari est quando fit illud quod intenditur. Sic autem semper fit quod intenditur verbo Dei: nam vel ipsum verbum recipitur & in effectum venit, ac mercedem suam confert. Vel si negligitur, pœnam infert, seriùs ocyùs. Vnde est alibi declarata hæc Veritas:

Verbum Dei non redit vacuum: aut prosit necesse est recipienti, vel obsit. In 3. p. Fer. 2. Hebd. 8.

Apte autem dictum nobis fuit à Domino, *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ.* Quod enim cogitant homines de diuinis verbis, hoc in viis suis demonstrant: quod vero demonstrant in viis suis tam alienum à Deo est quam à terra cœlum; Nam quæ sunt viæ hominum nisi viuendi ratio? Quæ porro viuendi ratio nisi plane opposita diuinis verbis, diuinis cogitationibus & diuinis viis? Nonne hæc communis omnibus viuendi ratio vt superbiant, vt superiora semper ambiant, vt cupiditati quantum possunt satisfaciant, aut si minus possunt quàm velint, plura quàm possint enitantur, nec aliter gaudeant & doleant, nec aliter se beatos aut miseros putent quam si cupiditates expletæ fuerint vel vacuæ? Quid autem Scripturæ, quid Euangelio, quid Verbis Domini magis aduersatur? Quid vero cogitas dũ sic diuinis verbis aduersaris? quid cogitas quando audis, *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum?* Cogitasne tibi hanc paruitatem tam esse necessariam quàm verè tibi denuntiatur? Cogitasne te alioquin non intraturum in regnum cœlorum? Nihil horum plane cogitas, nam neque tibi vllo modo prouides illam infantiam, neque propterea times illo excludi regno. Matth. 18.

Quid ergo restat te cogitare nisi quod verba illa nõ sint certa, non sint stata & firma, non ita futurum sit vt verba sonant? Neque hoc etiam fortè expressâ mẽte cogitas; sed quales sunt viæ tuæ vt dixi,

tales sunt cogitationes tuæ, cum autem ita viuas quasi verba Dei putares non habitura suum effectum, hoc ipsum cogitare dicendus es. Et hæ sunt cogitationes tuæ quas dicit Dominus longè à suis esse positas, nam Ille sua verba rata fixaque prorsus habet, & quantum Ipse est sapiens, quantum verax, quantum potens & Immobilis, tam certa sunt omnia quæcumque dixit; Aut si quid certum non esset, oporteret profectò Ipsum in horum vno aliquo defecisse; Oporteret aut nesciuisse quid diceret, aut contra mentem dixisse, aut non posse quod dixit se facturum, aut sententiam suam inuertisse, & aliud Euangelium prædicasse.

Quid horum dices illi obuenisse? An diuisus, an mutatus Christus? An Angelus descendit de cœlo qui aliud euangelizarit præ-
Galat. 1. terquàm quod euangelizatum est tibi? hoc si vel diceres, anathemate feriendus esset ille Angelus, nec alius esset Angelus quam
Ioan. 10. qui se transfigurat in Angelum lucis; Nam *non potest solui scriptura.* Quidquid contra dicat Caro, Mundus & Dæmon, non potest solui. Mutentur tempora, mores, & dicta hominum, non potest solui, semper quod dixit, verum erit, & semper fiet. Semper verum erit quod nisi conuersi fuerint mundani homines, & efficiantur sicut paruuli, non intrabunt in regnum cœlorum. Quidquid dicant aut faciant, numquam potest hoc solui. Aut sit mundanis infantia, necesse est; aut nullum illis sit cœlorum regnum. Itane Deus vt vitio faueat, Scripturam soluat, & oppositas damnet virtutes? Si cuius gratia de scripturis aliquid remittendum esset, profectò in Christi gratiam tam graues illæ scripturæ quæ passionem ac mortem eius denuntiabant, videbantur mitigandæ. Sed absit, recconde Petre gladium in vaginam, nec te opponas passuro Christo ne te simul opponas scripturis quæ passurum illum prædicant,
Matth. 26. *quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?*

Si de se ita Christus, nonne id de singulis ita sentiet, & ita iudicabit! Quomodo implebuntur scripturæ nisi conuertaris & efficiaris sicut infans & paruulus, aut nisi regno cœlorum excludaris? hoc ipse iudicandus ab hominibus sibi Christus proposuit, hoc ipse
Ioan. 5. iudicaturus homines sibi proponet; *sicut audio,* inquit, *iudico.* Et dum resurgent mortui, vidit Ioannes apertos libros, & iudicatos mor-
Apoc. 20. tuos *ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Id est, prout ipsorum opera respondebant & congruebant his quæ scripta erant: quasi ex libris iudicium seu talis iudicij sententia pro-

duceretur,

Digitized by Google

duceretur, vt qui conformes libri scriptis reperirentur, promissam ibi mercedem reciperent; & qui dissentaneam egissent vitam, pœnis illic recensitis subjicerentur. Adeo verum est non posse solui scripturam, & cœlum potius desiturum quod tamen numquam desinet, quàm vllum ex Christi verbis frustra dictum.

Quò apte referri possit volumen illud volans quod vidit Zaccharias, cuius longitudo viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dictum illi fuit: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.* Zach. 5.

Nempe volumen istud, sacra est Scriptura quæ pœnas peccatoribus denuntiatas continet. Volare dicitur non quiescere quia pro certo illæ infligentur pœnæ. Longitudo eius duplo major est quàm latitudo, quia cum sint æternæ pœnæ grauior est illa pœnarum æternitas quàm illarum sensus licet acutissimus. *Hæc est maledictio* dicitur, id est, condemnatio inde petita seu damnatio cuius hæc forma exprimitur: *Ite maledicti, &c.* sic porro *fur damnabitur vt ibi scriptum est*, sic maledicetur, hoc est quisquis in proximum positiuè, vt dicitur, vel negatiuè peccauerit, vel abripiendo bona eius, vel negando illi necessaria vt infrà dicetur, Sabbato sequentis Hebdomadæ: Sic & *omnis iurans.* Id est, omnis in Deum peccans, omnis periurus, impius & superbus, inde iudicium, inde suam referet damnationem. Vide in 3. p. Fer. 5. Hebdom. 12. vbi hæc habetur Veritas:

Superbo maxime formidandum diuini Tribunal Iudicij.

Quod & expressiùs fuit demonstratum in 1. parte, Dominica prima Aduentus.

HAC HEBDOMADA, quod superest considerandum ex verbis & factis Domini, ad Eius vsque passionem, totum refertur ad Vigilantiam in nobis excitandam, seu quâ parati simus ad mortem, seu

quâ resistamus Inimicis & tentationibus, seu quâ recipiamus Gratias, & iis tam fideliter vti discamus quàm necessarium est ad earum rationem reddendam in extremo Iudicio, vel in extremo vitæ die.

FERIA SECVNDA.

COMMENDATIO VIGILANTIÆ CHRISTI VERBIS, RATIONE CONFIRMATIS.

Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Math. 24.

Videte, vigilate, & orate. Nescitis enim quando tempus sit. Marci 15.

VERITAS PRACTICA.

Si sola seorsum Ratio; vel si solus Christus sufficeret, quanto magis simul, Christus & Ratio?

SENSVS EST, Quod licet ad commendationem Vigilantiæ sufficeret sola Christi vel sola Rationis authoritas, cùm tamen simul vniuntur Christus & Ratio, ad illam commendandam, multo magis ad id valent; & commendatio nobis esse debet vehementior; & nisi vigilemus, culpa est grauior.

RATIO EST, Quia generatim loquendo, illa duo simul iuncta magis valent ad suum producendum effectum, quorum vnum suppletur si quid fortè desiderari posset in altero seorsum sumpto. Sed ita se habent Christus & Ratio ad Vigilantiam commendan-

dam, vt quod in alterutro separato, desiderari posset, suppleatur in vtroque simul iuncto.

Ergo simul iuncta magis valent ad hunc effectum; Ac proinde simul proponenda nobis est Christi & Rationis authoritas, vt quàm fieri potest vehementer sacra illa in nobis excitari possit Vigilantia.

I. PVNCTVM.

INCHOATVM in monte Oliueti sermonem producens Dominus, antequam traderetur Iudæis, penè totum absoluit in Vigilantia nobis commendanda. Nam quod de hoc argumento dicebat suis, expresse addidit, *quod vobis dico, omnibus dico; Vigilate.* Tam multis autem & tam grauibus illam commendat verbis, vt sola eius Verba, sola eius loquentis Authoritas sufficeret ad eam nobis commendandam, siue ad nos excitandos in huius virtutis cultum & studium. Et verò etiam, quod mireris, tam exquisitis & multiplicatis rationibus dicta sua Christus cõfirmat, vt si solæ rationes separatim à Dicentis authoritate perpenderentur, multum sane valerent ad hanc eandem virtutis praxim in nobis operandam. At quantò magis putas valere possunt cum ita nobis hodie proponuntur simul & conjunctim, vt neque sola Ratio sine loquente Christo proferatur, neq; solus loquatur Christus sine rationis testimonio? *Vigilate ergo,* inquit, *quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Et expressius apud sanctum Marcum, *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Quasi diceret, non frustra id vobis dico; ne mihi soli dicenti credatis velim; ratio est valida & efficax cur ita vobis commendem. Vos ipsi rationem expendite; Vos ipsi iudicate, nùm sit æquum & consultum quod commendo. Commendanda certe Christi Bonitas & Sapientia sic vtrumque simul coniungentis incentiuum ne quid omnino nobis deesset ad tantæ rei dignitatem & necessitatem agnoscendam.

Quamobrem vt quantum valeat hæc amborum inter se vnitas & consensio manifestius intueamur, proponenda hæc Veritas fuit, & ad eam declarandam, hoc præmittendum, quòd licet ex

dam, vt quod in alterutro separato desiderari posset, suppleatur in vtroque simul iuncto.

Nihil quidem est mancum & imperfectum in Christo, quà Christus est, & quantum in Ipso est; sed ex parte nostra, seu qua ex parte inducendi sumus ad illam obseruandam Vigilantiam, si sola Christi loquentis proponeretur authoritas, dicerent forte aliqui, non esse Christi præceptum, sed perfectioris vitæ quoddam consilium; Dicerent alij hoc Pastoribus animarum magis competere: dicerent vero Pastores satis esse vel in periculis, vel in grauioribus negotiis vel certis quibusdam temporibus vigilare sicut de oratione dicitur, quæ non minus quam vigilantia commendatur, & putatur tamen satis esse si quibusdam horis oretur. Nonne hoc ipsum de Vigilantia putabitur, si nihil aliud quam Christi commendatio proponatur? Non est tamen non est illa mens Christi vt aliquoties tantum vigiletur, sed omni tempore, sed omni hora, sed incessanter. At quomodo mens illa Christi capietur? ô Diuinam Christi sapientiam in suis dictis declarandis! En dictis rationem subjicit qua quid velit quid intendat demonstret euidentissimè: *Nescitis enim*, inquit, *quando tempus sit.* Et seipsum clarius explicans: *sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & Ianitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cùm venerit repente, inueniat vos dormientes.* Quasi diceret: Non dubitatis quin seruis illis esset omni tempore vigilandum qui omni tempore suum expectarent Dominum. At vos illi estis serui qui venturum habetis Dominum siue ad gratias conferendas, siue ad collatas examinandas an profecerint, siue ad vitam terminandam, & particulare Iudicium exercendum, siue ad aliquid quod à vobis velit expressius indicandum, & nescitis quo tempore quaue hora veniat Dominus. Ergo vobis est vigilandum. Nonne id concludit Ratio? & nonne id concludens Ratio multum valet ad id quod commendat, si præsertim consideretur ab Eo data qui pro sua poterat authoritate præcipere, qui pro sua nouerat sapientia quantum quæque valeat ratio, & qui pro sua bonitate lumen infundit quo illorum mentes illustret quibuscum loquitur?

Seruate mihi puerum Absalom, dicebat suis Dauid qui contra erant pugnaturi; tum vero paulo post, cùm Miles diceret se perfidum 2. Reg. 18.

illum Absolonem vidisse pendentem de quercu, & argueretur à Ioabo quod eum non occidisset, & sibi amplam hoc facinore conciliasset mercedem atque famam: *Si appenderes,* inquit, *in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: Audientibus enim nobis præcepit rex tibi dicens: Custodite mihi puerum Absalom. Sed & si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso.* Quasi diceret: Et dictum regis & dicti ratio me continuit, nam præterquam quod rex vetuit ne Absalom occideretur, rationem Rex ipse addidit quia filius eius esset: quæ sola quidem ratio sufficeret ne occideretur: at cum ei accesserit mandatum regis, nefas prorsus duxi & regi simul & rationi repugnare.

III. PVNCTVM.

SIC plane nobis est sentiendum, sic loquendum, sic respondendum omnibus qui nos forte arguerent quod nobis attentius inuigilemus quasi tristiorem agamus vitam, quasi periculum valetudinis incurramus: Sed audiant quod audientibus nobis præcepit Dominus vt vigilemus ne alioquin ab ipso Domino non vigilantes deprehendamur: Audiant quantum valere in seruum debeat quod commendat ei Dominus, & quod ratione confirmat commendatum. Considerent qualis sit ille Dominus cuius imperium nemo detractare possit, & qualis sit ea Ratio quam sensus ipse communis & quotidiana probat experientia.

Isa. 1. *Venite & arguite me, dicit Dominus*, quasi diceret, nisi rationem habuero qua id æquum ostendero quod à vobis exigo, nolim credatis: aut si quæ est cuiusdam ratio quam dictis meis opponat, veniat, & rationem proponat. *Reduc me*, inquit, *in memoriam & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit: & Interpretes tui præuaricati sunt in me.* Hoc est, idcirco pater tuus primus peccauit quod rationem meis dictis oppositam audire & sequi voluerit: & illi ipsi mundani qui se dictis opponunt meis, aliud quàm dicunt sentiunt, neque enim ignorant quod est in sacris Prouerbiis: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Neque quod ait Ecclesiastes: *nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos quò tu properas:* Nam illi omnes vel inuiti fatentur quod iuste damnati fuerint, &

Margin notes: Ibid. 43. (beside "niat, & rationem proponat"); Pro. 21. (beside "in sacris Prouerbiis"); Eccl. 9. (beside "silium contra Dominum")

quod *in malignitate sua consumpti sint*; quia scilicet *nullum virtutis signum valuerunt ostendere*, quia sibi quantum erat opus non vigilarunt. Rata est enim hæc Veritas: Sap. 5.

Quod quantum cuique est vigilantiæ, tantum est virtutis & meriti.

Vide in 1. p. In Communi de Sanctis Confessoribus non Pontificibus.

Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Et respondit mihi Dominus, & dixit, scribe visum & explana eum super tabulas vt percurrat qui legerit eum. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit. Hab. 2.

Mira certe Prophetæ visio; cum vigilaret attentius vt quid à se Deus vellet, audiret & annuntiaret, hoc responsum accepit, vt scriberet quod omnes legerent, & diceret quod audirent omnes, sic esse omnibus semper vigilandum sicut ipse Propheta vigilabat, sic esse semper expectandum Dominum qui licet moram faciat, veniet tamen, & quasi iam iam venturus sic est semper expectandus. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opera sua.* Apoc. 22.

FERIA TERTIA.

EXPRESSIOR PARABOLA DE SERVO EXPECTANTE DOMINVM SVVM.

Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Luc. 12.

VERITAS PRACTICA.

Qui non est semper paratus, numquam est paratus.

RATIO EST, *Quia numquam est paratus, qui non est paratus eo tempore quo præsertim paratum esse oportet.*

Sed qui non est semper paratus, non est paratus eo tempore, quo præsertim paratum esse oportet.

Ergo numquam est paratus. Quæ certe Consideratio diligenter expensa multum valere potest ad persuadendum vnicuique, vt semper sit paratus.

I. PVNCTVM.

QVAM sanctus Marcus parabolam de seruo expectare iusso Dominum suum, breuiter narrat, alij duo Euangelistæ fusius commemorant. Et quidem sanctus Lucas iam pridem ipsam eandem retulit alio loco & tempore à Christo Domino pronuntiatam, longè hunc ante sermonem quem ipse Dominus postremum habuit de Vigilantia: siue quod Christus pluries eam repetierit, siue quod Euangelista temporis rationem in ea referenda non seruarit, quod est sacris Scriptoribus satis familiare.

Hæc est autem insignis Parabola de qua in prima parte cùm de Sanctis Confessoribus in communi ageretur, instituta est Consideratio, frequenterque recurrit in celebranda Sanctorum memoria.

Sicut lumbi vestri præcincti; more scilicet Orientalium qui cùm vestes talares numquam deponerent, illas colligebant & præcingebant quando ad iter se comparabant, vel ad aliquod ministerium exercendum.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris, quasi qui de nocte redeuntem domum, expectetis Dominum vestrum. Sed mirum prorsus & inauditum cur ita in expectando Domino iubeantur haberi ardentes in manibus faces vel lucernæ. Nonne satis erat eas habere paratas vt cum aduentaret Dominus, illas accenderent & tum manu gestarent ad lucem præferendam? Nonne sic ordinarie fieri solet à seruis qui cum de nocte suos comitantur Dominos, tum quidem gerunt suas faces lucentes & accensas, sed dum illos domi expectant, non lucentes manu gestant, sed extinctas in procinctu habent, & ad manum vt quando se opportunitas dederit, eas accendant?

At-

At vero Christus Dominus aliquid amplius à suis exigit; Non modò sic paratas ad manum vult haberi lucernas, vt cum venerit, mox accendantur; sed cum etiam abest & expectatur, tum paratos vult habere seruos, tum ardentes vult haberi faces perinde prorsus ac si præsens adesset. Nam eius aduentus ita est repentinus, ita subitaneus & improuisus, & quando præsens aderit ita vult seruos suos expeditos ad sibi obsequendum vt nisi dum abest sint ita semper parati, non erunt satis parati dum aderit.

Vnde quod addit postea: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei*, hunc habet sensum, vt sint ita vigiles, sic attenti & arrecti, quasi qui præstolentur iamiam aduentantem, quasi qui præsto sint ad eum recipiendum, quasi qui spectent nùm adsit, quasi qui auscultent nùm pulset.

Quibus verbis, quaue similitudine quid expressius, quid significantius ad exprimendum parabolæ finem & scopum qui eo spectat vt discamus sic inuigilare nobis quasi iam iam essemus morituri; discamus eo in statu viuere, in quo vellemus mori; Discamus sic semper abstinere malis, & bona facere, sicut vellemus instante morte. Hoc est enim præcinctos habere lumbos, si caremus vitiis, hoc est habere lucernas ardentes, si lucemus virtutibus, si ardemus Charitate. Hoc est Dominum venire ad seruos, quando serui sunt morituri, quando mortui sunt iudicandi. Hoc est denique paratos inueniri seruos quando sic suis erunt purgati vitiis, & præscriptis ornati virtutibus, vt statim à morte transferantur in Beatitudinem: Hoc est quod optaret Dominus, sic inuenire suos vt ex mortali vita migrantes statim in æternam demigrarent. Hoc est quamobrem illos tam multis instruit; Hoc est quod illis præcipuè vigilantem commendat solicitudinem quam si obseruent, beati erunt: quam si negligant, actum est de illorum salute. Sic enim ait, sic affirmat, sic definit: *Beati serui illi quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes, amen dico vobis quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Breuis quædam est descriptio beatitudinis, quasi diceret, tam beati sunt serui illi, vt quia fideliter Domino suo seruierunt, Dominus vicissim illis seruiat, Id est, omnia subministret quæ desiderare possint, quasi si mensæ accumberent quibus ipse Dominus omne cibor ū genus inferret: Tanta est videlicet Beatitudo vt ad beatorum

voluntatem abunde omnia ſuppetant.

E contrà verò de ſeruo non vigilanti, audi quid pronuntiet: *Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & in hora qua neſcit & diuidet eum; partemque eius cum infidelibus, & cum hypocritis ponet: ibi erit fletus & ſtridor dentium*, Id eſt, ſera erit pœnitentia de male inſtituta vita ſiue de imparata morte; Nec aliud addit grauius quo deſcribantur vel declarentur illa inferorum ſupplicia; Nam quod grauius in illis eſt, hoc eſt non fuiſſe vigilantem, hoc eſt non emiſſe tam modico pretio tantam beatitudinem; hoc eſt tam leuiter excidiſſe beata illa fœlicitate. Satis inde alia ſignificantur ſupplicia, neque ad æterni metum ſupplicij tantum valet pœnæ grauitatem deſcribere, quàm demonſtrare periculum eius incurrendæ. Satis itaque dictum fuit ad terrorem de non vigilanti ſeruo, quod pœnam infidelium & hypocritarum ſubiret: Tùm verò ſi velit cogitet quænam ſit illorum pœna, ſeu potius ſi ſapit cogitet de illa euitanda, & diſcat non alium eſſe modum quàm vt vigilet, quàm vt ita viuat & ita ſemper paratus ſit ſicut aliquando vellet eſſe paratus. Nam pro certo ac conſtanti habere debet, *quod niſi ſemper ſit paratus, numquam erit paratus, & male omnino peribit.*

Luc. 12. Math. 24.

Hoc eſt quod breuiter cætera omnia complectitur; hoc eſt quod præſertim ex dictis eliciendum & expendendum eſt; hoc eſt quod aperta ratione probatur, quia numque ille paratus dici debet, qui non eſt paratus eo præſertim tempore quo paratum eſſe conuenit, ſiue propter quod tota exigitur præparatio. Redeamus ad ſimilitudinem ſerui expectantis Dominum ſuum. Quomodo illum expectat? Vigilando. Cur autem ita vigilando? Vt cùm Dominus venerit, ſit paratus. En finis ille quem ſibi ſtatuit qui expectat & vigilat, vt illo ſcilicet tempore ſit paratus quo Dominus veniet. Iam vero, quod eſt præcipue conſiderandum, ſi ſeruus ille quouis alio tempore ſemper paratus eſſet & numquam illo quo Dominus venit, nonne de illo diceretur ſeruo, quod numquam eſſet paratus? Cur porro id diceretur, niſi quia non eſſet illo paratus tempore quo præcipue paratus eſſe debebat, nempe illo quo venit Dominus; cum propterea tantùm, vt ſupponimus, paratum eſſe oporteret, vt venientem Dominum ſeruus quo decet modo exciperet. Eſto expectarit, eſto vigilarit, eſto ſemper paratus fuerit alio tempore, præterquam iſto præciſe ac determinate; nihil profecit, nihil egit, quia tempus illud erat propter quod tota

instituta erat præparatio.

Sic miles ense semper accinctus & semper paratus sit præterquam pugnæ tempore; numquam esse paratus hic dicetur, & ignauiæ pœnam subibit, quia pugnæ tempus, tempus est singulare quo esse paratum oporteret. Sic dicuntur *omnia tempus habere, & suis spatiis transire uniuersa sub cælo.* Eccl. 3. Sic esse *omni negotio tempus, & opportunitas ita esse dicitur vt nisi adsit tempus & opportunitas vix vllum fiat negotium.* Ecclesi. 8. Hæc est valde opportuna Veritas superius demonstrata in hac parte, Feria 4. Hebdomadæ decimæ octauæ, vbi quæ desiderari possent hic fusius, habentur declarata. Vide & hoc esse tempus opportunum agnosce quo has intelligas Veritates.

II. PVNCTVM.

SED *qui non est semper paratus, non est paratus eo tempore, quo præsertim paratum esse oportet.*

Quodnam est enim tempus, quo præsertim paratum esse oportet? Nonne est tempus mortis? Nonne est tempus quo venit Dominus ad particulare iudicium? Nonne est tempus quo si paratus non sis, non sis paratus eo tempore quo te præsertim paratum esse oportet. Iam vero siste, audi, vide, & quidquid est virium animi collige vt semel aliquãdo plene intelligas te mortis tempore non paratũ fore nisi semper paratus sis: quia scilicet nisi semper paratus sis, tempus mortis erit dies illa qua non speras, & illa erit hora qua nescies tibi esse moriendum. Sic enim expressis & disertis verbis Dominus; sic minatur futurum illi seruo qui non omni hora vigilauerit. Ipse est Dominus qui expectatur Iudex, & qui venturus est ad te iudicandum qui hoc affirmat. Ipse est qui consultò & deliberatò tale hoc tempus eligit quo veniat & quo te iudicet. Ipse est qui probè scit quid sit facturus & dicturus, qui nec errare potest dicendo quid faciet, nec faciendo quod dixit. Nonne credis hoc dixisse Christum, & hoc esse verum & futurum quod Christus dixit?

Quod si autem tempus tuæ mortis, tempus sit illud quo te mori nescies, nonne tempus erit quo non eris paratus? Nam licet de Iusto dicatur *quod si praoccupatus morte fuerit, in refrigerio erit*; tamen quis se iustum ita potest arbitrari vt non periculosum sibi putet tempus mortis quo mori nesciet? Nonne iusti quique orant Sap. 4.

De mente vero Christi loquentis, non est ambigendi locus quin hoc verè intenderit quod verba sonant & significant. Nam cum vellet nos esse semper paratos, atque inter alia quibus vtebatur ad hanc præparationem persuadendam, hoc vnum crebrius proponeret, nos alioquin imparatos morituros, profectò nisi constaret hoc ab eo ita esse intentum, & ita verè futurum, nullam vim prorsus haberet eius suasio, dicerentque omnes quod impij tantum audent apud Prophetam: *manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*: quasi diceretur, hoc vnum decantant Scripturæ vt cito venturum dicant quod minantur, nec tamen venit. Sed frustra id dicent, nam & ipse Dominus has omnes præoccupauit elusiones cum dixit cœlum potius periturum quam quid ex verbis suis. *Is. 18.*

Atque ita omnes Sancti Patres eius mentem interpretantur, vt non alia de causa incertum mortis nostræ diem, & suspensam sui aduentus expectationem fecisse dicant quàm vt omni tempore ac singulis obseruaretur momentis sicut qui singulis venturus esset. *Paratos igitur esse nos conuenit*, inquit S. Hilarius, *quia diei ignoratio intentam solicitudinem suspensæ expectationis exagitet*. Sic & sanctus sæpe Augustinus: *Nescis qua hora veniat, semper vigila, vt quod nescis quando veniat, paratum te inueniat cum venerit: & ad hoc forte nescis quando veniat vt semper paratus sis*. Et rursum: *Vigilare debet omnis Christianus ne eum imparatum inueniat Domini aduentus: Imparatum autem inueniet dies ille, quem imparatum inueniet suæ vitæ vltimus dies*. Sanctus autem Gregorius tam frequens & tam multus est in istis commendandis, vt quia tam multus est, pateat omnibus obuius, & vix vllam eorum quæ scripsit paginam voluas quin hæc aut similia legas: *horam vltimam idcirco Dominus noster nobis voluit esse incognitam vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus*, Id est, illam præ oculis & in mente semper habeamus. *In S. Math.* *In Epist.*

Nec dicas, raras esse mortes repentinas & improuisas, cum tamen multi sint qui se non semper paratos teneant. Respondetur enim improuisam mortem non eam tantum dici quæ repentina est & subitanea, sed quæ quocumque modo adueniat, insperatò aduenit, quo sensu diximus eum qui moritur sperare se non moriturum, sicque suis rebus æternis non satis caute ac diligentur prouisurum. Vel enim morbus lentus est vel violentus: Si lentus est,

non multum mouetur æger, & facile sperat se melius habiturum: Si violentus est morbus, non vacat ægro multum cogitare de anima, speratque morbum de violentia remissurum, ac tum, inquit ille, serio mentem inspiciet, & interim moritur: & tu negabis hanc improuisam esse mortem vel hac morte non multos interire?

Neque rursus objicias, sentiendum melius de Dei bonitate qui non punit bis in idipsum; cum enim iam morte naturali puniat, credibile est aliam pœnam spiritalem cohibere, nec proinde timendum ne imparatus discedat qui non semper est paratus. Falleris, omnino falleris quisquis ita discurris. Nam primò iam dictum est non hîc agi de morte corporis immatura & casu aliquo repentino illata; sit moriturus quantumuis senex, aut naturali cursu delapsus in extremum suum diem: hic est de quo agitur, hic est qui dicitur imparatus mori, hic est qui dicitur punitus & castigatus non morte naturali sed spiritali, quatenus his priuatur gratiis quas habuisset si se semper paratum reddidisset, & quibus illo mortis suæ tempore dum priuatur, imparatus moritur. Neque vt vides propterea bis punitur in idipsum, quia non duplex sed vna tantum mors est in pœnam neglectæ præparationis animi.

Deinde vero nihil de bonitate Dei detrahitur, dum diuina Iustitia exercetur; Nam vt præclare Sapiens, *omnis misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius.* Iam non erit locus bonitatis sed iustitiæ. Bonitas fuit te præmonere, bonitas fuit, te differentem expectare: bonitas fuit te contemnentem sustinere! bonitas fuit te hac etiam hora prouocare ad præcauendum; bonitas etiam est tibi præterita condonare si verè resipueris; Numquid sat multa hæc sunt vnde tu de bonitate Dei sentias? At vero si hæc multa pergas contemnere, nonne quanto major illa fuit bonitas, tanto erit major tua culpa, & tanto majori pœna dignior? *Ille seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluptatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Sic Christus Dominus præsentem concludens parabolam: Vnde tu qui omnium maxime voluntatem Christi noris de habendo animo semper parato ad mortem obeundam, quid expectare debes nisi hanc voluntatem adimpleas?

Ecclesi. 16.

Luc 12.

FERIA QVARTA.

PARABOLA DE PATREFAMILIAS,
VIGILANTE OB METVM FVRIS.

Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret Paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12. Math. 24.

VERITAS PRACTICA.

Qui non obſeruat furem, obſeruatur à fure & capitur.
Sicut à fure ſic à fine vitæ timendum eſt.
Vel omni hora vigilandum, vel nulla vigilatur.

RATIO poſtremæ partis ad quam duæ priores referuntur, hæc eſt inter alias, quod cum Ingenium furis tale ſit vt ipſe obſeruet horam furti faciendi qua non obſeruatur, idcirco contra vel omni hora vigilandum eſt vel nulla vigilatur.

Sed finis vitæ qui & aduentus Chriſti dicitur ſic veniet tamquam fur qua non expectatur hora, ſi non omni hora expectetur.

Ergo vel omni hora vigilandum eſt, ad hunc vitæ finem obſeruandum, vel nulla vigilatur; Et non minus inde animæ quàm à fure domui, damnum infertur.

I. PVNCTVM.

CVM præsentis Parabolæ sit idem Finis & scopus qui præcedentis ac sequentium, de habenda perpetua Vigilantia circa finem vitæ præsentis, eò discursus etiam fuit dirigendus, & tota mentis acies nunc intendenda, vt cum diuina Gratia probe intelligatur ex allata furis similitudine quàm sit omni hora vigilandum, vel nulla vigiletur, & sic locus furi ac damnis inde sequentibus detur, quod est diligenter cauendum.

Sic autem explananda breuiter videtur similitudo: Cum de nocte fur venturus timetur, ita timetur, vt omni mortis hora caueatur; aut nisi omni hora obseruetur & caueatur, non satis cautè timeatur, nec possit dici quod vlla caueatur hora: quia scilicet talis est furum industria & genius, vt toti sint in obseruanda hora qua non obseruantur, vt sic tutius fures agant, cùm alioquin se in manifestum vitæ periculum conjicerent. Nonne res patet? Nonne
Abdias. sic Scriptura toties in nos id retorquet: *Si fures introiissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introiissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi? quomodo scrutati sunt Esaü, inuestigauerunt abscondita eius!* Id est, quo te modo gereres circa fures & latrones qui te interdiu vel de nocte inuaderent? Nonne omni modo caueres ne tibi damnum inferrent? Cur non igitur pari cura inuigilas contra tuos animæ hostes vel vt eos anteuertas, vel vt accedentes arceas & prohibeas? An putas minus isti damnum animæ inferent quam alij bonis tuis temporalibus? Certe fures aliquid domi relinquunt, at hostes animæ cuncta diripiunt.

II. PVNCTVM.

SED finis vitæ qui & aduentus Christi dicitur sic veniet tamquam fur, direpturus omnia, quæ non hora expectatur, nisi omni hora expectetur.

Primò, finis vitæ dicitur aduentus Christi, siue quia Christus tunc venit ad iudicium particulare morituri, iuxta illud Apostoli,
Heb. 9. *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*: siue quia

quia imperio eius vita finitur : *Vita in voluntate eius. Dedit ei Pater, potestatem omnis carnis.* Ps. 29. Ioan. 17.

Deinde vero finis vitæ siue aduentus Christi sic venire dicitur tamquam fur quia sic incautos reuera intercipit & bona omnia diripit, siue temporalia quæ deseruntur, siue spiritualia quæ iam partim amissa erant per peccatum, & quæ restant, vt Fides & Spes, per iudicium & damnationem auferuntur ; ac denique beata illa & æterna Bona quibus fruendis creata erat anima, penitus pereunt. Nonne hoc est furem esse ? Nonne hoc est quod omnes post Christum dicunt Apostoli, siue de extremo siue de particulari iudicio : siue de postremo fine omnium hominum, siue de cuiusquam singulari ? *Non tardat Dominus promissionem suam*, inquit sanctus Petrus, Id est, verbum quod dixit de aduentu suo. *Adueniet autem dies Domini vt fur. Quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini!* Quasi diceret, quales esse velletis illo die, tales omnino vos esse oportet omni die propter eius incertitudinem. 2. Pet. 3.

Sic & sanctus Paulus : *Ipsi diligenter scitis quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet : Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.* Quò & illud sancti Iacobi referas : *Patientes estote vsque ad aduentum Domini : Patientes estote, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit. Ecce Iudex ante ianuam assistit.* Sanctus denique Ioannes, siue per Ioannem Dominus : *Si non vigilaueris*, inquit, *veniam ad te, tamquam fur : & nescies qua hora veniam ad te.* 1. Thess. 5. Iac. 5. Apoc. 3.

Possetne restare dubium post tot testimonia, de rei veritate ?

III. PVNCTVM.

ERGO *vel omni hora vigilandum est ad hunc vitæ finem obseruandum, vel nulla vigiletur.* Nam si fateris ita esse Vigilandum ad furem præcauendum, si quis forte domui paret insidias, cur non idem fateberis ad hunc postremum diem & hunc aduentum Domini obseruandum, qui non aliter Furis nomen habet quam quia non vigilantes occupat ? Sic enim aperte Apostolus quod est valde notandum : *Vos autem fratres non estis in tenebris vt vos dies illa tamquam fur comprehendat*, Quasi diceret, solis illis vere fur dici de- 1. Thess. 5.

bet qui non eum cauent vt furem; nam quibus est fur vt obseruetur, non est fur vt furetur: Illa enim obseruatio, velut quædam lux est & dies, quam fures ita fugiunt vt quamdiu lux est, fures non sint.

Quod certe non poterit non esse valde gratum Christo Domino, cui non potest non esse inuisum fatale furis nomen. Putasne libens hoc sibi nomen assumat? Etiam plane, dum tibi prosit ad salutem, dum tibi prosit ad cautelam: sed satis alioquin tibi significat quam longe sit ab hoc infami nomine cùm te toties monet & vrget vt caueas. Non ita Latro nocturnus qui vere velit domum diripere: Non ita Dæmon qui nihil nisi perniciem tuam concupiscit, non se ita palam producit tamquam furem, cum alioquin se proderet, & prædam ipse sibi subriperet: Sed Christus qui bona potius dare quam auferre cupit, se aperte furem pronuntiat ne
Ps. 59. furem agat. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.*

Vide in 2. p. Fer. 4. Cinerum.

Vt vita mortem ordinat, sic mors vitam.

POSSET & similitudo hæc furis accommodari Diabolo, iuxta illud Diui Hilarij dicentis de Domino quod in hac parabola *furem esse ostendit Zabulum ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem; vt ea incuriosis nobis & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum iaculis perfodiat.* Neque mirum videatur si de duobus tam diuersis quales sunt Christus & Diabolus, vnum & idem dicatur, cùm id diuersis etiam dicatur rationibus. Sic enim Deus & Dæmon dicuntur tentare homines, sed quàm longe aliis & modis & finibus? Hinc autem Vigilantiæ perpetuæ Motiuum satis efficax elicietur si attente consideretur quàm sit totus Dæmon in obseruando tempore quo non obseruatur vt furem agat. Cùm enim dolis & cuniculis potius agat quàm apertis viribus; in hoc vel maxime suos ponit dolos vt incautos in-
2. Cor. 2. uadat. Hoc est nempe quod ait Apostolus, *vt non circumueniamur*
Iob 26. *à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius.* Idcirco & vocatur
Is. 27. coluber seu serpens tortuosus, qui se videlicet varios in flexus torquet & flectit vt faciliorem in mentes nostras aditum tentet.

Ps. 12. Aptè contra hos dolos Dauid: *Illumina Domine oculos meos ne vnquam obdormiam in mortem, ne dicat Inimicus meus, præualui ad-*

uersus eum. Egregiè vero S.Chrysostomus in hunc Psalmi versiculum: *Papæ! quantæ est stultitiæ, quanti stuporis, aduersariis aduersus seipsos ferre auxilium, & vt ij qui animam excruciant & affligunt, lætentur & exultent! Vide quæ absurda, cum inimicum vincere oporteret, vincimur: nec id solum sed etiam validum & potentem reddimus, nec eò vsque sistit extrema amentia & summus morbus noster, sed quæ eis etiam lætitiam & exultationem afferant, comparamus.*

Huc spectant multæ Veritates passim expositæ:

Nemo periculosè magis tentatur, quàm qui se non putat tentatum.

In 1. p. Die 15. Ianuarij.

Nisi quod monet Sapiens: *omni custodia serues cor tuum, non omnino seruas.*

In 1. p. Fer. 4. Hebd. 4. post Epiph.

Qua facilitate vincimur, eadem vincere possumus.

In 3. p. Fer. 5. Hebd. 7.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in omnibus, aut eris contra Dæmonem rudis in omnibus.

In 4. p. Fer. 4. Hebdom. 15.



FERIA QVINTA.

PARABOLA DE DECEM VIRGINIBVS.

Tunc simile erit regnum cælorum decem Virginibus quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Math. 25.

VERITAS PRACTICA.

Perpetuata est quædam mentis Virginitas, perpetua Vigilantia.

RATIO EST, *Quia Virginitas quædam mentis est, eius incorruptio & puritas ab omni affectu inordinato.*

Sed illa Incorruptio præcipuè conseruatur & quodammodo perpetuatur per Vigilantiam perpetuam.

Ergo & perpetuata quædam est mentis Virginitas hæc perpetua Vigilantia, Proindeque plurimum commendanda, cùm quidem omnibus, tum his vel maximè qui Virginitatem corporis colunt.

I. PVNCTVM.

CVM frequenter occurrat huius Parabolæ de decem Virginibus commemoratio, non est cur eam fusius hîc enarremus. Iam suprà etiam in prima parte, vbi de Communi Virginum agitur, instituta est eius Consideratio qua ostenditur quamlibet Virginem non posse dici prudentem sed fatuam nisi tantum aduigilet ad cæteras omnes virtutes suo tempore exercendas, quantum ad Virginitatis custodiam. Nunc pergentes cum Christo de Vigilantia cogitare & loqui, obseruemus ad faciliorem intelligentiam parabolæ, morem hunc apud Iudæos fuisse, vt Virgines sero cum lampadibus sponsum & sponsam deducerent domum, ad nuptiales epulas.

Antequam vero paratus esset sponsus deducendus, expectabant eum parato in loco Virgines, quò antè simul omnes conuenisse oportebat. Et quia dubium ac incertum erat quamdiu se sponsus pararet, quaue se hora sisteret exiturus, tamdiu præstolabantur & vigilabant Virgines, sæpe ad mediam vsque noctem, vnde fiebat vt oleum semel effusum in lampades, diuturnitate temporis consumeretur; ac proinde ne deficeret, prudenter vasa quædam oleo plena secum deferebant, aut certe nisi deferrent, insipienter

agerent: nam deficiebat oleum, deficiebat tempus, deficiebat ornatus nuptialis, deficiebant ipsæ sibi, cum alioquin comitari sponsum non possent extinctis lampadibus, & dum illis accendendis oleum sibi conquirerent, sponsalis interim celebritas perageretur, & nuptiale conuiuium clausis ianuis celebraretur, quod certe durum & infame ducebatur. Sed ipsarum erat culpa, sed ipsarum erat impudentia & mera fatuitas quod non vigilassent, quod non sibi necessaria prouidissent, quod sumptibus pepercissent vel labori; Vnde tandem illarum exemplo concluditur, quod nisi vigilemus quantum satis est ad Christi sponsi aduentum, sic excludemur cœlesti conuiuio, nec quidquam proderit ipsa corporalis Virginitas quæ non habuerit comitem Vigilantiam, ad Virginitatem mentis & ad cæteras comparandas Virtutes peridoneam. *Amen dico vobis, Nescio vos: Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.*

Hæc est perpetuæ Vigilantiæ ratio quæ hactenus nobis proposita fuit; Nunc vero aliam addimus qua non tantummodo malum euitatur, sed bonum insigne comparatur quod est *Virginitas quædam mentis quæ ex perpetua vigilantia perpetuari dicitur*, & sic aperte demonstratur. Nam quid est virginitas mentis, nisi mentis incorrupta puritas, quantum quidem haberi potest in *corpore quod corrumpitur & quod aggrauat animam multa cogitantem?* Sap. 9. Sic sanctus Ambrosius ad Virgines, vt quantum possint Beatam Virginem imitentur *quæ Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.* L. 2. de Virginib. Sic & sanctus Cyprianus de disciplina Virginum, *vt quæ à carnali concupiscentia recedentes*, inquit, *tam carne quàm mente se Deo vouerint, consumment opus suum magno præmio destinatum; nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant à quo & mercedem Virginitatis expectant:* Vnde apte sanctus Chrysostomus de quinque fatuis Virginibus quarum est mentio in nostra parabola, dicit eas cum fornicatoribus ejici, *quod pecuniarum cupiditas quâ detentæ, oleum sibi non emerunt, sit quædam mentis corruptela, atque adeo licet corpore Virgines fuerint, mente tamen corruptæ sint*; quia videlicet sua est mentis virginitas, cum mētis puritas sic custoditur vt nulla prauitate affectus corrumpatur. Hinc *beatus ille qui inuentus est sine macula qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris, quis est hic & laudabimus eum?* Eccles. 31.

II. PVNCTVM.

SED per Vigilantiam perpetuam illa præcipuè Puritas custoditur & quodammodo perpetuatur.

Nam hic eius primus est & magis commendatus actus, vt ab omni non modo peccato vigilantem præseruet, sed à leui etiam affectu qui mentem eius possit corrumpere. Ad quid enim anima vigilaret nisi ad sui custodiam? at in quo est animæ custodia nisi à peccato, quod est eius perditio? Si enim petimus à Domino ne nos inducat in tentationem, Dominus etiam à nobis petit, *Vigilate* Math. 26. *& orate vt non intretis in tentationem*, Id est, ne succumbatis, & peccetis, hoc enim est proprium Vigilantiæ munus & officium quo quidem ita perfecte defungitur vt qua parte homo est debilior ad resistendum hostibus, illinc euadat fortior quia ibi vigi- 2. Mor. 26. lantia est acrior. Quod præclarè sanctus Gregorius, *Vnde se*, inquit, *pertimescit grauiter cadere, inde accipit fortiter stare; non solum vires à quo accipiat discit, sed quanta eas vigilantia seruet intelligit; ad insidias prouidendas euigilat, vt hostem se in certamine cautius ac-* 3. Mor. 18. *cingat.* Et alibi: *Etsi aliquando vsque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsæ tamen citius subreptionem suæ delectationis erubescunt, & forti censura redarguunt quidquid intra se exurgere carnale deprehendunt.*

2. de Consid. 7. Sic fusè sanctus Bernardus, vbi agit de Consideratione quæ est ipsa hæc nostra Vigilantia: *Primùm quidem, ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, purificat Consideratio: Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam hone-* 1. Cor. 15. *stat & ordinat.* Et quæ plura prosequitur: Vnde apte Apostolus, *Euigilate iusti, & nolite peccare*; Quasi diceret; ad hoc præsertim euigilate ne peccare velitis, ne peccetis ex affectu, non tantum ex affectu peccati, sed ne cuiusquam rei affectu inordinato qui peccatum generat, & peccatum quod præcipuè cauet qui vigilat.

III. PVNCTVM.

EST igitur perpetuata quædam mentis Virginitas perpetua Vigilantia, quæ puritatem mentis tamdiu perpetuat, quamdiu perpetua est; cùm ad hoc vnum præcipue vigilet vt nulla peccati

labe mens nostra corrumpatur. *Fiat cor meum immaculatum in tuis iustificationibus, vt non confundar.* Hæc est lampas semper accensa in sapientibus illis Virginibus quæ idcirco ad nuptias sunt introductæ. Et certe quàm essent Sapientes in hoc præcipuè ostenderunt quòd essent constantes in perpetua Vigilantia. Nam quid est Sapientem esse nisi tenere constanter media quæ proposito fini magis conueniunt? Quis est autem primus finis noster, nisi purum esse ab omni peccato, vt sic aliquando Deum videamus? Quodnam est porrò medium ad illam puritatem nisi perpetua Vigilantia? Vnde quid sequitur nisi veram in ea sola esse sapientiam quæ sic suauiter & fortiter finem suum attingit? Ps. 118.

Sic præclare Cassianus: *Finis quidem nostræ professionis, vt diximus, regnum Dei seu regnum cælorum est; destinatio verò nostra, id est scopus, Puritas est cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam peruenire. In hac ergo destinatione defigentes nostræ directionis obtutus, velut ad certam lineam, cursum rectissimum dirigamus: Ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem eius illicò recurrentes, rursus eam velut ad quandam normam rectissimè corrigamus: quæ semper omnes conatus nostros ad vnum hoc reuocans signum, arguet statim si à proposita directione mens nostra vel paululum deuiauerit.* Et paulo post: *quidquid ergo nos ad hunc scopum, id est, puritatem cordis potest dirigere, tota virtute spectandum est; quidquid autem ab hac retrahit, vt perniciosum ac noxium deuitandum. Pro hac enim vniuersa toleramus & agimus. Pro hac, parentes, patria, dignitates, diuitiæ, deliciæ mundi huius, & voluptas vniuersa contemnuntur, vt scilicet puritas cordis perpetua retineatur. Hac itaque nobis destinatione proposita, semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam rectissimè dirigentur. Quæ si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerit, non solùm cunctos labores nostros vacuos pariter atque instabiles reddens, incassum eos ac sine vllo emolumento compellet effundi, sed etiam cogitationes omnes diuersas sibique contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem quò recurrat cuiue principaliter inhæreat non habentem, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinsecus accidunt, in illum statum continuò transformari qui sibi primus occurrerit.* Collat. 1. c. 4. Cap. 5.

Hinc namque est, quòd nonnullos mundi huius maximas facultates, & non solùm multa auri atque argenti talenta, verum etiam prædiorum magnificentiam contemnentes, post hæc vidimus pro scalpello, pro Cap. 6.

graphio, pro calamo commoueri. Qui si contemplationem cordis in Deum fixam tenerent, numquam vtique pro paruis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abjicere maluerunt. Nam & plerumque nonnulli tanto Zelo codicem seruant, vt eum ne leuiter legi quidem, vel contingi ab aliquo patiantur, & inde occasiones impatientiæ ac mortis incurrunt, vnde monentur stipendia patientiæ & Charitatis acquirere. Cúmque omnes diuitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, & pro ipsis nonnumquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant apostolicam Charitatem, ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur.

Atque idcirco sanctus Chrysostomus sapienter aduertit, rectissime fatuas illas esse Virgines dictas, *quæ cùm tam multa iam fecissent pro sponso quem expectabant, in illo tamen modico defectu olei, bonis omnibus exciderunt.* O quam vere Sapiens: *qui in vno peccauerit, multa bona perdet!* Eccl. 9.

Vide in 1. parte, In Communi Sanctorum non Pontificum, vbi hæc Veritas exponitur:

Quantum cuique est Vigilantiæ, tantùm Virtutis & Meriti.



FERIA SEXTA.

PARABOLA DE TALENTIS.

Sicut homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua; & vni dedit quinque talenta: alij autem duo: alij verò vnum; vnicuique secundum propriam virtutem; & profectus est statim. Matth. 25.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Temperamenti regendi parata Ratio, parata ratio est reddendi Deo talenti.

SENSUS EST, Quod prout quisque cum gratia vigilabit naturali suo temperamento rationabiliter temperando, tam aptus & paratus erit ad multiplicandum talentum, & reddendam de illo rationem.

RATIO EST, Quia paratum esse ad reddendam de talento rationem nihil aliud est quam quod quisque talentum acceperit rectè impenderit.

Sed prout quisque cum gratia vigilabit naturali suo temperamento rectè & rationabiliter temperando, tam rectè quod accepit talentum impenderit:

Ergo & ita paratus erit ad reddendam de talento rationem: Et sic temperamenti regendi parata Ratio, parata ratio est reddendi Deo talenti; Quod sanè plurimum valere potest ad curam & vigilantiam adhibendam circa temperamentum naturale rationabiliter & Christianè temperandum.

I. PVNCTVM.

COMMENDATÆ iam multoties Vigilantiæ vera & solida praxis nunc apertius exprimitur, cùm in naturali temperamento, ratione & Gratia temperando ponitur. Ponitur autem cum de distributis talentis Parabola proponitur, cuius hæc summa est: Tribus seruis pecunia quæ Talentum dicitur inæqualiter prout cuiusque vires ferebant à suo Domino ad negotiandum conceditur. Duo primi quorum vnus quinque acceperat, & alter duo, rem fœliciter confecerunt, sua duplicata retulerunt talenta, & hanc vterque à Domino suo promeruit compensatio-

nem: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Tertius vero qui vnum duntaxat talentum acceperat, nihil ex eo fructus retulit, sed vano quodam metu deterritus pecuniam suam otiosam & infrugiferam in terra detinuit: quod cum resciuisset Dominus seruum inutilem vehementer obiurgauit & male mulctatum iussit in tenebricosissimum detrudi carcerem.

Nunc vero quid tota significet Parabola, quid sit talentum multiplicare, & vtris horum trium similiores simus vt constet planius, proponitur hæc valde consideranda Veritas ad praxim Vigilantiæ magis ac magis declarandam, *Quod prout quisque suo naturali temperamento, ratione & gratia temperando vigilarit, tam fæliciter aut infæliciter cum illo de talentis agetur: tam paratam aut imparatam de acceptis & reddendis rationem habere dicendus erit.* Quid est enim talentum? Quid multiplicatum talentum? Et quid eius reddendi paratam aut imparatam habere rationem? Tria sunt hæc nobis particulatim enucleanda.

De primo, sic sanctus Ioannes Chrysostomus: *Talenta hic pro eo quod vnusquisque facere potest, accipimus, siue authoritate protegere, siue pecuniis iuuare, siue doctrina admonere: siue alia quapiam re, proximis prodesse queas.* Sic conformiter Glossa in hanc parabolam: *Nota,* inquit, *quod quidquid datur in rebus mundanis vel spiritualibus pro talento imputatur, de quo est reddenda ratio.* Sic sanctus denique Gregorius: *Talenti nomine cuilibet reputabitur quod vel minimum acceperit quo nempe bene vti possit in suam & proximorum vtilitatem.*

Iam verò, quid est multiplicare talentum nisi hoc ipsum quod accepisti proximis impendendum sic recte ac fideliter impendere vt acceptæ gratiæ respondeat vel effectus æqualis vel talis cura producendi effectus, vt penes te non steterit quin fructuosus fuerit
Luc. 10. labor tuus. *Curam illius habe,* dicebat Samaritanus stabulario cui vulneratum à latronibus hominem commendabat, vbi cura non curatio memoratur.

Denique quid paratam aut imparatam habere reddendi rationem talenti nisi sic paratum esse ad omnem bene merendi de aliis occasionem, vt non minus diligenter, non minus fideliter, circa omnes, omni loco & tempore te impendas & superimpendas quàm si tum esses moriturus, & Christo rationem redditurus. *Sic*
Iac. 2. *loquimini & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari.*

Agit hîc manifeste sanctus Iacobus de Charitate proximi siue de operibus in proximorum vtilitatem exercendis, monetque sic verbo & opere benefaciendum esse proximo, sicut lex Euangelica præcipit quæ lex est libertatis, id est, quæ liberè præcipit omnibus vel quæ præcipit omnibus vt libere & liberaliter agant, non more seruorum qui metu tantum mouentur, & qui non plura quam exigantur faciant, sed amore filiorum qui plura vellent quàm præstent si plura possent, qui nulla re propria detinentur quo minus liberi sint ad agendum, qui tam liberi sunt & expediti ad agenda omnia vt quidquid agunt non oneri sed honori vertant; qui denique sic amore, sic libere, sic non coactè mouentur ad benefaciendum proximis, vt tamen tam sedulò, tam religiosè, tam efficaciter benefaciant quàm si peccarent non faciendo quod libere faciunt, & quam si proxime iudicandi essent de peccato, & iudicandi secundum exactiorem Euangelicæ legis normam: quasi iam inciperent iudicari & condemnari si quod possunt non facerent.

Hoc est paratam habere talenti rationem; hoc est quod illi duo boni & fideles serui fecerant; hoc est quod seruus inutilis non præstitit; hoc est quo istum seruum magis imitaris quam duos alios.

II. PVNCTVM.

SED hæc omnia sic procedunt & pendent à naturali temperamento rectè temperando, vt prout quisquis in hoc inuigilauerit, tam certo proximis omni virtute sua curam omnem impendet, vel negabit.

Tria hîc etiam sigillatim expendi possent. Primò quid temperamentum. Deinde quid temperatum temperamentum. Ac tertiò, quomodo inde talenti valor & ratio.

De primo, Temperamentum est naturalis illa quæ vulgò dicitur Complexio, siue sanguinea, siue biliosa, siue melancholica, siue phlegmatica, siue sic mixta & temperata ex his quatuor quos vocant humoribus vt vix vllus emineat, siue sit aliquis eminentior & prædominans aliis, Vnde formatur Indoles & natiua quædam propensio in amorem & lætitiam potius quàm tristitiam, vel è contra; vnde & alij conformes facilius in vno quam in alio excitantur affectus; Qua de re sic egregie Philo Iudæus: *Iisdem quidam delectantur, quidam offenduntur, nam quæ his probantur aliis displicent; quæ hi vltro accersunt vt domestica, alij procul in malam rem* L. de Temul.

profligant vt alienissima. Equidem fortè fortuna theatrum ingressus, aliquoties animaduerti ad vnum carmen tragœdorum citharœdorumque in scenâ certantium, alios sic demulceri, vt non temperarent sibi quin assurgentes acclamarent & applauderent: alios non magis moueri hoc, quam illos ipsos gradus saxeos quibus insisterent: alios in tantùm offendi, vt è theatro se proriperent vtraque manu compressis auriculis, ne quid ex eo sono reliquum molestiam crearet fastidiosis animis.

Hinc etiam tam diuersæ ingenij qualitates, aptitudines & capacitates, vt vnus in speculatiuis scientiis plurimum valeat, alius in humanioribus studiis, alius in mathematicis, alius in mechanicis, alius vrbanam, alius agrestem magis colat vitam; alius loquendo, alius scribendo excellat; alius ad gubernandum aptus, & alius ad inferiora quædam excolenda ministeria magis idoneus; quibus variis ingenij dotibus accedunt mores etiam valde discrepantes, quales in illis duobus geminis Iacob & Esaü sancti Patres obseruant.

Cùm sit autem in libero cuiusque arbitrio ac potestate cum diuina Gratia quæ numquam tota deest suos prauos mores corrigere, ac temperare; hinc fit quod secundo loco proponitur Temperamentum, non naturaliter vt supra dictum est quantum ad humores, sed moraliter quoad mores, qui si nimis propendent in aliquem naturalem affectum, retorquentur in oppositum, vel ad auream mediocritatem in qua consistit Virtus reuocantur. *Increpa illos durè*, inquit Apostolus, sed valde mirum quod id Tito commendet quod vetabat Timotheo, quia scilicet in quo vnus deficiebat, alter excedebat, & sic vtriusque temperamentum temperabat, cùm vterque sibi suo studio comparare niteretur quod natura non dederat.

Tit. 1.

Atque hinc tertium & præcipuum quod expendas, hinc scilicet prout rectè ac fideliter suum quisque temperamentum temperarit, correxerit, gubernarit, tàm rectè ac fideliter suum talentum exercebit: siue id naturaliter, siue id supernaturaliter ita fiat. Naturaliter quidem, quatenus ipsi temperamento naturali talentum inhæret suo modo, velut insitus arbori surculus: Vnde & naturam temperamenti necesse est vt induat & sapiat: si verbi gratia qui concionatur aut qui gubernat fuerit cholericus aut melancholicus, ipsa eius Concio, ipsa eius gubernatio choleram aut melancholiam sapiet, & inde tantum detrimenti capiet quantus erit

excessus vel defectus naturalis quem non satis temperarit.

Sic sanctus Gregorius scribens ad Abbatem qui multum laborabat in suis regendis subditis, *quod ex nulla*, inquit, *alia te euenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cum grauitate aliquid valet disponere; sed modò studet peccantibus leniter blandiri: modo inordinatè, & extra modum nimiùm irasci. Nam si semetipsam in mentis suæ ratione potuisset, ipsa eius maturitas haberi in reuerentia potuit, & disciplinæ ordo seruari.* L. 9. Ep. 42. ad Vrbicum Abbatem.

Id etiam supernaturaliter & diuinitùs ita fit, ita permittente vel agente Deo, vt in pœnam vel in præmium minoris aut maioris operæ positæ in regendo temperamento, minores aut majores gratias conferat ad talendum exercendum, & vberiorem inde fructum colligendum. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei.* Qui vicerit suos scilicet hostes domesticos, suos naturales motus & impetus rationi repugnantes, faciam eum columnam, nempe firmum & efficacem in operando quidquid operetur. Hinc apte Apostolus, postquam dixit, *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris*, tum paulo post subdit & concludit; *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*, quasi diceret, morte nostra vobis vitam operamur, nos mortificati vos viuificamus. Quod Christus de se ac de suis expresse dixerat, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ac rursus. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Quid est, *purgabit eum*, nisi temperamentum eius temperabit? Quid porro, *fructum plus afferat*, nisi quod talentum fructuosius inde reddetur?

Apoc. 3. — 2. Cor. 4. — Ioan. 12. — Ibid. 15.

III. PVNCTVM.

PATET *igitur quantùm conferat ad rationem de talento reddendam, temperamenti rectè compositi & temperati ratio*, non solùm vt talentum non remaneat otiosum, non solùm vt actu & frequenter exerceatur: sed vt fructuose ac laudabiliter ad Dei gloriam, ad proximorum vtilitatem, & æternam Operantis mercedem impendatur: cùm alioquin nisi quis seipsum in ea præsertim

parte animi qua magis inordinatus est priùs ordinet & componat, vix aptus vmquam erit ad opem aliis conferendam, quantumcumque præstanti excellat ingenio; nam in illud quod aliis conferet, semper redundabit aliquid ex illa sua prauitate quam non correxit, ex quo fiet vt totum opus deprauetur vel in substantia, vel in modo, vel in fine, nec quidquam aliud inde resultet
1. Cor. 13. quàm *æs sonans aut cymbalum tinniens.*

Vnde enim putas tam modicus in Ecclesia fructus & profectus in omni hominum statu, cùm abundent Viri excellentes qui præsint, qui loquantur, qui conuersentur? vnde inquam tam modicus tam excellentium virorum fructus nisi quia non manent in eo
Ioan. 15. qui dixit *sine me nil potestis facere*; non manent autem quia suis inde affectibus non satis recte compositis auertuntur, non quod vellet Christus docent, non quo vellet modo vel fine; sed pro suo
Ezech. 13. quique ingenio, *vident vana & diuinant mendacium, dicentes, ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos, & perseuerarunt confirmare sermonem.*

Ibid. Hi nempe sunt quibus Dominus per Prophetam: *Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum & nihil vident, quasi vulpes in desertis.* Id est, dolosi & latentes quando quid contra spiritum suum pro Dei gloria loquendum esset & agendum, vnde & pergit Dominus: *Non ascendistis ex aduerso neque opposuistis murum pro domo Israël vt staretis in prælio, in die Domini.* Et paulo post: *Eò quod deceperint populum meum dicentes, Pax, & non est pax: Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura quod casurus sit.* Et quæ plura ibi prosequitur contra eos *qui consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Qui quidem viri sic adulantes & palpantes suis auditoribus vocantur *filiæ* seu fœminæ quasi qui leuiter suis vanis affectibus sicut fœminæ moueantur quos tamquam viri fortiter repressisse debuerant, vt fructum facerent.

Prou. 24. Quamobrem recte Sapiens: *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum vt postea ædifices domum tuam:* quasi diceret, non aliter tuos domesticos ales ac nutries, nisi prius quod te magis spectat excolueris & ordinaueris. Sic apte sanctus Ambrosius:
1. de officiis *Vnusquisque suum ingenium nouerit, vt ad id se applicet quod sibi*
44. *aptum elegerit. Non solum nouerit bona sua, sed etiam vitia cognoscat,*

æqualemque se Iudicem sui præbeat vt bona intendat ; vitia declinet. Quasi diceret, non aliter bona intendet erga proximos, nisi sua declinet vitia. Nam alioquin eum sua vitia declinabunt ne in proximos bonum intendat, atque idcirco æqualem se sui Iudicem præbeat, id est, æqualiter in vtrumque semper inuigilet vt & sua vitia resecet, & sua conferat aliis bona.

Quod ita verum est & fixum ratum in praxi ad operam suam aliis conferendam, vt propterea non solum suis se oporteat prauis exuere cupiditatibus, sed piis etiam quibuscumque priuatis affectibus qui alioquin retardare possent aut quoquo modo sacrum Operarium impedire ne quantum necesse est aliis vacet. Sic de se sanctus Bernardus, *Charitas,* inquit, *quæ non quærit quæ sua sunt, id mihi iam dudum facile persuasit, nihil desiderabilium eorum vestris præferre vtilitatibus: orare, legere, scribere, meditari: & si quæ sunt alia spiritualis studij lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimenta:* ne si videlicet hæc quantumuis pia quæ temperamento suo congruebant temperaret, non æquè posset talentum, & debitum Charitati fraternæ stipendium, reddere, nec suo satis fideliter defungi officio. Tanti refert propterea seipsum prius regere vt rectè regantur alij. *Serm. 51. in Cantica.*

Quod postremò videre est euidenter in misero illo seruo qui talentum infodit & otiosum reddidit. Cur enim ita languit & defecit? quia scilicet cùm naturæ timidioris esset, naturale hoc temperamentum non temperauit, timiditatem suam non satis acriter expugnauit sicque factum est vt cùm timeret talentum perdere si forte illud exponeret, non exponendo perdiderit. *Timens,* inquit, *abij, & abscondi talentum tuum in terra.* Sed ô serue male & piger, expugnanda erat illa timiditas quam si exuisses, talentum non infodisses: Vnde apte Diuus Hieronymus: *quod pro excusatione dixit, in culpam vertitur.* Nec omittenda hîc Glossa quæ pecuniam in sudario absconditam sic interpretatur: *In sudario pecuniam reponit qui ad prædicandum idoneus, amore puritatis Conscientiæ officium prædicationis suscipere renuit, vel susceptum non bene gerit.* Stupenda certe verba: Nam si amor ipse puritatis temperandus, quanto magis amor impuritatis? si puritatis amator punitur operarius ille qui operari renuit ne quidquam suæ officeret puritati: vel qui puritatis amorem non ita temperauerit vt nihil inde à talento exercendo dimoueretur; quantò magis impurus punietur si suam

Eccles. 34. propterea impuritatem non castigauerit? *Ab immundo quid mundabitur? Et à mendace quid verum dicetur?*

SABBATO.

DE POSTREMA EXTREMI IVDICII SENTENTIA.

Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei: Poßidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.

Tunc dicet & his qui a sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius: Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c.

Et ibunt hi in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam. Matth. 25.

VERITATES PRACTICÆ.

QVÆ multæ possunt ex proposita depromi materia, designantur in 2. parte, Feria 2. Hebdomadæ primæ in Quadragesima, quibus hæ sequentes adduntur, seruato narrationis Euangelicæ textu.

Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.

In regia Christi Majestate nihil majus quàm Rex ipse Christus.

Vide

Vide in 1. parte, Die 6. Ianuarij, In die Epiphaniæ Domini.

Lethale quoduis peccatum, crimen est læsæ majestatis.

Vide in 3. p. post Hebdomadam decimam in Appendice ad Missiones, Capite 13. vbi fuse ostenditur quale sit malum Christi, peccatum.

Et congregabuntur ante Eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem sicut Pastor segregat oues ab hædis.

Qui nunc Pastorem tuum non agnoscis Christum, tunc te Christus suam non agnoscet ouem.

Ratio quæ te potissimum spectat declarando quod nunc in praxi Pastorem tuum non agnoscis Christum, ac proinde tunc non agnoscéris à Christo tamquam sua ouis, hæc est inter alias, quod qui se non sinit pasci à Christo iuxta suum ordinem, prout alibi demonstratur, non agnoscit Christum vt Pastorem suum, nec à Christo agnoscetur tamquam ouis sua.

Sed si te nosti, agnosces quod non te sinis pasci à Christo iuxta ordinem tuum.

Ergo nec ab Illo tunc cognoscéris tamquam sua ouis, sed velut hædus segregaberis ab ouili.

Vide in hac 4. parte, Feria 3. & sequentibus Hebdomada vigesimæ primæ.

Et statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

Qui nunc à dextris volunt statui, tunc à sinistris statuentur.

Qui nunc primi esse volunt, tunc erunt infimi.

Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

Vide in 2. parte, Feria 3. Hebdom. 4. in Quadragesima; & explana fusius quod habetur Genesis Quadragesimo octauo, de duobus filiis Ioseph Ephraim & Manasse, quorum ille minor primò

positus erat ad sinistram Iacob, & alter major ad dextram: Post vero conuersis & cancellatis à Iacob manibus, inuentus est minor in dextra Iacob, major autem in sinistra. Sic plane qui se modo statui volunt ad dexteram tamquam majores & primores, tunc statuentur ad sinistram, pudendo certe dedecore.

Vide & suprà vigesima octaua Dominica, vbi multa huc spectantia.

Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei, Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Inter Benedictos hic incipit benedici non cui melius omnia, sed qui ex omnibus melior.

Vide in 2. parte, Die 21. Martij.

Quantam in te vim habet desiderium Regni cœlestis, tantam tibi vim facies.

Sic dignum est cœlum nostris desideriis vt nisi cœlum desideres, cœlo sis indignus.

Vide in 2. parte, Feria 2. & 6. Hebdomadæ Ascensionis Christi.

Esuriui enim & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere:

Et quæ sequuntur, videnda in textu, vbi sex genera misericordiæ corporalis recensentur, septimum vero in libro Tobiæ designatur, quod est *sepelire mortuos.*.

In paruis, major est serui Dei fidelitas.

In 1. p. Fer. 6. Hebd. 6. post Epiphan.

Cura rerum minimarum, rem procurat omnium maximam.

In 3. p. Sabbato Hebdom. 4.

Ars omnium artium quæstuosissima, est Eleemosyna.

Nisi pauper affectu sis, vix satis affectus eris in pauperes.

In 3. p. Dominica sexta post Pentecosten, Vide & Dominicam octauam.

Hoc amanti cœlum paupertas est vel Eleemosyna, quod amanti terram diuitiæ.

Aut cœlum perit diuitiis, aut emitur.

In 4. p. Fer. 3. & 5. Hebdom. 17. vbi & multa alia quæ hûc commodè referri possint.

Amen, dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Quò minus potes Christo reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere quæcumque potes.

In 3. p. Fer. 2. Hebdom. 1. Quibus hæc adde pro his declarandis quæ potes circa proximum, & quæ proinde debes reddere.

Primum est, quidquid agas interius vel exterius, positiue vel negatiuè, totum id præstes propter Christum qui hoc à te pro suo iure postulat. Nonne hoc potes cum eius gratia? Nonne hoc debes? Sic autem fiet vt quoties in paupere Christum respicies sicut Ipse ordinat, tres illas insigniores virtutes quæ Theologicæ dicuntur, exerceas: nempe Fidem, dum credis Christum in paupere pasci, & foueri. Deinde Spem, dum speras quod Ille promittit futurum in Iudicio. Denique Charitatem, dum Christum in paupere diligis, & in Christo pauperem, & in paupere Christo, Deum ac hominem simul diligendo amplecteris. Ex quibus vides quam multa possis.

Secundo quid pecuniæ, quid facultatum possis elargiri, potes conferre cum Directore qui perpensis omnibus candide doceat quid ex obligatione, quidue ex consilio debeas.

Tertio, potes abstinere contumeliis, probris, & verbis asperis quibus sæpe pauperes impetuntur.

Quarto, potes omnibus compati, omnibus bene velle, gaudere bono quod illis præstatur ab aliis, & siue concedas siue neges quod petitur, Charitatem & beneuolum animum semper seruare, iuxta illam Veritatem quæ in 2. parte asseritur.

Si quid Charitas negat, tam benigna negando est, quàm concedendo.

In 2. parte, Feria 3. Hebdom. 1. post octauam Pascha.

Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducares, &c.

Verendum, ne quod tibi deest ad perfectionem, desit etiam ad salutem.

In hac 4. parte, Feria 2. Hebdom. 17.

Non tam spectatur quid dones pro Diuinis, quam quid non dones.

In 3. p. Fer. 6. Hebd. 8.

Quò magis oculata est Concupiscentia, magis est cæca.

In 3. p. Sabbato Hebd. 9. Vbi quæ de oculata dicuntur concupiscentia, referri debent ad illas ratiunculas quas dum quisque sibi proponit, ne benefaciat pauperibus, magis cæcutit non videndo periculum damnationis in quod se conjicit.

Dum te à dando excusas, magis accusas.

Ratio est valde consideranda, vel seorsum in priuato discursu, vel conjunctim cum alio, nempe cum te à dando excusas, hoc vnum pene objicis, quod nil dandum habeas. Sed hoc dicendo, te magis accusas. Et mendacio ac fraude cum Deo agis.

Multis id quidem modis. Primò sæpe mentiris. Secundò, vel agnoscis apertum mendacium, vel non agnoscis nec cogitas. Si agnoscis, aperta malitia est, quæ sæpius transit in peccatum obstinationis & in peccatum contra Spiritum sanctũ, quod vix vmquam remittitur, vt demonstratum est in 2. parte in die Pentecostes. Quod si non agnoscis nec cogitas esse mendacium, malitia quædam est perniciosior, nam illa est voluntaria & affectata ignorantia quam Scriptura condemnat, *noluit intelligere vt bene ageret,* Ps. 35.

& quam damnati præsertim gemunt, *Ergo errauimus à via Veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis*, & quæ plura deplorant ab ignorantia sua. Sap. 5.

Tertio te aperti conuincunt mendacij, superfluæ illæ quibus abundas impensæ vestium, supellectilis, exquisitarum dapum, equorum, curruum, & similium in omni splendoris genere domesticarum rerum. Nihilne habes in istis effundendis? Nihilne superest quod in illis augendis vel conseruandis reserues? Et cum est assis dandus pauperi, audebis negare te quidquam habere quod dones, nec timebis comparere Iudici qui tam seuere de his te monuit, nec timebis illam sententiam: *Discede à me maledicte, discede in ignem æternum, Esuriui enim & non dedisti mihi manducare.* O mi frater, numquid ferreæ sunt carnes nostræ vt non contremiscant? Et quæ plura sanctus Augustinus in 1. parte. Dominica 1. Aduentus.

Et ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam.

Quod ageres iudicatus si posses, hoc ipsum debes agere iudicandus.

Ratio est, quia vbi est par aliquid agendi ratio, hoc pariter est agendum. Sed par est ratio tibi, vt iudicandus id agas quod ageres iudicatus; Quænam enim est ratio cur iudicatus aliquid ageret nisi vt se à pœnis redimeret? At nonne iudicandus perinde est vt se à pœnis redimat ac Iudicatus? Imo est aliquid amplius quod iudicandum premat & vrgeat. Primo nempe facultas agendi cum gratia quam habet iudicandus & nondum iudicatus. Deinde voluntas Dei quam probe scit iudicandus vt interim dum iudicetur, aliquid agat. Ac tertiò Diuinus amor quo moueri potest iudicandus, cum iudicatus solo pœnarum metu moueretur.

Videsne quàm multo magis iudicandus debeas agere quam ageres iudicatus? Videsne vero quam longe minus agas? An si posses dare pauperi iudicatus, negares id quod posses? Et tamen toties negas, cum sis iudicandus de illa negata quam dare poteras pecunia! Dubitasne futurum quod dixit Christus? Credisne com-

pensandum qui dederit, & non puniendum qui negarit? Quid est quod illud credas, & non istud? An alius Christus est qui benedictis dixit: *Venite possidete paratum vobis regnum*: & alius qui maledictis dixit: *Discedite à me in ignem æternum?* An alia causa est primæ sententiæ quam quod esuriuit & pastus est: & alia causa secundæ quam quod esuriens non pastus est? Cur ergo qui non pauit esurientem non æquè timeat, ac alter speret qui pauit? Nec dicas te multis dare, licet non omnibus, nam si cuiquam negas cui possis & debeas, ille est in quo Christus erat pascendus. Ille est de quo dicet: *Esuriui & non dedisti mihi manducare.*

Ne vero renitens & inuitus dones quidquid dones, audi subiectam Veritatem:

Si recte affectus esses, quo affectu esses vel in æternam vitam vel in æternum supplicium, hoc ipso dare gauderes vel non dare timeres quod dandum est.

Ratio est, quia medium ex diuina ordinatione constitutum ad finem aliquem seu ad bonum aliquod obtinendum, vel malum euitandum, tali affectu est prosequendum quo ipse finis.

Sed dare pauperi quod dandum est, est medium ex diuina ordinatione constitutum ad æternam vitam obtinendam, vel æternum supplicium euitandum.

Ergo est euidens Conclusio quæ fuse declaratur in 2. parte, Fer. 5. Hebdom. secundæ in Quadragesima vbi consimilis proponitur Veritas:

Quo in cœlis Corona gloriæ sumetur **vultu, hoc in terris** Calix sumendus est.

DENIQVE cum hæc Anni Ecclesiastici postrema sit dies, & hoc sit hodie postremum eorum omnium quæ à nobis dicenda de Christo Domino suscepta sunt: opportune videtur hæc Sapientis Ecclesiastæ Clausula posse huc deriuari. *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum illud sit.* (Eccl. 12.)

In quibus verbis illud præsertim expendendum esset quod ait *hoc esse omnem hominem vt Deum timeat & mandata eius obseruet*,

Quasi diceret, hoc eius esse bonum, hunc eius esse finem, & hanc eius esse Moralem quam vocant essentiam, sicut naturalis eius est vt sit compositus ex anima & corpore. Nam quod Forma est in physicis & naturalibus, hoc est Finis in moralibus. Sicut forma dat esse rei, sic & finis. Sicut forma dat esse physicum, sic finis dat morale. Sicut anima quæ est forma corporis dat esse physicum homini, sic Timor Dei qui finis est hominis dat illi esse morale. Creatus est quippe homo ad hunc finem vt Deum suum timeat & reuereatur, ac tandem obseruatis eius mandatis saluus fiat ipsum videndo & amando in æterna fœlicitate. Sicut itaque diceretur de homine quod habere animam & corpus hoc est esse omnem hominem naturaliter & physicè sumptum, sic plane Deum timere & eius mandata obseruare, hoc est omnis homo moraliter consideratus. Et sicut sine anima quæ est naturalis forma hominis non esset homo vt naturaliter homo dicitur, sic plane sine timore Dei non esset homo vt moraliter homo esse dicendus est. Sic expresse sanctus Bernardus, *hoc est omnis homo sine quo nullus est homo.*

Et sicut esse Morale præfertur naturali quod propter Morale est, sic timor Domini cæteris omnibus naturæ dotibus; Vnde apte Sapiens, *Quàm magnus qui inuenit sapientiam & scientiam! Sed non est super timentem Dominum. Timor Dei super omnia se superposuit: Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum cui assimilabitur?* Vide in 2. parte, Dominica 4. post Pascha, vbi ex verbis Domini, Vado ad Eum qui misit me, deducitur & declaratur hæc Veritas: *Eccles. 25.*

Sicut à Deo, sic ad Deum.

Sicut Deus est principium à quo sumus, sic est Finis ad quem nos & omnia nostra sunt referenda. Nulla prorsus in Veritate, siue quod aiunt in speculatione, differentia est, sed in praxi hoc interest quod Deus ita est principium nostrum vt obstare non possimus quin sit tale nostrum principium: At vero non ita est de fine, Nam pro naturali nostra libertate, possumus ab illo fine deuiare in alios quos nobis vane proponimus, vnde & vanitas homo, *& vniuersa vanitas* dicitur, quia dum aberrat à fine suo, desinit esse homo moraliter vt dictum est: & quod in illo remanet naturale, vanitas est, Id est, vacuitas vitæ moralis, sicut in mortuo corpore, vacuitas est vitæ naturalis. Quia verò cæteris Creaturis vtendo, praue illas *Ps. 38.*

Digitized by Google

detorquet ad suum prauum finem, sic illas etiam vanas & cassas suo fine facit. Vnde & dicitur *Vanitas vanitatum*, id est, causa est cur vana sint alia.

Quamobrem ne sic erres vel ignorantia vel imprudentia siue inaduertentia, memento esse iudicium, memento *quod cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato*, Id est, siue voluntario siue inuoluntario, siue excusabili siue inexcusabili. Quod enim prætendunt in suis erratis homines vt se excusent, hoc ipsum adducetur in iudicium, hoc ipsum discutietur an excusationem mereatur, an vero damnandum sit. Interim vero, *qui timet Deum, nihil negligit*. Et hæc est nota certior verè timentis Deum.

Eccl. 7.

FINIS CONSIDERATIONVM ET VERITATVM QVARTAE PARTIS DE VITA DOMINI IESV.

VERITATES

VERITATES PRACTICÆ.

AD DIES FESTOS SANCTORVM, QVI INCIDVNT IN HANC QVARTAM PARTEM.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIAE VIRGINIS.

Die 8. Septembris.

Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens? Cant. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quàm sit nobis colenda nascens Virgo, plus vna monstrat Angelorum admiratio, quàm multa eorum ratio.

RATIO EST, *Quia quàm sit nobis colenda nascens Virgo plus illa res monstrat quæ magis monstrat qualis illa sit quæ nascitur.*
Sed plus vna monstrat Angelorum admiratio qualis illa sit quæ nascitur, quam multa eorum ratio.
Ergo & magis monstrat quam sit nobis colenda & quomodo, quod certe Cultor Beatæ Virginis libenter audiat.

I. PVNCTVM.

ODIERNA nascentis Beatæ Virginis Dies habet multa quidem insignia quibus etsi sola essent, iure merito nobis hæc dies colenda esset: Sed quod in aliis etiam Personis illustribus fieri solet vt dum eorum natiuitas celebratur, non solum ille primus colatur natalis dies, sed totus vitæ consequentis simul spectetur cursus; hoc præsertim in nascente Beata Virgine nobis seruandum est, cùm præsertim quæcumque sint eius nascentis insignia sic dependeant à consequentibus eius vitæ partibus, vt non ita spectetur quid sit modo dum nascitur, quàm quæ futura sit dum Mater Dei fiet, & dum in cœlos supra creaturas omnes euehetur. Sic sancta ipsa Ecclesia dum solennem hunc celebrat diem, nihil habet illustrius quod de nascente proponat Virgine quàm quod ait Euangelista Matthæus, *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* Hinc enim & quæ in illa præcedunt, & quæ sequuntur, totius vitæ partes quidquid habent insignius, in se deriuant.

Matth. 1.

Si nascitur ex sterili matre, si cum rationis vsu nascitur, si tam multis repleta est gratiis vt ea vna plures habeat quam cæteræ simul omnes creaturæ, hoc totum inde est quod sit futura Dei Mater, & quod Dei Matrem hæc insignia deceant.

Hinc profectò factum est vt cùm pridem hunc celeberrimum nasciturae Virginis diem prospicerent & celebrarent Angeli, non hunc solum diem, non hanc solam Natiuitatis gratiam suis modularentur canticis; sed quidquid in consequentes annos eximium & diuinum in illa esset, complecterentur. *Quæ est ista,* inquiunt, *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Totum videlicet simul effundunt quo tota simul agnoscatur; & totam simul volunt agnosci, vt totus qui debetur illi cultus, nobis demonstretur, & excitetur.

Cant. 6.

Sed mea quidem sententia quidquid dicant, quidquid proponant, non ita cultum illum loquendo demonstrant quàm quo loquuntur modo: Non ita ratione rem conficiunt quam admiratione, non ita persuadent affirmando quàm quærendo, quæ sit illa? plus vna valet eorum admiratio quam multa ratio.

Quod vt modò fructuosè perpendatur; præmittendum est quod

nihil æque facit ad cultum Beatæ Virginis promouendum quàm quod facit ad maiorem eius in animis nostris illustrandam notitiam, vt qualis sit agnoscamus. Cum enim maior aut minor cultus personæ debeatur quò persona maior aut minor est, profectò si maiorem Beatæ Virgini me voles adhibere cultum, fac vt Maiorem Illam agnoscam. Si me voles Illam supra cæteros omnes Sanctos colere, si cultum hyperduliæ reddere, si vnum infra Deum, sanctam illam venerari Virginem, fac vt intelligam quod cæteris omnibus sic præstet & præcellat. Nonne hoc est quod intendunt sancti Patres cum illam suis extollunt laudibus?

Expende aliquas. *Mons*, inquit sanctus Gregorius, *mons Illa fuit quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* 1. Reg. 1.

QVID nobilius Dei matre? Quid splendidius Ea quam splendor elegit? Quid castius quæ corpus sine corporis contagione generauit? Sic fuse sanctus Ambrosius. L. 2. de Virginit.

Breuius vero nec minus excellenter S. Hieronymus: *Si diligenter attendas, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ & nihil candoris quod non resplendeat in Virgine gloriosa.* Quod sic sanctus Bernardus sigillatim prosequitur ad illa Sapientiæ verba, *In plenitudine Sanctorum detentio mea: VERE in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Mariæ, cui non defuit Fides Patriarcharum, Spes Prophetarum, Zelus Apostolorum, Constantia Martyrum, Sobrietas Confessorum, Castitas Virginum, Fœcunditas Conjugatorum, sed nec ipsa Puritas Angelorum.* Eccles. 24.

Nonne hæc sunt quæ tanto magis cultum B. Virginis promouent, quantò eam Majorem & Digniorem prædicant?

II. PVNCTVM.

SED plus vna monstrat Angelorum admiratio, qualis illa sit quæ nascitur, quam multa eorum ratio.

Primò videri debet quænam sit eorum & quàm multa ratio qua cognosci possit illa quæ nascitur. Nec longe à proposito discedetur, nam in illis ipsis verbis quæ vsurpant Angeli quatuor continentur symbola quibus in quocumq; spectetur statu Beata Virgo,

siue in quocumque, vt vocant, essendi genere, non obscurè profecto nec inuenuste, qualis illa sit, nobis demonstrant.

Quod vt apertius pateat, reuocetur in mentem quintuplex essendi genus circa quod quæri potest de Beata Virgine, *quæ est ista?* Nec melius agnosci queat, quid sit, quàm verbis illis Symbolicis, siue rebus ibi contentis.

Primum genus est quod *Ideale* dicunt, id est, in diuinis ideis seu in diuina mente quæ rerum omnium creandarum ideam & formam quandam præfert. In quo essendi statu commune habet cum cæteris creaturis Beata Virgo vt ab æterno fuerit ordinata: Sed hoc habet singulare præ cæteris vt ordinata & prædestinata fuerit ad quatuor insignes honorum gradus. Primus est Maternitas Dei, quæ per *Auroram* aptissime designatur, nam sicut à Sole aurora est, & Sol ab aurora, sic plane Beata Virgo & à Deo est tamquam creatura, & ab illa Deus est tamquam à matre filius. Secundus honorum gradus est, plenitudo gratiarum vnde est animæ pulchritudo quæ per *Lunam*, nonnisi aliena luce lucentem, luculenter exprimitur. Tertius est Electio ad singularem illam gloriam quæ in suo gradu vna & sola, velut vnus in mundo *Sol*, plus illa vna beatitudinis ac gloriæ possidet quàm cæteræ beatæ mentes, sicut lumen solis majus ac illustrius est quam reliquorum omnium quæ lucent in cœlo syderum. Quartus denique est amplissima illa potestas qua in res omnes creatas, atque in ipsum etiam Deum quem sibi subditum habuit, tam potens est vt significantius declarari non potuerit quam cum dicta est, *terribilis vt castrorum acies ordinata*. O qualis infans illa quæ nascitur?

Secundum essendi genus est naturale seu naturæ humanæ quod propius spectat hodiernam Beatæ Virginis Natiuitatem. Nam quando nata est, sic etiam nata est vt quatuor insignes corporis & animæ dotes secum aduexerit. Primò enim velut *aurora consurgens* cum vsu rationis orta est, vt cum sancto Bernardino multi probant Theologi, quorum rationes infrà producentur. Deinde vt quàm pulchra est luna, toto Illa corpore atque animo sic pura fuit nulla vt labe, nullo defectu inficeretur. Tertiò Solis instar lucentissimi, sic intellectu ac voluntate lucebat simul & ardebat, vt quàm naturaliter fieri potest Deum à creatura cognosci & amari, Deum illa perfectè cognosceret & ex æquo amaret. Quartò denique sicut nihil ordinatius quam Acies bene ordinata quæ ta-

Hac ipsa de veritate quarta.

men constat partibus multum in se diuersis, sic plane totis in Personæ ac vitæ suæ partibus, quanta quanta Virgo illa fuit, sic ordinata fuit, vt quæ pars inferior dicitur, Superiori prorsus esset subiecta, nec appetitus Rationi, nec ratio repugnaret vmquam Deo. Nulla quippe repugnantis naturæ causa inerat, nulla rebellantis in animum rixa carnis. O quis inde non cognoscat quàm excellens, quàm cœlestis & tota si fas est loqui tota diuina sit quæ mundum hodie suo Natali recreat!

Tertium essendi genus est spiritale seu diuinæ gratiæ, quo in statu Beata Virgo sic à primo vitæ suæ ortu iam incæpit lucere, vt si ad cæteras ipsorum etiam Beatorum mentes conferretur, Sol esset splendidissimus: sed sibi comparata dum pergit viuere ac viuendo semper progredi, non nisi aurora est. Tum vero tamquam Luna tacitis & rapidis semper proficiens motibus: & velut ipse Sol sic perfecte ardens fuit, numquam vt deficeret, nec minus fortis & constans in spiritualis vitæ instituto esset, quàm acies ordinata quæ nulla vi hostium frangitur. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio eius non commouebitur, Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Sic eius vitæ Spiritualis initium, progressus, perfectio & firmitas mirè adumbrantur. Ps. 45.

Quartum sequitur essendi genus magis adhuc cœleste ac gloriosum, quale in cœlo & in æterna viuitur gloria; quo de statu Beatæ Virginis quid aptius dici potest quam quod velut aurora prius eius anima separatim à corpore gloriosam inca perit vitam. Pòst verò Corpus eius assumptum & ex gloriosis animæ dotibus velut Luna reluxerit. Ac tandem vnita simul anima & corpore coronata fuerit in throno gloriæ, sicut iam dictum est, cum de eius electione ad gloriam ageretur. Et quia cæteros omnes Angelorum ac Beatorum diuersos ordines illa vna in se complectitur, nonne est velut acies ordinata? & nonne est vnde illa cognoscatur?

Restat quintum genus quod relatiuum ad alios dicitur, vnde sanctus Bernardus de Sacra nostra Virgine, *Omnibus*, inquit, *omnia facta est vt de plenitudine eius accipiant vniuersi*: Sic pueris & peccatoribus aut meliorem inchoantibus vitam tamquam Aurora est, sic se illis accommodat, quia nondum splendidius ferre lumen possunt. Sæcularibus verò personis, id est, in sæculo quod nocti comparatur, temporalia sua negotia gerentibus velut quædam Luna est quæ sic terrena eorum moderatur vt ad æterna dirigat,

meritoque possit quiuis è mundo de Illa dicere quod est apud Io-
Iob 29. bum, *ad lumen eius ambulabam in nocte.* Perfectis autem & majorum capacibus luminum velut Sol irradiat, & de diuinis tantos infundit splendores, quantùm cuiusque status ac gradus perfectionis exigit. Ac tandem, quia nobis omnibus militandum est in hac
Ibid. 7. vita quæ *militia dicitur super terram*, facta est hostibus nostris terribilis tamquam acies ordinata, contra quos vel vnum Mariæ nomen inuocatum sufficiat, vel sola eius recordatio religiosè suscepta. Nonne hæc sunt quæ satis aperte significent quæ & qualis Illa sit quæ hodie nascitur & ex qua paulo post nascetur Dei filius?

SED quod est aliud & præcipuum declarandæ propositionis Caput, licet tam multa sit & tam varia cognitio quam de Illa nobis exhibent Angeli, plus tamen monstrant qualis quantaque sit dum admirantes quærunt *Quæ est ista*, nec nisi admirando monstrant quid sit, quàm si affirmando definirent & concluderent. Nam quantumcumque sublime sit illud quod ab eis dictum audiuimus, si tamen ita esset dictum quasi definitum & suis constrictum terminis, sane minus esset quàm quod indeterminatè quærunt *quæ est ista?* Et licet addant sibi eam videri tamquam auroram, aut velut lunam & solem & aciem ordinatam; Non sic tamen istis eius magnitudinem designant Symbolis, quasi eam tam breuibus constringerent spatiis; sed potius inde suam augent admirationem, inde hauriunt & colligunt esse in Illa longe amplius aliquid quàm in singulis excellentioribus creaturis. Nam Illa vna cæteras omnes continet, Illa simul Cœlum & terra est, Illa simul quidquid in terra est magnificentius, nempe homines, & quidquid inter homines terribilius est & potentius, nempe aciem ordinatam repræsentat & continet. Illa simul quidquid in cœlo est splendidius & ordinatius complectitur, nempe simul aurora est, simul Luna, simul & Sol. Illa illa infans quæ corporali magnitudine non excedit aliorum molem infantium, ita tamen excedat totius amplitudinem vniuersi, vt quidquid ex mundo sit erutum cui comparetur, restet semper aliquid quod supra mundum in illa reperiant, quod mirentur, quod ignorent, quod suspiciant, quod stupeant: certe hoc est aliquid sublimius dicere quam quod dicunt. Hoc est profiteri se nescire quod spectant; hoc est palam testari majorem illam suo esse intellectu & sua, quamcumque ma-

gnam habeant, cognoscendi scientia. Stupent attoniti quod nesciunt; & hoc in creatis vnum mirantur quod ignorant & cuius sublimitatem cogitando penetrare non possint. Quod certe est euidentius significare quàm sit Illa excellens, cum supra tantam facultatem cognoscendi, qualis est in Angelis, in Thronis, in Cherubinis & Seraphinis excellat. Quod & alias sæpe repetunt, & quoties de illa cogitant aut loquuntur, non aliis vtuntur terminis quam qui stuporem eorum indicent: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex armatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? QVAE est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum?* Quasi rursum dicerent, quocumque eam in statu contemplemur, ita nobis stupenda videtur & admirabilis vt hoc vnum inter nos de illa conferamus, *quæ est ista?* quàm est ista excellens & sublimis vt nostram omnium excedat cognoscendi & dicendi facultatem? Cant. 3. Ibid. 8.

III. PVNCTVM.

SIC ergo quàm sit nobis colenda nascens Virgo, & qua potissimum ratione cultus, plus vna monstrat Angelorum admiratio, quam multa eorum ratio; Cum illi nempe nascentem admirantes magis doceant quid illa sit, quam si docerent expressius. Ad quorum imitationem sacri nostri Patres quo illam prosequerentur nomine non inuenire sacratius & aptius quàm miraculi, prodigij, spectaculi, vel simillimæ cuiuspiam appellationis quæ nos à communi vocum & rerum intelligentia transferret in aliquid singulare. *Magnum reuera miraculum*, inquit sanctus Chrysostomus, *fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa majus aut illustrius vllo vmquam tempore inuentum est seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola Cœlum ac terram amplitudine superat. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut inuisibiles majus aut excellentius inueniri potest.* Apud Metaphr.

Sanctus autem Ioannes Damascenus vocat eam *miraculum miraculorum*, quasi diceret magis mirandum, magisque singulare, vel potius quia cum multa in se contineret miracula, miraculorum Ipsa suorum omnium majus esset miraculum quæ se omnium Orat. 1. de Natiu. Mariæ.

creaturarum infimam sentiret & prædicaret. Affine his est quod S. Epiphanius ait eam esse *Cæli terræque mysterium*, Id est, quidquid cœlo terraque continetur, in illa Sacrum fieri ac diuinum: Vel quidquid illa continet, & quidquid illa est, totum esse cœlo terræque Sacrum ac omni veneratione colendum. Quò etiam spectare videbatur sanctus Ignatius cum Illam appellaret *cæleste prodigium, & Sacratissimum spectaculum*, in quo scilicet collectum spectaretur quidquid vbique sparsim sacrum ac sanctum reperitur.

In serm. de laudib. Deiparæ.

In Epist. ad Ioan.

Quamobrem disce hunc Admirationis cultum; Obstupesce ad tantam dignitatem simul & humilitatem: ad tantam gratiam ex parte Dei, & tantam simul industriam ex parte Virginis vt gratiæ responderet: ad tantam rerum diuinarum copiam vt omnibus abundaret donis cœlestibus, & tantam rerum temporalium inopiam vt inter oues in præsepi sicut ait sanctus Damascenus nasceretur: inter tantum Natiuitatis eius splendorem vt Angeli miris eam efferant præconiis, & tantam eius obscuritatem, vt vix de illa loquantur homines. Nil paruum de Illa ducas; nil magnum alibi spectes quod non in illa magis mireris. Sit admiratio non stupida, non sicca, non iners & languida: sed religiosa, sed deuota, sed succi plena & medullæ pietatis, qualem optabat sanctus Bernardus his verbis: *Altius ergo intuemini quanto deuotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria:* Et paulo post: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.*

In Natiuit. B. Mariæ Virg.

Hic nempe finis & scopus omnium quæ de Illa dicuntur, vt eam veneremur, at non qualicumque modo sed totis, inquit, *medullis cordium, & totis præcordiorum affectibus*, Id est, quantum omnino possis: idque ob triplicem quam ex dictis infert causam. Prima est, insigne eius meritum; Secunda deinde est, ipsius Dei voluntas qui tam multis eam propterea meritis insigniuit. Tertia denique, noster inde prouentus, nostra vtilitas, imo & necessitas cum totum nos habere voluerit Deus per Mariam, sicut terra totum habet per Solem & per Lunam. Non ad vnum autem aut aliquot tantum dies terra pendet à Sole & à Luna, sed per continua temporum spatia: sic planè, sic nobis Illa colenda est, vt quemadmodum didiceris hodie nobis singulariter esse colendam, sic eam singulis colas diebus.

EODEM

Digitized by Google

EODEM DIE.

DE DOMINIO BEATÆ VIRGINIS.

ET DE NOSTRA ERGA ILLAM SERVITVTE.

EX NOMINE MARIAE QVOD DOMINAM SIGNIFICAT.

Dominare nostri, Tu & Filius tuus. Iudicum 8.

VERITAS PRACTICA.

Non est seruus qui Domino suo plus debeat, & minus reddat quàm Tu Christo & Virgini Matri.

Vel sic

Non est seruus qui Domino suo magis seruire debeat, & minus seruiat quàm Tu Mariæ Matri.

RATIO *quoad primam partem de debito seruitutis, hæc est, quod non sit seruus qui Domino suo magis seruire debeat, quàm qui seruire debet ex pluribus vel altioribus vel strictioribus titulis.*

Sed non est seruus qui Domino suo seruire debeat ex pluribus vel altioribus vel strictioribus titulis quàm Tu Mariæ Matri.

Ergo non est seruus qui magis Domino suo seruire debeat quam Tu Illi.

QVOD *nec sit autem qui minus seruiat, facile tibi erit aduertere, nec non inde ad debitum Ei persoluendum vehementius excitari.*

I. PVNCTVM.

CVM ex omnium communi more gentium recens natis imponi nomina soleant, aut licet paulo tardius apud Hebræos suum puellis nomen daretur, decimo scilicet vt quidam volunt à natalitiis die, dubitari non potest quin circa hoc tempus, Sacrum Mariæ nomen illi Puellæ fuerit impertitum cuius Natiuitas hodie celebratur; Atque ita satis opportuna de hoc Nomine seu de nominis significatione Consideratio potest institui.

Quàm sint verò diuersa eius significata pro diuersitate linguarum quibus vsurpatur, nemo nescit & omnibus satis est obuium; Nos vnum modò quod est notius & excellentius nempe quo significatur Domina seu magistra, nobis proponimus expendendum.

Sic enim sanctus Ioannes Damascenus qui præter cæteros Patres de Natiuitate Virginis expressius scripsit, præter cæteras etiam nominis notiones hanc præsertim exponit & profectò apposite
L. 4. de fide c. 15. dum ait: *Itaque Gratia, nam hoc sonat Anna vocabulum, Dominam parit, id enim Mariæ nomine significatur. Vere etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Creatoris mater extitit.*

Sed quid prodest illam scire nostram esse Dominam, nisi nos eius etiam seruos profiteamur? Aut quid est nos eius esse seruos, nisi verè quantum se occasio dederit, illi ex animo seruiamus? Hoc est in primis hoc est vel maxime nobis spectandum vt quàm multum ei debeamus, & quàm parum ei reddamus, innotescat. Quod sane si diligenter expenderis, probrosum illud & pudendum inuenies quod habet proposita Veritas: *Non est seruus qui Domino suo magis seruire debeat & minus seruiat quam Tu Virgini Matri.* Sed non erit infructuosum illud probrum, neque illiberalis pudor cùm inde plurimùm, fauente gratia, possimus excitari ad acuendam nostram seruitutem & eius debita fidelius persoluenda.

Cum autem propositæ Veritatis duæ sint partes & duæ velut quæstiones, vna Iuris, & altera Facti; prius illam quæ Iuris est accuratius indagemus, tum deinde altera quæ Facti est facilius exponetur.

Sicut non est seruus qui non sit alicuius Domini seruus, sic non est legitimus Dominus qui non sit ex aliquo Titulo vel Iure Dominus. Cur enim alter alteri dominetur nisi ius habeat? aut si nullum

ius habeat, quis non contrà reclamet? Triplex autem communiter Ius esse dicitur, naturale aut quasi naturale, acquisitum, & donatum. Naturale ius habent Creator in creaturam, Vir in vxorem, & Parentes in filios: aut quasi naturale ius est in adoptiuos filios quos qui sibi adoptant, in omnia parentum iura per leges & per ipsum quodammodo ius naturæ intrant, nec minus sibi subditos faciunt adoptatos quàm Genitor generatos. Ius acquisitum est cùm quis vel bello vel fundatione, vel successione, vel emptione, vel pactione aliqua sibi ius in aliquos acquisiuit, quale est Dominorum in seruos, Ducum in milites, & Potestatum sublimiorum in subditos de quibus Apostoli, vt sæpe aliàs diximus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. SVBIECTI estote omni humanæ Creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tamquam ab eo missis.* Donatum denique ius est quando vel Deus qui est supremus omnium Dominus dat cui volet imperium in aliquos vt Sauli, Dauidi, Ierobo amo in Israelitas: Vel quando quis vltro se in seruum dederit alteri, vt cùm Rex eligitur, cùm se tali Viro mulier in vxorem tradit, cùm religiosum institutum assumitur, licet vsitatè Religiosi non dicantur Superiorum serui, sunt tamen subditi & eorum obedientia seruitus quædam est, sed voluntaria sed libera. Rom. 13. 1. Pet. 2.

Possunt his vero titulis seu iuribus alia quædam addi ex Legibus seu Consuetudinibus, ex Gratitudine, Religione, & aliis quæ vsu satis agnoscuntur, ex quibus illud tandem asseritur quod quando plures accedunt Tituli seu quando plura simul iunguntur iura quibus alter alterius est Dominus, tunc debet seruus tanto magis seruire Domino quantò iura illa vel plura sunt vel altiora, vt si quis filius, Patri offensi reus esset à quo vitam pluries vel insigniora recepisset beneficia, quis dubitat quin ei strictiùs obligatus esset & quin ei magis quam alius Patri filius, seruire teneretur? Nonne sic Diuus Augustinus sanctam Monicam duplici nomine Matrem suam agnoscebat: *Quæ me, inquit, parturiuit & carne, vt in hanc temporalem; & corde vt in æternam lucem renascerer.* L. 9. Conf. c. 8.

II. PVNCTVM.

SED non est seruus qui suo Domino seruire debeat ex pluribus vel altioribus Titulis quàm Tu Virgini Matri.

Quia scilicet omnibus illis simul titulis Dominium in te habet, quibus particulatim alij dominari possunt suis seruis.

Primus qui naturalis aut quasi naturalis dictus est quo Mater dominatur filiis, quo filij seruire debent Matri, quo sanctus Augustinus suam duplici nomine, quod iam audiuimus, agnoscebat Matrem. Hic inquam Maternitatis titulus, primus dici posset Titulus quo Beata Christi Mater, nostra est Domina, quia nostra est etiam Mater. Primò quidem quia mater est Christi in quo nos omnes continebamur, & in quo gignendo genuisse dicitur omnes Gen. 3. electos. Cur enim Eua dicatur Mater viuentium: Cur de Sara Is. 51. dicatur Iudæis, *attendite ad Saram quæ peperit vos:* Et cur Rebeccæ Gen. 25. dictum fuit, *duæ gentes sunt in vtero tuo:* Nisi quia Iacob & Esau duo fratres erant vterini Rebeccæ filij, qui cæteros omnes consequentes genituri erant & eos repræsentabant? At nonne Rom. 8. sic Christus *primogenitus* dicitur *in multis fratribus* quasi nos in illo tamquam fratres secundò geniti censeamur? Nonne propterea Cant. 7. Beatæ Virgini dicitur in Canticis Canticorum, *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis,* Id est, vt ait sanctus Ambrosius *totius acerui mater quia totus filiorum vel fratrum Christi aceruus in vtero eius fuit contentus.* Dicitur autem vallatus liliis ob candorem puritatis qua Virgo Mater suorum fuit.

Deinde verò si mater illa est quæ dedit vitam, aut si propterea mater est Domina filiorum quia dedit eis vitam, quid est quod Beata Virgo non dicatur Mater & Domina nostra cum nobis toties vitam dederit non solum in Christo filio qui vita nostra est, sed in nobis ipsis qui nonnisi per eam accepimus spiritalem vitam, id est, gratiam qua per peccatum excideramus, & quæ numquam nobis restituta fuisset nisi nobis eam suis meritis promeruisset, vt fusè in 2. parte declaratum est in Festo Annuntiationis, vbi hæc Veritas exhibetur:

Non tam sibi quam nobis Christus elegit Matrem.

Vnde quantum naturali vitæ præstat hæc vita spiritualis & æterna quam inde speramus in cœlo possidendo: tantum certe præstat ille maternitatis titulus quo nostra est mater & Domina, cum præsertim non semel aut iterum sed multoties gratias illas atque adeo spiritualem & æternam vitam ab illa receperimus.

Perpende hoc etiam atque etiam quod si pro vna fragili, cadu-

ca, exigua, & miseriis omnibus exposita vita semel tantum data, tantum obtinet iuris Mater in filium, vt filius sit pars matris: quale tandem in filios ius & dominatum illa meretur Mater quæ duas illas simul vitas tam nobiles tam excelsas, tam optandas & tam multis modis ac vicibus repetitis impertiit?

Sufficiebat hoc vnum quod esset mater Creatoris vt simul esset omnium domina rerum creatarum, vt iam ex S. Ioanne Damasceno audiuimus. Aut si ad eius in nos dominationem requiritur quod sit etiam mater nostra, sufficiebat quod esset mater Christi, vt nostra etiam diceretur; at quanto magis id verum est cum ab ipsa vitam & salutem hauriamus, prout illa ipsa pronuntiat: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino?* Nonne hæc itaque satis superque demonstrant quam sit maternum illius in te jus ac proinde quàm sit naturale ac sanctum? *Prou. 8.*

Sed quia forte longius repetitam istam maternitatem, aut nonnisi mystico sensu tibi accommodatam objiceres, En tibi aliud à proximo & certo naturæ principio petitum argumentum, & quod nascenti etiam Virgini sit propiùs opportunum vnde liquidò pateat quanto consensu Gratia simul & Natura conuenerint vt naturalem Mariæ Dominatum in omnes creaturas conderent. Non est dubium quin Illa sit omnium excellentissima Creaturarum quæ puræ dicuntur creaturæ qualis non erat Christus qui Creator simul & Creatura est, & quales sunt reliquæ prorsus res omnes creatæ. Certum est inquam tanto illas omnes excellentis interuallo naturæ superare, quantò ille Status diuinæ Maternitatis ad quem euecta est, excedit omnem alium dignitate statum. At pro certo etiam & constanti habetur apud omnes, quod quidquid excellit aliis, naturalem inter illa quæ sunt eiusdem generis principatum tenet: idque ex eo apparet, inquit Philosophus, *quod homines cùm aliquem corporis forma excellentem vident, eum dicere solent dignum esse imperio*; Et addit, *quod si in corporibus verum est, multo magis in animis, sed corporis pulchritudinem facile videri, non autem animi.* Atque hinc fit vt cùm homo duabus constet partibus, anima & corpore, quarum illa quæ spiritualis est sit excellentior, idcirco naturale in corpus habet imperium; Et cum humanum etiam corpus diuersas habeat partes quarum præcipuæ sunt Cor & Caput, propterea etiam illis naturale est quoddam regimen & dominatum in reliquum corpus; ac vicissim conseruan- *1. Polit. c. 3. & 5.*

do cordi ac capiti sic adlaborant cæteræ corporis partes vt potius pereant quàm perire sinant Cor vel Caput suum.

Quod si supra vel infra hominem quæ spectantur creaturæ velis intueri, nonne hoc ipsum vniuersim naturali iure seruatur, vt quæ sunt superiora dominentur inferioribus, cœlum terræ, cœlis primum mobile, vel sua cœlis quam vocant Intelligentia: quin & ipsos inter Angelos, qui sunt supremi ordinis, supremi sunt etiam potestate. Quod & videre est in ipsis animantibus belluis cùm inter feras Leo, inter volucres Aquila, inter serpentes Basiliscus, & Delphis inter pisces ea ipsa qua cæteris congeneribus suis excellunt eminentia, simul & dominatione quadam emineant. Quamobrem quis dubitet quin pari iure præstantissima Creaturarum omnium cunctis authoritate præstet cum vel Ipsa dicat *In omni terra steti, & in omni gente primatum habui*: & ipsum Mariæ Nomen significet etiam *Excellentem* quasi prænosceretur quod idcirco Domina esset quod præ cæteris esset excellens.

Prou. 8.

Quod si secundum illud spectemus Caput quo quis in alios ius & potestatem acquirit, certe non impar hac in parte sibi erit Beata Virgo cùm tripliciter dici possit suis meritis Ius illud acquisiuisse, vt re ac nomine Maria esset & Domina.

Primo quidem cum meruit esse mater Christi quo sensu docet Diuus Thomas, quia scilicet *meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei*: Sunt ipsa sancti Doctoris verba ex quibus facile est ius dominationis acquisitum agnoscere; Nam si, vt dictum est, hoc ipso quo fuit Mater Christi, fuit hominum Mater & Domina, profecto dum meruit esse Mater, meruit & esse Domina. Deinde vero singulariter illo actu quo se ancillam Domini & postremam omnium sese professa est, sic meruit supra omnes eminere, vt quod ait sanctus Bernardus constanter omnes recipiant, *merito facta est nouissima prima, quæ prima cum esset, omnium sese nouissimam faciebat. Merito facta est omnium Domina quæ se omnium faciebat ancillam.* Tertio denique, dum in cœlum assumi meruit & super ipsos Angelorum Choros exaltari, quid est nisi meruisse ius illud & imperium quod inde sequitur in eos omnes quibus gloria & honore præcellit? Quod præclare Diuus Bonauentura exponit cum ait naturam Angelicam & humanam esse ad Beatam Virginem velut illas duas ancillas quæ Reginam Esther honoris gratia comi-

3. p. q. 2. a. 11. ad 3.

Serm. de Verb. Apoc. signum magnum.

Esth. 13.

stabantur, eique ministrabant.

Restat tertium quod diximus Donatione fieri ius & potestatem in alios, quo iure tam certum est Beatam Virginem nobis præesse ac dominari, quàm certo creditur datam illi gratiarum omnium dispensationem vt, sicut ait Diuus Bernardus *cui velit, quando velit & quantum velit, tantum è cœlestibus illis thesauris effundatur, iureque dicat, mecum sunt diuitiæ & gloria, & iustitia. In viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quasi diceret, non tantum ad salutem sed etiam ad perfectionem: non tantum quod est necessarium subministro, sed quod etiam abundet ad majorem Sanctitatem. *In me gratia omnis viæ & Veritatis: In me omnis Spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Quid illustrius simul & suauius? Prou. 8. Eccles. 24.

III. PVNCTVM.

NON *est igitur seruus qui Domino suo magis seruire debeat, quàm tu Virgini Matri*, Quia non est Dominus qui tam multo, tam arcto & tam alto iure suis dominari possit, quam Illa tibi, quæ quàm reuera est Christi Mater, vt alios omittam titulos, tam vere ac proprie mater est & Domina tua, cui proinde seruire debeas tot debitorum generibus quæ illius iuri respondeant. Dico *verè ac propriè*, ne forte putes mysticè, figuratoque sensu id dici; Neque id tamquam meum dico & affirmo, sed hoc ipsum est in terminis quod magnus ille Athanasius, acerrimus ille fidei ac sinceræ religionis assertor, scriptum reliquit, cuius hæc verba referuntur: *Quandoquidem ipse Rex est qui natus est de Virgine, Idemque Dominus & Deus: Eapropter & Mater quæ eum genuit, & Regina & Domina PROPRIE ET VERE censetur*, quasi diceret, tam verè & propriè illi conuenit quàm vere & propriè Mater est Christi, aut quam vere ac proprie Christus est Deus & Dominus. Nam mater ita participat hanc filij dominationem, vt simul ac mater est Domini, sit consequenter eorum Domina quorum ipse est Dominus, siue ex naturali consecutione id proueniat, siue ex filij donatione, siue ex matris merito, siue quod verius est, ex tribus illis simul iunctis & aliis pluribus titulis, de quibus in 3. p. In die Assumptionis B. Virginis, vnde Illa nos affectu plane ma- Serm. de Deip.

Prou. 8. terno compellans, *Nunc ergo*, inquit, *filij audite me*. Quasi diceret, quandoquidem sum vestra Mater, vos estis filij mei: & quandoquidem sum vestra Domina, vos me audire, vos mihi obedire debetis. Quid respondes? Nonne id æquum? Nonne id debitum? Audisne verò quod illa imperat? Putasne porrò tibi faciendum quod imperatum audiueris? Facisne tandem quod facto esse opus ab illo noueris?

Hæc tria si accurate discusseris, non obscure perspicies quàm sit verum & nefandum quod erat alterum propositæ Veritatis membrum: *Non esse scilicet seruum qui minus suo seruiat Domino quàm Tu Virgini Matri.* Non est enim seruus, non est qui Domino imperanti nec aurem præbere velit; Quis enim Dominus hunc ferret seruum? At tu serue nequam, fatere quod est, nonne tu ille es seruus qui nec aurem aliquando imperanti Mariæ præbueris? Dic sodes, quid illa imperat? narra si quid audiueris? Surdo loquor, sed surdo impio, surdo voluntario qui nec intelligat quid sit Mariam loqui, vel quid loquentem audire, cùm ipsa tamen clamare non esset, *Nunc ergo filij audite me*.

Quod si verò quæ illa pergit loqui, audiueris, vt profecto negare
Prou. 8. non potes te audiuisse, *Beati qui custodiunt vias meas; audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam*, Id est, Videte quomodo ambulauerim, quomodo vixerim, quàm pauper, quam pudica, quam parùm mundo cognita, quam arctæ viuendi disciplinæ submissa, sic me imitamini, sic vitam instituite quæ meos mores referat sicut decet filios non esse degeneres neque discipulos indociles, nec seruos desides. Tu quid censes de his dictis & audicis? Putasne quod Illa petit te posse vias eius custodire, te posse virtutes eius imitari? Nonne hoc tamquam sublimius aliquid auersaris; aut potius tamquam inferius aliquid tuo statu esset, sic humilem & abiectam vitam ducere, quidquid de illius vita moribus exprimenda proponitur, abjicis; & in claustra religiosa detrudis, quasi quod illis esset poprium, alienum à te esset? Estne vero seruus qui quod videt Dominum facientem ita repudiet: aut si facturum se neget, non viciſſim à Domino repudietur?

Quod si, vt plerumque fit, tibi distinctius & particularius explicetur quid sit illam imitari, quid Illa de suis moribus à te velit; quid de suis virtutibus in tuo vitæ statu, satisque modo intelligas

intelligas hoc illam vnum præsertim à te velle, vt quod saluti tuæ præsertim obest, auferas: nec ipse dubites id ita tibi præstandum, & ita velis aliquando: sed non modò, sed nondum tempus. Nonne sic eludis eius imperia? Nonne sic differs in futuros & numquam forte futuros annos quod non ignoras tibi esse agendum ad salutis negotium peragendum? Nonne quam in te nosti superbiam, libidinem, & prauam quamque cupiditatem vis aliquando projicere? Quandonam vero? Quando scilicet allubebit. Estne vero seruus qui sic imperata, sibi à Domino ludificetur; qui nil agat nisi quod lubeat, nisi quando velit, & rarò velit, & vix vmquam cum imperatur, velit? At te rursus appello, nonne tu ille es seruus qui nedum incepisti superbiam tuam comprimere, quin potius in dies magis ac magis crescit, licet iam multoties audiueris & satis probe intelligas id à te tam certò quæri à Virgine quàm certo illam oras de salute tua, cum aliter saluare te non possit nisi superbiam aut simile aliud vitium tuum quantocyus discas comprimere. Nec enim illa superbos aut impudicos fouet, quasi si quoquomodò illam colant, salua sunt eis omnia. *Non sic impij, non sic*; Hoc postremum audite quod loquitur; *Arrogantiam & superbiam & viam prauam, & os bilingue detestor.* Os illius bilingue detestor qui me suam vocat Dominam & se meum seruum, qui me tamen non audit: Os bilingue quo quis se iactet velle mihi obsequi, sed non quibus obsequiis velim: Os bilingue, qui se facturum semper dicat, & numquam faciat: Os bilingue, qui me supra omnes Dominos potestate colendam dicat, & me infra omnes, pro innata sua libidine, colat aut ne vix colat. Vide in 3. p. In die Assumptionis, quarta ibi Veritate proposita: Et conclude aliquid deinceps efficacius resecandum ex vitiis quod colendæ Beatæ Virgini, salutique tuæ magis obesset. *Pr. 8.*

Hunc in finem proderit etiam sequens Veritas, vel præcedenti conjuncta, vel separatim proponenda:

Tàm proprium Mariæ dicitur, superbiam detestari, quàm proprium illi est Mariæ Nomen, seu quàm propriè Maria dicitur Domina.

RATIO EST, *Quia tam proprium Mariæ dicitur nos regere quam propriè Maria dicitur Domina.*

Sed quam proprium Mariæ dicitur nos regere, tam propriè dici debet superbiam detestari.

Ergo illi h c esse dicitur tam proprium quàm nostra propriè Domina dicitur; Unde profectò patebit quod quantum ab illa regi volumus, tantum cum illa necesse sit superbiam & alia quæ recensentur vitia detestari.

PRIMA propositio clara est in terminis. Quid est enim propriè dici & esse Dominam nisi Dominari his, vel quod idem est, nisi eos regere quorum sit Domina? Nam sicut in 3. parte dictum est Reginam esse sine regno quæ nullos habeat quos verè regat, vel quæ non regat quos regendos habet; sic profectò Domina dici debet sine Dominio, quantum saltem ad vsum, & sine nominis sui significatione propria, quæ multos habeat quibus dominaretur si essent subditi, & nullos habeat quibus reipsa dominetur quod nolint esse subditi. Vellesne sic vacuum & inane reddere sacrum Mariæ Nomen?

SED, quæ secunda est propositio; quàm proprium Mariæ dicitur nos regere, tam proprium dici debet, superbiam detestari, non tantum in se, sed in illis quos regit; quia videlicet eius regimen valde turbat regendorum superbia. Primo enim cum eius regimen sicut & Christi filij sit spirituale & animorum magis quam corporum, atque ad vitam magis æternam quàm temporalem, nihil habet commendatius quod in animis nostris operetur quàm vitium illud exsecare quod saluti nostræ plurimum obest, quale est vitium arrogantiæ & superbiæ, quod est initium omnis peccati.

Deinde verò, cùm alias virtutes velit animis nostris inserere, sitque virtutum omnium pestis superbia, necesse omnino est hoc pestilens eradicare germen, ne quidquid virtutis Virgo insereret, hac interiret lue; fieretque superbo virtus in interitum potiùs quàm in salutem. Nam cùm omnia vitia in male factis timenda sint, inquit sanctus Augustinus, superbia in bene factis potius metuenda est. *In Ps 58.*

Adde, quòd cum animæ Sanctificatio, Virtutumque actus sine multis gratiarum donis effici nequeant, nihil verò magis pugnat cum Gratiis quàm superbia; quid ageret in superbo Maria quæ ni-

hil sine gratiis agit in homine, & quas homo superbus gratias non sinit in se agere.

Denique, quis nesciat quàm perfectè virgo Mater cum Filio suo consentiat, qui singulari superbiam odio detestatur, sicque omnibus suis, filiis Sacra Parens testatũ voluit se pari omnino affectu id odisse quod Filius oderit, intelligantque omnes non aliam esse mentem Matris ac Filij, ne qui forte timent à Filio male haberi, sperent à Matre aliquid, nisi superbiam prius deponant.

QVAMOBREM, manifesta est Veritas, quòd tam proprium Mariæ dicitur & reuera est, superbiam detestari, quàm propriè Maria dicitur Domina seu dominatrix eorum, quorum est Domina. Quod vel ex eo præsertim confirmatur, quod hæc sub nomine Sapientiæ de sancta Virgine Scripturæ referant, quasi diceretur, quod sicut Sapientiæ proprium est regere animas, ita & Beatæ Virgini; & sicut Sapientia profitetur ad regendas animas se superbiam detestari, sic & Beata Virgo. Quod & roboratur verbis sequentibus, *superbiam & viam prauam, & os bilingue detestor*; Nam cum nostri regimen in his tribus consistat, nempe cogitationibus, verbis & operibus moderandis, tria quædam his tribus opposita memorantur, nempe cogitationibus *superbia*, verbis *os bilingue*, atque operibus *via praua*. Nec proinde mirum si quantum Virgo Deipara est Sapiens aut ipsa creata Sapientia, superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestetur, quia hæc sunt scilicet quæ agnoscit se opponere suo Nomini, suo Dominio, suoque operi. Nos vero de sola hîc superbia considerationem instituimus quia primum & principale est ex quo cætera prodeunt, & quo subacto corruunt: Satisque iam nobis sit ad renouandam huius vitij detestationem hoc audire & probè intelligere quod de nobis regendis ait sapientissima nostra Domina: *superbiam ego detestor*. Quasi diceret, quidquid sit de aliis vitiis, hoc ego præsertim odi, hoc vnum præsertim insequor, & quisquis velit à me regi, hoc mecum velim in primis insectetur, quia cæteris curandis malis vel procurandis bonis oppositis se opponit damnosiùs. Si libido curanda est, superbiam detestor quæ vestes & alia quærit mollia quibus libido fouetur. Si coërcenda iracundia est, superbiam ego detestor quæ iram præcipue solet incendere. Si de gula temperanda negotium mihi est, superbiam detestor quæ ad fastum exquisitas parat mensas. Si timorem Dei cuiquam

Digitized by Google

incutio, superbiam ego detestor quæ præsumptionem & vanam creat fiduciam. Si Pietatem, si Deuotionem, si Virtutes & Veritates Euangelicas persuadere agredior, superbiam ego detestor, quia *Mundum* illa statim objicit eorum animis quibuscum ago, sicque fit vt cum aliud quodlibet expugnatur vitium, cum vno tantum homine pugna sit: at cum debellatur superbia, tunc simul cum toto mundo siue cum totis simul hominibus certamen sit habendum. Nam superbia toto se mundo tegit, totum sibi mundum habet fœderatum, toti sunt simul debellandi homines quos in sui defensionem aduocat, quatenus qui superbus est, placere semper hominibus appetit, aut semper displicere timet: atque ita priusquam Veritati consentiat, prius inquirit quid sentiat mundus, quid mundani de illa Veritate loquantur homines, nec prius Veritas in eius mente persuadebitur quàm totus fuerit persuasus mundus.

Ier. 49. O quàm vere propterea superbo dictum est: *Arrogantia tua decepit te, & superbiâ cordis tui!* Visne sic semper decipi, sic deceptus viuere, sic viuens mori? Nihil est quod minus velimus quàm ab aliis decipi; nihil tamen est quod agamus frequentius quam nos ipsos decipere. Quasi minus esset à se quàm ab aliis decipi! Deplora hanc amentiam, & disce à Sacra Virgine quid, & quomodo sit plorandum. Sequens id docet Veritas.

DE ALIA NOMINIS MARIÆ SIGNIFICATIONE, QVA *MARE AMARVM* DICITVR.

VERITAS PRACTICA.

Plorat Maria nascens sicut cæteri: sed non quamobrem cæteri.

Si quamobrem ploret Maria nascens quæritur, plus illa cæteris omnibus plorasse reperitur.

RATIO EST, Quia quem videbat miserandum mundi statum reperitur deplorasse.

Sed qui miserandum mundi statum videat & deploret, plus aliis omnibus ploret.

Ergo ita plus cæteris Maria nascens plorauit; Unde merito mare amarum *dicta est, & quod flere potissimum debeamus, euidenter edocemur.*

I. PVNCTVM.

MIRVM certe videri posset, in vno Nomine tam varia reperiri significata! Quis enim non videat quàm sint illa diuersa, Dominam esse, siue Excellentem, sicut ante audiuimus ex Sacro Mariæ nomine: nunc autem *mare amarum* eodem Nomine designari? Sed quàm magis mirum in eadem Virginis mente res tam diuersas simul conuenire, quæ sub illis latent significatis? Certe quod idem nomen tam varia significet, hoc à diuersitate linguarum quæ in sacram concurrunt Scripturam prouenit, quæ prout Hebraicè, vel Chaldaicè, vel Syriace legitur, tam multa, tamque varia denotat: Vnde vero & quomodo res diuersæ sub eodem nomine significatæ simul conueniant in eadem Sacra Mente, Mysterium sublimius est, quod nostræ modo Considerationi subjicitur inuestigandum. Sicitaque sacræ linguæ Interpretes Mariæ Nomen *mare amarum* vertunt, quæ significatio quàm recte quadret in Virginem Matrem satis est euidens cogitanti quàm amarum hauserit calicem iuxta Crucem, dum Filio patienti Mater dolentissima compateretur. Sed huius maris amari origo coquirenda videtur altiùs & ab ipsis vitæ nascentis exordiis repetenda: vnde hæc statuitur Veritas, *Quod si quæramus quamobrem ploret Maria nascens, plus cæteris omnibus plorasse reperitur.* Non enim plorabat solum quam sentiebat humanam miseriam, frigus, famem, dolores, & alia corporis incommoda, quæ quique solent Infantes gemere, quod de seipso dicebat Sapiens: *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Sed Christus Dominus, ac Beata eius parens Virgo, longe alia defleuere mala; longè amarius & diuturnius fuit quod plorarunt. Neque enim tempus vitæ fuit quod non fuerit amaræ vitæ. Si soli quidem fuissent, nihil erat illis pacatius, nihil quietius, nihil à fletu remotius: Sed cùm miserandum spectarent mundi statum; nihil erat illis miserius, nihil flebilius, nihil deploratius. Quod vt melius intelligatur de nostra præsertim nascente Domina: cogitari distincte tria debent. Pri-

S. Hier. lib. de nom. Hebr.

Sap 7.

mum, quòd eo tempore quo nata est, vniuersi pene homines alieni essent à via Domini, vixque aliud curarent aut cogitarent quàm quod Caro & Sanguis illis suggereret. Vix erat alibi notus quàm in Iudæa Deus, & in ipsa Iudæa tam pauci erant qui Deum verè colerent & saluti suæ vacarent, tam multi contrà qui se suis manciparent cupiditatibus, vt qui videbantur religiosiores, Pharizæi & Scribæ, toti essent in vitiis, neque nisi serpentes & genimina viperarum dicerentur à Christo Domino & Sancto Eius præcursore Baptista. *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Accusarant scilicet apud Dominum aliquando sanctiores illi viri mulierem in adulterio deprehensam, & quasi scelus detestarentur condemnandam eam ex lege volebant & lapidibus obruendam. Tum vero Dominus, *qui sine peccato est vestrum*, inquit, *primus in eam lapidem mittat.* Nec vllus vnus fuit ex tot multis qui aderant, nullus inquam fuit qui diuino quodam lumine collustratus non se statim agnouerit tot peccatis obnoxium vt coram stare diutius & apparere non posset. Nemo quidem ita iustus & innocens vt sine aliquo leui saltem peccato viuat, sed non erant hæc eorum peccata leuia quos ita sui pudebat vt humanum omnino fugientes conspectum, vix seipsos ferrent, & se à seipsis vellent absconditos. Erant itaque pene omnes in tam miserando vitæ statu vt qui se minus miseros & minus peccatores agnoscerent, ipsi peius haberent, quod se non nossent. *Cæci sunt & duces cæcorum.* DIMITTE *mortuos sepelire mortuos suos*, Quasi omnes essent animâ mortui sicut hic corpore de quo tum agebat Dominus.

Ioan. 8.

Matth. 15. Ibid. 8.

Secundum inde considerandum est, quod inter excellentes eas quibus Virgo nascens dotata est, Gratias, illa recenseatur quæ vsum Rationis & libertatis habuit, nihilque prorsus infantile præter Corpus ex vtero matris in lucem attulerit; cæterà sanctam prodiisse, sapientem, discernentem à malo bonum, & de cunctis prudenter iudicantem. Sic inter alios Franciscus Suarez non leuis certe Author, nec leues coniecturæ quæ id probent; Nam si concessum id fuit aliquibus creaturis vt simul ac creatæ sunt, creata sit cum illis Ratio seu libera ratiocinandi facultas, sicut patet in Angelis & Protoplastis siue primis nostris parentibus Adamo & Euæ, cur non Illi concedatur quæ creaturarum omnium dignitate prima est & præstantissima! cum præsertim sanctus Bernardus dicat & verè dicat: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas*

In 3 p. q. 27. a. 5. sect. 7.

Ep. 174.

Digitized by Google

certe non est suspicari, tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Nec dicas non id ita fuisse infantili conforme statui sic Rationis vsum habere sicut virili & maturo, qualis eorum erat Mortalium status qui producti sunt in exemplum: Nam neque Sanctificatio, nec tam multæ quæ Illam comitantur Gratiæ, magis sunt conformes infantili statui quam Rationis vsus; Quis neget tamen Beatam Virginem natam esse cum sanctificante gratia, cæterisque donis cœlestibus quæ cum illa sociantur? Cur non æque de vsu rationis ac diuinis gratiis liceat dicere quod docet Diuus Thomas: *Rationabiliter creditur Beatam Virginem Mariam quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, majora omnibus gratiæ priuilegia accepisse, atque fuisse in vtero sanctificatam.* Quid est, quod de illa Beata Virgine non liceat dicere quod sapienter dixit Diuus Ambrosius de sancto Ioanne Baptista: *Tempus siletur infantiæ, eò quod infantiæ impedimenta nesciuit. Neque enim vllam infantiæ sensit ætatem qui supra naturam, supra ætatem in vtero positus Matris, à mensura cæpit ætatis plenitudinis Christi.* Putasne plus concessum seruo quàm Matri? Putasne quod si Præcursoris dignitas id exigebat, non id magis exigeret Maternæ Dignitatis Majestas? Audi quid Idem Diuus Ambrosius de eodem Sancto Infante dicat cum de trimestri agit quo Beata Virgo mansit apud Zachariam: *Quantum,* inquit, *putamus vsu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Vngebatur itaque & quasi bonus athleta exercebatur in vtero matris Propheta; amplissimo enim virtus eius certamini parabatur.* Quasi diceret, idcirco ex ipsa Infantia sic debuit exerceri, sic excoli vt sic se pararet ad sublime illud officium quod gesturus erat, & ad ampla illa certamina quæ in suo subiturus erat officio. At quanto id verius de Deipara Virgine pronuntiandum est? Cum enim paranda & disponenda esset vt digna Dei Mater efficeretur, nonne id æquius vt ab eius infantia sumeretur huius præparationis Initium, quàm vt Ioannes esset præcursor aut Baptista? Si autem non solis Gratiis quibus præuenta Maria est, sed suis etiam meritis se dignam debuit exhibere Matrem, cur non ab infantia dicetur inchoasse hoc mereri, cùm tanto majus erit eius meritum, quanto maturius ac celerius inceperit, nec consequenter destiterit? Cur tam multos annos velut otiosa transegisset quos opportunè poterat in se ad tantum Munus paranda & colenda ponere? Si Mariæ nomen etiam significat Illuminatam & illuminantem, cur

3. p. q. 27. a. 1.

L. 1. in Lucam.

non statim ac nomen habet, non haberet vim & effectum nominis? cur vacuum nomen gereret? cur illuminata diceretur quæ iaceret in tenebris? cur amicta Sole quæ omni priuata esset lumine? Sed, quod multum ad rem facit, si maternam decuit Dignitatem vt Virgo esset, vt Virginitatis votum faceret, vt tertio ætatis anno id faceret cùm se Deo scilicet triennis præsentauit, quod nullus orthodoxus in dubium vocat; Quid est quod ei tùm denegetur Rationis vsus, cum sine tali vsu nesciret quid Virginitas, quid Virginitatis votum, quid Præsentatio?

Denique, cùm talem habuisse Rationis vsum, non parua sit laus & commendatio Virginis, cur Eam illa laude fraudemus quæ est omni laude dignissima? Cum nemo neget id potuisse fieri, cur negemus factum quod fieri potuit, quandoquidem id magis redundat in Filij simul & Matris gloriam? Si cuiquam id liceat salua fide non credere, cur non mihi magis licebit credere quod mihi digniorem exhibebit Dei Matrem? Si res in dubium vertitur, cur non id credam potius quod creditum nihil nocet & multum prodest: & quod non creditum nihil prodest, & multum nocet: multum nempe detrahit de merito Beatæ Virginis, multum detrahit de multis inde gratiis quas sanctus Bernardinus & alij pietate insignes collatas aiunt nascenti Virgini, quæ omnes præsupponunt hunc Rationis vsum. Cur non his magis credam & probatissimis Doctoribus hoc idem sentientibus quàm quibus non id placet? *De Festiu. B.V. c.1.*

O si possem ad laudes tuas aliquid addere, Virgo maxime prædicanda! Sed quod possum, saltem id faciam, ne quid de Tibi datis laudibus velim vmquam detrahere.

Tertium quod hîc restaret expendere satis euidenter colligitur, & patebit etiam manifestius ex sequenti Puncto, nempe cùm infans Maria ratiocinari posset, videre simul poterat qui essent mores hominum, quàm alieni à Ratione, & ab illo Fine ad quem creati essent homines, quàm grauiter inde Deus offenderetur, quàm lata esset via quæ ad perditionem duceret, & quàm multi per eam incederent, quàm angusta & arcta quæ ad vitam, & quàm pauci essent qui vellent eam sectari. Hoc aperte videbat suis illis illustrata Luminibus quibus iam agnoscebat quid Lex diuina esset, quid contra hanc peccare legem, & quanta inde damna, quanta pericula, quanta excidia non corporum modò sed animarum; Hoc videbat Maria quantum vigebat Ratio, quantum Fides

& dona

& dona Intellectus quibus hæc patent manifeste, neque hoc videre poterat quin doleret quin gemeret, quin totam in gemitibus funderet vitam. *Ne vocetis me Noemi*, Id est, *pulchram, sed vocate me mara, id est, amaram: quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.* Ruth. 1. Sic Noemi Socrus Ruthæ: Sic Maria Mater Christi.

II. PVNCTVM.

SED vlterius procedit Veritas, cum luctuosum illum mundi statum Maria gemeret, *plus cæteris gemebat infantibus qui suas tantum & humanas corporum plorant miserias.*

Quò est enim luctuosius lachrymarum obiectum, eo certe fundi debent profusiores lachrymæ, cum præsertim in fundendis lachrymis quoddam est operæ pretium quale hîc reperitur, nempè multarum actus virtutum, Misericordiæ, Zeli Diuini, Charitatis, Pœnitentiæ, quibus peccata diluuntur & plurimorum salus comparatur.

Repræsenta tibi Nosocomium ingens, amplum, & plenum vndequaque tetris & horrendum in modum ægris iacentibus. Illuc forte vel consultò quis ad miserationem valde pronus ingrediatur, vnoque omnes obtutu videat apertissimè quàm doleant, quàm dolenter gemant! Hic cholicam, ille calculum, alius podagram, & alius intestinorum lanienam. Quid tùm putas animi, quid sensus habiturum illum quem natura seu Gratia finxit ad Misericordiam? Hoc idem senti de Beata Virgine Matre de qua non minus dici potest quam qui de se hoc dixit: *Ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de vtero Matris meæ egressa est mecum.* Iob 31.

Sic illa quando nascens mundum ingreditur, Nosocomium ingreditur in quo non horrendi morbis sed vitiis cuncti iacebant homines quorum aspectus cum tantò esset tetrior quantò erat illi nota lues animarum perniciosior; quibus non illa gemitibus tantam prosequebatur perniciem, cum aliud præcipuè non haberet quo tantæ posset opitulari miseriæ, multum autem posset suis gemitibus vel accelerando promissi aduentum Messiæ, vel diuinas eliciendo gratias quibus aliqui tandem resipiscerent, & sanarentur.

Tres sunt viæ quibus inuestigetur quanti, quàm acres, quàm acerbi esse potuerint illi singultus ac gemitus. Prima, si compa-

rentur cum his quos homines edunt in temporalibus suis iacturis, si filius Patrem extinctum doleat, si Pater aut Mater filium : *Fili mi Absalom! HEV heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari?* At longe acerbior erat Mariæ mœror, quia iactura quam plorabat erat grauior.

2. Reg. 19. Tob. 10.

Secundò, si considerentur eorum gemitus & interni dolores qui pari de causa doluerunt, qui talem animarum iacturam deplorarunt, qui de libro vitæ propterea petierunt deleri, qui anathema esse à Christo, Id est, qui tanta miseratione perditionis eorum quos deplorabunt mouebantur, vt si fieri potuisset, morte & damnatione sua mortem & damnationem illorum redemissent. Hic nempe Mosis & Pauli dolor fuit. Sed longe major Mariæ Matris acerbitas quia longe major eius Virtus, major Dei offensi cognitio, major eius Zelus & Charitas.

Exodi 32. Rom. 9.

Tertio, si secum ipsa comparetur Virgo Deipara, si cum dolore dolor, si cum gemitu gemitus. Non est dubium quin peracerbis fuerit cruciata doloribus cum iuxta Crucem morientis Filij staret, expende quàm tum verè Maria, mare amarum fuerit, quàm tum de illa verè dictum, *magna velut mare contritio tua. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Thr. 2. Luc. 2.

Et tamen cum gemeret Dei offensam, cum sempiternum animarum interitum deploraret, dolebat illa dolentius, sicut expresse probatum habes in 1. parte, In die Purificationis: vbi hæc Veritas declaratur:

Doloris gladium animæ Virginis acerbiorem infert vita peccatoris, quàm mors Filij.

III. P V N C T V M.

SIC igitur manifestè patet ex ipso primo nascentis Virginis die quàm apte Maria dicta sit, quàm apte Maria mare amarum significet, quàm vere totam Nominis significationem impleuerit, quàm longe supra cæteros omnes Infantes doluerit quæ longe aliam dolendi causam sibi proponebat, nempe totius mundi quem spectabat deplorandum statum, deplorandum omnium pene animarum interitum! O quantum illi debes quæ sic miserias tuas doluit. *Gemitus Matris tuæ ne obliuiscaris. MEMOR esse debes quæ*

Eccles. 7. Tob. 4.

& quanta passa sit propter te.

Hic est primus consideratæ Veritatis fructus. Deinde verò, nonne sicut Illa posses gemere? Nonne sicut Illa videre posses eandem gemitus causam? Nonne satis euidens est, quàm multi etiam nunc pereant, quam pauci sint qui saluentur? Nonne nunc omnes tanta cupiditate volunt esse diuites, quanta vmquam voluerint? At nonne omnes qui volunt esse diuites pereunt? Nonne hoc pridem denuntiauit Apostolus? Nonne apertam protulit causam? Nonne iam sæpiùs audiuisti? *Deduc quasi torrentem lachrymas, per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* *1. Tim. 6.* *Thr. 2.*

Denique quidquid sit de aliis, teipsum non negligas. Vide quàm luctuosam egerit vitam Beata Virgo! Vide quàm longe absis ab eius sensu, quàm longe procul erres, qui vel iucunda semper appetis, vel nihil aliud gemis quam terrena quædam & humana incommoda; quàm vel sis nimius in mala quadam tristitia, vel in falso quodam mentis gaudio; quàm parum serues quod habet Veritas in prima parte, Die 9. Ianuarij:

Amaritudo in pace, & pax in amaritudine.

Ne desperes salutem aut perfectionem tam multis irroratus lachrymis quas pro te Maria fudit: sed ne præsumas caue diligenter, & propterea sequentem audi Veritatem:

Sic est Maria refugium Peccatorum, vt quo passu ad Illam Peccatores confugiunt, à peccatis refugiant.

SENSVS & RATIO EST, Quod sic Maria refugium est Peccatorum vt qui alioquin diuina exigente Iustitia punirentur & perirent, si tamen ad Illam confugiant, diuina Iustitia liberentur, & salui fiant.

Sed non aliter liberantur & salui fiunt nisi quo passu ad illam confugiunt, à peccatis suis refugiant.

Ergo nec aliter refugium est Peccatorum, vnde nec vllus quantumuis grauium sibi conscius peccatorum desperare debet: nec vllus quantumuis leuiter reus potest præsumere qui peccatum nolit deponere.

I. PVNCTVM.

SICVT nullum est malum cui curando diuina Prouidentia non prouiderit, sic nullum est bonum hominibus à diuina Bonitate concessum quo non abutantur homines, & in perniciem suam trahant quod illis erat datum in salutem. Quid peccato damnosius quo solo damnantur homines? At ecce peccati remedium in Christo & Maria. Quid hoc remedio vtilius? Quid beatius? Sed tale vellent peccatores peccati remedium vt peccati pœnam non culpam fugerent; & dum sibi promittunt impunitatem peccandi, liberiores fiunt in peccando, quod est plane abuti remedio. Quamobrem opportune hæc Veritas potest aliis adjungi; *Quod sic Maria refugium est peccatorum, vt quo passu ad illam peccatores confugiunt, à peccatis refugiant; aut nullum in ea sperent refugium, nam inde nullum trahent subsidium.*

Ratio est euidens, & sæpe aliàs agitata: Quod enim dicitur Maria refugium peccatorum hoc sensu dicitur vt qui peccatores mole & grauitate suorum oppressi peccatorum non auderent ad Christum accedere; vel qui reuera sic merentur puniri vt quam resurgendi à peccatis gratiam accepissent nisi tot se peccatis obstrinxissent, non accipiant, sicque in peccato sint morituri, nisi ad Beatam Virginem, tamquam ad ciuitatem refugij, tamquam ad aram & portum salutis confugiant; & sic liberentur vt declaratum est in 1. p. Feria 6. primæ Hebdomadæ. Et in 2. parte, In die Annuntiationis, hac potissimum Veritate qua dicitur, *non tàm Christo quàm nobis datam esse in Matrem*, In 3. p. In die Assumptionis. Et in hac 4. parte, Sabbato Hebdomadæ 26. quibus adde quod peccatoribus ex sancto Bernardo magnos addere debet animos vt ad ipsam confugiant. Hoc enim præsertim illam nomine laudat & prædicat, *Tu*, inquit, *peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspirauerit, tuumque interuentum pœnitenti corde flagitauerit, Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, foues, non despicis, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies. Famosum huius tuæ benignitatis testimonium est, per te Theophilus restauratus gratia.* Et quæ plura prosequitur.

Ad glor. Virg. Depr.

II. PVNCTVM.

SED non aliter liberantur & salui fiunt nisi quo passu ad illam confugiunt à peccatis refugiant.

Nam vt supra dictum est, & locis citatis fusius demonstratur, non aliter liberantur peccatores eius auxilio, quàm quod recipiunt resurgendi à peccato gratiam quam non recepissent nisi pro ipsis orasset, nisi quod orabat impetrasset, nisi quod impetrauerat, peccatoribus obtulisset; & nisi qnod offerebat recepissent peccatores. Quid est verò talem obtinere & recipere gratiam qua resurgas à peccato, nisi à peccatis resurgere? Nonne voluntas non peccandi semper includitur in voluntate resurgendi, aut non est vera ista resurgendi voluntas, nec vere vmquam à peccato quis resurgat nisi simul velit à peccato ad gratiam refugere? Nonne hæc sunt aperta Tridentini Concilij verba dum quid sit Contritio explicat, *cum proposito*, inquit, *non peccandi de cætero.* Seß. 14. c. 4.

Neque vlla prorsus aliter pœnitentia concipi, nedum peragi potest nisi hoc formato proposito de quo vide in 1. p. Dominica 4. Aduentus, vbi defectu huius propositi declaratur quam verum sit quod ait Propheta, *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo.* Ier. 8. Sicut itaque sine pœnitentia nullum Virgo liberat, nullum saluat; ita plane nullum nisi velit à peccato resurgere: cùm alioquin vt dictum est sine tali virtute nulla sit pœnitentia, nulla resipiscentia, nulla contritio, nulla confessio. *Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras in quibus prauaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Ez. 18. Hoc ipsum Beata Virgo quod Deus exigit, neque potestas eius est vt sine Contritione salueris, aut sine Gratia conteraris; sed vt gratiam obtineas qua & conteraris, & salueris. *In electis meis mitte radices*; dixit ei qui creauit eam. Eccl. 24.

III. PVNCTVM.

SIC est igitur Maria refugium peccatorum vt quo passu ad illam confugiunt, à suis peccatis refugiant; Nam nisi à peccatis refugerent, in peccato semper viuerent & morerentur, quo in statu quisquis viuit & moritur, non à diuina Iustitia liberatur, sed

tanto magis punitur, quanto fauente Virgine poterat non puniri si pœnitere voluisset.

Recordare Theophili de quo supra sanctus Bernardus: Se miser ille Dæmoni dediderat: deditionis chirographum tenebat Hostis: condicta iam aderat pactionis dies: iam iam prope hora quo dedititium suum ex pacto Dæmon raperet. At ecce inclamata Virgo iubet reddi syngrapham; paret iubenti Dæmon, & liberatur Theophilus. An putas vero quod liberatus esset nisi profanam reuocasset pactionem? Sic plane quisquis peccat, *peccati sui literas*, inquit Origenes, *scribit*; Et sanctus Augustinus: *Vnusquisque peccando, Diabolo animam suam vendit, accepto tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* Sanctus quoque Ambrosius: *Neminem iugo seruitutis astrictum possidet nisi se ei prius peccatorum ære vendiderit*: Atque ita prorsus ad salutem obtinendam, reuocanda est ista scriptio, solum verò reuocatur dum à peccato refugitur, vnde vides quam sit istud necessarium, & nisi hoc velis dum ad Virginem confugis, perinde est ac si Theophilus ab ea peteret sibi damnationis suæ syngrapham reddi quam tamen nollet irritam, aut quam paulo post vellet ratam haberi. Nonne totus ad ista perhorrescit animus! Audi hoc tandem indurate peccator; Minus colis Beatam Virginem quàm ipse Dæmon: Nam illi iubenti paruit, reddendo chirographam; Tu toties iubenti vt peccatum deseras, nondum paruisti! Hæc obedientia Dæmonis tuam condemnat inobedientiam.

In Ep. ad Rom.

I. de beata vita.

Vide in 3. p. Fer. 4. Hebd. 9.

Die 14. Septembris.

IN FESTO EXALTATIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Hæc dicit Dominus Deus: Ad populos exaltabo signum meum. If. 49.

HOC EST SIGNVM CRVCIS.

VERITAS PRACTICA.

Dicenti Domino se Crucem suam exaltaturum tam contradicit Superbus quàm se exaltat.

RATIO EST, Quia Is Domino tam contradicit, quàm dictis Domini contrarium volens facit.

Sed quàm Superbus se exaltat, tam contrarium volens facit dictis Domini quibus ait se Crucem suam exaltaturum.

Ergo & tam illi contradicit & se illi opponit in re admodum graui: Quod certe est ad retundendam nostram superbiam efficax.

I. PVNCTVM.

IN hodierno Euangelio quod ex duodecimo Ioannis capite sumitur, *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum:* In his inquam & aliis sequentibus, non desunt quidem quæ apte Festo conueniant & fructuosè considerentur: Sed egregium illud est & insigne quod refert Isaias in quo & ipsum totum quod legitur Euangelium continetur, vt infra patebit. Quamobrem iam in ipso primo Considerationis aditu ac limine, loquentem audi Prophetam, seu potius Christum Dominum: ***Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad Gentes manum meam:*** Id est, aliquid grande efficiam: dignũ mea manu opus, & dignum quod attentè spectetur. Quid tandem illud? ***Ad populos,*** inquit, ***exaltabo signum meum.*** Hoc est sine dubio signum Sanctæ Crucis cuius est hodierna Exaltatio seu exaltationis memoria. Sed dubitari potest an illa exaltatio quam se facturum dicit Dominus, sit illa quæ celebratur hodie; dubitari potest quomodo & quando à Christo facta fuerit; dubitari potest quomodo à nobis digne celebretur; dubitari potest quod præ cæteris omnibus præsertim intelligendum est, quod quidquid dicat Dominus se facturum de exaltando Signo suo, contradicit Superbus qui se exaltat & se exaltans ita Christo se opponit vt non magis opponatur Humilitati superbia, quam exaltandæ à Christo Cruci, superbus.

Putaresne superbe, seu quisquis te nimium effers & exaltas, Putaresne tuam elationem eo se impietatis prouehere vt quod insignius factum patrare Christus vellet, illa obstet, illa impediat, illa destruat? Audi & contremisce. Nonne qui dictis & factis Christi contraria volens facit, dicenti & facienti Christo se opponit? Nonne propterea dicebat Christus, *qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit?* Nonne propterea Satanam vocabat Petrum, Id est, aduersarium quòd se dictis & factis eius opponeret? Nonne idcirco Apostolus vocat eos qui à Christo non se totos quidem sed ex parte subtrahunt *filios subtractionis in perditionem?* Nonne illud est, illud formidandum quod dilectus ait Discipulus, *omnis Spiritus qui soluit Iesum, Antichristus est.* Quid est qui soluit nisi qui non seruat integre & incorrupte quod dixit Iesus? Quid porro Antichristus nisi Christo contrarius? Nonne vel ipsum nomen horrorem incutit?

Luc. 11. Matth. 16. Hebr. 10. 1. Ioan. 4.

II. PVNCTVM.

SED *quàm se exaltat superbus, tam contrarium volens facit dictis Domini quibus ait se Crucem suam exaltaturum.*

Quænam sit illa Crux Christi & qualis eius exaltatio, prius dicendum est: deinde verò quantùm ei superbus aduersetur.

Quod ad primum spectat, Iam supra dictum est in 2. parte, cùm de Inuentione Crucis ageretur, triplicem esse Crucem, cuius Inuentio vel Exaltatio fieret. Prima illa est in qua Christus nostræ salutis causa pependit. Secunda est, quodcumque signum Crucis quod formatur in memoriam & imaginem illius primæ vel ipsius Christi pendentis. Tertia est quæcumque carnis vel spiritus humiliatio seu mortificatio quæ ad Imitationum Christi crucifixi libenter suscipitur, de qua frequenter Apostolus: *Christo confixus sum Cruci. Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Dicitur & nostra Crux, quia nempe à nobis portatur iuxta illud Domini, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.*

Gal. 2. Ibid. 6. Matth. 16.

Potest autem quodlibet horum genus Crucis dici signum illud quod se ait Dominus exaltaturum, quasi diceretur signum & trophæum victoriæ reportatæ: vel signum initi fœderis & factæ reconciliationis inter Deum & hominem: vel signum militare &

Digitized by Google

vexillum sub quo est nobis militandum, vel quasi signum illud esset de quo Simeon senex *in signum cui contradicetur*, id est, scopus quò Infideles & mundani sua maledicentiæ iacula dirigerent; vel quasi portentum esset, & nouum aliquid atque insolitum mundo apparens quod se singulariter spectandum daret; vel quasi Signum & Sacramentum quod aliquid non vulgare significaret aut portenderet; vel denique quasi signum & tessera quæ Fideles & Electos præsignaret ad salutem: Quale illud de quo apud Ezechielem, *Signa Thau super frontes virorum gementium.* Luc. 2. Ez. 9.

Pro diuersa vero significatione Crucis, diuersa est eius exaltatio, & tam multis modis sumendum istud quod ait Dominus, *exaltabo signum meum* quàm sunt multi & varij modi quibus illud exaltauit. Nam primam illam Crucem in qua pependit, hoc ipso exaltauit quod in ea pependerit, quod in ea pendens & moriens hostes suos & nostros deuicerit, Mundum Deo reconciliarit, & humanæ salutis negotium in ea cumulate perfecerit. Exaltauit præterea cùm latentem in terra per trecentos annos, in lucem protulit sub Constantino magno, cum ad eius tactum multa sunt patrata miracula, cùm ad eius cultum & venerationem Loca Sancta, Dies Festos, & Sacros Ritus institui voluit, quorum religioni multum accessit ex præclaro illo quod potissimum hodie celebratur facto Imperatoris Heraclij qui subactis Persis Sacrosanctam Crucem, quatuordecim annis postquam in eorum potestatem venerat, triumphans recepit & solemni celebritate suis humeris retulit in eum montem quò eam Saluator tulerat, & in eodem Caluariæ loco vnde asportata fuerat, restituit hac ipsa die quæ iam pridem Exaltationi Sanctæ Crucis dicata erat, sed multo deinceps illustrior facta est ob eius rei memoriam.

At verò cum à barbaris iterum capta esset Hierosolyma, Sacrumque Crucis lignum in varias relectum partes per vniuersum pene terrarum orbem frustatim transferretur, non defuit tamen suo promisso Diuina Veritas, non defuit suo apud populos exaltando Signo, non defuit sua Cruci gloria, quin inde potius multum amplificata est cùm quæ in vno duntaxat adorabatur loco, tùm vbique, tùm vniuersim ab omnibus coleretur, tantoque in pretio vel eius exiguum aliquod frustulum haberetur, vt nihil eo sacratius, nihil augustius, nihil religiosius sibi reconderent seruarentque Christiani Principes; aut vllo quouis ornatu se magni-

Digitized by Google

ficentius decoratos gloriarentur, vnde illa sunt egregia sancti Augustini, *Attende gloriam Crucis, in fronte Regum Crux illa fixa est cui Inimici insultauerunt.* In Ps. 54.

Quod non tantum de vera quam vocant Cruce in qua verè Christus pependit, intelligendum est, sed de illa etiam quam secundo loco diximus Crucem, nempe à nobis aut arte aut manu factam, vere dici potest, *Attende gloriam Crucis, in fronte Regum Crux illa fixa est cui inimici insultauerunt*, Id est, quod apud homines erat probrosius, nunc factum est gloriosius; Sic enim & hoc aliud Crucis genus exaltauit Dominus vt nihil Sacrum Sanctumque fiat in Ecclesia, nihil fortiter in Romano geratur imperio nisi quod Crucis Signo consecretur & muniatur. *Quod signum*, inquit sanctus idem Augustinus, *nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo quo crismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Tr. 118. in Iom.

Quod quidem si mirum est in sacris rebus, quantò magis in profanis, in politicis, in militaribus vbi hoc signum Crucis non minus valere Dominus voluit. Sic enim Constantino magno vt fuse refert Eusebius, & visum in cœlo signum, & auditum *IN HOC VINCES*, & imperatum vt signi quod viderat exemplar fabricari iuberet, eoque tamquam præsidio in præliis vteretur. Quod quidem statim accersitis artificibus præstitit & vexillum hoc instar Crucis fabricatum, pòst Romani Labarum appellarunt, de quo sic pergit Author: *Isto igitur salutari signo Imperator tamquam hostilis cuiusque & infestæ violentiæ propugnaculo semper vsus est, Cuius expressæ similitudines mandauit vt vniuersum exercitum perpetuo antecederent: Et in vrbe media* Roma scilicet *ingens istud trophæum contra hostes erexit, & hoc salutare signum characteribus qui nullo modo deleri poterant in eo insculptis, Romanorum, aliorumque omnium imperio subiectorum propugnaculum esse demonstrauit, palamque omnibus proposuit ad intuendum: & ad perpetuam memoriam hæc incudi Latino Sermone verba mandauit*; HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI ET S. P. Q. R. (ID EST, SENATVM POPVLVMQVE ROMANVM) IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

Nonne hoc est exaltare signum suum? Addi posset quod certe

his omnibus longe magnificentius & gloriosius iudicari debet, cùm in extremo nempe Iudicio iudicandi omnes resurgent homines, cum Iudex ipse magnifico, regio, angelico apparatu conspiciendum se omnibus dabit, *Tunc parebit signum filij hominis in cælo,* *Tunc plangent omnes tribus terræ*, quæ suum scilicet ibi iudicium tam manifeste agnoscent quàm aperte videbunt se conformem Cruci vitam non egisse. Vide in hac parte, Dominica 28. vbi de his expresse & fusè agitur. Matth. 24.

Restat tertium Crucis Genus de quo præsertim, & de quo minus tamen dicendum quam de cæteris cùm apertius pateat quam sublimiter & gloriose Dominus illud exaltarit. Quodnam est enim Genus illud Crucis nisi miseria, nisi depressio, nisi humilitas? Quænam est autem eius exaltatio nisi vt quantum quis se humiliauerit tantum in cœlo exaltetur? Quid porro est gloriosius quam sic ex humili & abiecto tam gloriosum & sublimem fieri vt quàm quis fuerit voluntate humilis & abiectus, tam sit verâ sublimis gloriâ? Hoc est autem hoc est quod sua Christus humilitate perfecit; Primò quidem in se, cum nonnisi per Crucem & humilitatem intrare voluerit in gloriam suam, & mensuram seu magnitudinem suæ gloriæ à mensura suæ paruitatis voluerit sumere, sicut passim Apostolus, *Quod ascendit quid est nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ. Qui descendit, Ipse est & qui ascendit super omnes cælos.* Et alibi: *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Deinde vero in nobis omnibus cum hanc velut fundamentalem regni sui legem statuerit vt qui fuerit minor, erit major, seu quantum quis se humiliauerit tantum exaltetur. Vnde est illa Veritas, in 2. parte, die 2. Aprilis vbi de sancto Francisco de Paula, Minimorum Fundatore: Luc. 24. Ephes. 4. Hebr. 2.

Qui verè est minimus vere est maximus.

Et rursum:

Quo quis inferior in ordine hominum, eo superior in Christi ordine.

Atque hinc præcipuum illud Caput quod Propositio continet fit euidentissimum, nempe quod superbus qui se exaltat, contrarium volens facit dictis Domini quibus se suam Crucem aiebat exaltaturum. Nam vt omittam dicere quod superbis non placet

Crucem primo & secundo sensu acceptam, tanta veneratione colere quantam ei fideles & humiles exhibent; vt prætercam quod superbus id nimiæ simplicitati & anili cuidam superstitioni solet referre quidquid in hoc pietatis genere frequens vsurpat deuotio: vt sileam quod superbos plerumque pudet coram aliis se signare signo Crucis, quasi aliquid sua dignitate inferius agerent, quasi se nimis abjicerent, quasi se ridendos exponerent; Ne inquam, in istis immorer, & quod est Tertium Crucis Genus magis commendatum, magis spectemus, quid est magis contrarium facere dictis Domini quàm prius ponere quod ille ponit posterius, & posterius habere quod ille prius habet? Nonne hoc est totum plane peruertere? At nonne hoc est quod superbus facit dum se exaltat? En Christus ait, *exaltabo signum meum*, exaltabo Crucem meam, exaltabo meam & meorum humilitatem: Superbus verò contrà, quod tu exaltas, humiliabo: & quod humilias, exaltabo. Non hoc verbis dicit sed factis, nam dum superbit, humilitatem quam Christus exaltat detestatur, abjicit & suo modo humiliat iuxta illud Sapientis, *abominatio est superbo humilitas:* Dum verò se exaltat, superbiam quàm Christus humiliat, ipse contra magnifacit & exaltat; siue quod idem est, se per illam exaltat, *Vir vanus in superbiam erigitur*, vt per eam se supra cæteros erigat: *Superbia cordis tui extulit te*, non virtus tua, non humilitas, non humiliatio, non via quam Christus aperuit ad exaltationem, sed potius oppositum directè iter; Vnde illi apte dicatur quod Balaamo, *peruersa est via tua mihique contraria.* Vel quod mago Bariesu, *ò plene omni dolo & fallacia, non desinis subuertere vias Domini rectas?*

Eccles. 13. *Iob 11.* *Abdias.* *Num. 22.* *Act. 13.*

Licet enim non desinat verum esse in aliis quod Christus dixit, *exaltabo signum meum*, licet inquam in aliis non desinat exaltare patientiam & humilitatem: quia tamen in superbo non id facit, superbus Christi dictis se opponit, quatenus scilicet se opponit quo minus id in se faciat quod faceret nisi superbus esset, & nisi se ipse per superbiam suam mallet extollere, quàm se per humilitatem sinere à Christo extollendum. Et certè, si superbus etiam posset in aliis quod in se facit, non minus Christo se opponeret extra se vniuersim quàm intra se solum; vellet enim funditus exterminatam humilitatem, vellet illam penitus euersam angustam portam aut obrutam arctam viam quam Christus prædicauit. Sicut qui Crucem non coleret aut qui sacras nollet imagines vene-

tari, vellet nullam esse Crucem, nullam imaginem. Nonne hoc volebant Iconoclastæ? Nonne hoc vellent hæretici? Sic plane vellet superbus non esse Cruces humiliationes, non esse Christi virtutum imagines, non prædicari Crucifixum imitandum; *Contrarius est,* inquit, *operibus nostris, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita eius. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo.* Hoc factis superbi dicunt, & sic sibi contrarium agnoscunt esse Christum, & se Christo contrarios. Sap. 2.

Vide in 1. p. Dominica 3. Aduentus, & Fer. 4. Hebd. 4. vbi hæ exponuntur Veritates:

Quam bene de Christo humilis, tam male meretur arrogans.

Quanto se humilis minorem facit, tanto magis magnificat Deum.

III. PVNCTVM.

SIC *igitur dicenti Domino se Crucem suam exaltaturum contradicit superbus qui se exaltat:* Nam neque Crucem Christi patitur exaltari, nec se per eam exaltandum: vult quidem exaltari sed non quo Christus modo, non qua decreuit via. Sicut ille qui apud Iobum dicitur *Rex super vniuersos filios superbiæ*, qui aliquando gratiosus nunc infensus Christi & hominum hostis Diabolus, sic superbiit, sic superbiendo se exaltare voluit, sic se exaltando misere periit, sic sibi consortes superbos perdit. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Non idcirco præcise cecidit quod gloriam appeteret, nam & illi Deus gloriam offerebat, sed quod indebito modo appeteret, non quo vellet Deus modo, non qua statuta via, non se dimittendo & humiliando sicut volebat Deus, sed se in seipso nimis efferendo & exaltando quod Deus auersatur. Iob 41. Is. 14.

Hinc Christus Iudæos arguebat non quod gloriam simpliciter quærerent, sed gloriam quæ ab hominibus est & gloriam quæ à solo Deo est non quærerent. Quò spectabat illud etiam quod supra ex hodierno Euangelio relatum est, cum Christus diceret, *nunc iudicium est mundi, nuns princeps mundi iudicatus est*, nempe per Crucem & per humilitatem suam qua superbos quosque iudi- Ioan. 5. Ibid. 12.

cat & condemnat, dum exemplo suo docet viam exaltationis & gloriæ non esse superbiam quam execratur, sed humiliationem quam omni modo sectatur. Sic enim simul dicit se exaltatum in Cruce, dum ibi fuit humiliatus, quia nunc inde exaltandus erat dum gloriosus resurrexit & dum suos sibi similes in humilitate, similes facit in gloria. *Et ego si exaltatus fuero*, inquit, *omnia traham ad meipsum*, hoc erit exemplum peridoneum quo trahantur omnes ad me imitandum; aut certe hoc exemplo tamquam iudicio trahentur ad eorum supplicia quorum imitari maluerunt superbiam. Rata est enim Veritas, & in 2. parte, Feria 4. primæ Hebdomadæ comprobata:

Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo Dæmonis humiliabitur.

Quantùm itaque voles Crucem Christi exaltare, tantùm te deprime; aut quantùm te inaniter exaltabis, Crucem & Christum deprimes, quocumque sensu Crucem accipias. Nam eò tandem spectat quidquid in illa Christus gessit, vt in *humilitate nostra patientiam habeamus*. Vellesne Crucem collo pendentem abjicere? Vellesne oblatam despuere, vel occurrentem conculcare? At quid putas esse superbiam, quid in superbia tuam impatientiam, nisi abiectam & repudiatam Crucem? Nonne scis illud quod patiendum est, esse Crucem, esse Christi Crucem, esse Crucis Christi similitudinem, finem & effectum? Nonne ergo si hoc abjicis, tu Crucem abjicis?

Eccles. 2.

Vide in 2. parte, die 3. Maij, In die Inuentionis sanctæ Crucis, vbi hæc exhibetur Veritas:

Si quid forte asperius inueniatur de quo conquereris, de inuenta Cruce conquereris.

Inuentæ Cruci tantum quis detrahit, quantum in pœnis murmurat.

Eccles. 7. Ibid. 2.

Humilia valde spiritum tuum. DEPRIME Cor tuum & sustine, sustine sustentationes Dei.

Ad hoc plurimum valet exemplum Heraclij qui cùm ferret Christi Crucem auro & gemmis ornatus, vltra Caluariæ portam progredi non potuit, quod aduertens Antistes, *Vide*, inquit, *Impe-*

rator, ne isto triumphali ornatu in Cruce ferenda, parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imiteris. Tum Heraclius abiecto tali ornatu, ac plebeio amictu indutus reliquum viæ facile confecit. Tibi hoc vero dictum puta: Vide ne tuo fastu siue corporis siue animi, siue verborum, siue factorum, parum Iesu Christi humilitatem secteris. Extende hoc ad singulos quosque superbiæ motus & actus. Ne longius differas quod iam pridem factum esse oportebat: Audi Christum in Euangelio: *Adhuc modicum lumen in vobis est, ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.*

Dum lucet, ambulandum, ne tenebræ fiant:

Vide in 1. parte, die 5. Ianuarij.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Die 21. Septembris.

Cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et surgens sequutus est eum. Matth. 9.

Similitudo vultus eorum, facies hominis, &c. Ezech. 1.

VERITAS PRACTICA.

In Matthæo facies hominis.

Quis sit homo nouus & Euangelicus, ex Matthæo cognoscitur, velut homo ex facie.

RATIO EST, *Quia ex Matthæo cognoscitur quo sit modo sequendus Christus.*

Sed hoc est nouum & Euangelicum esse hominem, sic sequi Christum quo agnoscitur esse modo sequendus.

Ergo ex Matthæo velut ex facie, & natiuo exemplari agnoscitur quis sit homo nouus & Euangelicus; Quæ certè laus est non exigua Sancti huius Apostoli & Euangelistæ, nec parui ducendum quod inde proponitur documentum.

I. PVNCTVM.

TANTA est eorum quæ de sancto Matthæo dici possunt cum Veritate proposita connexio, vt vix de Sancto aliquid expromatur quin simul attingatur illa Veritas quæ partim ex veteri, partim ex nouo Testamento depromitur. Ex veteri, reuocanda in memoriam admiranda illa Visio quam fuse narrat Propheta Ezechiel de quatuor animalibus quæ quatuor Euangelistas adumbrant, quorum Primus qui scripsi sanctus Matthæus illa figura repræsentatur quæ faciem hominis exhibebat quia de Christo vt homine frequentius loquitur, & ab humana eius generatione suum Euangelium exorditur, vt aiunt sancti Hieronymus & Gregorius. *Hom. 4. in Ezech.*

Ex nouo autem Testamento, audiendus est ipse sanctus Euangelista quid dicat de sua per Christum admirabili ad Apostolatum vocatione: Tum ex his simul coniunctis & adunatis Consideretur quàm apte & opportunè Practica hæc Veritas eliciatur; *In Matthæo, facies hominis*, hominis scilicet qui per excellentiam Homo absolute & simpliciter dicitur, vel ad distinctionem veteris & corrupti, Homo Nouus & Euangelicus nuncupatur, huius inquam hominis facies & imago sic in Matthæo relucet, vt inde quis qualisue sit nouus isteHomo tam facile agnoscatur, quam ex facie quiuis homo cognoscitur. Nonne hoc mirum & stupendum? Nonne hoc plurimum ad Sancti gloriam & nostrum simul profectum redundare potest, si bene expendatur? Non potest vero melius expendi quam reuoluendo totum eius Vocationis progressum in quo quis sit homo nouus continetur.

Vide quàm promptè quàm integrè, quàm hilariter Christum vocantem sequatur. Tria hæc sunt præcipue obseruanda. Primum quàm promptè, nam statim atque dixit illi Dominus, *sequere me*, tùm nulla interposita mora surrexit & sequutus est Eum; Quod certe mirum in tali Viro qui multis erat implicatissimus negotiis,

gotiis, qui suis erat addictissimus lucris, qui variis domesticorum præerat ministeriis: quæ sane omnia poterant vel eum omnino retinere, vel tantisper saltem suspendere, donec attentius prouideret quid ageret, quid expediret, quid facto esset opus. Nonne sic alij omnes etiam à Christo vocati vel renuerunt sequi, vel procrastinarunt, vel nullis aut exiguis detinebantur obstaculis? Adolescens ille qui à pueris totum obseruarat decalogum, qui amore suæ salutis ipsum conuenerat Dominum, ipsum interrogarat quid ageret vt vitam æternam possideret, qui à Christo singulariter dilectus fuisse dicitur, qui tam familiari tam amica, tam suaui Saluatoris voce inuitatur ad se sequendum, quod si faciat, certo speret ingentem in cœlo sibi thesaurum repositum; nec tamen facit, nec tamen sequitur, sed abit illico quò suæ illum diuitiæ reuocabant. Alius vocatus, sepeliendum prius petit Patrem; Alius ordinandis suis rebus tempus postulat. Alius villam emit, alius iuga boum, alius vxorem ducit, & sic rogant se haberi excusatos. Alij quidem Apostoli statim etiam ac vocati sequuti sunt Dominum, sed quibus affixi essent vinculis non habebant sicut Matthæus, nec tantum suis illi retibus irretiri poterant quàm suis iste diuitiis. *Matth. 19.* *Marci 10.* *Matth. 8.* *Luc. 14.*

Secundum est, quàm integrè simul ac promptè Matthæus sequutus est Dominum; Non sic alij Apostololi qui primùm vocati à Domino sic illum sequuti sunt vt sua tamen minimè tum deseruerint, sed secundo tantum postquam tota nocte laborantes nihil ceperunt, & in verbo Domini laxato rete ceperunt piscium multitudinem copiosam, tum de illis dicitur *quod relictis omnibus sequuti sunt eum.* At hoc ipsum, hoc pro-fus ipsum de Matthæo primùm vocato dicitur, *& relictis omnibus sequutus est eum.* Non est sequutus cum suis domi retentis; sicut enim à suis retineri noluit quin sequeretur Dominum, sic nec sua retinere voluit dum eum sequeretur. Non mediam vero vel aliquam duntaxat reliquit partem, sed prorsus omnia, pari quo Dominum sequitur gradu, vxorem, liberos, affines, domum, pecuniam, prædia, dignitates, & quod hæc omnia superat, spem amplioris fortunæ; nihil fortunatius sibi credit, quam fortunis omnibus cedere vt pauperem pauper sequatur. Hæc mutatio dexteræ Altissimi vt qui aliena rapiebat, iam sua omnia sponte deserat. *Luc. 5.*

Tertium est hilariter, nam *hilarem datorem diligit Deus, non ex tristitia aut necessitate*; non metu, non clanculum, sed palam, glo- *2. Cor. 9.*

riosè, lætanter quasi ob fœlicem euentum publica facta lætitia, quasi parta de hostibus victoria, quasi acto triumpho sic Matthæus conuocatis suis Contribulibus exquisitum instrui curat conuiuium quo luculenter profiteatur se tam libenter ac iucunde Christum sequi quàm quidquid iucundè agitur.

O quale discrimen sequentis & non sequentis Dominum! Res prorsus mira! Miser ille adolescens qui sequi Dominum noluit, non nisi tristis abiit, licet ad suas rediret diuitias, licet ad illas non rediret nisi vt magis lætaretur, licet à Christo non abiret, nisi vt tristitiam quam timebat, effugeret. Et tamen non nisi tristis abit, non nisi tristis sua reuisit, non nisi tristis sua possidet? E contrà verò Matthæus qui suas diuitias, suas reputabat delicias, dum diuitias simul & delicias relinquit, dum pauperem simul & arctam Christi viam ingreditur, non nisi lætus ac hilaris ingreditur, & manifeste confirmat quod habet ante pridem declarata hæc Veritas:

Quæ à Christo est tristitia magis iucunda est, quàm quæ à mundo iucunditas.

Vide in 2. parte, Dominica 3. post Pascha.

II. PVNCTVM.

SED hoc est nouum & Euangelicum esse hominem, sic sequi Christum quo in Matthæo agnoscitur esse modo sequendus.

Cum enim dicitur Homo nouus & Euangelicus perinde est ac si diceretur homo supra humanos affectus sese ad Diuina Christo iuuante promouens; homo contra naturales veteris hominis propensiones ad ea quæ sunt spiritus & internæ perfectionis aspirans: homo non transitoriis sed æternis rationibus de quouis occurrenti negotio iudicans. Hoc est nempe hoc est quod Euangelium annuntiat, hoc est quod in animis noua Lex Gratiæ primum operatur: *Hoc est edoctum esse in Christo, sicut est Veritas in Iesu*, inquit (Ephes. 4.) Apostolus, *deponere nos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renouari autem spiritu mentis nostræ, & inducre nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate Veritatis.* Et rursum: *expoliantes* (Coloss. 3.) *vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui*

renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum. Hoc est quod sæpe aliàs ex Diuo Gregorio dictum est: *vetusta vita protinus vsus mutatur si anima superno spiritu afflata, & in summis appetat quod contempserat, & contemnat in infimis quæ appetebat.* Hoc est denique si multa paucis complecti placet, quod Sanctus Præcursor Ioannes dicebat de Domino: *Iam securis ad radicem arborum posita est*, siue quod Dominus de Ioanne dicebat, *à diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Id est, ex quo tempore cæpit Christus & Euangelium prædicari, hoc in primis prædicatum est & denuntiatum, quòd aspiranti ad regnum cœlorum & æternam Beatitudinem sibi vis facienda esset, reprimendi essent naturales affectus, ad radicem malorum omnium, nempe ad Concupiscentiam Mortificatio tamquam securis inferenda esset, solique demum violenti cœleste regnum raperent qui sibi scilicet ad nouæ legis ductum & formam dirigendis, violentiam adhiberent. *Intrate per angustam portam. CONTENDITE intrare per angustam portam. VIGILATE omni tempore; Sint lumbi vestri præcincti. NOLITE in sublime tolli. NOLITE thesaurizare vobis in terra. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum tollat crucem suam & sequatur me. Si quis venit post me, & non odit Patrem & Matrem suam, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

L. 27. Mor. c. 13.

Matth. 3.

Ibid. 11.

Matth. 7.

Luc. 13.

Hæ sunt videlicet Euangelicæ Voces quæ violentiam apertè prædicant, vt qui se à veteri sic exuat homine, nouus & Euangelicus homo fiat.

Iam verò quid conuenientius cum hac Euangelica violentia, quid opportunius ad illam exprimendam & exercendam quàm si vocantem Christum exemplo Matthæi sequaris prompte, integre nec non hilariter? Nam primò quid naturale magis & humanum quàm si vocatus à molli vitæ statu ad asperum & senticosum vel ire renuas, vel ire dubites, vel ante cogites quò pedem inferas, vnde discedas, quò voceris, & quis vocet, vel an certò Christus vocet? Nonne hoc non solum naturalis cupiditas sed humana quædam ratio persuadere videatur? Ac proinde quid violentius, quid supra naturam altius, quid contra sensus humanos fortius quàm si promptè, si nullo ad sensum nec ad ipsam rationem respectu habito, statim vocatus surgas, & vocantem sequaris quocumque vocet?

Deinde verò, licet vocantem prompte sequaris, quid magis in natura est positum quàm vt aliquid tuorum retineas, & quò sublimius est iter quod aggrederis, eò tibi facilius de humanis aliquid serues in subsidium itineris? Ac propterea quid magis violentum, quid naturæ magis oppositum quàm non modo promptè sequi sed integrè relictis omnibus, nulla re prorsus sibi reseruata?

Denique, tametsi naturam ita quis comprimat & vocanti gratiæ subjiciat vt prompte & integre Christum sequatur, vix potest tamen ita sensum naturalem extinguere vt non tantisper moueatur, vt non timeat, non doleat, non tristetur qui se suaque omnia sic relinquit; Vnde consequenter quàm illud humanam supra naturam sit euectum patet, si non minus hilariter quàm prompte ac integre rem totam compleas, & quamcumque mœstitiam natura inueheret, Gratia rejiciat, tantumque animo contrà infundat gaudium vt qui nouum ingreditur vitæ statum, dicat cum Prophe-
Is. 61. ta, *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis & Indumento Iustitiæ circumdedit me.*

Vide in 2. parte, vt infrà sequenti puncto designatur.

III. PVNCTVM.

HABET hoc igitur sanctus Matthæus eximium & singulare, vt qui sit Homo nouus & Euangelicus iam inde à principio suæ vocationis in seipso manifestè repræsentet; vnde aptè in quadriga illa mirabili quam describit Ezechiel, facies hominis siue homo alatus quem Propheta vidit, illi ascribitur quia non magis homo ex facie cognoscitur quàm homo Dei, homo Christianus & perfectus agnoscatur in Matthæo, dum promptè, hilariter, integrè Christum vocantem sequutus est. Magna certe Christi vocantis potentia qui tam facile tam difficilem Publicanum ad se at-
Is. 8. traxerit: Magna vis eius nominis quo à Propheta nuncupatur, *accelera spolia detrahere, festina prædari.* Magna in vocatum bonitas Diuini cuncta cernentis Oculi, qui hunc præ cæteris tam benigne aspexerit: Sed non parua Matthæi commendatio qui cùm posset vocanti resistere, non restitit: & cùm multa essent quæ vt resisteret persuaderent, non est persuasus. Quod certe arguit nostram desidiam vt qui vocantem Christum ad meliorem vitæ statum, vel

Digitized by Google

ad eum reuocantem à quo defecimus, tam obstinatè repellamus, cùm tamen pauca sint aut penè nulla quæ nos auocare possent. Ne conqueramur de Gratia, quasi tanta nobis non adesset quanta Matthæo adfuit, nam Illa potius de nobis posset conqueri quod quantâ nobis est opus ad quod vocamur, non ex se desit; Sed vel eam auertimus, vel in dies retrahimus, vel quod placet ex his quæ suggerit, duntaxat facimus, cæteris pro nostro libito repudiatis; Quod profectò est *spiritui gratiæ contumeliam facere*, quasi nos arbitros & Iudices statueremus vt quid probandum vel improbandum in Gratia videatur definiamus, decidamus; *Numquid Deum docebit quispiam scientiam qui Excelsos iudicat?* Hebr. 10. Iob. 21.

Vide in 1. parte, tota Hebdomada 5. post Epiphaniam, vbi per singulos dies de hac sancti Matthæi Vocatione agitur. Necnon in 2. parte, vbi de statibus in fine, siue pro statu opportunè eligendo, siue pro electo fideliter administrando: siue pro neglecto & deserto solicitè reuocando, quod postremum quia frequentius est & minus tamen frequenter agitatum, vrgeri potest hæc præcipue Veritas:

Reuocanti hominem Deo ab errore viæ suæ non obsequi, peius est, quàm primò vocantem ne erraret, non sequi.

Videnda ibidem quæ postrema proponitur Veritas, vbi multa de relinquendis omnibus, & quæ huc spectant ex hac 4. parte suggeruntur tota Hebdomada 17.



IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Die 29. Septembris.

Quis Deus similis tui? Mich. 7.

VERITAS PRACTICA.

Quis vt Deus?

Qui expugnando Dæmoni Michaelis est gladius, noster est si nostra hæc verba facimus, *Quis vt Deus?*

Vel sic breuius

Quo Michael gladio Dæmonem vicit, hoc eum ipso vincimus, si volumus.

RATIO EST, *Quia gladius quo Michael Dæmonem expugnauit & vicit, hæc verba sunt quæ contra hunc rebellantem Angelum protulisse dicitur*, Quis vt Deus?

Sed hæc etiam verba si probe intelligimus & religiose proferimus tantum apud nos valere possunt cum Gratia vt nos impugnantem Dæmonem sic vincamus.

Ergo & ipso Michaelis gladio Dæmonem vincimus si vt Ille fortiter nos ita velimus hoc vti gladio. Quem in vsum & finem opportunè hæc in hodierno leguntur Euangelio: *si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Quæ ad rem nostram seu ad Veritatem elucidandam ita exponentur, vt elucidata Veritas pari sensu cedat in gloriam Sancti huius Archangeli, ac in nostrum profectum.

Matth. 18.

I. PVNCTVM.

TANTA est Angelicæ naturæ dignitas, & inter Angelos, tantus semper Archangelo Michaeli honor est habitus, vt qui ab errore Infidelium non omnino sed ex parte tantum ad fidem Christianam conuerterentur, aut qui ab illa desciscerent, cùm audirent tam mira de hoc diuini exercitus Princi-

pe prædicari, putarent illum & colerent velut quendam Deum ex illis quos vocabant Minores siue Minorum gentium Deos & Genios. Hæc causa fuit cur Apostolus scribens ad Colossentes, grauibus eos moneret verbis, cauerent diligenter, ne se *seduci paterentur in humilitate & religione Angelorum*, Id est, in humili quodam Latriæ cultu quem nonnulli deferebant Angelis velut quibusdam Diis. Quod certe non erat illis cultum deferre sed auferre, non erat sanctum Michaelem celebrare sic diuinis honoribus illum colendo, sed eius potius celebritatem Nominis deprimere & obscurare, cum nihil æquè celebrem & illustrem eum fecerit quàm pro Dei Vnitate pugnam suscipere, pro incomparabili eius dignitate, pro summa & incommunicabili creaturis Diuinitate præliari & vincere. Coloss. 2.

Hoc est enim quod ei nomen Michaelis comparauit, hoc est quod ei Gladium velut honoris insigne promeruit, hoc est quod omnibus retro sæculis notum fieri voluit, *Quis vt Deus? Quis similis tui Domine?* Quis ausit se Deo similem facere? *Non sine causa gladium portat*, liceat mihi hoc Apostolicum vsurpare, *Dei enim minister est*, non Deus, sed Dei minister. Diuinitatis patrocinium ita suscipiens contra perduellos socios, vt quo illos prostrauit gladio nos eodem instruxerit expugnandos & vincendos. Rom 13.

Res à primo exortu narranda est, & narratio petenda ex his Apocalypsis verbis: *Et factum est prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo. Et projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur Diabolus & Satanas qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.* Sic sanctus Ioannes Apocalypticus scriptor. Hoc autem prælium Angelicum referri potest ad triplex Tempus, nempe præteritum, quo ipso die creati sunt Angeli; præsens quo mortalis hæc vita transfigitur quæ militia est super terram; & futurum quod erit Antichristi, de quo postremo nihil nobis modo agendum est sed de aliis duntaxat duobus quorum primum hoc primo puncto, tum alterum sequenti exponetur. Apoc. 12.

Vt verò dilucidius fiat expositio, distinguenda sunt breuiter certa quædam Capita, quorum primum est, sic creatos esse Angelos in cœlo Empyreo vt non tamen viderent Deum nec beati essent quemadmodum vulgus putat; nullus enim à beatitudine po-

Digitized by Google

test excidere cum ad eius statum spectet firmitas sine metu cadendi. Creati sunt itaque Viatores non Comprehensores; creati sunt in gratia, non in gloria; creati sunt in statu mutabili non immobili; creati sunt vt beati essent si vellent: vel si nollent, infœlices & damnati essent; creati sunt vt aliquo liberæ voluntatis actu cum gratia mererentur beatitudinem, non vt illam solùm gratis possiderent.

Ad hoc meritum sibi comparandum, propositus & præceptus illis fuit à Deo quidam actus Humilitatis vel quo agnoscerent se à Deo in beatitudine consequenda dependere, vel quo se Dei filio incarnando subjicerent: vel quo demum alio submissionis suæ soluerent debitum, quo certe nil erat iustius.

Noluerunt verò quidam eorum se huic præcepto subjicere, sed satis se beatos reputarunt sua naturali beatitudine, vel se satis fortes & potentes vt ad supernaturalem suis ascenderent viribus sine tali demissionis actu, quos inter qui Primus erat omnium & qui ob insignem formam dictus est Lucifer, arrogantius insurrexit in

Is. 14. Deum, dixitque prouocans alios ad eandem audaciam: *Ascendam, similis ero Altissimo*, Id est, sicut Deus ex seipso beatus est, Ita Ego, ita nos omnes possumus beatos facere, sicque tertiam Angelorum partem in suam trahit rebellionem.

Alij contra se libenter præcepto submiserunt, è quibus eminentior qui postea dictus est Michael ita exardere cæpit in rebelles illos qui Dei similitudinem affectabant vt contenta voce clamauerit quod supra dictum est, *Quis vt Deus?* Quis quantumcumque sit excelsus se audeat comparare Deo qui sicut vnus est, ita nullum habet sibi similem? Quis hoc audeat nisi vecors, nisi temerarius, & impius? Quis nostrum sibi tantum arrideat quin multo plura quæ nos vere beatos faciant, in Deo esse cogitet? Sic pugnasse dicitur quando sic aliis Angelis suos verè pios exposuit affectus & conceptus.

Ex his autem verbis sic prolatis duo illa contigerunt quæ iam prælibata sunt, sed quæ vberius debent enarrari. Primum est quod qui ea protulit cum proprium nomen quo à cæteris dignosceretur non haberet, tunc ab aliis Angelis dictus est Michael, conflatis scilicet in hoc vnum vocabulum tribus illis verbulis quæ vsurparat, *quis est Deus?*

Sixtus Sen. l. 1. Biblioth. Sicut asserunt quidam Authores Iudam filium Matthatiæ, dictum

ctum esse Macchabæum quod dum pugnaret contra regem Antiochum, suis militibus velut belli tesseram dederit hæc Mosis verba, *Quis sicut Tu in fortibus Domine?* Quæ verba sic Hebraice legerentur, Mi Chamocha Baëlim Iehoua? Quia verò tantum initiales verborum literas suis vexillis inscribi iusserat, videlicet M. C. B. I. sicut Romanis solitum erat hæc verba, Senatus, Populusque Romanus sic contrahere, S. P. Q. R. hinc tandem factum est vt compacto ex illis literis nomine Macchabi seu Macchabæus Iudas diceretur. Sic plane si Hebraice velis hæc verba reddere, *Quis vt Deus?* dicendum erit Mi Cha El, si vero verba in vnum nomen simul compingere, nomen hoc erit MICHAEL. Exodi 15.

Alterum autem quod inde contigit, cum hic Archangelus his ipsis verbis expugnare visus sit eum qui dicebatur Lucifer & qui post dictus est Draco & Diabolus & Satanas; tùm instar cuiusdam gladij quo tale prælium præliaretur, habita sunt hæc ipsa verba: & qualicumque iam figura & forma pingatur aut celebretur Michaelis gladius, nihil aliud reuera præter ipsum Nomen, aut præter illa verba quæ contra rebelles protulit, & quibus eos velut quodam impugnauit gladio, debeat intelligi. Sic Apostolus gladium quo nos armat, vocat *gladium spiritus* de quo pòst dicetur, & ipse Deus, *si acuero vt fulgur gladium meum.* Sed pergamus: Non tardum habuit res tanta exitum, sicut statim æterna beatitudine donati sunt qui fideles Angeli permanserunt, sic perduelles alij, nullâ morâ interiectâ, rebellionis suæ dederunt pœnas, cùm vt ait sanctus Petrus, *rudentibus inferni detractos in tartarum Deus tradidit cruciandos, in iudicium reseruari:* quo scilicet grauius etiam in eos animaduertatur. Et sanctus Iudas, *Angelos*, inquit, *qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Apoc. 12. Ephes. 6. Deut. 32. 2. Pet. 2.

De factionis autem Duce sic eleganter Isaias in persona Regis Babylonis: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris,* Id est, statim atque exortus es. *Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad Infernum detraheris, in profundum Laci.* Is. 14.

Nec non Propheta Ezechiel in figura Regis Tyri: *Tu signaculum similitudinis, plenus Sapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradysi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum: Sardius, to-* Ez. 28.

Digitized by Google

passus, Et quæ plura prosequitur, quibus insignes eius describat naturæ dotes, Vnde tandem concludit: *perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Et peccasti, & ejeci te de monte Dei. Et eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti Sapientiam tuam in decore tuo!* Diuina plane verba quæ luculenter rem totam exprimunt.

Denique, tali ex prælio factum creditur vt in locum Luciferi qui summus erat omnium, successerit merito suo Michael, quod illi certe est in omnem æternitatem honorificentius quàm si primò talis creatus esset. Hoc autem ex Scripturis colligitur vbi, *Princeps magnus qui stat pro filiis populi*, hoc est vniuersæ Præpositus synagogæ, prædicatur, tantæque constat esse authoritatis, vt cum duo Angeli piè disceptarent inter se de reditu Iudæorum in Palæstinam, disceptationis palmam is retulerit cuius se partibus Michael iunxit.

Dan. 12.

Ibid. 10.

Nec refert quod in sacris Scripturis vocetur Archangelus, quasi ex eorum esset numero qui nouem inter Angelorum ordines, penultimi recensentur. Nam hoc nomen Archangeli seu Angeli non est naturæ sed officij. Id est, non ita certo cuidam ordini affixum est quin aliis omnibus attribui & applicari possit. Quisquis enim è supernis illis Spiritibus ad homines mittitur hoc ipso quo mittitur, nuntiaturus aliquid, Angelus dicitur. Cùm vero illud opus quod nunciat vel quod exequitur, majoris est momenti, dicitur Archangelus: ac proinde sicut ex quolibet ordine possunt assumi qui mittantur, vt patet ex illo qui ad Isaiam missus est & qui ex Seraphim vnus dicitur, ita possunt dici omnes Archangeli, ex officio scilicet quod illis creditum fuerit, licet non omnes sint ex illo singulari ordine cui hoc nomen Archangeli magis propriè conuenit.

Is. 6.

Quod ergo Michael dicatur Archangelus, non magis obest quin sit vnus vel etiam Primus ex Seraphim qui sunt inter omnes primi, quam obesse nil possit quin alius ex ipsis Seraphim dici possit Archangelus vel Angelus. Quod valde confirmatur, quantùm maximè spectat ad sanctum Michaelem, ex his quæ refert Apostolus, cum secundum Christi aduentum describens ait Thessalonicensibus: *Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cælo.* Quid est in voce Archangeli? & quis est ille Archangelus in cuius voce descendet Dominus? Ad primum respon-

dit sanctus Chrysostomus esse Archangelum qui Angelis reliquis imperet, qui quasi voce Christi loquatur, aut quasi eius voce Christus loqueretur, omnes vt conueniant suscitaturi mortuos & Iudicem præcessuri; sic enim ipse Christus de se dixerat; *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna.* Deinde vero ad secundum diserte respondet Diuus Thomas hunc Archangelum esse Michaelem qui toti præsit Ecclesiæ. Ex quo vtriusque Patris responso quis non videat quàm hæc duo præclare simul in Illo conueniant, & esse Archangelum, & esse primum & summum Angelorum? Nam quis alius quàm primus & summus magis conuenienter & ordinate cæteris omnibus imperet? Quis alius quàm Primus omnium, primus omnes exciret & præcedat, ad magnificum illud Ministerium quod omnes Angeli Christo venturo sunt delaturi? Quis alius Christo adsit proximus, quam qui summus est inter alios? Si minori Tobiæ vnus ex septem qui adstant ante Dominum comes datur honoris & officij gratia, qualisnam Christo debetur concipi datus quo tempore summus illi ab omnibus deferendus est honor nisi summus & primus, qui quo certe illustrior fuerit, in majorem Christi gloriam redundabit? Matth. 24. Tob. 12.

Sic vniuersalis Ecclesia non aliis Eum colit Nominibus & Titulis quam qui primatum inter omnes designent. *Præpositus*, inquit, *paradysi quem honorificant Angelorum ciues. Primus cœlestis exercitus: Princeps militiæ cœlestis: Præpositus animarum, Signifer sanctus,* Quæ non recens cusa sunt nomina, sed ex antiquis pridem sanctorum Patrum monimentis expressa: sic enim Diuus Basilius illum orare & compellare solitus erat: *Tibi ò Michael Duci supernorum spirituum qui dignitate & honoribus prælatus es cæteris omnibus spiritibus supernis, Tibi, inquam, supplico.* Quæ idcirco à nobis commemorantur, tum vt debitum Ei deferamus cultum, tum vt quanti sit Nominis cum didicerimus, quantum inde præsidium & quanta ex eius nomine pugnandi contra hostes industria nobis proponatur, facilius agnoscamus.

II. PVNCTVM.

SIC enim est, sic vniuersos animæ hostes, sic Carnem, Mundum & Dæmonem vno ictu expugnamus & vincimus, si quod significat Michael, QVIS VT DEVS? tam animose & opportune quàm hic Ar-

Digitized by Google

positum, *quod caro concupiſcat aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem.* Hoc eſt quod facit mundum ſi contra Spiritum carni adhæremus, hoc eſt quod vnum tentat vel quo vno nos tentat Dæmon vt carnem ſpiritui præferamus. Si carnem vincimus, Mundum & Dæmonem ſuperamus. *Non enim tentat Diabolus vel Angeli eius*, inquit ſanctus Auguſtinus, *niſi quod in te carnaliter dominatur. Nam quomodo vincimus illos hoſtes quos non videmus niſi quia carnales interiores motus noſtros ſentimus? His confligimus, illis percutimur, & illos percutimus. In amore pecuniæ dominatur auaritia, dominante tibi auaritia Diabolus forinſecus lucrum cum fraude proponit*, Et quæ plura pergit in hunc ſenſum, ſæpeque alibi; necnon cæteri quique Patres: neque in re tam aperta diutius immorandum, ſed eò res reuocanda vt tanquam indubitatum præſupponas quod quidquid in nobis contra Deum & contra nos molitur Dæmon, ſub ſpecie boni vel mali ſenſibilis illud proponat, Vnde ad illud expugnandum nihil aptius quàm vt majus bonum bono quod offert, & maius malum malo quod præſentat, opponamus. Gal. 5. In Pſ. 149.

Hoc eſt autem quod fit per illa verba, *quis vt Deus?* proponit mihi Dæmon voluptatem, vel diuitias vel honorem quibus excitér ad peccandum: At quis vt Deus? quæ major voluptas quam in Deo: vel quam Deus dare poteſt? Quæ majores diuitiæ, quæ major gloria quàm ſequi Deum, quam poſſidere quod pollicetur cœlum? Quidquid homo promittat, Quis vt Deus? quis tam fidelis & potens vt quod dicit, velit: & quod velit, poſſit ſicut Deus? Minatur mihi pœnas mundus vel Dæmon: Quis vt Deus? quis grauiores inferre poteſt pœnas quàm Deus? *Ego autem ad Dominum aſpiciam*, inquit Propheta, quaſi diceret, aſpiciunt homines ad ea mundi quæ ſunt ſuis obiecta oculis vt bonum inde quod proſequantur vel malum quod fugiant haurire poſſint: Ego autem ad Dominum aſpiciam, in quo verum bonum aut verum malum diſco veriùs quàm in cæteris quibuſue creaturis. Mich. 7.

Sic ipſe Dominus in Euangelio cum ſuadet oculum qui nos ſcandalizat eſſe eruendum, vel abſcindendam manum, vel amputandum pedem, quid aliud ſuadet quam triplicem illam expugnandam concupiſcentiam quæ tribus hiſce corporis partibus, oculo, manu & pede adumbratur, vt in 3. parte demonſtratum eſt; Quo id autem modo ſuadet niſi proponendo majus bonum aut majus malum quod iſtis opponatur ſenſibilibus bonis aut malis? Fer. 4. Hebd. 5.

Digitized by Google

Quasi diceret, bonum est inquies, duos habere oculos quibus videnda videas, At Ego longe melius esse si Deum videas, licet careas oculis. Malum est inquies, esse cæcum vel claudum, At Ego, quantò est grauius æternas pati tenebras? Quis vt Deus cui vel oculus vel pes vel manus comparetur? Si fruendum Deo, vel oculo vel re quauis carissima, quis vt Deus, quo magis frui quam oculo sit optabilius? Si carendum Deo vel oculo, quis vt Deus, quo carere quàm oculo sit formidabilius?

Sic fusè & præclarè admodum sanctus Augustinus cuius nonnulla sparsim iam ante relata sunt, sed hic totus est audiendus.

In Ps. 79. *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, CVPIDITAS ET TIMOR. Cogitate, discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias, videte vtrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo aut timendo: proponitur tibi præmium, vt pecces, id est, quod te delectet, facis propter quod cupis: sed fortè non induceris donis; terreris minis, facis propter quod times. Corrumpere te vult aliquis, vt dicas, verbi gratia, falsum testimonium. Innumerabilia sunt, sed planiora propono, de quibus cætera conjiciatis. Attendisti tu Deum, & dixisti in animo tuo, quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Non adducor præmio vt perdam animam meam pro lucro pecuniæ. Conuertit ille se ad incutiendum metum, qui præmio corrumpere non valuit, incipit minari damnum, & expulsionem, cædes, fortassis mortem. Ibi iam si cupiditas non valuit, fortè timor valebit vt pecces. Porrò autem si de Scripturis contra cupiditatem venit tibi in mentem, quid prodest homini si totum mundum lucretur, anima autem suæ detrimentum patiatur? Veniat etiam contra timorem in mentem, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Quicumque te vult occidere, vsque ad corpus ei licet, vsque ad animam non licet. Anima tua non morietur, nisi tu eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum seruet Veritas animam tuam. Si autem à Veritate resilieris, quid tibi amplius facturus est inimicus, quàm tu tibi ipse facis? Inimicus sæuiens carnem potest occidere, tu autem dicendo falsum testimonium, animam occidis. Audi Scripturam, Os quod mentitur occidit animam. Itaque fratres mei ad omne rectè factum amor & timor ducit. Vt facias bene, amas Deum, & times Deum: Vt autem facias male, amas mundum, & times mundum. Hæc duo conuertentur ad bonum: Amabas terram, ama vitam æternam: timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promise-*

Matth. 16. Matth. 10. Sapien. 1.

rit mundus, nunquid potest dare quantum dabit iusto Deus? Quidquid tibi iusto minatus fuerit mundus, nunquid potest facere quod facit iniquo Deus? Vis audire quid daturus est Deus, si iustè vixeris? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Vis audire quid facturus est impiis? Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Bene quidem tu nihil aliud vis, quàm vt bene tibi sit: Nam in eo quod amas, vis vt bene tibi sit: & in eo quod times, non vis vt malè tibi sit: sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Festinas: Nam & sine indigentia vis esse & sine molestia. Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, vt assequaris quod vis. Matt.25. Ibid.

III. PVNCTVM.

QVAMOBREM aperte vides quid sit quod in praxi proponitur, & quàm sit affine illi quod gessit Michael dum expugnauit Dæmonem; simulque vides quam esse possit efficax si opportune & religiose illa vsurpes verba quibus bonum melius bono inferiori, & malum grauius malo leuiori opponatur: Quid est igitur quod non illa vsurpes? *Accipe gladium Sanctum*, dicebat 2.Mach.15. Ieremias Iudæ Machabæo, *munus à Deo, in quo dejicies aduersarios populi mei Israel.* Quod & reuera contigit. Accipe & tu gladium in quo tuos dejicies aduersarios. *Accipite armaturam Dei*, clamabat Ephes.6. Apostolus, *vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Quænam autem hæc armatura nisi quam ipse induerat & induendam omnibus proponebat; *Nihil horum vereor*, nempe malorum Act.20. quæ proponebantur, *Nec facio animam meam pretiosorem quam me.* Id est, nec bonum vllum est in hac vita quod tanti faciam quanti bonum æternum. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ* 2.Cor.4 *non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Sic Hebræis congratulans; *rapinam*, inquit, *bo-* Hebr.10. *norum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.*

In hoc multum erras quando se mala quædam offerunt patienda, vel bona quædam sensibilia perfruenda. Tu quod præsens est solum cogitas, non quod futurum. Times malum præsens & fugis, sed non vides te fugiendo istud præsens malum, incidere in grauius; quod certe impudentis est & incauti. *Qui timent pruinam,* Iob 6.

irruet super illos nix, quæ pruina est grauior.

Vide in 2. p. Dominica Sexagesimæ. In 3. parte, die 21. Iunij. In hac 4. parte tota Hebd. 17. vbi de paupertate & diuitiis. *Nate nate, memento æternæ vitæ, cælum suspice & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* Sic mater Symphoriani Martyris, puerum filium in tormentis patientem confirmabat: sic filius à matre confirmatus patienter & læte martyrium consummauit.

Dices forte, quòd si de fide ageretur, ita te gereres. Sed cur ita porro nisi quia vel Dei gloria vel tua salus, te mouerent ad agendum? At quoties de vitando peccato agitur, quod sæpe fit in isto conflictu cum carne & Dæmone; nonne & Dei gloria, nonne & tua salus in apertum satis discrimen adducuntur, nisi pro illis dimices, & oblato aduersarium impetas gladio? Parum illi est an te fide vel castitate violata impugnet dum te expugnet. Vnum hoc cogita in cuiusuis peccati periculo, te pugnare cum Dæmone. Non minus peccatum horreas quam ipsum Satanam. Sic vtrumque Apostolus eodem nomine compre-

Rom. 16. hendens: *Deus,* inquit, *pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Quid est conterat Satanam nisi peccatum obterendo, nisi conferendo gratiam qua tu cum illo peccatum, & in peccato Satanam sub tuis pedibus conteras? ô te fœlicem si sic tuis substratum pedibus Satanam habeas, si sic gladium exertum geras quo illum tibi substernas? Nonne sic Michaelem exhibebis, nonne sicut cæteri Angeli cum illo contra Draconem pugnabis? E contra vero nisi pugnes, nisi vincas, quid nisi sub Satanæ pedibus iaceas? *A*

2. Pet. 2. *quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* Itane vero possis id

Ecclesi. 21. ferre? *Quasi à facie colubri,* dicebat Sapiens, *fuge peccata,* non eum solum intelligens colubrum qui sensibilem sui horrorem injicit sed eum etiam quem nisi cogitando & credendo exhorrere possis; quasi diceret tamquam à facie Dæmonis fuge peccatum, nam reuera facies Dæmonis, non est alia quàm peccati facies, cum nisi à peccato habeat quod sit ita deformis vt pingitur. Iam enim supra dictum est, tolle peccatum à Dæmone, nec minus erit decorus quam Michael: pone in Michaele peccatum, nec minus erit indecorus quam ipse Dæmon. Solo peccato seu Gratia opposita distinguntur illi duo. Vides quanto interuallo distinguantur? Hoc est interuallum status gratiæ & peccati, hoc est interuallum boni

& mali

& mali pro quo dimicas quando contra Dæmonem, quando contra Carnem, quando contra peccatum dimicas. Aut Michaelem te oportet esse aut Satanam. Hoc agitur in hoc certamine quo de peccato agitur.

Vide in 3. parte post Hebdom. 10. vbi de Missionibus c. 15.

DE S. ANGELO CVSTODE.

Dier: Obdrit,

Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obserua eum, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est Nomen meum in Illo. Exodi 23.

VERITAS PRACTICA.

Non est minus obseruandus à nobis Angelus quàm seruandi sumus ab Angelo.

Nisi autem diligenter aduertas, tunc minus illum obseruas, cum magis esset obseruandus.

RATIO postremæ partis quæ priorem complectitur hæc est, quod tunc minus obseruas Angelum cùm tentationi succumbis.

Sed tunc magis esset obseruandus.

Ergo tunc minus illum obseruas cum magis Illum omni cultu & officio deberes obseruare. Quod certe est iniuriosum Angelo, & tibi valde damnosum.

I. PVNCTVM.

BSERVANDVM esse à nobis nostrum Custodem Angelum sic euidens est ipso naturali lumine, vt non sit tam perspicuum esse Custodes singulorum hominum Angelos, quam sit euidens illos esse à nobis colendos & obseruandos. Certum quidem est & indubitatum ex fide, singulis animabus suum esse à Deo constitutum Angelum quem vocamus Tutelarem & Custodem, nam id Christus Dominus manifeste docet cum in hodierno Euangelio rationem hanc afferat de pueris non offendendis, *Quia*, inquit, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, apud quem scilicet expostulent & conquerantur de offensa suis illata: Vnde Diuus Hieronymus; *Magna dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui, Angelum delegatum.* Et in libro Actuum Apostolorum de sancti Petri Custode Angelo fit expressa mentio cum dicitur: *Angelus eius est.* Sed quæ sunt ex fide, licet sint certa, non sunt tamen euidentia: quæ sunt autem ex fide simul & ratione præter certitudinem quam habent ex fide, habent euidentiam ex ratione, quale est istud quod dicimus, illos nostros Angelos esse obseruandos; Hoc enim & Deus iubet, *obserua eum*, hoc & Ratio persuadet, Eum qui naturæ est sublimioris, Eum qui se ad nos tam libenter demittit, Eum qui de nobis tam multis modis meretur, vt colamus vt obseruemus vt cum illo recte conueniamus, cùm præsertim nos seruare & custodire non possit nisi nos Illum sic obseruemus vt eius ductum sequamur. Quis tam hebes vt hoc non videat, quis tam parùm cultus vt hoc nolit? Non est itaque fusior habendus sermo vt hunc deferendum Angelo cultum tam euidenter debitum vrgeamus.

Matth. 18.

Act. 12.

Sed quod mirum, & quod numquam satis exagitatum est, ita tamen deficimus in hoc reddendo debito, vt quibus locis & temporibus noster hic præsertim Custos Angelus à nobis esset obseruandus, tunc Illum minus, aut omnino non obseruemus. Nonne hoc expauendum, nonne arguendum, nonne corrigendum?

Sic itaque breuiter & dilucide declaratur: Tunc minus obseruamus nostrum Custodem Angelum cùm cuiuis oblatæ tentationi succumbimus. Quid est enim obseruare aliquem nisi vel illum colere, vel sic illi attendere vt ad eius nutum te componas, vel

Illius denique ductum sequi? Quid vero est tentationi succumbere, nisi aliter prorsus & opposito modo se gerere circa tuum illum Custodem Angelum? Nam si vel Illum tantisper coleres, auderesne in eius conspectu fœdam illam, exempli gratia, cogitationem vel actionem suscipere de qua erat in mente tua, contentio seu tentatio? Si tuo illi castissimo Comiti attendisses, si consilium, si ductum eius esses sequutus, cóne te flagitij miserè proiecisses? cóne te Ille impellebat, an potius nonne hinc te totum auertebat? Audes illo præsente, illo contuente, illo auertente id facere quod me præsente non auderes, ait S.Bernardus; Et dices te illum obseruare! Ne dixeritis, ne forte addas contemptum contemptui. Nam sic turpiter labi contra retrahentem Angelum, nihil aliud est quam Illum contemnere: Et simul velle profiteri te illum obseruare, hoc est contemptum addere, quasi nesciret quid agas, quasi tuo facinori consentiret. O probrum! ô infamiam! Quàm præclarè hic Origenes; *Quod si Princeps meus, Angelum dico, qui est mihi consignatus, commonefacit de bonis, & locutus est in corde meo, sed ego contemptis eius monitis & spreto conscientiæ retinaculo, præceps in peccati cornui: duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu Monitoris, vel pro facinore commisso.*

In Ps. qui habitat.

Hom 20. in c. 25. Num.

II. PVNCTVM.

SED illo præsertim tempore quo te vrgebat tentatio, tuus ille Angelus erat obseruandus.

Nam tùm maxime præsens aderat, tum præcipue te monebat, tum præsertim te sibi volebat obsequentem, tum pro te contra hostem attentius decertabat, tum vniuersa denique pietatis suæ conferebat officia, quæ si aliquando cultum merentur & obseruantiam, tum certe deferendum erat quod debebas, cùm præsertim tua res ageretur vel maxima, cum ipsum Dei negotium esset quod ipsi erat Angelo creditum, cùm de summo bono vel malo disceptaretur. Hoc nempe est quod *mandauit Deus Angelis suis vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Hoc est quod Sancti quique agnoscebant dum se aliquo peccandi periculo videbant erutos: *Viuit Dominus*, inquiebat illa Iudith fortissima, *quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Sic de tribus illis in fornacem conjectis Viris dicitur: *Benedictus*

Ps. 90.

Iudith. 13.

Dan. 3.

Deus eorum qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos qui crediderunt in Eum.

Serm. 12. In Ps. Qui habitat.

Pretiosum depositum nobis commiserat, inquit sanctus Bernardus, *fructum crucis suæ, pretium sanguinis sui. Non est contentus custodia hac tam parum tuta, tam parum vtili, tam fragili, tam insufficienti. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes. Nempe etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent. Adsunt igitur, & adsunt tibi non modo tecum sed etiam pro te, adsunt vt protegant, adsunt vt prosint. Nunc enim filij Dei sumus, etsi nondum appareat quid erimus, eo quod adhuc paruuli sub tutoribus & actoribus simus, tamquam nihil interim differentes à seruis. Cæterum etsi tam paruuli sumus, & tam magna nobis & tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis Custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur. Vide enim quam necessaria sit ista protectio, ista custodia in viis tuis. In manibus, inquit, portabunt te, ne forte offendas ad lapidem, pedem tuum. Parùm tibi videtur, quod non sit lapis offensionis in via? Considera quæ sequuntur, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quàm necessarius pædagogus, imo etiam bajulus præsertim paruulo inter hæc gradienti? In manibus, inquit, portabunt te. In tuis quidem viis custodient te, & deducent paruulum quà potest paruulus ambulare. Cæterum non te patientur tentari suprà quàm sustinere potes, sed in manibus tollent, vt pertranseas offendiculum.*

Atque hæc, ex parte Angeli: nunc ex nostra quid præstandum esset sic paucis pergit sanctus Abbas. *Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca Custodem tuum, Doctorem tuum, Adiutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum & dic: Domine salua nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, etsi ad tempus quandoque dissimulet.*

Quibus ita, expositis, Potesne dubitare quin eo tempore quo tibi beneficentiùs ab Angelo tuo consulitur, quo tibi plura & majora confert obsequia, magis esset obseruandus? magis esset audiendus? magis esset sequendus?

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

CVM verò tempus illud, tempus sit tentationis cui dum succumbis, minus illum obseruas: Nonne patet euidenter quod habet Veritas, & quod Ratio non potest non execrari, *te numquam minus quam cum magis tam insignem deberes agnoscere & obseruare Benefactorem?* Quid porrò est Ingratitudo nisi hoc sit, cum expressè dicatur Gratitudinem eo vel maxime reddendam esse tempore quo Benefactor velit? Quod certe verius est in nostris apud Angelos reddendis obsequiis & muneribus, quàm apud homines: nam quocumque tandem tempore benefacias homini, beneficium illi semper & proprium potest esse munus: Sed Angelis quid nostra prosunt munera? Pleni sunt & nostris prorsus non egent. Hoc vnum potiùs spectant in suis beneficiis vt nobis prosint, hoc vnum sibi à nobis reddi vellent, vt acceptis rectè vteremur donis; Hoc si vnum reddas, quidquid aliud negaueris, abunde sibi à te satisfactum profitebuntur. Hoc si vnum neges, quidquid aliud effuse dederis, nihil sibi à te redditum conquerentur. 1.2. q. 107. a. 2.

Salua animam tuam, quidquid sit de cunctis aliis, salua animam tuam, hoc vnum à te quod à Lotho petebant Angeli, *festina & saluare*, de manifesto scilicet in quo versaris peccandi periculo. Quid dixisses de Tobia si post tam multa quæ à suo Comite Raphaele Archangelo beneficia receperat, ingratus extitisset? Certe Sanctus scribit Ambrosius idcirco diuinitus factum esse vt domesticus canis illum toto comitaretur itinere vt ab illo animali quod gratitudinis exhibendæ signum refert & symbolum, Tobias disceret non ingratus esse. Didicit profecto, didicit siue à cane siue à seipso, siue à Deo potius, tantamque suo Comiti refundere voluit gratiam, quanta patet in eo sacro qui Tobiæ liber dicitur. Gen. 19. ibid. Tob. 9. 12.

Sed quid tandem ab illo recepit Angelus? Vnum hoc quod volebat, vt se sineret duci & dirigi. Nil prorsus aliud ex omnibus sibi oblatis ac ne quidem ex verbis & productis effuse affectibus. Vnde tu cùm hoc præsertim neges, quid nisi mere ingratus audias? Sed si mera solum esset ingratitudo, vitium quidem esset, at vitium quoquo modo ferendum: sed vide rursum, qualis ingratitudo, quam inuisa sancto Angelo qui sic à te contemnitur, vt magis Dæmonem quàm ipsum audias & obserues; quàm tibi

perniciosa cui nihil propterea prosit Angelus cum sine te nihil possit, & tu in sine illo nil nisi pereas!

O quàm diuinum erat illud Monitum de obseruando Angelo, *Nec contemnendum putes!* Nouerat enim Diuina Sapientia, nouerat quid esset *non obseruare Angelum!* Nouerat quàm parui duceremus, non illum obseruare, quem nollemus tamen contemnere: Quamobrem dum nos monet illum obseruandum, monet simul non contemnendum, vt quantùm nollemus illum contemnere, tantùm velimus illum obseruare. Nam qui non illum obseruat, contemnit: & qui nolit illum contemnere, prorsus obseruet necesse est.

Tob. 6. Egregia est Tobiæ praxis cum à pisce teneretur: tum enim statim ad Angelum, *Domine inuadit me,* Sic agitatus quocumque vitio; clama, ne cesses, donec ipsa cesset vel agitatio, vel ne potius inde vitium concitetur.

Et verò non essent leuiter prætereunda Verba illa quæ præcedunt in eadem Dei sententia, *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui*: Sed vel conjunctim cum præcedenti Veritate, vel separatim vrgenda sunt in hunc semper finem & scopum vt inde magis obseruetur Angelus & auscultetur.

Si separatim tractentur, formari possent variæ Veritates, quales sunt istæ;

Frustra præcedit Angelus nisi sequaris.

RATIO est aperta, nam frustra præcedit nisi te adiuuet & ab inimicis liberet, cum sit propterea tibi datus. Sed nisi sequaris, non te adiuuat, aut frustra te adiuuat quia de tuo conferre debes ad illos hostes tuos debellandos. *Numquid ambulabunt duo pariter nisi conuenerit eis?* Amos 3.

Sicut est certus locus in quem te introducat Angelus, ita & via per quam introducat.

Nisi viam cum illo tenueris, nec te custodiet in via: nec in locum paratum te introducet.

RATIO postremæ partis quæ priorem comprehendit hæc est, quod sicut certus tibi locus paratus est ex ordinatione diuina, sic

& certa via seu certa quædam Media quibus ad locum illum introducaris.

Sed nisi teneas Media quæ sunt à Deo præstituta, & ordinata ad finem aliquem, non peruenies ad illum finem. Ergo & certa Veritas; ad cuius primam propositionem, distinctè declarandum est, quomodo sit vnicuique suus præscriptus ordo, suus certus gloriæ gradus & gratiæ per quam eò perueniatur. Sic enim de vnoquoque Sanctorum dicitur, *Non est inuentus similis illi. VNVS QVISQVE proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. VNVS QVIS QVE in suo ordine. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Certorum autem finium certa sunt & propria sua media, sicut videmus certas dari gratias ad certos fines: & certa etiam Sacramenta ad illas certas gratias. *Non enim omnia omnibus expediunt.* Ecclesi. 44. 1. Cor. 7. Ibid. 15. Eccles. 37.

Hinc autem secunda etiam Propositio facillime demonstratur, quandoquidem tanta est colligatio mediorum cum fine, vt nisi media teneas, finem non attingas. Nisi baptizeris, non eluas originalem noxam: nisi baptizeris aqua & cum forma præstituta, non baptizeris. Sic de aliis Sacramentis sentiendum, vt videre est in 2. p. Sabbato post Cineres, vbi hæc Veritas explicatur:

Si ordinatis ad salutem mediis non vteris, Mediatore Christo abuteris.

Hoc est præsumere vel desperare, si quid præter diuinum ordinem in his quæ spectant ad salutem, tentaueris: vt expresse habet Diuus Thomas. Nihilque aliud vehementius Dæmon circa nos agitat, quàm vt extra rectam viam in illa extrema præsumptionis vel desperationis, in quibus ipse periit, nos conjiciat. Quod fusè & præclare sic prosequitur sanctus Bernardus: *Videamus & Dæmonum vias, videamus & caueamus, videamus & fugiamus eas. Siquidem viæ illorum præsumptio & obstinatio. Scire vultis vnde id sciam? Considerate eorum principem, qualis ille est, tales & domestici eius. Considerate viarum ipsius principia, si non manifestè in immanissimam statim præsumptionem prosilierit, dicens, Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, similis ero Altissimo. Quàm temeraria, quámque horrenda præsumptio! Numquid non illic ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem? expulsi sunt nec potuerunt stare. Propter præsumptionem* 2. 2. q. 21 & q. 130. Ser. 11 in Ps. qui habitat.

stare non potuerunt: Propter obstinationem qui cecidit non adjiciet vt resurgat. Ex hac namque spiritus vadens, ex illa non rediens est. Quàm peruerso & euerso sunt corde filij hominum quicumque sectantur vestigia Dæmonum? Hæc enim tota aduersum nos spiritualium colluctatio nequiarum est, vt nos seducant, vt nos inducant in vias suas, vt deducant in eis, & perducant ad destinatum finem qui paratus est eis. Fuge homo præsumptionem, ne gaudeat de te Inimicus tuus. Nempe in his maxime vitiis gaudet, in seipso expertus quàm difficilè possis ab hac tanta voragine respirare.

Eccles. 2. Quæ quidem omnia breuius Sapiens: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus?*

Denique, quanta est Viatoris ignari viarum cura ne à suo discedat Duce, ne forte deuiet & pereat, tanta profectò nobis esse debet cum nostro Custode Angelo, quandoquidem *peregrini sumus & aduenæ sicut Patres nostri.* (1. Par. 29.) Quò aptè sanctus Gregorius: *In præsenti vita quasi in via sumus quà ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident.* (Hom. 10. in Euang.) Quis hîc audeat sine comite peregrinari? *Via stulti recta in oculis eius: Qui autem sapiens est, audit consilia*, interna scilicet & externa. (Prou. 12.)

Die 4. Octobris.

IN FESTO SERAPHICI S. FRANCISCI CONFESSORIS

DE SACRIS EIVS STIGMATIBVS.

VERITAS PRACTICA. RESPONDENS HIS PROPHETÆ VERBIS:

Quid sunt Plagæ istæ in medio manuũ tuarũ? Zacch. 13.

Sunt certa signa quibus in S. Francisco agnoscas, & in te exprimas veram Sanctitatem, seu Euangelicam Perfectionem.

RATIO

RATIO EST, Quia veræ Sanctitatis seu Euangelicæ perfectionis tunc certa dici debent signa cùm ex illis agnoscitur triplex via perfectionis, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua, secundum exemplar quod in Cruce Christi monstratum est.

Sed plagæ seu stigmata quæ in corpore sancti Francisci diuinitùs impressa sunt, sic considerari possunt vt ex illis agnoscatur in Sancto triplex ista via perfectionis.

Ergo & certa signa sunt quibus in sancto Francisco agnoscamus, & in nobis exprimamus veram Sanctitatem, seu Euangelicam perfectionem. Quæ certe Veritas sic Sancto erit gloriosior quò nobis erit vtilior.

I. PVNCTVM.

QVOD vniuersim ait Apostolus: ***Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur***, hoc Rom. 1. particulatim de sancto Francisco liceat vsurpare, siue vt dicamus Eum esse velut visibilem quendam Gratiarum Mundum per quem Inuisibilia Dei Attributa cognoscantur: siue vt consideremus impressas eius Corpori Plagas tamquam visibile signum quo inuisibiles & in eius animo latentes illæ Gratiæ splendidius toti mundo lucerent. Et sicut vniuersus hic mundus aut quæ in illo singulæ visuntur partes, dici possunt Sacramenta Dei, quatenus signa sunt quædam visibilia quibus Inuisibilis Dei Virtus velut sub specie quadam tegitur, & velut in figura demonstratur, Vnde Sapiens de impiis qui hanc Dei virtutem in creaturis noluerunt agnoscere, ***nescierunt***, inquit, *Sacramenta Dei*: Sic profectò sanctus ipse Franciscus vel sacræ ipsius plagæ non aliter quàm vt Sacramentum Dei, nobis colendæ sunt, cùm sint visibilia, manifesta, & certa signa quibus inuisibilis eius Sanctitas & perfectio nobis innotescat. Sap. 2.

Sic eius vitæ Scriptor Diuus Bonauentura cùm de his sacris plagis sermonem instituit, hoc expressè verbum vsurpans ex libro Tobiæ: ***Quoniam***, inquit, ***Sacramentum regis Seraphicus vir abscondere bonum esse optime norat, secreti regalis conscius, signacula illa*** c. 13.

sacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei est ad gloriam suam magna reuelare quæ facit, Dominus ipse qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædam apertè per ipsa monstrauit, vt illorum occulta & mira vis stigmatum manifesta pateret claritate signorum. Quasi diceret, cum propter Sacras illas Plagas S. Franciscus maximam omnium haberet admirationem, pro sua quidem modestia quantum in ipso erat occultas eas esse voluisset, nisi aliter Deo visum esset qui eas patere voluit & miraculis illustrauit vt diuinum esse opus magis etiam constaret, & nemo deinceps dubitaret quin esset signum visibile sic à Deo institutum quo inuisibiles Sancti Gratiæ signarentur, & manifestæ fierent.

Quod vt etiam firmius atque ex omni parte ratum ac fixum haberetur, sic diuinâ prouidentia factum est vt ipse Pontifex Maximus qui tum regebat Ecclesiam Alexander quartus suis lustrare oculis voluerit quod audierat, & palam pro concione testatus est, ipso audiente Bonauentura qui hæc refert, quod illas in corpore Francisci distinctè vidisset quinque Plagas quales in Christi cernuntur corpore. Sic & cæteri consequentes Pontifices in ea Bulla quam vocant Canonizationis hoc ipsum ediderunt, & miris extulerunt laudibus; ac tandem vt vniuersæ id notius esset Ecclesiæ, voluerunt tanti miraculi Memoriam anniuersaria solemnitate celebrari & omnibus proponi fidelibus tamquam certum Euangelicæ perfectionis in Francisco acquisitæ, & in nobis acquirendæ Signum & exemplar quod pro suo quisque gradu exprimerent.

Die 17. Sept.

Sicut itaque de sancti Francisci plagis quæri potest quod de Christo quærebat Propheta, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum*, in medio pedum, & in ipso Corporis medio? Sic responderi potest, *esse certa signa quibus vera eius Sanctitas agnoscatur & proponatur ad imitandum.* Quia scilicet aptè designant tres illas Vias perfectionis quæ sunt notæ certissimæ veri profectus spiritualis.

Quod vt melius intelligatur, Præsupponendum primò est hic agi de Sanctitate non ea tantùm quæ fit per Gratiam quam dicunt habitualem, & Sanctificantem, sed de illa quæ Virtutes simul omnes infusas & acquisitas earumque perfectos actus complectitur, & de qua dicitur *Sancti estote quia ego sanctus sum*; *SANCTIFICA eos in veritate. IN SANCTITATE veritatis.* Dicitur & Euangelica perfectio quam scilicet Christus in Euangelio docuit, & exemplo suo viuens ac moriens confirmauit, habetque hoc pro-

Leuit. 11. 1. Pet. 1. Ioan. 17.

prium vt sit libera, integra & pura. Libera, id est, voluntaria, libens volens non coacta, sed tamen ita fidelis & constans, quasi esset necessaria, quasi non esset libera. Deinde est integra, id est, non ex parte sed totum Deo consecrans, qui se totum nobis dedit. Denique pura nihil sensuale aut naturæ corruptæ admittens, sed tam pure ad Deum cuncta referens quàm pure ex Deo cuncta recipiens: quod est in Spiritu & veritate Deum adorare & colere. *Ioan. 4.*

Secundum hîc præsupponendum est quod cùm agitur in Scripturis de hac Sanctitate & perfectione non frustra dicitur *in Veritate*, quia falsa est quædam Sanctitas in qua facile est decipi, & in qua decipi tam periculosum est quàm quod opponitur optimo non potest non esse pessimum. *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* *Ephes. 4.* *Matth. 7.*

Tertio, propterea dari certa quædam signa quibus vera Sanctitas à falsa dignoscatur, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* *Ibid.*

Quarto, inter illa signa certius id esse semper habitum quo designetur progressus ab vno statu in alium per media conuenientia, nempe à statu imperfecto ad perfectum per pœnitentiam & virtutes quæ cum diuina gratia disponunt ad perfectos Charitatis actus. Nisi enim quis extirparit vitia, non plantabit virtutes: nec nisi explantatis virtutibus bonus esse poterit fructus. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. VLTRO terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Quæ singula manifeste designant quem hîc dicimus ab imperfecto ad perfectum spiritualem progressum. *Ioan. 12.* *Marci 4.*

Quod & Dominus multis aliis symbolis & variis loquendi modis designauit vt cùm suos vocauit Apostolos, primum *sal terræ*, purgandis scilicet animis; deinde *lucem mundi* purgatis illuminandis; ac tertio *Ciuitatem supra montem positam*, ad euehendos secum omnes, & ad pacificam vnionem cum Deo & proximo sic conjungendos vt sicut Ciuitas ex pluribus & diuersis statibus dicitur Ciuium vnitas, ita omnes licet statu diuersos, vna tamen vniret Fides, Religio & Charitas, fieretque cor vnum & anima vna. Quò & illa spectabant: *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.* Ac rursum, similitudo bellum gerentis, tum consequenter domum ædificantis, in qua vna similitudine construendi ædificij res tota penitus illustratur: Nam nisi murus sit solidus, non de tectum *Matth. 5.* *Luc. 12.* *Ibid. 14.*

periclitabitur? Nisi autem fundamentum sit firmum, quomodo solidus erit murus? si denique fundamentum in arenam potius quam in fixum lapidem iaciatur, nonne illud eueniet quod ait Matth. 7. Dominus; *descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam & cecidit, & fuit ruina domus illius magna.* Sic plane qui se putet habere perfectam Charitatem non acquisitis virtutibus, non extirpatis vitiis, non stabilito timore Domini, non adepto contemptu rerum, non honoris iactura proposita, non ipsius vitæ temperato affectu. Veniet enim derepente à dextris aut à sinistris qui vel eum laudet vel vituperet, vnde vel efferetur laude vel opprimetur vituperio, quod perinde ad casum & ruinam est; & putabitur ille Sanctus qui vt arundo sic agitabitur! Interpretare nomen *Sanctus*, & intellige quod firmitatem significet quæ nulla tamen est nisi purgetur anima vitiis, nisi virtutibus roboretur.

Nec dicas, hæc simul omnia præstare Charitatem si vera sit, quia hoc est quod quæritur an sit vera, signum quæritur quo à falsa dignoscatur vera: & respondetur non esse aliud certius quàm si primo vacetur quantum satis est extirpandis prauis habitibus, tum probis inserendis. Hæc est prima Charitas, hic primus Charitatis actus & effectus à quo qui non incipit, nihil agit quidquid aliud Apoc. 2. agere vel pati videatur. *Scio opera tua*, inquit Dominus, *& laborem, & patientiam tuam: sed habeo aduersum te quod Charitatem tuam primam reliquisti.* Quid certius? quid euidentius?

Si quid verò restat dubij, vide in 1. p. tota Hebd. 4. vbi in sanato Paralytico totus hic vitæ spiritualis progressus exponitur, maxime vero Feria 5. vbi quæ Diuus Thomas de hac re docet, referuntur. Et in 3. p. Fer. 5. Hebd. 4. vbi ex sanctis Gregorio & Bernardo fuse probatur hæc Veritas:

Qui non gradatim procedit in via Virtutis, non in via Virtutis incedit, sed vitij.

Ad id porro quod in propositione additur, *secundum exemplar quod in Cruce monstratum est*, videri potest Cassianus l. 4. Institutionum c. 34. Et S. Bernardus Sermone 7. in Quadragesima, qui summam perfectionis Euangelicæ in Christo esse Crucifixo declarant, quod per se satis patet, atque ideo pridem dictum fuit: *Inspice, &* Exodi 25. *fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED Plagæ seu stigmata quæ in corpore sancti Francisci diuinitùs impressa sunt, sic considerari possunt vt ex illis agnoscatur in Sancto triplex ista via perfectionis.

Agnoscitur certe ex eius factis, sed facta eius roborantur & velut sigillo quodam regio per istas Plagas muniuntur, nemo vt dubitet quin quod egit sit præclare actum. Tam multa enim, tam noua, tam inusitata, tam ardua & admiranda potius quam imitanda faciebat & facienda suis proponebat, vt iam ex illis primis fundati ordinis exordiis multi ambigerent an illa rationabilis esset vita & regula quæ supra rationem tota esset. Sed ne dubitent, primò quidem delapsa cœlitus voce testatum est de qua inferius suo loco dicetur; tum verò post ad majorem etiam firmitatem, & perpetuam memoriam, in eius corpore, diuina hæc sigilla imprimuntur, quasi cœleste diploma esset quo eius viuendi ratio probaretur, fulciretur, commendaretur: Quasi epistola cœlitus ad nos missa & annulo signata regio; Quasi de sancto Francisco diceret quod de se Christus: *Hunc Pater signauit Deus:* Id est, signo quodam visibili notum fecit & discreuit ab aliis. *Ioan. 6.*

Sed videamus singula per tres illas vias. Prima quæ purgatiua dicitur triplicem habet concupiscentiam bonorum scilicet temporalium, voluptatum, & honorum expurgandam. Sic autem S. Franciscus his plane solutus & purgatus fuit concupiscentiis vt quod spectat ad bona temporalia, nemo pauperior vnquam extiterit, nemo reipsa & affectu magis omnibus bonis denudatus, nemo egentior cum nihil plane suum haberet. Erant illi omnino quatuor ad vitam sustentandam & religiose transigendam necessaria, victus, vestis, habitaculum, & libellus precum. Victus erat parcissimus & mendicatus; vestis vilissima nec nisi precariò sumpta, quod præsertim in extremo deficientis vitæ momento patuit, cum nudus humi iacens vestem qua moriens tegeretur, humiliter petiit à suo quem vocabat Guardiano. Si quis porrò de eius tecto vel libello tamquam de propria ipsius suppellectile loqueretur; at quandoquidem dicis esse meum, inquiebat, iam non erit meus; & illo amandato, si quid esset quo carere non posset, postulabat illud eleemosynæ nomine seu in nomine Domini.

Hoc est esse pauperem, pauperem Spiritu, pauperem Euangelicum, pauperem Perfectissimum, affectu & effectu: Hoc est esse purgatum animo: Hoc est esse beatum illum virum quem olim quærebat Sapiens, *Beatus vir qui inuentus est sine macula qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum?* Profecto Franciscus est: & hoc etiam nomine sic ab Angelis sic ab Ecclesia triumphante & militante laudatur: *Franciscus pauper & humilis cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.*

Eccles. 31.

Quid de concupiscentia carnis seu voluptatis expurgata, & penitus extirpata dicam, cùm corpus suum tot ieiuniis tot suppliciis, tot crucibus toto vitæ mactasset tempore, vt prope instanti morte veniam ab eo postularit si forte austerior in illud extitisset. Petierat aliquando veniam quod dum ægrotaret, atque omne cibi genus fastidiret, nescio quid esculenti postulauerat quo tantisper recrearetur; nempe huius innoxiæ petitionis tantopere paulò post illum pœnituit vt propatulum & eminentius totius ciuitatis compitum adiens, conuocata illuc plebe palam professus sit se non illum esse quem putabant, non abstinentem, non sobrium sed edacissimum & gulæ addictissimum vt qui petierit aliquid sibi comedendum dari! Propterea verò cum multa etiam negasset corpori, non minus ab eo voluit sibi condonari si quid contra ipsum peccasset, quàm dum illi fuisset vt putabat indulgentior, quia scilicet Vir sagacissimus optime nouerat Virtutem in medio consistere, cauenda esse quæuis extrema, vix vllum esse qui se his perfecte temperet aut qui horum alterutro non aliquoties aberraret; Vnum hoc superesse remedium, vt pœnitentia reparetur, quod excessu vel defectu peccatum fuerit. Qua in re quid mirer magis nescio, an eius Temperantiam, an Humilitatem. Hoc est enim esse temperantem simul & humilem sic se in omni naturæ appetitu continere, vt neque nimis aliquid aut minus agas: & postquam medium inter hæc duo pro virili parte constanter tenueris, peccasse tamen metuas, & de peccato potius expiando cogites quàm de virtutis præmio postulando.

Hæc est tertia concupiscentia quæ circa propriam excellentiam, & humanos honores versatur, quam ita S. Franciscus repressit, vt inter bonos se postremum, & inter malos primum sentiret, diceret, prædicaret, & ab omnibus credi vellet. Nulli enim inquiebat,

nulli alteri quas agnoscebat in se diuinitùs datas gratias si dedisset Deus, quin eis fructuosius vsus esset. Nullus vero tam impius quem non impietate superaret si diuina gratia destitutus esset.

Tria sibi repræsentabat quæ honorem magis conciliant & quæ nulla in se videbat, nempe nobilitatem, scientiam, & virtutem. Filium se Bertrami Mercatoris passim profitebatur. Scientiam non contemnebat sed ob eius defectum se contemptibilem affirmabat. Virtutem denique si quam haberet non esse suam sed Dei à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, Cuius est iudicare de homine, hominis autem in ignorantia diuini iudicij sic parum de se sentire vt si quis supra quemuis alium se efferret, diuinum contra se prouocaret iudicium. Quo in humili sensu sanctus Franciscus sic se semper continuit vt numquam Sacerdos fieri voluerit, quod certe est abiectionis propriæ certissimum argumentum, cum alioquin sacris operari periucundum illi fuisset.

Sed non quod iucundum, non quod vtile, non quod sibi proprium attendebat, vt posset cum Apostolo dicere, *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei propter quem omnia detrimentum feci & arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam.* Phil. 3. Hæc est scilicet eminens Scientia in qua qui magis eminent, minus aliis eminere volunt vt declaratum habetur in 2. parte. Ferr. 13. Pen-tec. Vnde & rursus illud Apostoli frequentissimum illi erat in ore & in corde, *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo*, Gal. 6. Quod certe non dixisset nisi hoc in se ita sensisset; non ita vero sensisset nisi quibus purgandis omnibus vita illa deseruit quæ purgatiua dicitur, plene purgatus esset: quod qui effecerit, quid aliud quam Crucifixo similis intus efficitur? Quid aliud clamat Apostolus cum ait *veterem nostrum hominem cum Christo crucifixum?* Rom. 6. Quid est vetus homo nisi triplex illa concupiscentia de qua nunc sermo est? Quid est illam habere subactam sicut sanctum Franciscum vidimus habuisse, nisi habuisse crucifixam, nisi hoc ipsum quod Idem aiebat Apostolus, *qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis?* Gal. 5.

Hoc est autem, hoc est quod significant illæ Plagæ quibus insignitum eius Corpus fuit. Tres plagatæ Corporis partes in similitudinem Crucifixi, crucifixam exhibent triplicem Concupiscen-

tiam. Sacramentum quoddam est, vt dicebatur initio, signum visibile est quo inuisibilis gratia signaretur, nempe illa Gratia de qua sanctus Apostolus: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum D. N.* Sicut enim analogia quædam est & affinitas inter visibile signum & rem inuisibilem seu virtutem Sacramenti, nempe inter aquam & virtutem Baptismi ad eluendum originale peccatum: inter panem & Eucharistiæ virtutem nutrientem: inter oleum & extremæ vnctionis virtutem roborantem: sic inter istas Plagas, & mortificatam concupiscentiam hæc manifesta intercedit similitudo vt sicut plagæ fixæ sunt in his corporis partibus quæ Crucifixum repræsentent, ita Caro Francisci penitus crucifixa sit cum concupiscentiis, sicque viam illam quæ Purgatiua dicitur tam sanctè pertransierit vt quod optabat Apostolus, sese *mundauerit ab omni inquinamento carnis & spiritus.*

Rom. 7.

2. Cor. 7.

Nunc de Illuminatiua pergamus quæ in positiuis Virtutum actibus præsertim sita est: dico positiuos, nam negatiui quorum est declinare malum magis spectant ad præcedentem viam quæ suis animum perpurgat vitiis, vnde restat positiuos qui faciunt bonum tam circa Deum, quàm circa proximum, ad hanc secundam pertinere viam. Non est autem nobis in S. Francisci Virtutibus aut positiuis virtutum eius actibus recensendis, tam immorandum, quàm in declarando virtutum signo quod dicimus in plagis eius extare. Quis enim nescit quantæ fuerit virtutis, qui totus erat in naturæ motibus rationi & gratiæ subigendis? Quantæ mansuetudinis qui vel ipsas feras sua suauitate cicurabat? Quantæ deuotionis qui numquam nisi aperto capite & fixis pedibus etiam dum iter faceret, Deum orabat? Quantæ Fortitudinis qui vt Martyrium subire posset ad Infideles ipse se contulit? Quantæ Fidei & Fiduciæ qui vt nostram apud Solimanum probaret fidem, vltro se obtulit per medios transiturum ignes, atque inde saluum & incolumem euasurum? Quantæ simplicitatis & prudentiæ simul iunctæ qui paucis quæ scripsit verbis, regulare institutum ad Euangelicam perfectionem conformarit tam sublime, tam varium, tam diffusum, tam fructuosum, tam multis illustre nominibus, & præclare factis commendandum? Quis hoc inquam nesciat, quis non videat & ipsis palpet sensibus? Sed quomodo tantarum virtutum signa sint Plagę, non omnes ita forte vident; quamobrem hoc est quod exponendũ nobis incũbit. Sic autem tripliciter & concise demõstratur.

Primò,

Primò, sicut in negatiuis Virtutum actibus quos ad purgantem viam pertinere diximus, homo Virtutis studiosus, Sculptoris partes agit, qui non nisi scalpendo & detrahendo suum elaborat opus, ita in positiuis Pictorem agere dicendus est, qui colorem colori addens non nisi apponendo perficit quod suscepit: Sic præclare sanctus Gregorius Nyssenus, *suæ quisque vitæ pictor est, artifex huius operis est voluntas, colores sunt Virtutes, exemplar Christus.* Ep. 1.

Cum itaque totus esset S. Franciscus in illa ideâ quam à Christo præcipue Crucifixo in se exprimebat contemplanda, sic in seipso Crucifixum pinxit & formauit vt interior formæ species etiam foras erumperet. Hæc est enim vis imaginationis nostræ quando firma & fixa est vt in corpus aliquo modo transfundat quam format rei speciem. Aut certe si non ipsa semper apparet in corpore species, quando radicitus & penitius infixa est animo, tam multis extrà signis, tam multis naturæ seu corporis motibus se repræsentat vt sicut anima dicitur forma corporis, ita & corpus sit quædam animæ forma, prout foris spectandum id exhibet quod latebat intus in anima. Quapropter, licet studiosè ac diligenter Franciscus se contineret, ne quid eorum quæ pretiosa & illustria gerebat animo, exponeret humanis oculis, noluit tamen Deus hunc in illo latere thesaurum, & quam intus Crucifixi formarat speciem, dum eius in se virtutes tamquam pictor ab exemplari suo deprompserat, patere voluit per illas quinas Plagas quas alio etiam modo, vt dicetur, in eius depinxit corpore.

Deinde vero, cùm acquirendarum aut exercendarum Virtutum is sit præcipuus Finis vt Virtutis cultor sit fidelis Christi Cultor, nec Virtuti seruiat nisi quia sic Christo seruitur, nisi quia sic seruum Christi oportet esse mitem, deuotum, humilem & aliis excultum Virtutibus quas qui faciles habet tùm aptus Christi est seruus; & quisquis verè seruus Christi esse dicetur, hoc ipso Virtutes omnes habere credendus est; *Numquid considerasti seruum meum Iob quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum?* Quasi Iob 1. diceret quod non sit alius qui Virtutes tam euidenter habeat quæ seruum Dei deceant. Quamobrem vt toti mundo notificaret Christus quale iudicium de Francisci Virtutibus ac meritis faceret, eum insigniter & singulariter indicare voluit suum esse seruum. Nempe sicut antiquis tum sacris tum profanis Mos erat seruos illos quos Domini vellent ex mutuo consensu sibi retinere in perpetuum

impositis quibusdam notis in corpore quasi suos sic designare vt patet Exodi capite vigesimo primo: Sic planè Christus sic Franciscum esse suum palam testatum voluit imponendo illi suas Plagas tamquam notas certissimas quibus esse Christi perpetuus & præcipuè commendatus agnosceretur.

Sic sanctus Bonauentura cum sermonem inchoat de his Plagarum notis, *Fidelis reuera*, inquit, *famulus & minister Christi Franciscus*, quasi diceret, reuera patuit quam fidelis esset Christi seruus cum fidelitatis suæ luculentas ab ipso Christo notas accepit. Sic olim dicebat Deus de quodam inter Iudæos Nobili, Zorobabele dicto, cuius opera volebat vti ad reuocandum suum populum in
Agg. 2. Terram Sanctam, & reparandum dirutum templum: *Assumam te Zorobabel serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia elegi te.* Id est, ponam in te signum quo pateſiat omnibus te in illud opus à me designatum & electum esse. Sic prorsus Francisco dictum à Domino, *Vade Francisce & repara domum meam*, non saxeam non inanimem non artefactam, sed rationalem sed spiritualem simul & visibilem quæ ipsa est vniuersalis Ecclesia, quam corrupti mores labefactant; Vade in hoc grande opus ad quod te assumo & eligo tamquam fidelem seruum meum; Et ne in dubium veniat talis electio, ponam in te signaculum quo meus esse insigniter agnoscéris.

Sic magnus ille Paulus, se singulariter seruum Christi profitebatur, quia videlicet suæ seruitutis impressas gerebat notas, vnde
Rom. 1. audacter ait *Paulus seruus Iesu Christi.* At nonne Iudæus es, nonne ad pedes Gamalielis edoctus Moysem & Prophetas? Nonne sic Mosis aut Samuelis aut Eliæ vel Elizæi seruus? Respondet, & no-
Gal. 6. tanda valde est eius responsio, *Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, Germanus hic nempe est horum sensus verborum: Nemo mihi deinceps tale facessat negotium inquirendo cuius sim seruus, an Mosis, an Christi, an vtriusque simul: Patet enim euidenter in corpore meo cuius sim seruus. Cuius enim stigmata siue impressas porto notas, huius & seruus sum. Ego autem non Mosis aut Samuelis sed Christi Iesu stigmata in corpore meo porto. Id est, cicatrices & plagas quas pro Christo accepi, Ergo & eius seruus sum. Dicamus & nos, Ergo & Franciscus singulariter seruus Christi est, quia stigmata Domini Iesu in corpore suo portat.

Et quemadmodum cicatrices & Plagæ Paulum esse Christi seruum non tam vere ac propriè denotabant quam Patientia, Mansuetudo, Charitas, cæteræque Virtutes quas in Plagis acceptandis exercuerat, & quarum Plagæ erant signa; sic planè non tam in Plagis sancti Francisci sistendum est quàm in eius Virtutibus per Plagas designatis; non enim plaga, non pœna, non flagella seruum Christi faciunt, sed Virtus in ferendis plagis. Virtus Francisci est quæ Franciscum fecit Christi seruum, seruitutis autem & Virtutis Signa sunt Plagæ.

Quod & tertiò demonstratur; Cum enim ardentissimo patiendi & moriendi desiderio pro salute proximi teneretur, vt supra dictum est, nec nisi obita morte, ac tolerato extremo supplicio sibi vmquam satisfecisse videretur, tentaretque omnes quas licitè poterat, moriendi pro Fide ac saluandis animabus vias; non ita visum est Deo, nec tamen visum est etiam seruum suum suo penitus desiderio defraudare, nam illi quidem Martyrium concessit subeundum, sed non quale optabat, non Martyrium à tyranno inferendum, non Martyrium quo vita tolleretur, non Martyrium quo Fides tantum probaretur; Sed Martyrium Charitatis, Martyrium Humilitatis, Martyrium Pietatis, Martyrium totius Virtutis vel iam exercitæ vel deinceps perfectius etiam exercendæ signum certissimum: Sic enim expresse, sacer eius vitæ Author vbi de Spiritu Seraphico in specie Crucifixi apparente & Plagas Francisci manibus, cordi & pedibus inferente sic ait: *Intellexit nempe Franciscus, illo docente interiùs, qui & apparebat exteriùs, quod licet passionis infirmitas cum immortalitate Spiritus Seraphici nullatenus conueniret: ideo tamen huiusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, vt amicus ipse Christi prænosceret, se non per Martyrium carnis sed per incendium mentis, totum in Christi Iesu crucifixi expressam similitudinem transformandum.*

Ex quibus postremis Sancti Doctoris verbis quod postremum erat explicandum de Vita vnitiua manifeste patet: Sicut enim vita illa consistit in expressa perfectè Christi crucifixi similitudine vt dictum est, ita plane qui totus in illam similitudinem transformatus fuerit, in illa vita est. Cum verò ex illis constet Plagis sic Franciscum totum in illam expressam similitudinem transformatum esse, quid restat quin hæ Plagæ certa sint signa perfectæ illius Sanctitatis, & Euangelicæ perfectionis? Nec enim frustra sanctus

Doctor addidit *totum*; Nam perinde est ac si diceret interius & exterius; Est enim duplex Christi crucifixi similitudo, nempe interior & exterior, siue dupliciter considerari potest in cruce Christus. Primo quidem quantùm ad externam illam speciem qua pendet cruci affixus & quinque Plagis præcipuis male affectus. Deinde vero, quantùm ad internam mentis Crucem quæ in eo sita erat vt amore langueret; Quantus enim amor, tantus languor, quantus Dei & hominum amor in Christi pectore, tantus ibi dolor de offenso Deo, & de puniendis hominibus. Sic Christus propterea dicitur *Liber scriptus intus & foris.* Prius quidem intus, nam inde est quidquid foris aspicitur. Sic itaque dupliciter considerati Christi crucifixi duplex eius in nobis est similitudo respondens externæ & internæ cruci; quapropter, vt dicebamus, cùm sanctus Bonauentura dixit totum Franciscum in expressam Christi similitudinem transformatum esse, perinde est ac si dixisset, in internam ac externam similitudinem. Et sicut externa crux Christi ab interna pendebat & internæ signum erat, quatenus ex illo amore & dolore quem intus sentiebat, voluit pati quod extra in corpore passus est, ita similitudo Christi exterior in Francisco ducebatur ab interna, id est, quòd Franciscus extra in corpore quinque Plagas haberet sicut Christus in cruce, proueniebat ex eo quod Franciscus ita intus amaret Deum & homines vt inde langueret seu vehementer doleret sicut Christus amore languebat & dolebat. Hæc erat prima Christi similitudo in quam Franciscus transformatus est: deinde cùm alia exterior sequuta est, tum totus in Christi similitudinem, intus & extra transformatus fuit.

Apoc. 5.

Hoc itaque probe nobis intelligendum est, quod suo more luculenter exponit Illustrissimus & de re tota spirituali ac præsertim de diuino amore optime meritus Episcopus Gebennensis; Cum nempe S Franciscus ardentissimo Dei & Christi Domini flagraret amore, atque intima perfectissimæ Charitatis vnione cum ipso conjunctus esset, ita compatiebatur eius doloribus, ita condolebat peccatis alienis, ita conspirabat cum Christo ad diuinam placandam Iustitiam & promerendam in peccatores misericordiam, vt ex illius vi & virtute vnionis sentiret in animo & corpore quidquid sentiebat intus & foris in cruce Christus, gaudebatque se ita dolere & cum illo pati ob eosdem fines propter quos ipse est passus. Producebat igitur hanc vtramque similitudinem hæc

Tract. de amore Dei l. 6. c. 15.

Christi & Francisci cordium Vnio : & sicut sigillum ceræ impositum figuram suam exprimit, sic Christus crucifixus contemplatione & amore Francisco vnitus & quodammodo applicitus & impositus, expressam sui similitudinem ibi formabat, prius quidem intus quia ibi primus amoris ortus est, deinde foris ex abundantia, & singulari quadam communicatione omnium, quales inter amantissimos esse solet.

Sic Dauid & Ionathas cùm simul ardentissimo conglutinati essent affectu dedit Dauidi Ionathas suam vestem, sicque Dauid Ionathæ similis extra fuit, sed prius illi similis intus erat vnde illud exterius emanauit. Vide in vultu corporis bene sani & affecti, vt purpureus in illo splēdet rubor : non à rubore est sanitas, sed à sanitate rubor ; non ipse splendidus rubor ita est sanitas quàm signum sanitatis. Sic plane diuinus ille & sanguineus rubor qui splendet in corpore sancti Francisci non tam ipsa est diuina vnio quam signum vnionis. O quale signum ! ó qualis vnio ! Qualis Christi & Francisci similitudo ! Pone Francisci vestem in Crucifixo, quem dixeris Christum nisi Franciscum ? Tum vero Franciscum nudum respice, quem illum dixeris nisi Christum ? 1. Reg. 18.

III. PVNCTVM.

Si quis igitur quærat ex Propheta de Seraphico sancto Francisco, quid sunt Plagæ istæ in medio manuum tuarum? respondere non dubites, Sunt certa signa quibus in sancto Francisco agnoscamus, & in nobis exprimamus veram Sanctitatem, & Euangelicam perfectionem. Sunt enim signa quibus liquet eum per vias rectas esse deductum à Domino, nec in primis eum destitisse quin ad suprema peruenerit ; nec ad suprema peruenisse quin à primis incæperit, & per media cohærentia progressus fuerit. Paris namque periculi, vel etiam majoris damni est supremum fine infimo, ac fine supremo infimum. Non est quidem satis à malo declinare nisi bonum facias : sed bonum non facies nisi à malo declinaueris. Si sanctus Franciscus in vna comprimenda concupiscentia totus fuisset, non crederetur quod diuinas illas Christi Plagas accepisset ; aut certe quantumcumque diceretur his esse plagatus in domo Domini, non dicerem Plagas illas certa esse Sanctitatis signa nisi edomitas eius concupiscentias mihi repræsentarent.

Cum Saulus ille acerrimus Christianorum persecutor repente factus esset prædicator, vix credebant alij Apostoli tam modico temporis interuallo ab vno extremo in aliud potuisse hominem pertransire; vix se illi audebant iungere, vix eius miraculis credere, vix in Ecclesiam illum admittere. Quid hic agat ille à Christo singulariter vocatus Apostolus, quibus certis suam Signis vocationem significet? suam certam faciat conuersionem? Audite & erudimini, *Continuò*, inquit, *non acquieui carni & sanguini*. Quasi diceret, ne sit vobis suspecta vel dubia tam repentina mea vocatio, certas eius notas vobis produco, statim atque vocatus sum, sensi me à carne & sanguine reuocatum. Hoc est scilicet, hoc est firmum fundamentum quo vera nititur Sanctitas. Miremur sacras Francisci Plagas quantum voletis, admiremur tantam à Christo communicatam gratiam: Proclamemus illud Assueri Regis de Mardochæo, *sic honorabitur quemcumque Rex voluerit honorare*; Nulli cedere vellem in tali Viro celebrando; sed quod magis celebrare vellem, non est quod magis mirum & singulare videtur, non illa est Seraphici apparitio, non est illa Plagarum impositio, non est illa exterior cum Christo similitudo; Verùm quod illis Plagis significatur, hoc est quod veneror, hoc est quod colo, nempe Sanctitas, honorum contemptus, sui despicientia, Paupertas, Mansuetudo, Patientia, cæteræque Virtutes quibus tota eius vita contexta est; Hoc est inquam quod in illo magis velim celebrandum, quia hoc est quod veram Sanctitatem indicat, hoc est quo alia promeruit admiranda. Et certe laudabilius est, esse honore dignum quam honorari; longe id magis est honorificum quod honorem conciliat quam ipse honos collatus. Idcirco mira in Sanctis Deus operatur non quod mira Sanctitatem faciant, neque sint illi Sanctiores qui mira ipsa operantur: Sed quod illa mira qui spectant vel audiunt excitantur ad cultum & venerationem Sanctitatis & Virtutis quæ per illa Signa demonstrantur. Sicut cum aliqua in cœlo vel in aëre portenta nobis apparent quibus intuendis prouocati conquiramus quid illa significent aut portendant, & si quod forte malum impendat, illud auertamus; Sic Christus, sic Franciscus, sic ejus fideliores alumni velut quoddam signum & portentum apparent in mundo vt mundani hoc excitati spectaculo prouocentur ad quærendum, Quinam illi? Quorsum ita? Quid sunt Plagæ istæ in medio manuum tuarum. Sic de se Christus ac de suis, *Ecce*

Gal. 1.

Esth. 6.

Ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel: Sic de se ac de suis Apostolus: *spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Id est, vnicuique Creaturæ quæ in illis Viris habet aliquid quod suo modo spectet & miretur videndo tam infirmos homines, tam potentes factos vt nullum adeo sublime & arduum viuendi genus sit quod non aggrediantur & superent. Is. 8. 1. Cor. 4.

Hoc est scilicet, hoc est vel maxime quod referre debemus ex illo Sanctitatis spectaculo quod nobis hodie proponitur, nullam vt deinceps in Virtutibus exercendis causemur difficultatem, aut in difficultatibus impotentiam. Sic ab ipso Christo pronuntiatum, cum in fauorem suæ familiæ Franciscus has è cœlo accepit voces: *Francisce nihil hic tuum, mea sunt omnia, regulam volo seruari ad literam, scio Vires humanas, & quid eis conferre possim, abeant procul qui velint aliter viuere.* Tum vero Ille, *Auditis, auditis? vultis iterum repeti quod audiuistis.* Nos autem, Lector siue Auditor, nos hoc ipsum ita videmus factum in illis religiosis Hominibus, vt quantò visus est efficacior ad persuadendum quàm auditus, tanto nobis ex illorum factis potentiùs excitemur ad agendum in nostro statu, quod in suo verbis nos Illi docent & exemplis.

IN FESTO S. BRVNONIS CARTHVSIENSIVM FVNDATORIS.

Die 6. Octobris.

Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Ps. 54.

VERITAS PRACTICA.

Quò magis inter homines, eò minor homo:
Quo minus inter homines fueris, eo major homo euades.

RATIO EST, Quia majorem aut minorem fieri hominem est, magis aut minus constanter vera & Christiana ratione constare.

Sed quò magis inter homines fueris, eò minus constanter vera & Christiana ratione constabis; Vt è contra quo minus inter homines versaberis, eò constantius in illa Christiana ratione persistes.

Ergo & vtrimque certissima Veritas; Vnde quàm magnus fuerit S. Bruno, & quàm solicite nobis sit cauendum ab hominibus, facile colligetur.

I. PVNCTVM.

VIX dum puer esse desierat sanctus Bruno, cùm Vir esse cæpit; Iam enim inde ab ipsis prope incunabulis dicitur infantiam deposuisse, ac virili quadam maturitate animi, non modo suos superasse coætanos, sed multos etiam tum prouectos ætate viros. Nec dubium quin procedente tempore, procederet etiam Ratio, & accedentibus omnis literaturæ studiis, simul accederet quidquid superiorem illam animi partem ornare potest ac perficere. Quod vel ex eo patuit quod cum dignitatem quandam Ecclesiasticam multi ambirent, illius dignitati ac meritis vltrò delata est, & suum ipse munus magis honorificauit quam à suo munere fuerit illustratus.

At verò cùm stupendum illud religiosæ vitæ genus suscepit, cùm egressus mundo, asperrimos illos & ab omni hominum congressu remotissimos montes qui apud Gallos in Delphinatu Carthusiæ nuncupantur, incoluit: cùm ibi tam solitariam vitam instituit vt Silentio & Solitudine vita ipsa fundaretur, nutriretur, ac conseruaretur: tum profectò tum Vir supra viros, tum supra cæteros homines Homo major esse dicendus est, & prope illi similis, *quo major inter natos mulierum non surrexit.* (Matth. 11.) Hoc est enim naturæ seu Gratiæ perpetuum quoddam miraculum vt cùm naturæ rationali nihil magis videatur proprium quam socialis hominum vita, conuersatio, colloquia; nihilque magis alienum & abhorrens quam solitudo & silentium; sic tamen Ratio deficiat ex mutua hominum consuetudine ac colloquiis; contrà vero perficiatur ex solitudine & silentio vt quò quis frequentiùs inter homines fuerit, eò minor homo redeat; & quantò quis minùs hominibus assueuerit,

assueuerit, major homo euadat.

Hoc pridem ex antiquis Philosophis Ille agnouit de quo sic Thomas à Kempis: *Dixit quidam: quoties inter homines fui, minor homo redij*, & addit; *Hoc sæpius experimur, quando diu confabulamur.* *L. 1 de Imit. Chr. c. 20.* Mirum sanè quod profanum & stoicum illum Authorem tam pius Scriptor protulerit, & vix in toto de Imitatione Christi opere reperias aliud ex profanis relatum. Sed tam vera, tam solida & memoranda illi visa est hæc Sententia, vt minimè dubitarit eam scriptis suis inserere, & Christianam quodammodo reddere. Quod autem scriptis Authores prodiderunt, hoc factis sanctus Bruno demonstrauit: nec iam vt vetus dictum, sed vt recens & præsens factum quod in Charthusiana perstat familia, licet nobis contemplari & quærere quid sit quamobrem, *quantò quis magis inter homines fuerit, tanto is minor homo*; Vel *quanto quis minus homines frequentarit, tanto major homo euadet?*

Hæc autem inter alias occurrit Ratio, quod scilicet Christiano, majorem aut minorem esse hominem, nihil aliud sit quàm magis aut minus constanter vera & Christiana ratione constare. Licet enim, si homo consideretur in illa quam dicunt substantia quæ non recipit magis & minus, non sit vnus magis homo quàm alius: si tamen attendatur vt ratione constat, tamquam essentiali differentia qua in se constituitur & ab aliis differt creaturis, potest & debet homo dici tanto major aut minor homo, quanto magis constanter de vera ratione participabit. Dico *de vera; & constanter*, nam humana ratio nisi diligenter caueatur, tam multis infuscatur tenebris, tam variis implicatur erroribus, & humanis ipsis affectibus tam diuerse mouetur, vt multum distinguenda sint vera vel falsa Ratio, certa vel incerta, mundana denique vel Christiana quæ sola vera est, quia sola primæ Rationi respondet, congruit, & cohæret; tantumque discriminis interest inter humanam ipsam rationem, & hanc nostram Christianam, quantum inter stultitiam & Sapientiam: neque naturalis stultitia magis differt ab humana Sapientia, quàm hæc humana sapientia differat à Diuina, quod fuse probatum habes in 2. parte, in die Festo Pentecostes; Vnde id liquet quod habet Propositio, tunc illum esse dicendum majorem hominem qui de Christiana ratione magis constanter participauerit, quia hæc est sola vera Ratio cuius major participatio tam verè facit majorem hominem, quàm simplex eius ca-

pacitas simpliciter constituit hominem.

Matth. 13. Additur vero *constanter* quo vno totum constat, nam Temporales repudiantur à Christo Domino qui eos comparat terræ lapideæ non ferenti fructum, de quibus dictum est variis in locis, & vbi præsertim hæc explanatur Veritas:

Qui ad tempus credunt nullo credunt tempore.
Qui temporales sunt, nullius sunt temporis.

In 2. parte, Dominica Sexagesimæ; Quamobrem oportet esse tam constantes in hac participanda ratione, quàm in ipsa possidenda, quia non est vera possessio nisi sit ita firma constans & inconcussa nullis vt cedat oppositis. Quod sapienter intellexit Ecclesia dum sic Deum orat: *Deus qui mirabiliter creasti hominem, & mirabilius redemisti, da nobis quæsumus contra oblectamenta peccati, mentis ratione persistere, vt mereamur ad æterna gaudia peruenire.* Et rursum: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt semper rationabilia meditantes quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur & factis.* Vbi hæ voces *persistere* & *semper*, sunt præsertim expendendæ.

Sabbato Sancto.

Dom. 6. post Epiph.

II. PVNCTVM.

SED quo magis inter homines fueris, eò minus constanter vera illa & Christiana Ratione constabis, Vt è contra, quo minus inter homines versaberis, eo constantius in illa perstare poteris.

Nam cum illa Ratio potissimum consistat in Veritatibus Euangelicis quæ totæ à mundo siue à mundanis hominibus expugnantur; nisi quis diligentissimè sibi caueat, statim vt audit vniuersos homines suo modo ac more contrario loquentes & sentientes, simul ita loquetur & sentiet, cùm præsertim à natura corrupta tam suauiter eò moueatur vt vix motum percipiat, nisi forte cùm illi resistendum esset quod valde paucorum est, valde rarum, & valde modicum, quia de honore tùm agitur, quia tum à mundo irridetur qui se mundo non conformat; Nemo autem libenter irridetur, sicque fit vt desistat profiteri & sentire & credere quod alioquin pro certo crederet nisi se contrà mundus opponeret. *Propter verbum*, inquit Dominus, *continuò scandalizantur: Credunt ad tempus & in tempore tentationis recedunt* non à mundo, sed à Veri-

Matth. 13.

tate quam oppugnat mundus & quam idcirco deserunt ne & ipsi à mundo simul oppugnentur.

Nonne hoc est quod tam sæpe audiuisti ex Psalte Regio, *diminutas esse Veritates à filiis hominum*, quia scilicet, *vana loquitur vnusquisque ad proximum suum*, id est, sese mutuis colloquiis auertunt à Veritatibus: nam quid aliud loquuntur inter se quàm beatos esse diuites, miseros esse pauperes, miseros mites, & alia quæ totam peruertunt Euangelicam & moralem Christi Doctrinam? Nonne hoc est quod fatentur & deplorant illi omnes qui nondum se ad omnem proiecerunt peccandi libidinem, qui nondum stimulos Conscientiæ retuderunt, nonne hoc vnum præsertim dolent quod aliter viuant ac sentiunt, aut aliter etiam sentire cogantur quàm vellent? Sed quid agerent, inquiunt, sic conuiuendum mundo, sic leges mundi ferunt, secedendum potius à mundo esset quàm à mundanis legibus: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ* & aliis quæ commemorat Apostolus vitiis, quasi diceret, idcirco se ita libidini tradunt, quia desperant se aliter in mundo posse viuere. *Væ mundo à scandalis. Væ væ væ habitantibus in terra. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam*, nempe se adiungit Mundo & Carni contra Veritates & contra Rationem illam quæ hominem vere rationalem, & vere hominem reddit. Pugnandum esset, vincendum esset, persistendum esset, & numquam à pugna cessandum, quandoquidem, *militia & tentatio est vita hominis super terram.* Sed malunt homines cadere quam pugnare, malunt malam pacem quam bonum bellum: Malunt Veritatem in iniustitia detinere quam se iustis teneri veritatis legibus: Malunt denique quod inchoarant probatæ vitæ institutum deserere quàm à mundana vita deseri; Sicque *omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium, OMNES declinauerunt simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

Ps. 11. — Ephes. 4. — Matth. 18. — Apoc. 8. & 12. — Iob 7. — Rom. 1. — Ier. 8. — Ps. 13. & 52.

Vide à primo mundi exortu ad hæc vsque nostra tempora, quàm varius vbique locorum fuerit viuendi status, quam parum constans & firmus! Primi creantur in cœlo Angeli, multis dotati gratiis; At ecce illicò penè omnes deficiunt, & in infernum detruduntur. Formantur deinde in paradyso Progenitores nostri, tam fœlices & beati vt inuidiam Dæmonis in se concitent; sed mox à suo statu excidunt. Natus inde Abel Deum coluit, & signatum super nos Ps. 4.

Digitized by Google

Lumen diuini vultus, id est, insita nostris mentibus Lex naturæ, sacros religionis cultus instituit; At quàm paucis vel personis vel temporibus constiterint, docent hæc Scripturæ verba quæ de ipsis

Gen. 6. mundi proferuntur initiis: *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra; & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pænituit eum quod hominem fecisset in terra.*

Tùm vero pòst sibi selectum Dominus populum fecit quem certis erudiret legibus, bearet præmiis, & puniret pœnis: Nihil illo tamen inconstantius populo; & quantumcumque reuocaretur ad

Ps. 106. meliorem à Deo statum, *Cito fecerunt*, inquit Dauid, *obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius.* Ipsi Deorum fabricatores inanium longe constantiores erant in falsitate sua, quàm veri Dei Cultores in veritate obsequij quo se illi astrinxerant; Vnde ad illos in suæ probrum perfidiæ, mittuntur & audiunt à Pro-

Ier. 2. pheta: *Transite ad insulas Cethim & videte: in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiuscemodi: si mutauit gens Deos suos; Et certe ipsi non sunt Dij: populus vero meus mutauit gloriam suam in idolum!*

At vero etiam in religione Christiana quæ ad firmandam constantiam tam multis sustentatur præsidiis, quis nescit quantus esset in primis eius exordiis feruor & Zelus? Quis verò ignorat quàm parum durauerit, qàm multum intepuerit, quàm pene totus abierit? Et ne longum faciam, percurre si lubet, consequentium annales sæculornm: reuolue animo quàm multi quàm diuersi quàm præclare instituti diuersorum ordinum status, siue quos vocant Ecclesiasticos, siue Regulares, siue Clericos, siue Mendicantes; quàm fœde omnes ante ducentos annos à primaria sua forma desciuerint! Quàm praue omnes in laxatos soluti mores defecerint; Cùm inter illos tamen soli Carthusiani constantes & sibi semper similes in primo suo perstiterint statu, & decore. Non illos longitudo temporum, non disciplinæ asperitas, non naturæ infirmitas, non aliorum exemplum à natiuo suo proposito ne latum quidem vnguem reuocarunt. Idem hodie post sexcentos fere annos qui primo die habitus, idem victus, idem vultus, idem est animus. Iidem omnes quasi vnus Bruno, quasi iam nunc inciperet quod per tam multa & varia propagatum miramur sæculà.

Vnde porro ista est firmitas, vnde talis Constantia? *Ecce*, inquit, *elongaui fugiens & mansi in solitudine!* Solitudo & silentium

cum diuina gratia, singulare hoc opus effecerunt: opus sane tam mirandum quàm est singulare: tam porrò singulare quam caste & sincere custodita fuit illis solitudo & taciturnitas.

Oppositorum eadem prorsus in sua est oppositione ratio. Sicut nimia hominum inter sese consuetudo & familiaritas causa est Inconstantiæ religionis seu Christianæ & religiose pietatis, sic solitudo & silentium causa est constantis in Euangelica Veritate animi, veræque Rationis statu firmiter retinendo, *Propter quod exite* 2. Cor. 6. *de medio eorum & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.*

III. PVNCTVM.

HINC igitur patet quàm sit ex vtraque sua parte, certa Veritas, *Quò magis inter homines, eò minor homo: Et quo minus inter homines fueris, eò major homo euades.* Quia scilicet inde major & constantior pendet illa Ratio quâ qui magis aut minus abundat, major aut minor homo dicendus est: Vnde est illud Prophetæ, *Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit super se.* Quod sic Thr. 3. quidam videntur clarius reddere cum dicunt *quia sedebit solitarius & tacebit, idcirco seipsum leuauit super se*, Id est, major seipso & major homo factus est. Alij tamen adhærentes Scripturæ prout jacet, hunc afferunt duplicem sensum sanè opportunum. Primò, *sedebit solitarius & tacebit quia leuauit super se*, Id est, quisquis se solitudini & silentio dederit, signum est iam magnum esse hominem, & suprà quàm solet fieri, nam pauci hoc faciunt. Deinde vero postquam sic solitarius & taciturus extiterit, major adhuc euadet, & tanto fiet seipso major manens in solitudine, quantò erat aliis eminentior cum solitudinem petiit.

In quem pari modo sensum, Sapientis illud adducas: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Esto firmus in via* Eccl. 5. *Domini & in Veritate sensus tui, & scientia.* Quasi diceretur, si firmus in via Domini fueris, non ventilabis te in omnem ventum: Vel potius, si te non ventiles in omnem ventum, si te turbis non immisces, si te domi religiosè contines, nec multum extra diuageris, tunc firmus eris in via Domini, & in Veritate sensus tui, quia videlicet illa sensus tui Veritas periret foris, quæ domi conseruabitur; Nimis enim verum est quod Isaias deplorauit, *quia corruit* Is. 59.

in platea Veritas: vnde & illud quod ibidem ſequitur apud Prophetam, diſcurſum noſtrum valde confirmat, ſic enim pergit: *Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius quia non eſt Iudicium, & vidit quia non eſt Vir.* Sicut qui intellectu vel iudicio naturali penitus careret, quales ſunt fatui & amentes, non diceretur vir, aut diceretur quaſi non vir quaſi non homo, quia cum Iudicium pars illa ſit hominis quæ homini magis conuenit, quiſquis parte illa deficit, deficit ab homine. Sic coram Deo, Iudicium ſanum & rectum quale ſolum eſt illud quod ſecundum Veritates æternas de rebus iudicat, pars illa eſt in homine qua quantum quiſque fuerit præditus, talis tantuſque vir ſiue homo cenſebitur. Et quia in plateis, ſiue in conferta hominum turba tale iudicium corruit, ſic nullus vir inter eos qui turbas illas nimis frequentaret, eſſe dicitur: aut quanto magis aut minus illas frequentes, tanto major aut minor homo fueris.

At dices, nonne ad neceſſarios vitæ vſus, nonne ad ciuilem cultum, atque ad communem viuendi morem frequentandi ſunt homines, & illa interdum etiam adeunda triuia & compita quæ frequentia hominum celebrantur?

Reſponderi multa poſſunt. Primo, ſapientes & beatos illos eſſe qui ſe inde ſubtraxerunt, & quibus tamen nihil deeſt ad vitam tranſigendam, nam optimam illi partem elegerunt.

Secundo, qui neceſſitate ſuæ Condicionis eò redigentur vt turbas frequentent, neceſſitati ſolum ſeruiant, non curioſitati, non vanitati, non cupiditati, non libidini, nec aliis humanis affectibus qui plurimum ibi exardeſcunt: ſic vtentur hoc mundo, tamquam non vtantur, de quibus apte ſanctus Gregorius: *Sunt nonnulli* (2. Mor. 5.)
qui vt fruantur Deo, diſpenſatoriè vtuntur hoc ſæculo; Et ſunt nonnulli
(l. 18. Mor. c. 25.) *qui vt fruantur hoc ſæculo, tranſitoriè vti volunt Deo.* Et alibi: *Sancti viri nequaquam illas occupationes appetunt, ſed occulto ordine ſibi ſuperimpoſitas gemunt, & quamuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per ſubditam mentem portant, quas quidem ſummopere ſi liceat, vitare feſtinant, ſed timentes occultas Dei diſpenſationes tenent quod fugiunt, & exercent quod vitant.*

Tertio, Laudabiles illi plane ſunt qui vt ſæcularem illum pulnerem excutiant ſe aliquoties in anno à ſolitis retrahunt negotiis, aut ſæpius etiam in menſe, vel in hebdomada, ſalutari ſe dedunt otio quo ſua melius conficiant negotia, ſicut ſuprà paſſim ex mul-

tis Veritatibus patuit, atque in primis ista quæ habetur in 2. p. Dominica Septuagesimæ:

Sicut nemo otiosus operatur in vinea Domini, sic nemo bene operatur nisi otiosus.

Et Feria 2. infra octauas Ascensionis:

Nulli magis necessario secedendum quàm qui minus necessarium sibi putat secessum.

Quartò denique, solitudo quædam est mentis quæ in mediis turbis & negotiis seruari potest & debet, vt docent sancti Patres:

Imò & quo est magis necessarium frequentare homines, magis necessaria est talis solitudo:

Quæ certe Veritas seorsum aut conjunctim cum alia proponi posset, & sic declarari: *Quo est magis necessarium frequentare homines, maius est periculum contrahendæ multæ maculæ qua puritas animæ non parum infuscetur:* Quid enim in animos non efficit necessitatis prætextus? Quos non affectus excitat? Quas non solicitat curas? Quos non timores commouet? Quantùm his deuotio læditur, Charitas, Mansuetudo, Benignitas, cæteræque Virtutes? *Difficile exuitur negotians à negligentia*, vt ait Sapiens. Eccles. 26.

Sed quando tale periculum imminet, tunc illa mentis solitudo magis est necessaria, qua se homo scilicet ab illis humanis affectibus seuocet & contineat; qui sine cura in mediis versetur curis: qui sine metu inordinato caueat quidquid cauendum est: qui nihil eorum negligat quæ sibi agenda sunt, quæ scilicet à se pendent; & nihil eorum aggrediatur quæ sibi Deus soli reseruat; qui res suas vt res Dei vel res Dei tamquam suas suscipiat; aut vt vno verbo dicantur omnia, qui ex multis negotiis, vnum tantum existimet quod est diuinam exequi voluntatem. Tunc suo modo sedebit solitarius & tacebit, aut quantumcumque cum aliis ambulet & loquatur, solus erit interna illa solitudine quæ mundo & mundanis curis animum soluit, & quæ ita suo modo Magnos etiam ex paruis efficit Viros, vt contra, ex magnis parui fiant si se rebus humanis subdant & premi sinant.

Audi rursus sanctum Gregorium, ad illa verba Iob, *Cui dedit in solitudine domum.* *QVID prodest solitudo corporis si solitudo de-* Iob 39.

2.30. Mor. 6.12. *fuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit sed tumultuantibus conuersationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe. Itaque vere conuersantibus primùm solitudo mentis tribuitur vt exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, & ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importunè se efferentium leuium cogitationum quasi quasdam circumuolantes muscas ab oculis mentis abigant manu grauitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, vbi cum illo exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur:*

Vide in 1. p. Die 14. Ianuarij, vbi hæc Veritas exhibetur:
Nemo securè apparet nisi qui libenter latet.
Nemo securè loquitur nisi qui libenter tacet.

Die 15. Octobris.

IN FESTO S. TERESIÆ CARMELITARVM DISCALCEATORVM FVNDATRICIS.

Vna Mulier Hebræa confusionem fecit in domo Regis Nabuchodonozor. Iudith 14.

VERITAS PRACTICA.

Aut pati aut mori, vel confundi.
Aut pati aut mori cum sancta Teresia, vel confundi ab ea, quòd nolis pati.
Quam confusionem Iuditha fecit in domo Nabuchodonozor, hanc Teresia fecit in vniuerso mundo qui nil volebat pati.

RATIO

RATIO postremæ partis quæ alias complectitur hæc est, quod idcirco Iuditha confusionem fecit in domo Regis Nabuchodonozor, quia cum esset mulier sexu infirma, Ducem potentissimi prostrauit exercitus, quod est valde probrosum & pudendum.

Sed sancta Teresia sic vniuersum suo modo prostrauit mundum qui nil volebat pati.

Ergo eandem confusionem in mundo fecit; Ergo confundatur & erubescat quisquis adhuc ita de mundo fuerit vt nolit pati quod patiendum est; & tali confusione perculsus resipiscat & pati discat.

I. PVNCTVM.

QVANDO dixit Apostolus, voluntatem Dei esse Sanctificationem nostram, non hoc sensu tantùm dixit quod Deus vellet nos esse Sanctos, sed quod nostra potissimùm Sanctitas in eo esset perfectè adimplendo quod à nobis singulariter vellet Deus. Neque enim omnia pari vult modo ab omnibus, cum vnusquisque proprium donum & ordinem suum habeat quo sibi perfectam videre possit Dei voluntatem, & in quo proinde vno excolendo tota cuiusque Sanctitas & perfectio sita est. *Virum voluntatis meæ*, sic vocat Deus Sanctum quasi qui desponderit certam Dei voluntatem velut sponsam cui totus adhæreat, & quem illa totum possideat; vt sicut sponsus & sponsa iam non sunt duo sed vnum, sic Vir sanctus & diuina voluntas cuius se fecit virum. *1. Thess. 4.* *1. Cor. 7.* *Is. 46.*

Atque hinc fit vt qui dignas Sancto Viro laudes agnoscere, meditari & prædicare velit, non aliunde oportuniùs possit eas depromere quàm ex illo singulari Sanctitatis gradu quò vocatus est, & vbi Sanctificatus est. In quo certe multi errant qui ex Sanctorum factis ea magis seligunt prædicanda, non quibus Sancti facti sunt sed quibus magis mirabiles, vt & ipsi qui eos prædicant, admirationis quandam partem sibi concilient non Sanctitatem.

Quod præcipue cauendum est in hac nostra celebranda Sancta, quæ cum tota sit mirabilis, tota sublimis, tota Seraphica, nisi diligenter caueatur sic totus abibit discursus in illis mirabilibus com-

mendandis vt quod Sanctitatis eius Caput est deseratur. Habet enim Illa suum donum proprium, suam diuinæ Virtutis certam notam & Sanctitatis tesseram quâ veræ laudes eius continentur. Non sunt porro ectases, non raptus, non volatus, non quidquid huiusmodi magnificentius decantari potest, non istis sancta Teresia sanctificata est, non istis proprium eius donum consistit. Sunt illa quidem stupenda & omni veneratione digna, sed sunt aliis sanctis communia. Quod illa proprium & singulare habet, hoc est *Mulierem esse fortem* quam inuenire sit valde rarum. Prou. 31.

Inuenta est aliquando Iuditha quæ cum aliquot hostes suæ patriæ sublato eorum duce fugasset, hanc Nominis sui celebritatem retulit vt de illa diceretur: *Vna mulier fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonozor!* Insigne profecto fortitudinis ad omnem memoriam facinus: sed quid Rex ille Nabuchodonozor, aut quæ domus eius præ toto Mundo quem vna Teresia suscepit impugnandum & expugnauit? Nonne tanto fortior dicenda est quanto eius hostis erat potentior? Nonne pari saltem iure de illa dici debet Vna mulier fecit confusionem in vniuerso quem vicit mundo? Quid potentius? Quid nobilius? Quid commendatius? Hoc est autem, hoc est proprium & singulare donum Teresiæ quo & eximiam suam Sanctitatem consecuta est, & vnde potissimum peti debet quidquid de illa rectius dici debet. Hoc est quod modo proponitur expendendum quàm illa fortiter mundum vniuersum expugnarit: quàm merito inde mundus confundi debeat, & quàm prudenter ex hac confusione discat sibi prospicere, seque in triumphum Victricis suæ libenter dare, quo & victi vincent, & triumphati triumphabunt. Suprà.

Quamobrem cum Finis practicus iste sit, vt quisquis de mundo est, ex facto sanctæ Teresiæ confundatur & resipiscat, Videndum primo est ex facto Iudithæ, quid sit confundi, quid sit quod in domo Regis Assyriorum dicatur inde orta confusio. Tribus id modis explicari potest. Primus est confundi hoc idem esse quod exterius permisceri, turbari, peruerti, sicut confusus exercitus, confusa turba dicitur cum suum quisque deserit ordinem, & confuse progreditur.

Secundò in animum id transfertur, cum qui confunduntur exteriùs inde fiunt consilij inopes, stupefacti & incerti quid agant, hoc est rursum confundi.

Tertiò denique cùm exterius & interius illi ipsi consequenter pudefiunt & erubescunt quod suam ibi perire famam animaduertant, pudor iste confusio dicitur, quo in sensu hic potissimum debet intelligi. Nam licet aliis duobus modis confusi fuerint Assyrij, licet turbata & dissipata fuerint eorum castra, licet ipsi mente perturbati quaquauersum se fugæ dederint, tamen quod illos peius affecit, hoc vnum fuit quod viderint vel audierint manu fœminæ suum Ducem truncatum, & se ita delusos ac prostratos; quod certe Viris est pudendum, & bellicosis hominibus toleratu difficile. Quod sensit ille quondam Abimelech qui graui percussus à fœmina vulnere, prouocauit armigerum suum vt se interficeret, *Ne dicatur*, inquit, *quod à fœmina interfectus sim.* Sic ipsa Iudith in Cantico suo dum de parta victoria gratias Deo redderet, sic illudens Holoferni à se occiso dicebat: *Dominus tradidit eum in mane fœminæ: non Filij Titan percusserunt eum, nec Gigantes, sed Iudith filia Merari in specie faciei suæ.* Quod & diuino consilio sic factum est vt qui contra populum Dei suis confidentes armis pugnare præsumebant, sic magis vincerentur dum confunderentur, magis autem confunderentur dum à fœmina vincerentur. Sicut quando à muscis & locustis Pharao vexatus est; & Dauidis funda prostratus Goliath: sic infirma mundi Deus eligit vt confundat fortia, & discant confusi fortes fortiorem se agnoscere, non contrà obniti sed potius sese illi submittere ac profiteri quod humiliatus ille Antiochus tandem agnouit, *Iustum est subditum esse Deo.* Confundantur, reuereantur, & reuertantur ad Dominum, Hic finis quem à confusis peccatoribus intendit Deus, vt pudore victi facilius & vltro reuertantur.

Iudicum 9.

1. Cor. 1.

2. Macch 9

II. PVNCTVM.

SED *sancta Teresia velut altera Iudith aut etiam illa major sic vniuersum prostrauit mundum.*

Primo explicandus quis sit ille Mundus, tum deinde quomodo prostratus fuerit. Cùm autem varia Mundus significet tum hîc præsertim sumitur pro malis aut imperfectis hominibus qui se Bonis opponunt aut qui meliori bono aduersantur, siue id fiat aperta vi, siue oppositis moribus, siue suppositis rationibus, siue illatis

probris, aut facetis dicteriis, siue id tandem quocumque fiat modo: dum virtuti & perfectioni se opponunt, ac modus ipse quo se opponunt quicumque prorsus illi fuerint, Mundus dicuntur, Mundus qui non cognouit saltem in praxi, Dominum; Mundus qui cum carne ac Dæmone conspirat in animarum perniciem: Mundus qui quo est blandior eo est perniciosior: Mundus qui quod clandestinè machinatur Dæmon, aut tacite Caro, palam & apertè profitetur ac prædicat: Mundus qui fidem Euangelic non omnino abrogat, sed quidquid est austerius in Religiosorum claustra procul amandat: Mundus qui se his etiam religiosis insinuans claustris, ad Nouitios remittit quæ sunt primi feruoris, & perfectioris instituti: Mundus qui plus deferens carni quam spiritui, plus tempori quàm æternitati, cauet diligenter ne quid admittat quod vitæ obsit vel sanitati: Mundus qui nimiam difficultatem in his quæ non placent causatur, & qui nimiam difficultatem velut impossibilitatem interpretatur: Mundus qui Conscientiæ pacem, & vitæ laxitatem sic vellet simul conjungere, vt dum laxius viueret, Conscientiæ pacem seruaret: Mundus qui naturæ corruptionem pro Naturæ lege statuit, & qui talem naturæ legem, legi Gratiæ præponit: Mundus qui quod in aliis bonum ædificat, in se imprudenter destruit, & quod in aliis destruit malum, in se latenter ædificat. Mundus denique qui virtutes humilitatem, patientiam & alias satis commendat, sed qui nollet humiliari nec pati, nec alias virtutum tenere vias.

Hic est Mundus, hi sunt homines, hæc est viuendi ratio quæ tum præsertim in toto terrarum orbe vigebat cùm Teresia viueret proxime scilicet præcedenti sæculo circa salutis annum quingentesimo & tricesimum supra millesimum. Nunc videamus quomodo hunc deuicerit mundum.

Multis id modis dici posset. Primò cum adhuc duodennis legisset vitam Sanctorum & quæ passi erant Martyres pro fide Christiana propaganda, iam ex illa ætate tantùm exarsit in amorem Dei, vt relicta domo paterna se in viam vnà cum fratre dederit qua Mauros, Turcas, Saracenos, & alios fideī hostes peteret vt ab illis vel in seruitutem redigeretur vel necaretur. Hoc est certe mirum & planè nouum: Nam quod alij multi fuerint Martyres, & nonnullæ etiam puellæ, ratio erat euidens quod inter Inimicos Christiani nominis versarentur, vel ab istis ita quærerentur ad ne-

cem vt vel moriendum esset vel fides abiuranda. Sed nihil hîc tale est, nulli hostes, nulla persecutio, nullum periculum, nulla occasio: domi resideat, templum adeat, ibi oret, ibi Sacramenta frequentet, nonne illi ætati satis erat ad colendam pietatem? Erat certe satis cuicumque alteri, sed non Teresiæ quæ iam aliquid grandius ad mundum superandum ex illa prima ætate meditabatur. *Nempe hæc est Victoria quæ vincit mundum fides nostra.* Verum cum ex illo itinere reuocata in domum fuerit & suis reddita parentibus, non immoremur diutius in illa prima Mundi Victoria. 1. Ioan 5.

Secundo itaque dici posset quod Mundum vicit quando non longè post illum suum reditum à quærendo martyrio, religiosum ingressa est institutum. Hoc est quod vulgò dicimus Mundum deserere, & cum multa sint in mundo quæ hoc diuinum opus impugnent & impediant, quando illa superantur obstacula, tunc dicitur vinci mundus, sicut & vincuntur Dæmon & Caro quando eis resistitur, *Gratias Deo*, ait Apostolus, *qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*, nempe illorum victoriam qui se opponebant nostris conatibus. Erant porro tria in mundo quæ singulariter Teresiam retardare poterant; Primum, tenera & infirma valde complexio; robustos namque ac validos requirit religiosa professio. Secundum, sublimis quædam & generosa indoles quæ nihil infimum & seruile sapit, sed sursum semper eminens, nil nisi dominari appetit, quæ certe naturalis constitutio multum abhorret à claustrali vitæ forma quæ tota est in humili obedientia, quæ tota est in elatione deprimenda. Tertium denique quod aliis erat grauius, mutuus erat parentum amor qui vtrimque filialem animum non mediocriter impetebant: Quâ enim parte diligebatur à suis, ô quæ vincula! Quæ retinacula! Et qua parte suos diligebat, ô qui sensus: ô quæ certamina! Vicit tamen, vicit hæc omnia religiosus animus, & naturæ infirmitatem, & indolis appetitum, & parentum affectum: & se in Sacram Carmelitarum familiam admitti petit, vrget & impetrat. Quæ certe mundi victoria non potuit non esse gloriosa, sed potuit esse communis aliis, & est aliquia in Teresia singularius quo Mundum vicisse dicenda est. 1. Cor. 15.

Erat illa Carmelitarum Religio religiosa quidem & quantum ferebant illa tempora, suis astricta regulis: sed non ferebant tempora multum districtas regulas. Remiserat nonnihil à primæuo Instituti feruore ac rigore status domesticus: Victus, vestitus, ser-

mo, congressus, non ita parcus, non ita durus, non ita grauis: Molliora permittebantur plurima: mitius agebatur cum corpore: mitigatum erat vitæ genus: sic toleratum, sic permissum, sic passim ad omnibus vsitatum. Viginti totos annos in hoc viuendi genere Teresia posuit, sed non plures. Audiuit, legit, considerauit quæ prisca fuerat Primorum ordinis forma: Quid sanctus Albertus ante quadringentos annos stricte ac sancte constituerit, quid consequentibus post sæculis religiose seruatum fuerit, reuocauit in mentem, & alte penitus in animum iniecit suum, quo cœpit ipsa in se ingredi, ratiocinari, circumspicere omnia, conferre præterita cum præsentibus, mirari disparitatem, tædere laxitatis, suspirare ad illa quæ fuerunt, audere aliquid in se priuata, tum vni aut alteri sororum familiarium idipsum communicare, ac denique totam quam habitabat domum, totum quem profitebatur ordinem, ac ipsum vniuersum si posset mundum, incipit velle in melius restituere, reformare, redintegrare.

Quale opus, Deus immortalis, quale hoc opus, vt vna tam multos conuertat, vna tam multos viros mulier, indocta doctos, Infirma fortes, egena diuites? Sapisne Teresia cùm de aliis, cum de Viris, cum de Superioribus cũ de toto cogitas Ordine suam in pristinam restaurando disciplinam? Quid dices, quid facies quod illi Viri non statim refellant & repudient? Priscum institutum allegabis: At dicent esse priscum, & iam aliud in vsu esse. Tu reuocandum illud vrgebis: At illi causam cur non reuocetur hanc eandem adhuc esse quæ aliquando fuit vt mutaretur. Tu causam sciscitaberis: Et illi protinus, naturæ infirmitatem, debiliores corporis vires, & iniquiora esse tempora quàm vt strictius seruetur regula, respondebunt, probabunt, confirmabunt. Tu quid dices? Nonne tu ipsa sentis quàm sis infirma, quàm sis inualida? Negabisne quod ipso sensu magis in dies experiris? NON negabo, inquit, infirmitatem meam, sed simul tamen audebo cum Apostolo dicere,
2. Cor. 12. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Date mihi hanc veniam si libentius loquar, dum vires nostras nimis deprimitis, vires ipsas humanas nimis extollitis, quasi possimus aliquid ex nobis tamquam ex nobis! quasi possemus ex nostris viribus si robustiores essent, perfectionem attingere. Quasi à nobis alij fuerint qui primi nostrum fundarunt institutum.

Non est istud negotium, non est humanis metiendum viribus,

ſed diuinis ſuſtentandum conſiliis ac præſidiis. Qui dedit velle, dabit poſſe ac perficere. Dedit vero velle quidquid perfectius eſt, qui dedit velle pati. Non poſſe prætendimus, ſed nolle in cauſa eſt. Cauſa eſt inquam totius laxitatis diſciplinæ, nolle iugum Chriſti ferre, nimis amare vitam, nimis timere mortem. Non poſſumus quidem non pati, neque ad hoc promittitur gratia vt non patiamur nec moriamur, ſed poſſumus velle pati ac velle mori, atque hoc eſt quod noſtræ nobis confert Vocationis Gratia. Hoc eſt quod ipſa ſentio, pari ſenſu cum infirmitatibus meis. Continuus mihi dolor eſt capitis: hunc dolorem volo & dolor mihi ſuauis eſt. Languentem pene ſemper ſtomachum gero; ſed languor iſte placet & viuo fœlicior quàm ſi non languerem. Inſtantem mihi mortem intentant quotidiana cordis deliquia, ſed mortem illa tam lubens volo, & adeo non eius pericula metuo quin mihi potius hoc vnum in votis eſt, *AVT PATI AVT MORI.* Si viuo, mihi patiendum eſt: aut niſi patiar, mihi moriendum: adeo pati ſuaue eſt volenti, vt vita ipſa ſit inſuauis niſi viuendo patiar.

Timetis mihi à tam infirmo corpore ne diutius viuam, ego vero vt viuam longe alia mihi quæro quæ patiar. Date mihi vni totum illud ſimul collectum quod ſingulis ſeorſum aliis diuiſum eſt, hoc ego quæro quod patiar; neque ceſſabo quærere donec omne genus tolerantiæ mihi conciliauerim & meum fecerim, ieiunia, nuditatem pedum, flagella, cilicia, ſilentium, ſolitudinem, contemplationem, correctiones, humiliationes & quidquid rerum eſt huiuſmodi, res illæ meæ ſunt, & in illis ferendis tam arcte velim conſtringi, vt quoties major aderit Dei gloria, ſingulari voto me obligare decernam, ne vlla in parte penitus mihi laxari & indulgeri poſſit.

Quid his rurſum opponeret Mundus dictis videri poteſt fuſius in eius conſcripta vita; ſed vide etiam quàm conſtanter contra obſtiterit, quam fideliter cuncta quæ dixit ſe poſſe & velle in Domino, ſit exequuta; quàm fœliciter ſuum Ordinem in priſtinum arctioris vitæ ſtatum reuocarit; quàm fortiter idcirco aduerſa quæque obſtantia pertulerit, & tandem ad optatum finem perduxerit, Vide hæc attentius & agnoſce num ſit hoc Mundum illum vincere quem ante deſcripſimus, cùm vincere mundum in Scripturis nihil ſit aliud quam contra mundanos ſenſus & ſermones ſic pugnare vt à malo ad bonum, vt à bono ad melius quo te diuina

vocat gratia te conuertas & alios qui te vident & audiunt. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite quia vici mundum*, quasi diceret Christus suis, sicut vici mundum sic vos oportet vincere: sic autem vici dum pressuras eius lubenter tuli, & propterea non deerunt vobis pressuræ ne vincendi desit occasio. Confidite porro in aduersis quia sic semel in me vici mundum, vt semper in vobis vincam; Quò illud sancti Ioannis refer, *Major est qui in vobis est quam qui in mundo*, nempe ipse Christus in nobis vincens.

Ioan. 16.

Ioan. 4.

III. PVNCTVM.

HINC igitur ad praxim concludendum, *aut pati aut mori*, quo sensu id dicebat sancta Teresia; *vel confundi*, quo sensu dictum est de Iuditha *quod confusionem fecerit in domo Regis Nabuchodonozor*. Quo enim sensu id dictum est nisi quia pudendum est viros alioquin bellicosos à fœmina vinci? At nonne hoc idem patet ex Teresia? Nonne illi homines ab ea superantur qui negabant tanta posse homines pati quanta religiosus ordo si arcte seruaretur, patienda complectitur? Quid est in hoc certandi genere superari nisi conuinci falsitatis aut pudendæ ignauiæ?

Nonne porro sic conuincuntur quando Hæc totum id præstat & exequitur quod illi negant se posse? Nonne sic funditus, nonne sic à fundamentis quodammodo subuertuntur, quando Quæ est inter illos infirmior id libenter & perfecte agit quod illi dicunt præ humana infirmitate non posse agi?

Hoc enim vnum est vt iam dictum fuit, hoc vnum in quo fundant & statuunt suam laxitatem, nempe humana infirmitas; Et ecce illa ipsa humana infirmitas longe fractior & debilior in inualido illo Teresiæ corpore quàm in viris ætate & robore firmis & validis; nec tamen impedit quo minus arcta viuat in disciplina, quid sequitur nisi quod ergo conuincuntur apertæ falsitatis, & probrosæ cuiusdam ignauiæ, quæ tantam menti confusionem & pudorem ingerat vt sui prorsus pœniteat, sicut ait Propheta, *Confundimini & erubescite super viis vestris*, vt vel inde demigrent ad strictiores, vel saltem non accusent in viis suis humanam infirmitatem, nec se idcirco excusent.

Ez. 36.

Quod certe Christo Domino ac sanctæ Teresiæ gloriosum, & nobis perutile sic confundi & conuerti. Christo quidem, quia sic eius

eius Virtus Gratiæ manifestius apparet; sic eius Incarnationis consilium apertius manifestatur quo nempe decreuit infirmis firma confundere; sic eius exemplum infirmitatis validius roboratur, cur enim ita infirmus in horto Iersemani fuerit vt tremeret vt pauerer, hoc ipsum est quod infirmam fecit Teresiam, vt ex vtroque simul constaret non esse malum aut probrosum quod infirmos se sentirent homines sed quod infirmitati cederent.

Sanctæ hoc etiam Teresiæ perhonorificum fuit sic seruire Diuinæ gloriæ, sic mundum vincere, sic illum Euangelio subjicere. Quid enim amplius Sancti præstant Doctores quam rectas Dei docere vias, quas Illa verbo & exemplo demonstrauit? Quid ipsi Martyres fructuosius ad Euangelium contulerunt quam vt essent Testes eiusdem Veritatis Euangelicæ quam Teresia palam professa est contra quosuis impugnantes? Quid denique magis Apostolicum & Diuinum quam sic cooperari Christo in reducendis ad eum animis?

Si Debboræ gloriosum fuit in pugnam se dare contra hostes Dei cum vix vlli auderent viri contra ire, cur non Teresiæ quæ hoc sacrum certamen suscepit quod memoratum est? Cur non de illa hoc ipsum dicatur quod Scriptura refert: *Cessauerunt fortes in Israel & quieuerunt donec surgeret Debbora, surgeret Mater in Israel; Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* Iud. 5.

Cur non Idem ac de Iuditha: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum?* Iudith. 15.

Adde quod ex hoc vno quod magis pati appeteret quàm viuere, tot eius perfectissimæ Charitatis actuum licet exempla colligere quot vitæ actus edidit. Nam quò est purior Charitas ab omni eo quod non est Charitas, eò est major & perfectior: tunc autem est profectò purior Charitas quò se suaque quis minus quærit; Minus se vero quærit qui pati appetit, nam solus patiendi timor nos nobis retinet; vnde vides quo vsque prouehi perfectionis potuerit, & quam apte propterea dictum à sancto Iacobo, *Patientia opus perfectum habet.* Iac. 1.

Denique nostra inde vtilitas effusè profluit; Primo quidem quod ab illa Sanctissimum habemus ordinem cum Virorum tum Virginum cuius non solum exemplo moueamur, sed etiam precibus & meritis singulariter adiuuemur. Hoc enim sancta Teresia

singulare voluit in hac sua tota Familia vt non magis sibi quam toti mundo laborarent, eò sua referrent omnia, quò ipse Christus ad æternam animarum salutem: Nec sibi aliter persuadeat soror vocationi suæ satisfacere nisi dimidium vitæ det peccatoribus conuertendis. O quale beneficium tam peruerso mundo collatum! Nescis peccator vnde aliquando tam boni motus resipiscentiæ tuum occupent animum! Carmelitani ordinis hic labor, hoc opus est. Et vos ô fœlices animarum Zelatores qui plures quam sciatis in æternam prouehitis beatitudinem, hoc ipso fœliciores quo minus hoc scitis.

Deinde verò, nos in partem datæ confusionis venimus, noster est iste pudor, nostra hæc verecundia, qui nil minus quam pati volumus, & nil magis quam infirmitatem prætendimus. Detecta, detecta est hodie malignantis naturæ dolositas quæ se fingit non posse quod non vult: quia nolle non ita excusatur sicut non posse. Sed fictum est & suppositum illud non posse: posses si velles, hoc te docet Teresia, nec magis deinceps excusaris dicendo te non posse, quam si te nolle diceres; potes amice Lector, potes pati si velis: qui vult autem libenter pati, potest id omne quod ait se non posse qui non vult pati. Solus hic defectus est quod nolis pati, defectus autem est non potestatis sed voluntatis. Hinc omne vitium ab impatientia sicut paulò ante dicebatur, omnem esse virtutis perfectionem à patientia. Quod grauis Author aperte pridem docuit: *Matrix impatientia in omne delictum diffundens de suo fonte varias criminum venas. Omne peccatum impatientiæ ascribendum. Malum, impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis.* Id est, cum sit opus pati ad virtutem exercendam: qui non vult pati, non vult virtutem, & vult oppositum vitium; Vnde hic triplex voluntatis defectus est, nolle pati, nolle virtutem, & malle vitium.

Tertull. de patientia.

At cum primus horum defectuum sit nolle pati, reliquos sustulit qui primum auferat & qui libenter velit pati.

O quantum debet Mundus Teresiæ quæ tam breuem salutis ac totius perfectionis viam aperuit, aut apertam monstrauit! ô quantum Illa mundo exprobrabit quod tam breuem & apertam salutis viam non introierit!

Vide in 2. p. Fer. 3. Dominicæ 1. in Quadragesima. Fer. 4. Paschæ. Et Feria 5. Pentecostes. Vbi hæ seorsum Veritates demonstrantur.

Ab imitando Christo excusantis humanam infirmitatem infirma est & nulla excusatio.

In infirmitate virtus: In impotentia potentia.

Qui non satis audet in magnis, nimis audet in paruis.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Die 18. Octobris.

Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. 2. Cor. 8.

VERITAS PRACTICA.

Quæ laus Sanctorum est in Euangelio maxima: laus est Sancto Lucæ maxime propria.

RATIO EST, *Quia laus Sanctorum quæ in Euangelio maxima recensetur, est continua Crucis mortificatio.*

Atqui hæc est sancto Lucæ laus maxime propria.

Ergo & quæ est in Euangelio maxima, Illi maximè & propriè conuenit: Quæ cum sit simul valde practica, non minus erit Consideranti vtilis quàm Sancto gloriosa.

I. PVNCTVM.

QVOD de Christo Domino ac sancto Ioanne Baptista dicitur qui mutuum de se testimonium perhibuerunt, hoc ipsum de sanctis Paulo & Luca dici quodammodo potest qui de se inuicem sic suis scriptis testantur, vt quemad[illegible] Lucas Paulum in illo quem de actis Apostolorum scripsi[illegible] libro luculento celebrat, sic Paulus Lucam passim in episto[illegible] egregiè

prædicet ; atque in illa præsertim quam ad Corinthios secundam
C. 8. scripsit, vbi paucis multa complectitur ; *Misimus*, inquit, *fratrem cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias : non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram* ; Quæ postrema verba quàm sint insignia patebit clarius, si prima illa prius expenderimus, *Cuius laus est in Euangelio :* Non enim solùm Apostolus Euangelistam laudat quod scripserit Euangelium valde accuratum & omni laude dignum, sed quod Euangelio conformem vitam ageret, seu quod ita laudabilem se præberet vt quæ laus Sanctorum est in Euangelio præcipua & maxima, laus hæc illius esset. Quod certe est consideratione dignissimum, siue vt intelligatur attentiùs quænam vitæ degendæ laus sit in Euangelio maxima, siue vt agnoscatur apertiùs quàm verè sancto Lucæ conueniat, indéque nobis ad praxim quid conferri possit.

Is. 10. Rom. 9. De primo, iam supra dictum est Christum Dominum Sacri Authorem Euangelij dici à Prophetis abreuiatum verbum simul & abbreuians, quòd in Euangelio tota vetus Scriptura sic esset abbreuiata vt ipse etiam Christus Euangelium abbreuiarit, cum dixit
Luc. 9. *Crucem vnicuique suam quotidie ferendam esse. ECCE in Cruce totum constat, & in moriendo totum iacet, & non est alia via ad vitam,*
L. 2. de Imit. Chr. c. 12. *& ad veram internam pacem nisi via sanctæ Crucis, & quotidianæ mortificationis.* Hoc signum Christiani, hæc Euangelij tessera, hic
Gal. 5. electorum Liber scriptus intus & foris. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, hac illi nota designantur. Hoc in ipso primo ad Christum introitu, denuntiatur, cum in baptismo vetus homo cruci affigitur quam baptisatus num-
2. Cor. 4. quam deponat vt possit cum Apostolo dicere : *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur, propter Iesum : vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali :* Vnde & concludit, *Ergo mors operatur in nobis.* Id est, ergo hinc concludendum quod si quid operamur laude dignum, hoc [illegible] in Cruce & Morte est : hæc est Crucis mortificatio quæ cum [illegible] totum in nobis operatur. Nihil enim ad cuiusque rei per[illegible] aptius quam quod ei primùm esse contulit ; Vnde cum à Christo Cruce & morte vita nostra spiritalis effluxerit, in vna

cruce propterea perfectius promouetur, & quidquid in toto laudabilius Euangelio prædicatur, hoc à Cruce ferenda totum depromitur. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, ait Dominus: quasi diceret, nihil habet quo à me meoque Euangelio commendetur, quasi diceret, qui autem accipit Crucem suam hic est me dignus, hic est quem singulariter meum agnosco, hic est quem commendo & prædico. Matth. 10.

II. PVNCTVM.

A*TQVI hæc est Sancto Lucæ laus maxime propria.* Sic enim expressis de Illo verbis Ecclesia, dum eius interuentionem à Deo postulat: *Interueniat pro nobis, quæsumus Domine, Sanctus tuus Lucas Euangelista, qui Crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit.* Obserua illud *iugiter*, quasi hoc ipsum esset quod vox Euangelica *quotidie* quam vsurpat Luc. 9.
Dominus vbi de Cruce ferenda sermonem habet: quasi hæc ipsa esset nostra Propositio, quod talis omnino fuerit sanctus Lucas qualem vult Dominus in Euangelio. Quod profecto sic expresse de illo non diceret Ecclesia, nisi singulari hac laude commendaretur; Nam orando Deum vt apud Ipsum interueniat pro nobis sanctus Lucas, hanc rationem adjicit velut motiuum quo nitatur oratio, *qui Crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit*; Quod nisi esset verum, destrueret potius orationem quàm firmaret.

2. Confirmatur vero egregiè postremis illis Apostoli verbis quæ huc declaranda remisimus, *Non solum autem*, inquit, *laus eius est in Euangelio per omnes Ecclesias, sed & ordinatus est ab Ecclesiis Comes peregrinationis nostræ*, quasi diceret, sic omnium iudicio mortificandæ carni & ferendæ cruci studebat, vt dum passim quærerem peregrinationis meæ Comitem qui tam multa pericula quibus quotidie peregrinando exponor, mecum ferret, oblatus Ille sit & constitutus quasi aptissimus omnium iudicaretur, quòd satis innotesceret quàm iugiter in suo corpore Crucis mortificationem portaret.

Quod si porrò talis esset dum Paulo datus est comes, qualem putas extitisse dum Apostolum peregrinando comitatur? Nostine Paulum Apostolum? Audistin quas Ille peregrinationes per vni-

2. Cor. 11. uersum mundum susceperit, & quæ tùm pericula subierit? *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci; nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.*

At Paule, nullumne habes comitem peregrinationis tuæ? Nullumne qui te tantis in periculis comitetur? Habeo, inquit habeo fratrem illum cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, 2. Tim. 4. quem & Timotheo nominatim designans, *Lucas est*, inquit, *mecum solus.*

Certe hoc mirum, non iam quod Lucas sit comes Pauli, sed quod solus sit comes, quasi duo illi soli pares essent tot ferendis periculis: quasi duo illi velut boues Euangelici iuncti essent eidem iugo, sicque simul vniuersum peragrarent & excolerent terrarum orbem.

O mira certe nostri laus Euangelistæ! Numquid propterea bo- Ez. 1. uis similitudo præ cæteris illi conuenit ex illo mystico Prophetæ curru qui à quatuor animalibus trahitur? Non improbandum quod ait sanctus Hieronymus de sacrificio Zachariæ Sacerdotis à quo suum Lucas Euangelium inchoat; Sed neque Is aberret qui dixerit bouis similitudinem Lucæ præsertim competere quòd singulariter cum Apostolo, terras Infidelium peragrando, laborem suum contulerit: & per iugem illam Crucis mortificationem quam portabat in Corpore suo, suum Corpus exhibuerit velut sa- Rom. 12. crificium, *velut hostiam viuentem, Sanctam, Deo placentem*, qualem Ipse describit Apostolus, & qualem optat Dominus.

III. PVNCTVM.

CERTA est igitur Veritas quòd *quæ laus Sanctorum est in Euangelio maxima, laus est sancto Lucæ maxime propria.* Quia laus illa est quæ illi per omnes Ecclesias hodie datur quod Crucis mort-

tificationem iugiter in suo corpore pro Dei honore portaret, & portandum doceret; & quod supremæ laudis est, sic etiam apud Deum mereretur vt singulariter pro nobis interueniret & gratiam obtineret ad eandem scilicet Crucis mortificationem nostro in statu portandam.

Opportunè autem obseruat sanctus Augustinus in sententiis S. se. 132. quod *sicut duo sunt officia medicinæ, vnum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: ita sunt duo gratiæ dona & mortificationis opera, vnum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseuerare virtutem.* Quasi diceret, vnum ad malum euitandum, & aliud ad bonum iugiter peragendum; Nam nisi carnem mortificaueritis, secundum carnem viuetis, *si autem secundum carnem vixeritis, moriemini: mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram*, ex quibus sancti Apostoli & Augustini verbis aperte liquet quod non minus sit necessaria vitæ spirituali mortificatio, quàm vitæ corporali medicina. Quem in finem aptè quod sanctus Lucas medicus fuerit, & comparandæ nobis medicinæ modum & praxim quà verbo & exemplo docuerit. Quò forte spectat illud Apostoli: *Salutat vos Lucas medicus carissimus.* Cur enim medici mentionem faceret nisi ad aliquid medicinæ spiritualis attenderet? Vnde Diuus Hieronymus: *De medico corporum*, inquit, *in Medicum est versus animarum.* Et de illius scriptis sic præclare, *Si nouerimus eorum Scriptorem esse Lucam medicum cuius laus est in Euangelio, animaduertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.*

Rom. 8.
Coloss. 3.
Colloss. 4.

Ex multis hæc pauca quæ Ille vnus refert collige, quæ sint tam familiaria & vsitata vt in mentem succurrant hoc ipso momento temporis quo aliqua trium cupiditatum vnde omnes animæ profluunt infirmitates, te inuaserit. Contra cupiditatem opum: *Væ vobis diuitibus quia habetis consolationem vestram.* Contra cupiditatem Luc. 6. laudis & gloriæ: *Væ cum benedixerint vobis homines: Vos estis qui iu-* Ibid. *stificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra, quia quod* Ibid. 16. *hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Stupenda sanè sententia. Contra cupiditatem carnis: *Attendite vobis ne forte grauen-* Ibid. 21. *tur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: Tamquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* Nonne hæc sunt certa cupiditatum medicamenta? cur non his vteris? cur excusas in-

firmitatem cùm habeas præsentem medicinam? Nonne hinc potius argueris quod præsente medico totque salubribus præsentatis medicamentis nondum conualeas? Nonne toties audiuisti quod
Ier. 8. vel semel audiuisse sufficeret: *Numquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix?* Ratio in promptu est quia sanari non vis. Sed an putas, proba hæc ratio?

Vide in 1. p. Fer. 5. Hebd. 6. post Epiphaniam. In 3. p. Fer. 2. Hebdom. 12. In 4. p. Fer. 5. Hebd. 18. vbi de defectu voluntatis nostræ circa sanitatem & salutem animæ.

Videri etiam potest in 3. p. Hebdomada decima quæ tota ex hodierno Euangelio de missis ad prædicandum Discipulis.

Die 21. Octobris.

IN FESTO S. VRSVLÆ, ET SOCIARVM VIRGINVM AC MARTYRVM.

Multæ filiæ congregauerunt diuitias, Tu supergressa es vniuersas. Prou. 31.

VERITAS PRACTICA.

Ad congregandas cœli diuitias nihil aptius quàm aptum fieri ad congregandas cœlo animas.

RATIO EST *plana & obuia, nam ad congregandas cœli diuitias nihil aptius quàm multa & multùm posse mereri.*

Sed aptum fieri ad congregandas cœlo animas, hoc est multa & multum posse mereri.

Ergo ad congregandas cœli diuitias, nihil aptius quàm aptum fieri ad congregandas cœlo animas; Quo in præstanti opere cum excelluerit sancta Vrsula, mirum quantas sibi congregarit diuitias,

tias, & quantis sibi congregandis viam his aperuerit, quibus datum est eius exemplo congregare & nutrire cælo animas.

I. PVNCTVM.

SANCTVS ille Doctor qui ab ore aureo nomen accepit, & vulgò Chrysostomus dicitur, vix vnquam purius & abundantius ex ore suo fundit aurum, quàm cum de Virginitate & Virginibus sermonem habet; Nam præterquàm quod singulares de hoc argumento tractatus edidit, nulla se passim in totis quas explanat Scripturis offert occasio, quin tantæ Virtutis præstantiam profusiori prosequatur eloquio. Cum verò Parabolam de decem Virginibus quarum erant quinque sapientes, & quinque fatuæ declarandam aggreditur, quærit studiosè ac solicitè quid sit quamobrem Dominus hanc in persona Virginum instituerit; cum præsertim in ea videatur paulò indignius habere virgines quas & fatuas nominat, & expellit à nuptiis, & se nescire affirmat.

Respondet ipse Sanctus Doctor tantùm abesse vt hinc aliquid de virginitatis dignitate detrahatur, quin potius illi multum inde accedat. Nam cùm illius parabolæ finem ac scopum sibi præscriberet Dominus Vigilantiam in bonis operibus, & præsertim in his quæ ad iuuandos proximos conferuntur valdè commendatam reddere, non iudicauit id aptius & efficacius posse fieri quàm ex alterius comparatione Virtutis quæ iam satis commendata censeretur, cui tamen cum præferret Vigilantiam, tanto inde altius Vigilantiæ commendatio cresceret, quanto Virginitas quam illa excedebat esset alta & sublimis virtus.

Non dicit quidem Christus quàm sit alta & sublimis sed supponit iam ante dictum, aut per se satis patere, quo præsupposito sic euidentius quod intendebat concludit maximam igitur & commendatissimam esse Vigilantiam quæ Virtuti tam magnæ & tam multoties commendatæ præferretur. Quæ certe Conclusio non valeret nisi euidens esset quàm magna & quàm multum commendata esset Virginitas. Posita verò hac euidentia, multum sanè valet Conclusio quæ ex duobus laudabilibus inter se comparatis infertur magis esse laudabile quod est præstantius, & tanto id magis.

laudabile quanto illud alterum cui comparatur & præfertur, multa erat laude dignum.

Sic planè de Sancta Vrsula nobis hoc hodie liceat vsurpare: Liceat nobis inde agnoscere quantis sit digna præconiis, ex aliarum comparatione Virginum quibus dignitate ac meritis longè præeminet: liceat primo admirari quàm ex tot millibus nullæ essent fatuæ, nullæ sine lampadibus nec sine oleo, nullæ sine tali affectu puritatis & amore Dei quo paratæ omnes essent ad quæuis subeūda potius supplicia quàm vel leui puritatem exponere periculo: quam essent omnes denique sapientes, vigilantes & quales Sponsus ad sui proximum requirebat aduentum; quibus tamen singulis & simul omnibus cum vnam videamus præferri Vrsulam, nonne hinc est quod insigniter commendetur: & tanto certe insignius atque illustrius quantò illæ quibus comparatur & quibus antefertur, erant insignes & illustres?

Hoc est scilicet quod intendebat Sapiens cum fortem vellet Mulierem prædicare: confert illam cum multis aliis prædicandis, tum deinde præfert, atque ita tantò magis commendandam ostendit quanto aliæ seu numero seu merito poterunt commendari. *Multæ*, inquit, *filiæ congregauerunt diuitias, Tu supergressa es vniuersas:* quo nomine diuitiarum intelligi possunt quæque dotes internæ vel externæ, temporales vel cœlestes, quibus ornata Mulier suam inde haurit & subministrat proponendam dignitatem. Quænam vero aptius multæ simul considerari possent Filiæ, quæ nobiliores sibi congregarint diuitias quàm multæ illæ quibus singulari prouidentia contigit vt Virginitatis gloriam Martyrij palma decorarent? Aut quænam Mulier fortior cui verius diceretur, *Tu supergressa es vniuersas*, quàm Illa quæ se omnium Ducem, Magistram, & Hortatricem fecit ad tam illustre facinus aggrediendum & glorioso exitu consummandum? Cum illæ porro diuitiæ quas sibi sua Virginitate suoque martyrio sacræ filiæ congregarūt sint spirituales, cœlestes & diuinæ, tantæque numero quanta illa fuit Virginum & Martyrum multitudo, quis cogitando possit concipere, vel dicendo enarrare quibus quantisque diuitiis, quantis gratiis, quantis donis ac meritis cumulata sit Illa quæ supergressa est vniuersas?

Id autem vt illustrius pateat, atque etiam vt fructuosior ad nos discursus deriuetur, propositam priùs exponamus Veritatem, &

videamus quàm sit vniuersim verum quòd congregandis sibi cœli diuitiis, id est, veris ac solidis bonis, id est, æternæ beatitudini nihil aptius sit quàm aptum fieri ad congregandas cœlo animas, Id est, quàm se exemplo sanctæ Vrsulæ pro suo statu & gradu comparare, ac omnibus modis exhibere ad catecheses habendas, ad instruendos quosque obuios de Fidei nostræ mysteriis, de peccatis euitandis, de Virtutibus acquirendis, de salute operanda, de cœlo denique possidendo. Hi sunt videlicet hi sunt de quibus singulariter dicitur: *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Id est, præ aliis in cœlo Beatis insigni quodam radiabunt fulgore beatitudinis, quasi ex abundantia gloriæ, diuitiarum, & deliciarum cœlestium quibus illi perfruentur. *Dan. 12.*

Et ratio est euidens, ipsisque nota terminis; Nam sicut cœlestes illæ diuitiæ non dantur nisi meritis quæ per Christi gratiam hic comparantur, sic profectò quantò quis vel plura numero merita, vel dignitate insigniora sibi suis laboribus compararit, tantò in cœlis plures sibi diuitiarum thesauros cumulat de quibus dicebat Dominus: *thesaurizate vobis thesauros in cœlo, THESAVRVM non deficientem in cœlis,* id est, vestris id vobis comparate meritis vt quàm plures cœli diuitias possideatis quæ non dantur nisi meritis hic acquisitis: *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* Vide quæ plura passim obuia. *Matth. 6. Luc 12.*

II. PVNCTVM.

SED aptum fieri quo sensu diximus ad congregandas cœlo animas, hoc est multa & multùm posse mereri: hoc est multa numero merita, & valore insignia sibi cum gratia comparare.

Nam opus istud, opus est eximiæ Charitatis ex qua quisquis operatur, multum omnino meretur. Deinde vero est plurium simul conjunctarum Virtutum, ex quarum actibus sæpe frequentatis multa numero merita cumulantur. Sic enim Zelus, Humilitas, Mansuetudo, Patientia, Fortitudo, Temperantia, Pietas, multæque aliæ non semel aut transcursim sicut in aliis Deuotionis exercitationibus Virtutes exercentur, sed multoties, cumulatè, continuo, pene incessanter & importune opportune qua se cumque

via dederit occasio docendæ plebis vel animæ reuocandæ à peccato in gratiam.

Quando vel de vno ageretur peccatore conuertendo, quando de vna duntaxat anima, quale censeri debet hoc opus, siue Deum respicias, siue proximum, siue teipsum? Deo quidem quid gratius aut gloriosius, cum hoc vnum desideret, & promoueat, cùm hoc vno magis glorificetur si magis agnoscatur & colatur, cùm propterea Christus ipse se à Patre diligi dicat quod ponat animam suam pro saluando peccatore? Non si mundum vniuersum cum Deo Conditore simul conderes; non si animas à corporibus separatas iterum ad corpora reuocares: non si à morte corporali quosuis erueres, tantum mereteris apud Deum, inquit sanctus Chrysostomus, *quantum si à peccato vel vnam retrahas animam.*

Ioan. 10.

Quid Christo similius quam huic se operi totum dare cui totam ipse Christus consecrauit vitam? Quid Angelis nostris custodibus potest esse conformius & acceptius quorum hæc est præcipua solicitudo vt suorum procurent salutem? Quid porrò peccatori beneficentius cum à peccato ad gratiam, ab inferno ad cœlum, à dæmonis seruitute ad Diuinum cultum transferatur, quo beneficio, quoue merito quid dignius fingi potest?

Quid tibi denique possit esse vel honoratius, vel delectabilius, vel vtilius quàm vnam saluare posse animam? Possesne momentosius aliquid tibi procurare quàm peccatorum omnium remissionem? At ecce, *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, inquit sanctus Iacobus: quando vel hoc vnum esset, quod tamen vnum non est sed multiplex ac varium opus. Nec enim peccatrix anima sic facile resipiscit! quantæ opus patientiæ, quantarum precum, lachymarum, solicitudinum, & earum omnium quas pia Charitas & ardens Zelus, curarum excitat! Solus ille nouit qui peccatoris interiora cognoscit, quæ concutienda sunt funditus: Et satis superque est ad meritum vt Ille solus cognoscat qui meritum solus coronat. Quod si vel de vno peccatore tantum redundat meriti, quid de multis censendum est? Et quas illi vicissim tanti memores beneficij, quas non tibi procurabunt apud Deum gratias, siue dum hîc per te viuunt in gratia, siue dum æterna fruuntur gloria? *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne vos ante*

Iac. 5.

1. Thess. 2.

D. N. Iesum Christum estis in adventu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Sic de suis Apostolus quos cœlo præparauerat, parata sibi etiam gratulabatur merita, neque majus est meritum Apostolici muneris quàm ex impensa saluandis animis opera. Videsne quò se vsque meritum efferat?

Videri etiam debet in tertia parte, Dominica 3. & Sabbatum vndecimæ hebdom. vbi hæ præter alias Veritates exhibentur.

Quod vnius conuersi peccatoris esse videtur, hoc est totius vniuersi negotium.

Nempe toti vniuerso, quod certe mirum est, bene vel male vertitur ex vnius conuersione peccatoris.

Rape ad Eum quos potes. Nam si potes & non rapis tot cœlo perdis quot Christo lucrari poteras.

Vel è contra:

Si quos potes ad Christum rapis, Tot cœlo lucraris animas, quot Christo perdidisses.

Addi verò etiam potest, quod iam monuimus, tale huius esse operis meritum, vt etiamsi nullus inde fructus emergeret, etiamsi nullus à te conuerteretur, tuo tamen non careres merito, cum satis sit suam in hoc opere nauasse operam, Vnde in Euangelio dicitur, *Curam illius habe*, non curationem; & hoc vno contentus est Apostolus *quòd abundantiùs omnibus laborarit.* Luc. 10.

Si tamen ex adhibita majori opera, vel ex particulari Diuina fieret prouidentia vt plures vel conuertendi vel seruandi ne peruerterentur, occurrerent, tunc sine dubio meritum tanto magis augeri posset quanto major esset adhibita opera, quoue plures seruati essent ne perirent. Quo in genere nostra se profectò multum commendat Heroina, nostra inquam plurimum meriti consequuta est Vrsula, cuius opera sic Deo disponente factum est, vt tot millia Virginum Sanctitatem Martyrio consecratam & consummatam obtinuerint, & quæ alioquin forte periissent, seruatæ cœlo sint omnes.

Hoc enim illius sermonibus, hoc illius exemplis, hoc illius meritis datur vt omnes cum illa consenserint in paratam sibi necem

ne paratam labem vllam contraherent. Sic potenter omnium animos sibi demeruit vt omnium animas Christo seruare meruerit. *Agedum*, inquiebat illis, dum ad barbarorum ferociam trepidarent, *agedum filiæ carissimæ venit hora quam multis nos desideriis attrahere decuisset, quantò magis oblatam recipere? Venit hora fidelitatis exhibendæ quam si negauerimus negabit nos qui fatuas virgines à nuptiis repulit. Sponsum quærebamus in terris, en cælestis & Diuinus se nobis offert. Iam patria nobis relicta est, quid superesse poterat nisi cælum cum quo vno mutanda erat patria? Quod speramus in terris incertum est, quod se offert in cœlis, certum & fixum. Si de vita duntaxat temporali ageretur, Ego me vnam pro vobis omnibus mactarem hostiam, sed quandoquidem de cœlo agitur, nostra omnium interest ne vna nostrûm desit coronanda. Ego prima in certamen ibo, ego tela hostium toto recipiam pectore, vt pateat omnibus Virginem posse mori non corrumpi.*

Iam pridem nos præcesserunt Agnetes, Agathæ, Luciæ, quibus non erat tam facile solitarias mori quam nobis simul congregatas. Nos consequentia spectant sæcula, nostro vt exemplo discant, non posse cælum nimis carò emi. Ne spectemus terram quæ relinquitur, sed cælum quod præsentatur. Non vita tollitur sed mutatur. Palma est in manibus nostris: nam in hac mori pugna, vincere est & triumphare. Si qua est infirmioris animi quæ timeat, timeat velim & horreat, majora scilicet sibi præparata supplicia, si hæc leuia fugiat. Aut non amatur Christus aut non recusatur pro Christo mori; nam hoc amare Christum est iam sibi esse mortuam vt vni Christo viuat. Non effugietur pœna sed augebitur fugiendo martyrium, nam grauior pœna est negasse Christum quam pro Christo necatam esse.

Non nostra, filiæ, non nostra sed Christi vita petitur. Christus in nobis viuit si morimur: Christus in nobis moritur si viuimus. Mors & vita Christi à vobis est. Vita nostra in manu est hostium, sed Christi vita in manu vestra est. Nos hostes Christi sumus, si hos timemus hostes: Nos Christum trucidamus si trucidari pro Christo fugimus. Hoc vnaquæque cogitet, hoc sibi omnes mutuo suggerant, Mors nostra, Christi vita est: & vita nostra mors Christi est. Aut Christo per nos iam moriendum est, aut viuendum. De vita Christi agitur. Ah millies moriar vt Christus viuat.

2. Macch. 7. Sic fortiter *repleta sapientia, & fœminea cogitationis masculinum animum inserens loquebatur*, sicut de matre Macchabæorum dicitur.

ſuiſque verbis exemplum addens, hoſtili telo confixa viam fecit reliquis omnibus adeundæ quà patebat æternæ beatitudinis.

O quantum prodeſt ſubditis gnauum & peritum habere Ducem ac magiſtrum! ô quantum prodeſt Ducibus & magiſtris fideles habere ſubditos! Ecce in ſexu infirmo & fragili tantum potuit vnius ſermo vt quod eſt omnium terribiliſſimum mori & violenta morte mori maluerint omnes quàm viuere.

Nonne hoc eſt quod aiebat Sapiens: *Lingua tertia multos commouit:* Prima quippe lingua eſt quod vocatur verbum mentis; Deinde, verbum eſt oris; ac tertiò ſi exemplum addas, illa eſt lingua tertia quæ plurimum apud omnes valet. Sed ſingulariter in Vrſula patuit quæ velut Vrſa ſuos informes catulos linguâ ſuâ formans & perficiens, ſic illa verbis, ſic exemplis, ſuas ita ſibi conformauit Comites dixerim, an Sorores, an Filias, vt omnes paribus animis parem diſpariter, ſacri certaminis palmam adeptæ ſint. Eccleſ. 28.

Dico parem diſpariter, quia licet omnes in hoc fuerint pares quod certamen ſubierint & victoriam reportarint; diſpariter tamen decertarunt, & vicerunt. Nam aliæ quidem aliis fortius ac generoſius. Omnes fortiter, ſed non pari omnes fortitudine, vel Charitate, ſicut nec pari omnes Gratia, quam meritorum diuerſitatem ille ſolus nouit qui dat ſingulis prout vult, & prout ſinguli primis cooperantur gratiis.

Hoc vnum affirmare poſſumus quod Illa quæ cæteras verbo & exemplo præiuit ad certamen, & ſecum ad victoriam duxit, tantæ fuit virtutis, tantæ fortitudinis tantique meriti, vt præter ſuum illud ſingulare quod habebat, participarit totum illud ſimul collectum, quod partim & ſeorſum ſingulis diuiſum erat. Non eſt ſublatum aliis quod illi traderetur: Sed quod aliis traditum fuit, tam multiplici redundauit in illam fœnore quàm multæ erant filiæ quas ad certamen induxit. Illa certauit in omnibus, vicit in omnibus, & in omnibus ſingulariter meruit quod omnes ſingulatim meruerunt.

Sicut magnum Cor Vrſulæ communicatum eſt cæteris omnibus, ita ex omnibus omnium cordibus factum eſt majus quoddam Cor Vrſulæ quod omnium Charitatem haberet, & Charitatem eò vſque proueheret, vt quos Sponſus deſcribit perfectiores gradus, illa poſſideret. *Pone me*, inquit, *vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio,* Cant. 8.

Digitized by Google

dura sicut Infernus æmulatio; Lampades eius lampades ignis atque flammarum; Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Ex quibus verbis, sex diuini amoris gradus eliciunt sacri Scriptores, quos inter Thomas Massutius in tractatu de cœlesti conuersatione de his fuse agit, ex quo hæc pauca. L. 7. c. 4.

Primus diuini amoris gradus dicitur *assimilatiuus*, sicut res signata similis omnino est illo sigillo cuius est mera expressio: sic vera Christi sponsa Sponso se similem & conformem omnino reddit; sic sancta Vrsula se suasque omnes Diuinæ conformauit Voluntati quæ talem vitæ mortisque statum de se omnibus ordinabat.

Secundus dicitur *mortificatiuus* & fortiter separatiuus ab aliis sicut mors separat animam à corpore, & corpus à sensibus. Sic sponsa vt Sponso adhæreat, reliqua prorsus abjicit. At nonne hoc ipsum est quod in se suisque facit Vrsula dum cuncta mundi pro Sponso libentius deserunt quam carnales sponsæ cuncta mundi appeterent.

Tertius est quem dicunt *destructiuum & annihilatiuum*, sicut corpus mortuum in sepulchro quod inferni nomine significatur cum dicitur, *dura sicut infernus annulatio*; Vel sicut in loco tormentorum anima cruciatur sine vlla spe libertatis, sic amor sponsæ ad Sponsum non tantum separat animam à rebus mundi, sed à seipsa quodammodo, quam ita exinanit & euacuat vt præter Sponsum nil sibi vmquam superesse velit. Quod quàm egregie præstiterit Vrsula, præstandumque suas docuerit quis non videt, cùm in hoc mortis genere quod subierunt, multa profectò esse possent non quibus mortem auerterent sed mortis genus, non ita scilicet lentum sicut in ferendis sagittis; sic vitæ tempus optare poterant paulo longius ad præparandos animos; sic sepulturæ locum paulo certiorem quàm mare vel arena deserta, vbi se vident enecandas, & vel insepultas fore vel aquis absorbendas. Sed nihil horum vetentur dum sibi Sponsum lucrentur, cætera pereant.

Quartus est *insatiabilis*. *LAMPADES eius lampades ignis atque flammarum*. Id est, sicut ignis accendit simul & accenditur, & *numquam dicit, sufficit*, sic amor sponsæ Sponsi amorem ita communicat vt numquam sat multis aut satis vehementer se illum communicare putet. Et quantis alios inflammat incendiis, ipsa Prou 30. etiam

etiam tantis & velut reciprocantibus incendatur flammis. O quam excellens in hoc perfecti gradu amoris Vrsula, cuius amor creuit ex omnium animis in quos ipsum amorem injiceret.

Quintus sequitur, *insuperabilis* dictus, quem scilicet aquæ multæ nec flumina possint extinguere, quia verus sponsæ amor nullis aduersis, nullis oppositis, quacumque tandem illa sint vel à carne vel à mundo, vel à dæmone, nullis prorsus cedit suppliciis, nullis mollitur blanditiis. O quantas hostis Vrsulæ proposuit! quæ promissa, quas minas, quos cruciatus, antequam ad extrema veniretur? Sed frustra, nam superari non potest qui Christo adhæret, adhærebit autem Vrsula quamdiu viuet, & postquam vixit.

Superest sextus qui cæteros suo coronans merito dicitur *inexhaustus*, qui postquam dederit omnem substantiam domus suæ, quasi nihil dedisset, sic eam despicit, quasi nihil fecisset. Licet fecerit omnia, sic se seruum dicit inutilem: & datis omnibus dum se nihil dedisse credit, hoc ipso nouum aliquid inuenit quod exhauriri non potest, & quod incessanter dare queat. Hic profectò, hic erat Vrsulæ animus dum prima se hostiam obtulit, quasi nihil dedisset, se ita Sponso debitricem semper credidit, vt in reliquis sequentis holocaustis perpetuum & inexhaustum fieret sacrificium, & holocausta potius, quàm illa sacrificanda deficeret. O vere Charitas quæ non excidit! ó vere pars optima quam elegit & quæ non auferetur ab ea. *1. Cor. 13. Luc. 10.*

III. PVNCTVM.

SIVE igitur de gratiæ vel de gloriæ diuitiis intelligas, habes omnino quod Sanctæ graturleris Vrsulæ, dicasque confidenter, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, Tu supergressa es vniuersas:* quia dùm aliis sibi meritorum diuitias congregandi modum ac viam patefecisti, Tu ipsa cunctarum merita tibi collegisti, & tantis vniuersas supergressa es diuitiis, quantæ sunt plures simul ex omnibus congregatæ quàm in vna singularum diuisa parte. Cum autem gratiarum ac sanctitatis merito respondeat gradus Gloriæ, quos Tu Ipsa gradus, quónam vsque tuam protenderis gloriam quis narrando explicet, cum tot Vna possideas quot non illa modò Virginum millia quibus es comitata, sed quæ deinceps per consequentes annos in Sacris tibi Cætibus & Collegiis terrà marique

collaborant animis ad pietatem excolendis, quarum omnium Mater es, omnium Ductrix, omnium Exhortatrix & Exemplar ad salutem.

Sic perge cum Illa congaudere vt tamen ad te redeas, hoc ipsum vniuersim inferendo de his vtriusque sexus qui se proximorum procurandæ saluti consecrant, nihil aptius ad multas in cœlo sibi congregandas diuitias, quam sic aptos in dies fieri ad congregandas & lucrandas cœlo animas, quia vt dictum est ex ipso opere ac operis fructu tantum cuique confertur meriti ac mercedis quanta est Charitas qua in illud tendit opus, quàm multa sunt quæ propterea facit aut patitur, aut quam sunt multi quibus laborat. Nam si quis scandalum vel causam peccati præbuerit, peccatum idem ipsum contrahit & tam grauibus pœnis subiacet quantæ à Christo denuntiantur: cur non pari modo bonum ad se opus conuertet qui boni operis author extiterit? Cur non æquius de Christo sentias quod sacrum opus large compenset qui propensior est ad beneficia quàm ad pœnas inferendas? Si vel vno seruato ciue Romano seruatori corona singularis perquàm honorifica tradebatur, quid putas tradendum ei qui non caducam sed æternam vitam tam multis conseruauit quam multos à peccato reuocauit, vel ne peccarent obstitit?

Matth. 18.

L. 4. Epist. 26.

Cum sanctus Cyprianus quosdam Christianos carceri propter Fidem mancipatos scriptis ad eos literis hortatus esset ad Constantiam, Vide quas illi rependunt grates, Vide quibus verbis illi respondent: *Reddet tibi Dominus pro ista tua Charitate mercedem, & huius tanti boni operis repræsentabit debitam frugem. Non minus enim coronæ mercede condignus est qui hortatus est quàm qui & passus est, non minus laude dignus qui docuit quàm qui & fecit: non minus honorandus est qui monuit, quàm qui dimicauit, nisi quod nonnumquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum qui instituit quam ad eum qui se docibilem discipulum subministrauit; hic enim fortassis hoc quod exercuit non habuisset nisi ille docuisset.*

Huc referri posset quod ait Sapiens: *De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis:* Id est, quantum loquendo aliis fructum fecerit, tantum ipse sibi fecit. Imo, vt diximus, etiam si fructum alij sua culpa non recepissent, non defraudabitur tamen suo fructu sicut Christus discipulis de pace hospitibus danda dicebat, quam si digni non essent recipere, reuerteretur ad ipsos.

Luc. 10.

Quamobrem in id opus tam pium tam sanctum ac frugiferum diligenter incumbendum: nec fugienda est opera licet operæ fructus non videatur respondere. Satis cuique sit fecisse quod suum est in Domino: sed nisi etiam fecerit, non se satis tutum putet. Cum autem ex docendis Veritatibus Practicis hæc vna sit præcipua qua nocturnus ille difficultatum timor pellitur quas sibi fingunt homines in virtutum praxi, propterea frequens & familiare sit exemplum sanctæ Vrsulæ quæ cunctis proponatur velut Illa nobilis & illustris Matrona quæ Sancto quondam apparuit Augustino, suisque nutantem dictis plurimum confirmauit. Nec enim aptius in imagine repræsentari posset quod dixit & quod fecit Vrsula, quam quod illa Matrona dixisse fingitur, neque hoc ipsum quod fingitur, posset verius & reipsa magis confirmari quam ex eo quod cum suis Vrsula fecisse dicitur. Audi Sanctum ipsum Augustinum & tibi tuisque crebrius applices, *Aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, Casta Dignitas Continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ; ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus; & in omnibus ipsa Continentia, nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti & istæ? An vero isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Projice te in Eum, noli metuere, non se subtrahet, vt cadas. Projice te securus, excipiet & sanabit te. Et erubescebam nimis: quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret; Obsurdesce aduersus immunda illa membra tua super terram, vt mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui.*

L. 8. Confess. c. 11.



Die 28. Octobris.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDÆ.

Ecce Simon frater vester, Scio quòd Vir Consilij est, ipsum audite semper, Et ipse erit vobis Pater. Et Iudas fortis Viribus à Iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ. Mathatias. L. 1. Mach. c. 2.

VERITAS PRACTICA.

Consilium & Fortitudo rebus bene agendis sic conueniunt, vt nisi simul conueniant, res nulla bene agatur.

Quæ simul juncta se iuuant, disiuncta se destruunt.

SENSVS & RATIO EST, Quod nulla res bene agi possit, nisi prudenter suscipiatur, & constanter ad exitum perducatur.

Sed nisi Consilium & Fortitudo simul conueniant ad res agendas, res neque prudenter suscipietur, neque ad exitum perducetur.

Ergo nec vlla res sine illis bene agetur; quin & ipsæ duæ Virtutes quæ simul iunctæ se plurimum adiuuarent, si disiungantur se mutuò destruunt. Quod ne accidat, diligenter cauendum, vt Consilium & Fortitudo rebus agendis semper adhibeantur, exemplo Sanctorum Simonis & Iudæ, qui duobus in filiis Mathathiæ, Viri quondam inter Iudæos illustrissimi, figurantur: siue quod eiusdem sunt Nominis, siue quòd eiusdem fuerint Virtutis.

I. PVNCTVM.

QVÆ de his duobus sanctis Apostolis selectiora & probatiora proponuntur ab Ecclesia, cùm multa paucis comprehendant, videntur primo hîc præmittenda: *Simon Chananæus qui & Zelotes; & Thadæus qui & Iudas Iacobi appellatur in Euangelio, vnus ex Catholicis Epistolis Scriptor: Hic Mesopotamiam, Ille Aegyptum Euangelica prædicatione peragrarunt. Postea in Persidem conuenientes cùm innumerabiles filios Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis Gentibus disseminassent; doctrinâ & miraculis, ac denique glorioso martyrio, simul Sanctissimum Iesu Christi Nomen illustrarunt.*

Pauca quidem hæc sunt pro tantorum Virorum meritis, sed in illis paucis tria possunt attentius considerari, quæ insignem illorum Virtutem & Gloriam aperte manifestent. Primum est, quod cùm iam multos annos disiunctim laborassent in diuersis mundi partibus, conuenerunt simul in Persidem, & vastissimas illas regiones in extrema sua senectute ac rerum omnium inopia tam prompte peragrarunt ac si florente adhuc vigerent ætate, vel quasi abundarent omnibus ad iter necessariis. Nonne hoc mirum? Nec putes eos miraculis vsos vt se vel viarum incommodis, vel inopiæ difficultatibus liberarent; Non enim sibi sed aliis gratias illas vsurpabant, nec aduersa declinabant sed ferebant, & tolerando superabant.

Secundum est, Gentem illam quam adierunt, id est, Persas, Parthos, Medos ac finitimos alios, Gentem esse non excultam non humanam, sed efferatam sed barbaram & immanem quæ vix alium nosset Deum quàm solem, vix aliam legem quàm libidinem & naturam deprauatam, ac proinde quibus admodum difficile esset hominem Crucifixum persuadere Deum esse ac omnium hominum Iudicem, longéque difficilius crucifigendam esse carnem cum vitiis & concupiscentiis. Et tamen hoc erat illis prædicandum, hoc persuadendum! ô quantis omnium sannis & irrisionibus, quantis contumeliis, & verberibus se necessum erat exponere! Quis ex tam ingrato solo fructum sperasset aliquem?

Tertium est, quod alia duo miratione superat, sic illarum vbique gentium fructuose laborarunt, sic Christianas Veritates de

Christo & de virtutibus persuaserunt vt eorũ qui ad fidem conuersi sunt tanta fuerit multitudo, numerari vt numquam potuerit, vnde vno verbo de his dictum, *innumerabiles Christo filios pepererunt!* O diuini verbi potentiam! O vbi modò hæc potentia! O quam mutatæ rerum vices! En Duo soli prædicant, & conuertunt innumerabiles: Nunc autem innumerabiles prædicant, & vix duo conuertuntur! Erant quidem Apostoli multis donis cœlestibus præditi quibus caremus, sed nostra est socordia, nostrum est probrum quod his careamus quæ vel orando vel laborando possemus facile consequi.

Sunt autem inter alia quæ cuicumque rei bene gerendæ potissimum conueniant, duo Dona insignia quæ, vt dixi, præluxerunt in duobus illis fratribus Simone & Iuda quos Mathathias Pater moriens propterea commendauit, & quæ in duobus nostris Apostolis insigniter eminebant: *CONSILIVM* scilicet & *FORTITVDO*, Non illis alia deerant, nec vtrumque hoc nominatim Donum vtrique horum defuit; sed vt par omnium Doni gradus non erat, plus vno alter eminebat, & plus alter alio. Præcellebat nimirum in sancto Simone Donum Consilij: in sancto autem Iuda Donum Fortitudinis; vt abunde patet ex fusioribus eorum actis apud sanctum Antoninum, Surium, & alios sacros Historicos.

S. Ant. 1. p. Hist. tit. 6. c. 14.

Hinc autem factum est sic cooperante Domino, vt cum simul conuenissent in idem opus & in eandem arenam, tam fœliciter ac fructuose laborarint vt dictum est, & tam gloriose rem Christianam promouerint; Nam se ita mutuò roborabant, se ita iunctis viribus, seipsos potentiores faciebant. Quod vnus Consilio suggerebat, hoc alter Fortitudine perficiebat. Principium rei dabat Vnus, dabat Alter finem: & cùm rei principium ac finis per illa dona cœlestia præclare conuenirent, sic præclare res eorum omnis procedebat.

Prou. 18. Sic *frater qui adjuuatur à fratre quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium*, inquit Sapiens: Vnde & alibi: *Melius est ergo duos* Eccle. 4. *esse simul quam vnum, habent enim emolumentum Societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli quia si ceciderit, non habet sublevantem se.* Et quæ plura pergit in hunc finem vt agnoscatur quod quantum bene cedit his qui Consilio & Fortitudine muniuntur, tantum male cedat si horum alterutro careant; Et quia duo hæc facilius reperiuntur in societate quam in solitudine, pro-

pterea solitudini præferenda est multorum Societas recte in Domino conuenientium.

Siue autem multi, siue sint soli, totum negotium in quibusuis negotiis, & summa rei, rebus in omnibus, hæc est, ne quid sine Consilio facias, nec sine Fortitudine; Ne alterum vmquam disiungas ab altero. Quæ simul enim juncta plurimum valent, disiuncta plurimum nocent. Quæ se simul iuuarent si simul iungerentur, se mutuò destruunt si disiunguntur. Expressa sunt sancti Gregorij verba: *Vile est*, inquit, *Consilium cui robur Fortitudinis deest, quia quod tractando inuenit carens viribus vsque ad perfectionem operis non perducit. Et valde Fortitudo destruitur nisi per Consilium fulciatur, quia quò plus se posse conspicit, eò virtus sine rationis moderamine deterius in præceps ruit.* L. 1. Mor, c. 15.

Quæ Sancti Patris sententia, simulque Veritas quæ modò expendenda proponitur vt magis elucescant, & quibusuis applicentur rebus agendis, sic digerenda est eius Declaratio per ipsas agendæ rei partes. Nulla res dici potest bene agi nisi partibus ipsa suis totis constet & compleatur, nisi apto principio cohærenter & fine consistat, nisi prudenter suscipiatur, & constanter vsque ad exitum suum perducatur. Nonne hoc ita censes? Quale hoc putas esse opus cuius si peruersum esset initium peruerteretur & finis, vel cuius si probatum esset principium, ibi desineret: nullo vel nisi peruerso sequenti fine? Nonne id monstro simile diceretur? Nonne Is præuicatorem ageret qui quod ædificasset, destrueret: vel quod ædificare cæpisset, non consummaret?

II. PVNCTVM.

SED nisi Consilium & Fortitudo simul conueniant ad res gerendas, res nulla rectè suscipietur: aut si recte sit instituta, non recto fine concludetur.

Sicut enim Consilij est rem inchoare, ita & Fortitudinis illam perficere. Absit Consilium à fortitudine, quid erit fortitudo nisi temeritas & peruicacia? Desit autem Consilio robur & fortitudo quid erit illud Consilium nisi mollis & dissolutus animus qui *frater est sua opera dissipantis?* Egregium plane est exemplum infœlicis huius exitus in illis Sacerdotibus qui cum temere processissent ad bellum, turpiter fugati sunt, *Quia*, inquit Scriptura, *non audierunt* Prou. 18. 1. Macch. 5.

Iudam & fratres eius, existimantes fortiter se facturos. Et paulò post, vt tale animis firmiùs exemplum hæreat; *In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.* Quasi diceretur, hùc tandem recidunt quæ sine consilio res geruntur, quantumcumque fortiter putentur geri, non est fortitudinis istud opus cuius initium non est consilij. At vero Saul, Salomon, Asa, Iehu, multique alij sapienter & cum diuino ipso Consilio res priuatas & publicas inchoarunt, sed quia tali Consilio Fortitudinem non adiunxerunt, parem cum illis habuerunt exitum qui suæ Fortitudini Consilium non adhibuerant. *Eccles. 2.* *Væ dissolutis corde! Væ his qui perdiderunt sustinentiam!* O quàm aptè propterea *Iudith. 10.* Bethuliæ Ciues, suæ Iudithæ precabantur: *Det tibi Deus gratiam & omne consilium cordis tui virtute sua corroboret*; Quasi dicerent, sicut à Deo est tuum consilium, ita & Deus addat fortitudinem, ne si à te disiuncta fuerint Consilium & Fortitudo, nil à te præclare fiat.

Non aliter denique diuina Sapientia dicitur operari nisi quod *Sap. 8.* *attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter*, sic vtrumque conjungens vt nihil ad finem ducat nisi quod Sapienter inchoatum fuerit, & quidquid sapienter inchoarit, hoc ipsum Fortiter ad finem ducat: *2. Tim. 2.* *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. Cognouit Dominus qui sunt eius*, inquit Apostolus, Id est, sic opus esse Dei agnoscitur, quando sic constanter perficitur, neque aliud habet signaculum vel sigillum quo signetur Dei opus, quam ipsa perfecti operis consummatio: nec est illustrior alia qua suos Deus ab alienis notà designet quàm si fortiter perficiant quod prudenter inchoarunt.

III. PVNCTVM.

SIC *igitur Consilium & Fortitudo rebus bene gerendis conueniunt vt nisi sic simul conueniant res nulla bene geri possit*, Quia vel perperam inchoabitur, vel perperam finietur, quod certe est rem male geri: Quamobrem sic apte Sapiens de vtrisque simul junctis vel *Eccles. 22.* disiunctis: *Loramentum*, inquit, id est, alligamentum, *ligneum colligatum in fundamento ædificij non dissoluetur, sic & cor confirmatum in cogitatione consilij. Cogitatus sensati in omni tempore metu non deprauabitur. Sicut pali in excelsis &, cæmenta sine impensa posita contra*

faciem

faciem venti non permanebunt, sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. Quæ sententia si quid lucis desideret, petenda est præcipue ab his verbis, *camenta sine impensa*, quæ magnam habent emphasim: Sicut enim qui parcunt impensis lapides impolitos & rudes ac sine sufficienti calce projiciunt in ædificium quod proinde male materiatum est, & ventis flantibus non resistit, sic qui sine consilio ac fortitudine res suas gerunt, res casuras & primo aduersante impetu prosternendas gerunt. Quod & Propheta Ezechiel, seu Prophetæ Dominus graui stylo tusè prosequitur: *Dic ad eos qui liniunt (parietem) absque temperatura, quod casurus sit.* Quid porro est temperatura nisi duorum mixtio sine qua quod linitur non stabit? *Ezech 13.*

Apposita verò est Diui Gregorij Admonitio circa hanc deficientem temperaturam in his qui suscepta consilia non roborant satis firma & constanti fortitudine: *Admonendi sunt*, inquit, *qui inchoata bona minimè consummant, vt cauta circumspectione considerent quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant capta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum, solicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis est contra ictum fluminis condescendentis: Vno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis Operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est pugnat.* Et nonnullis interiectis: *Hinc Sardis Ecclesiæ Angelo dicitur, Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Si enim quod mortuum in nobis est ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur quod quasi adhuc viuum tenetur.* Et quæ ibi plura pergit, de quibus & sæpe alias, vbi de fortitudine ac perseuerantia. *3. p. Pastor. adm. 35.*

Multis autem & præclaris documentis Euangelium hodiernum ex 15. cap. Ioannis abundat, quibus conformes aliunde Veritates eruere non est magni negotij. Quæcumque porrò Veritas exponatur, non omittenda hæc Christi Domini Sententia, quæ certe est vehemens ad affectum ex quacumque pertractata materia concitandum: *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

IN FESTO SANCTORVM OMNIVM.

Die 1. Nouembris.

QVÆ multa & varia de hoc Festo ex antè iam dictis colligi vel noua formari possunt, ad quadruplex Caput referuntur.

Primum est in quo de Sanctis vniuersim agatur, siue vt sunt colendi & inuocandi, siue vt Imitandi: Quò spectant hæ subiectæ Veritates:

Si forte times Mediatorem Christum, non Ille timet alios Mediatores.

Tot Ipse tibi exhibet adhibendos, quot habet Sanctos.

In 4. parte, Sabbato Hebdomada 26.

Quanta olim erat Sanctorum gloria, mundum vincere: tanta modo est nostra Ignominia, vinci à mundo.

In 2. p. Dominica 1. post Pascha.

Qui te à Sanctitate acquirenda excusas, ex aliis acquisitis bonis te condemnas.

In 2. p. Fer. 6. post Cineres.

Qua vna re potissimum à diuino cultu auocamur, eadem potius ad Eum aduocandi essemus, *Nempe Libertate qua bene vsi sunt Sancti, & qua nos male vtimur.*

In 4. p. Sabbato Hebd. 15.

Defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt Veritates. Ps. 11.

Vide in 1. p. præfationem.

SECVNDVM Caput est de cœlesti & æterna Sanctorum fœlicitate quam speramus post hanc vitam : & cuius Consideratio multum valet ad Sanctos imitandos. Quo de argumento fuse in 2. parte, tota Hebdomada 5. post Pascha, præsertim vero Fer. 2. 3. 6. & Sabbato, vbi hæ Veritates exponuntur :

Quantam in te vim habet desiderium regni cœlestis, tantam tibi vim facies.

Qua ratione terrena tantum & non cœlestia desideras, eadem necesse est vt cœlestia tantum, & non terrena desideres.

Sic dignum est Cœlum nostris desideriis, vt nisi cœlum desideres, cœlo sis indignus.

Spes cœli, cœlum est.

His conformes addi possunt sequentes.

Qui terrena nimis desiderat, timet potius quàm reuera desideret, ne adueniat regnum Dei.

In 3. p. Fer. 3. Hebdom. 6.

Qui cœlesti pane viuunt, cœlestes fiunt : & ita viuunt in suis corporibus, sicut Cœlites in assumptis.

In 3. p. Fer. 6. Hebdom. 13.

Sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem Cœlestis.

In 4. p. Dominica 22.

Quàm difficile est cogitare quid sit videre Deum, tam facile est cogitare quod sit magnum Bonum. Ex difficultate facilitas.

Ratio est, quia idcirco difficile est cogitare quid sit videre Deum, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in Cor ho- *Is. 64. 1. Cor. 2.*

minis ascendit quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. Quod autem tale est, profecto nec facile potest explicari nec cogitari.

Sed inde tamen oritur vt sit facillimum cogitare quod sit magnum bonum. Nam quod omnem creatam cogitationem superet, oportet illud certe magnum esse bonum; Quid enim humanus vel Angelicus Intellectus non potest fingere? Quid si multi, quid si omnes quotquot sunt ingenio acutiores intelligentiæ simul conueniant vt fingendo exprimant magnum aliquod Bonum: Nonne magnum illud erit quod fingent? At cum tamen longe sit impar & inferius eo Bono quod dicitur Beatitudo, cum vix minimam eius partem attingant, nonne facile est inde fateri & concludere, quod magnum igitur est illud Bonum quod longe majus & superius illo est in quo fingendo tam multa laborarunt ingenia?

Videndus esset sanctus Anselmus in libro de similitudinibus vbi à capite quadragesimo septimo ad multa inde sequentia fusè ac distincte per partes omnes quæ dici & fingi possunt ad beatam constituendam vitam progreditur, & ostendit in cœlo talem esse, quibus etsi luculenter enarratis, manet tamen quod ait sanctus Petrus, lætitiam illam esse inenarrabilem, *exultabitis*, inquit, *lætitia inenarrabili & glorificata*, quasi diceret, quæ inde magis glorificatur & innotescit quod sit inenarrabilis. Quamobrem ne quis se propterea putet excusatum si tanti Boni desiderio non moueatur ardentius ad illud consequendum, quasi Bonum illud non posset cogitari; Nulla hæc prorsus excusatio, quia hoc ipso quod cogitari non potest, satis cogitandum relinquitur quale sit Bonum & quam potens ad inflectendos animos ad sui desiderium, & ea omnia libentissimè toleranda quæ nos eò ducunt.

1. Pet. 1.

Intoleranda certe res est, ibi difficultatem causari & excusare vbi cæteræ omnes molliuntur difficultates. Quid magis oppositum Euangelicæ Gratiæ quæ ad superanda quæuis ardua cœleste proponit præmium cogitandum, quid magis inquam oppositum quàm si dicas hoc ipsum esse difficile cogitare quale sit istud præmium? Quale id quidem omnino in se sit nec est facile nec possibile cogitare, vt dictum est; sed quod reuera sit magnum, eximium, omnique cogitatione maius Bonum tam facile est scire ac intelligere quàm quidquid aliud ex creatis & humanis quod ratiocinando potest intelligi.

Ratio hæc ad supradictam adiungitur; quod facile est illud nosse,

in cuius cognitionem ex aliis iam cognitis & vltrò concessis manifeste deuenitur. Sic enim naturali & euidenti consequentia quasi manu ducti à notioribus ad minus cognita manifeste cognoscenda deuenimus. Sic à visibilibus ad inuisibilia, & à mobilibus ad Motorem, à creaturis ad Creatorem ascendimus. Hinc cognitio matutina & vespertina cùm à causa descenditur ad cognitionem effectus, vel cùm ab effectis ascenditur ad causæ cognitionem.

Sed quale sit bonum, Beatitudo, sic consequenter cognosci potest ex aliis euidenter notis, & vltrò concessis: Vnde profectò concluditur, quod facile est ergo cogitanti nosse quale sit Bonum, & inde cum Gratia permoueri vehementius ad illud assequendum.

Quænam sint autem illa vnde ad istud perueniri possit, vt commodius intelligas, gradatim procedendum est, & cum sponsa dicendum, *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructum eius.* Cant. 7.
Palma nomen est pugnæ, nomen victoriæ, nomen & triumphi ac gloriæ, vt infra dicetur capite quarto. Ascenditur vero ad hanc gloriosam palmam hîc intellectu apprehendendam per octo Gradus de quibus Propheta Ezechiel vbi cœleste templum describit, *Et cælatæ palmæ*, inquit, siue vt paulo post habet, *Et cælatura palmarum in fronte eius hinc & inde, & in octo gradibus ascensus eius.* C. 40. N. 34. N. 37.

Primus gradus est à cognitione sui. Nonne sentis quàm multa desideres, quàm multa desiderabilia videas, quæ si haberes contentus esses: si autem contentus esses, te beatum putares, sicut putas multos esse contentos & beatos? Nonne ita sentis? & rectè quidem quod te putes fore beatum si contentus esses, sed male quod putes te contentum fore, si quæ hîc desideras, possideres; nam nullus hominum etsi solus omnia possideret, fuit contentus in his possidendis, cùm metus amittendi hæc omnia tantò sit major quantò est eorum affectus vehementior; & quò quis propterea videretur magis contentus quia majora possideret, minus esset contentus quia magis timeret, & magis doleret cùm illa esset relicturus.

Cœlum, cœlum est vnicus locus vbi omnia quæ desiderare possis, habebis: vbi plenè ac cumulatè contentus eris sine vllo metu amittendi quæ possides, sine vlla cupiditate plura possidendi, sine vlla inuidia vel actiua vel passiua, Id est, nec aliis inuidebis,

nec tibi alij inuidebunt, sed in mutuo quique singulari ac omnium voluntatum complexu conquiescent, quo fiet vt omnes suo particulari bono sint ita contenti vt communi etiam gaudeant, & bonum vnius sit bonum meum, & bonum meum sit alterius bonum, & Ita omnes denique sint contenti nihil vt desiderent quod non habeant, nihil vt habeant quod non desiderent.

Iam vero dic, iam vero agnosce ex tuo sensu num sit facile cogitare quale id tandem sit Bonum quo sic omnes contenti sint vt non aliter contenti esse possint sine illo, & quo semel possesso non Ps. 16. possint non esse contenti. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Secundus gradus est à cognitione sensibili bonorum omnium quæ hîc possidentur; Non satiant quidem nec explent animum, quantumuis illa nobis abundent, imo & quo magis abundant & quo magis sentiretur animus his se velle satiari, tanto minus explerent si animus tantisper religiosus & timoratus esset: Sed tamen consideremus quantis exultent gaudiis qui mundi possunt & volunt sentire gaudia: sic ea certe mundani æstimant vt licet in se multum exigua, licet exigui sint temporis, licet multis constent impensis, licet multa inuehant incommoda & detrimenta, vellent tamen sic posse semper viuere nec aliam sibi vellent fœlicitatem.

At quæso te, quale inde argumentum cognoscendæ cœlestis Beatitudinis! Confer enim totam illam cœlestem Beatitudinem vbi est omne bonum sine vllo malo cum illis exiguis gaudiis vbi vix vllum est bonum cum multis malis, & conclude quod si tale est bonum quo hîc se contentos dicunt qui eo perfruuntur, quale tandem illud esse oportet quod in cœlo sentitur! Si tanta peccatoribus, blasphemis, ingratis & hostibus suis prouidit & vtenda reliquit Deus, quanta suis fidelibus seruis, amicis, & filiis reseruauit, qui dum in eius cultu viuerent, nihil nisi morientem, & omnibus mundi pœnis obnoxiam vitam duxerunt?

Tertius hic gradus est quo in cognitionem magnitudinis gaudiorum cœlestium possis ascendere: Si nempe consideres quàm multa quàm grauia quàm extrema Sancti quique sint passi pro diuino cultu, quos tantùm abest vt compensarit Deus, quin eos potius diris quibusque suppliciis tamquam malefactores & reos omnium criminum exposuerit aut permiserit cruciandos. Et quod mirum est Illi ipsi qui plura patiuntur se beatiores putant & cla-

mant omnibus non esse *condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*. Dic porrò quantum inde necesse est colligere futuram illam gloriam quæ tam carò emitur à carioribus Christi amicis? & quæ ab illo emitur qui ne quidem aquæ potum suo nomine pauperi datum sinet suo carere præmio? Rom. 8. Matth. 10.

Quod si dicas illos dum paterentur tot internis abundasse deliciis vt vix se sentirent pati. Erras si tibi hoc persuades commune multis vt suas non sentirent pœnas; sentiebant scilicet sed se sentire ac pati gaudebant, & fateor ita inde gaudebant vt noluissent non pati, & maluissent illas subire pœnas quibuscum delitias spiritales sentiebant, quam priuari suis pœnis ne suis priuarentur deliciis. Sed te huc prouoco qui quale sit gaudium, Gaudium cœli cupis agnoscere.

En quartus gradus est quo id magis ac magis agnoscas. Nam si tale est gaudium vt hîc in mediis suppliciorum cruciatibus non pleno gutture haustum, non ad satietatem potatum, non ad illam abundantiam qua in cœlo percipitur sed primoribus tantum vt dicitur labris degustatum, ita tamen reficit vt quandoquidem in tormentis sentitur, tormenta desiderentur vt tùm simul sentiatur? Quid dices ignare cœli, quid iam dices de tali gaudio cum vbertim in suo fonte quoscumque Sanctos inebriabit? An ignorare deinceps poteris quale quantumcumque sit illud Gaudium?

Sed quandoquidem de Martyribus aut aliis qui pro Christo Sanctis tormenta passi sunt sermo iniectus est, subeat animum ipsa Christi patientis memoria; Contemplare quis, quid, & quo fine Is patiatur; Hinc enim quintus construitur gradus quo pergas nosse clarius quale sit illud Bonum cui nobis comparando Christum oportuit pati & mori. Christum pati & mori! Quid non meretur tale patientis & morientis meritum? Sed quid tandem nobis meretur? Quid sua morte intendit, quid assequetur, quid nobis obtinebit? Nonne illud est gaudium de quo hîc agitur, nonne illud est quod dicebat, *sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*? Hic nempe finis omnium quæ Christus egit & passus est. Itane vero tanta sit Christus passus pro fine seu pro Bono quod non esset magnum & ita magnum vt possideri non potuisset nisi Christus esset passus ac mortuus? Quid tibi videtur de Christo? Cuius meriti, cuius dignitatis, & cuius excellentiæ? Ioan. 3.

Dic quid sentis? Et idem prorsus de cœlo sentias quod non minoris valet quam ipse totus Christi Sanguis, quàm Ipse totus pro cœlo tibi comparando Christus impensus. Non est tui tantum laboris merces quam speras, sed Christi; Christus est in te compensandus, Christus in te totius sui meriti pretium & præmium est accepturus quia se totum pro te tradidit! Possesne dubitare de propensa in Filium summi Patris dilectione? Nec minus dubita de propensa eius in Sanctos omnes large & effusè compensandos voluntate, quia quod largitur Sanctis, suo largitur Filio; & quanta in Filium effusa Patris largitas, tanta est suo modo in Sanctos eius qui propterea suas illi coronas subjiciunt, quasi dicerent, tibi debemus quod sumus, & tibi sumus quod debemus.

Apoc. 4.

Accedit quod in sextum gradum te prouehat atque inde in altiorem eius rei quam inuestigamus causam & notitiam; Illic in Cœlo Empyreo vbi exultant Sancti in gloria, locus & tempus est diuinæ exhibendæ Magnificentiæ, quo vno verbo satis facile comprehendes quidquid esse potest eximium. Cogita enim quid sit esse magnificum in magnis & summis illis viris, in Salomone, in Assuero & aliis qui hoc nomine celebrantur. Nempe est exhibere suam potentiam, suas communicare diuitias, suam in alios prosperam deriuare fortunam, & quidquid sublimus possident hoc spectandum, hoc vtendum & fruendum proponere. Quod tantò quidem fit magnificentius quantò qui velit haberi magnificus majorem habeat sapientiam, potentiam, & munificam voluntatem. Nam oportet primo scire quid sit splendidum, quid decorum, quid magnum & quid magnificum. Deinde vero id oportet posse; ac postremo velle; quorum trium si vel vnum absit ac nisi ex æquo tria concurrant, deficiet Magnificentia; quæ ratio est cur inter homines sit tam rara & parca quia qui possunt nolunt, & qui volunt non possunt aut nesciunt quid sit esse magnificum.

At in Deo non dubitas tria illa inesse tam firmo nexu conjuncta vt desineret esse Deus nisi esset sapiens, potens, & bonus: quamobrem illam omnem suam sapientiam in cœlis explicat vt quantum potest & velit tantum sciat esse magnificus, & quantum id probe scit, tantum possit & velit esse: *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster*, inquit Propheta, quasi diceret, etsi apparet in terris esse magnificus, quam in cœlo tamen exhibet magnificentiam tanta est, vt ibi solum esse magnificus sit dicendus. Vel sic

Is. 33.

sic interpretare dictum Prophetæ : quod solum & quod vnum in cœlis agit Deus, hoc est esse magnificum, in eo totus est vt suis magnificentiam suam exhibeat, sua communicet, & communicando lætificet. Qualem porrò inde lætitiam oportet esse Beatis omnibus in qua communicanda totus est Deus ; profectò facilius est concipere quam dicere.

Nam si, quod septimū esse possit vnde altius etiam progrediaris, si tanta est in Infernis pœna quantam oportet esse ad diuinam Iustitiam exhibendam, & quantam non dubitas à damnatis sustineri; nonne tantundem senties de Domino in bonitate, vt vbi bonitatem & magnificentiam suam notificat, non minus saltem sit bonus in cœlis Deus quam in Inferno est iustus ? Quod ex ipsa grauiori damnatorum pœna quæ Damni dicitur, facile colliges. Nam illa tota est in priuatione Beatitudinis, in priuatione Dei qualis videtur & amatur in cœlo à Beatis; quale autem oportet esse illud Bonum cuius sola priuatio pœna est grauior quàm quidquid reliquum apud Inferos cruciet.

Denique quod octauum & postremum est, quia rem omnem conficit; Beatitudo cœlestis, ipsa est Dei beatitudo. Non ignoras quàm sit summè Deus beatus, & quale quantumque bonum sit illud gaudium quo est beatus. At vero idem est Beati cuiusque gaudium. Licet in Beatis sit varium, nec sit idem in omnibus, nullus tamen est beatus quin ipsa Dei beatitudine ac gaudio beatus sit, vnde seruo duorum æque ac seruo quinque talentorum dicitur, *intra in gaudium Domini tui* : quia reuera ipso Dei gaudet gaudio *Matth. 25.* quo ita totus possidetur vt in ipsum intrare dicatur. Sic & Sanctus *1. Ioan. 3.* Ioannes de quouis Beatorum affirmat, *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Sic videre Deum sicuti est, est esse similem Deo : sic autem similem esse Deo, est gaudere sicut gaudet, & beatum esse sicut beatus est.

An tibi vero hoc non satis magnum videatur ? non satis potens ad agendum vel patiendum quidquid propterea te oportet pati vel agere ? Non est dubium quin si in terris hoc idem patiendum esset pro aliquo terreno præmio, libenter patereris : at pro cœlo, at pro tali bono laborem detractabis, infrendebis & murmurabis ! Plane cauendum est ne hoc idem sit eorum crimen quorum pœna fuit terram promissam non ingredi, quibus à Domino dictum est : *Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis Terram super quam le-* *Num. 14.*

naui manum meam, vt habitare vos facerem! Expendi multum possent hæc postrema verba.

TERTIVM Caput est de octo Beatitudinibus in hodierno Euangelio recensitis, & in 3. parte, Hebdomada 3. & 4. sigillatim explicatis. Quò referri etiam possunt hæ cognatæ Veritates:

Qui non seruat consilia, quia non sunt præcepta, nec ipsa etiam præcepta seruabit.

In 3. p. Fer. 2. Hebdom. 5.

Hoc amanti cœlum paupertas est seu contemptus terrenorum, quod amanti terram, diuitiæ.

In 4. p. Fer. 3. Hebd. 17.

Si quod futurum est in æterna vita, fieret in præsenti, nemo dubitaret pauperem esse diuite ditiorem seu beatiorem.

In 4. p. Fer. 5. Hebd. 17. Veritate 9. Vbi & videnda hæc quæ est numero duodecima.

Vix se vllus talem putat diuitem qualis in Euangelio improbatur: Et vix tamen vllus est qui non sit talis.

QVARTVM Caput dici potest mixtum ex tribus aliis quod ea contineat consideranda quæ totum simul procurandæ salutis opus comprehendunt, sicque vno contextu partim Sanctorum Imitationem seu Sanctitatem, & partim Cœlestem Beatitudinem aut ipsas Beatitudines Euangelicas, Id est, laborem, certamen & proxima propriaque singulis suæ salutis & perfectionis Media complectuntur, quales sunt hæ Veritates:

Porrò, vnum est necessarium:

Hæc est Veritas Veritatum.

In 4. p. Fer. 2. Hebd. 23.

Salutis operi nullum par opus.

Nisi cum metu & tremore salutem opereris, non operaris.

Falsò excusas mundi negotia cùm sit nullum in mundo tale negotium.

In 3. p. post finem Hebdom. decimæ, vbi de Missionibus, Capite 3.

Multi quidem Beati, sed multo plures damnati.

Quæ causa est cur multo plures sint damnati, hæc forte causa est quod sis ex illis pluribus.

Ibid. c. 5. & in 2. p. Dominica Septuagesima. Necnon in 3. p. Dominica 7.

Certa salutis præjudicia tuam faciunt valde incertam & dubiam.

Ibid. c. 4. Vbi de lata & arcta via.

Vnde timorem minuis, magis inde esset timor augendus:

Posuisti firmamentum tuum, formidinem. ex Ps. 88.

Ibid. c. 8. & in 2. p. Dominica Septuagesima, ad hæc verba: *An oculus tuus nequam est, quia Ego bonus sum?*

Verendum ne quod deesse tantum putas ad perfectionem, desit ad salutem.

In 4. p. Fer. 2. Hebd. 17.

Salutis animæ nulla est certior certitudo quàm in certo Vocationis gradu attingendo.

In 1. p. Fer. 2. Hebdom. 5. post Epiph. Et in 4. p. Fer. 3. Hebd. 21.

Nihil æstimatione speculatiua nobis pretiosius animâ nostra, sed practicâ, nihil vilius.

In 2. p. Dominica 2. post Pascha.

Cur autem tam parui faciamus in praxi quod tanti momenti est, cùm inde solum proueniat quod praxis videatur difficilis seu quod difficultatem & laborem fugiamus, hinc omni modo laborandum, si tibi & aliis consultum velis, vt laborem commendes, nec alia melior eius commendandi via & ratio, quàm ex necessitate quam vocant Medij vel Præcepti. Sic enim est necessarius ad salutem labor vt nulla sit sine labore salus, quia nulla salus sine

virtute, sed nulla virtus sine labore. Nec ergo salus aliter. Quod diuersis & multiplicibus aliis loquendi modis variari potest ex sacra Scriptura & Sanctis Patribus.

Apte occurret illud ex Epistola hodierna quod Sanctus ait Ioannes de Sanctis omnibus à se in cœlo visis:

Apoc. 7. *Et palmæ in manibus eorum.*

Nullus sine palma Sanctus. Nullus est qui non triumphet, nullus triumphus sine victoria, nulla victoria sine certamine, nullum certamen sine labore. Quò etiam spectat Illud Apostoli:

2. Tim. 2. *Qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit.*

Nam non coronatur nisi qui vicerit: at nemo vincat nisi qui certet; Ergo & non coronatur nisi post certamen & laborem. *Sic currite vt comprehendatis.* Non apprehendes nisi curras; sed non curres, nisi obsistentia deuiceris & contrà priùs certaueris. (1. Cor. 9.)

Opportunum etiam illud esset Sancti Augustini: *Nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis* (Serm. 47. de Sanctis.) Quasi diceret, ridiculi certe sumus, & in re tam graui ac seria prope blasphemi & impij: Nam quod volumus hoc ipsum nolumus: imo & quod magis videmur velle, hoc est quod minus volumus. Quid enim magis volumus aut quid magis optandum quam gaudere cum Sanctis? Nonne hoc velles? Sed quid est quod minus nolimus quàm tribulationem mundi sustinere? Nam hæc est propriè tribulatio mundi cum quid accidit quod nostræ aduersatur voluntati, cum id accidit quod nolumus, vel cum id minime aduenit quod volumus; Nonne hoc est quod minus velis? Et tamen hoc est quod sustinendum esset cum Sanctis vt gaudere posses cum illis: quia hoc est quod cum accidit, ita ordinatur à Deo tamquam medium ad salutem tuam, quod quidem salutis medium si non vis acceptare, hoc ipso non vis ipsam salutem tuam, sicut qui necessariam sanitati seu vitæ conseruandæ medicinam recusaret, recusaret sanitatem, renuntiaret vitæ; & quantumcumque diceret se velle viuere, nollet tamen cum nollet id quod ad vitam conseruandam esset necessarium.

Hoc est pigrum illum esse qui *vult & non vult*, vult finem sed non media, nolle autem media necessaria iam non est velle fi-

nem, non est velle absolute & efficaciter, non est verè velle, non est velle rationabiliter, non est velle sicut vult Deus qui non aliter quam cum ipsis ordinatis mediis ordinauit finem.

Qua de re fusius in 3. p. Dom. 7. & Fer. 2. Hebdom. 12. vbi expressa hæc Veritas declaratur:

Quod videris velle, velles quidem: sed reuera non vis.

Iam vero nolle salutem, nolle beatum esse, nolle quod præ te fers magis velle, quid est hoc quam ridiculum esse, quam aut infidelem, aut desperatum? Vellesne hoc ita esse? Vellesne post peccatum numquam pœnitere? Putaresne te velle salutem tuam, si nolles pœnitentiam? Cur porro non putares nisi quia Pœnitentia sic est ordinatum medium ad peccati remissionem & salutem vt sicut nulla est salus sine remisso prius peccato, sic nulla prorsus sit peccati remissio sine præuia pœnitentia? Cur verò non idem senties de tribulationibus mundi sustinendis cum sint æque ordinata salutis media? Cur non idem concludes vel illas esse sustinendas vel renuntiandum saluti?

Nec dicas te peccare quidem quod illa nolis aduersa quæ Deus ordinabat ad salutem, sed tamen non ita omnia esse desperata, cùm ipsa supersit Pœnitentia qua peccatum illud eluatur. Ne id inquam, dicas: nam quid esse putas pœnitere? Nonne est voluntatem mutare circa illud cuius te pœnitet? Nonne si te peccati pœniteat quod contraxisti tuis murmuribus, tuis in Deum & homines iniuriis ac blasphemiis, tuis naturæ repugnantis insultibus, nonne te oportet ab illa mente resipiscere? nonne te oportet hunc mutare animum? nonne te oportet velle quod nolebas, aut nolle quod volebas? nonne te oportet internam illam concupiscentiam vel honoris vel voluptatis vel bonorum temporalium quæ est omnium murmurum & rebellionum radix & causa velle reprimere: vel non te prorsus pœnitebit? Nam alioquin voluntatem non mutares, & nisi mutes voluntatem non resipisces, non te conuertes, non te peccati pœnitebit. Vnde vides quòd quàm ipsa est necessaria pœnitentia, tam est necessaria voluntas patiendi quidquid Deus voluerit, quod expresse dixit Apostolus, *Patientia vobis necessaria est vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Hebr. 10. Ac proinde nisi velis pati, hoc ipso nec pœnitere nec saluari velis.

Vndenam putas aliter tam raram esse pœnitentiam vt affirmet Scriptura, *nullum esse qui agat pœnitentiam*, Id est, valde rarum & pene nullum? Licet multi confiteantur, licet multos sui pœnitere videatur; Rarum id tamen est & penè nullum, quia rarum omnino est homines, suis addictos concupiscentiis voluntatem suam mutare circa illud quod amant vel oderunt; atque ita dum idem semper volunt & nolunt, numquam mutantur, numquam conuertuntur, numquam eos pœnitet. Vnde apte Sanctus Ioannes: *Blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent Illi gloriam.*

Ier. 3.

Apoc. 16.

O qui hæc serio sicut res postulat, cogitaret & apprehenderet! *Conuertere Iacob & apprehende.* Conuertere vt apprehendas, & apprehende vt conuertaris.

Bar. 4.

Nec dicas id esse difficile & arduum sic se in alium mutare hominem: Nam ipsa rei necessitas & magnitudo difficultatem omnem perrumpit. Vide quid sit de quo agitur: De cœlo negotium est, de cœlorum vel inferorum æternitate comparanda: totumque negotium in hoc vertitur, vt Rationi & Gratiæ concupiscentiam subjicias, vt tantum laboris sumas quantum est opus ad hanc necessariam subiectionem. Itane hoc arduum & operosum est opus quod Sancti omnes præstiterunt, quod inferno redimendo, & cœlo possidendo postulatur, vt te id redditurum neges, & malis iacturam tanti boni facere, quam quid damni propterea pati? Malis non gaudere cum Sanctis, quam leue aliquid sustinere cum ipsis; malis denique Sanctos omnes in te tuamque perniciem hodie prouocare quàm illos tibi patronos adhibere?

Sic enim est si nolis pati, si difficilius id affirmas quam vt possis sustinere:

Tot in te prouocas hodie testes, quot Sanctos inuocas.

Quæ Veritas multùm expendenda vt altius repetatur propone tibi & aliis considerandum quòd licet Christus pro summo suo Iure, vel pro æquitate ac sapientia sua quam nihil prorsus latet, posset quosuis peccatores iudicare & condemnare, tamen pro sua bonitate & clementia vult seruare quandam formam Iudicij, nec nisi auditis quodammodo partibus, nec nisi ex allegatis, vt dicitur, & probatis quemquam iudicare; Vnde ipse Iudex aiebat, *sicut audio, iudico.* Audit Dæmonem accusantem; audit accusa-

Ioan. 5.

tum se excusantem, audit testes ad id prouocatos; tùm ex auditis iudicat. *Reduc me in mentem, & iudicemur simul; narra si quid habes vt iustificeris.* Hoc Iudex reo peccatori, hoc tibi modo Christus. En accusaris ignauiæ quod nolis sustinere aduersa, quod nolis laborare in reprimendis cupiditatibus quæ nimis auide blanda consectantur, & nimis odiosè contraria quæque auersantur. Hinc omnium origo peccatorum, hinc maxime peccatores accusantur. In id vnum refundi debet eorum superbia, libido, auaritia, gula, ira, inuidia cæteræque vitiorum pestes, quod seipsos non repriman:, siue quod laborare nolint in seipsis reprimendis. Tu quid dicis, quid excusas, quid opponis? Negare certe non potes te superbum, te cupidum, te elatum, inuidum, iracundum, murmuratorem, gulæ ac ventri deditum, iniuriæ supra modum impatientem & læsæ sæpius Charitatis ac castitatis reum. Esto aliquid horum fortè desit, satis est si vnum adsit vt accuséris; satis est si sis ita superbus vt contra tuum nomen nil velis pati, nec tamen parcas alieno nomini. Negare hoc certe non auderes; Etiam tacente Dæmone, Vita hoc tua nimis clamat & propalat. *Is. 43.*

Iam quid dicis? quid excusas? Audio, te hominem ais fragilem, infirmum, sic à natura constitutum vt non possit ferre iniuriam quin parem referas? Nonne hoc dicis, nonne hoc cogitas? Et quidem ad te reuincendum & mendacij condemnandum sufficeret ipsius Iudicis certa scientia, sufficeret quod dixit Sapiens, *Si dixeris, Vires non suppetunt, qui conspector est cordis Ipse intelligit, & Seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.* Nihil scilicet infirmitatis Illum fallit aut ignauiæ tuæ. Non ignorat quam sis infirmus à natura tua, sed probe scit etiam quam sis potens à sua gratia. Sufficiebat inquam Iudicaturo sua hæc accurata scientia, vnde apud Iobum: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Sufficiebat & Exemplum ferendæ iniuriæ tam luculenter ab ipso nobis datum. Sufficiebat ipsa eius naturæ humanæ sensibilitas quam assumpsit, vt paritate sua totam euerteret prætentæ causam excusationis tuæ, sic Ipse ait apud Prophetam: *Ego sum Iudex & testis.* *Prou. 24.* *Iob. 36.* *Ier. 29.*

Sed tamen, vt mitiùs & accommodatiùs tecum agat, meros ipsos producit homines qui dum viuerent, iniurias, calumnias, expilationes, & alia quæuis passi sunt, vt testentur & dicant, an id fieri nequeat, an id tolerari sit ita difficile vt vires omnes diuina

etiam roboratas gratia, superet & transcendat. Hos tu Ipse prouocas testes, siue quod idem est, tu Iudicem prouocas ad eos exhibendos & audiendos, quandoquidem si quod excusas verum esset, redundaret in Iudicem; & excusatio tua, Ipsius esset accusatio: si nempe sic infirmus esses vt reuera non posses iniuriam aut quid aliud sustinere propter quod ignauiæ modò accusaris, iniquus esset judex si te accusatum condemnaret: condemnaret enim innocentem. Quamobrem spectat ad eius æquitatem Iudicij, vt non ipse tantum iudicandus intelligat, sed vniuersus plane mundus agnoscat quàm sit falsum quod excusat superbus ab infirmitate naturæ: Prodeant & testentur quotquot palmas in cœlo habent an eorum infirmitas obstiterit quò minus possent cum Gratia sustinere quidquid illis sustinendum fuit.

Dicant primò an fuerint alterius naturæ quàm humanæ? Prodant deinde nùm cõmunes naturæ repugnantis infirmitates senserint; nùm viderint aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ? Testentur denique nùm propterea tam difficile iudicauerint sustinere vt non fuerit decertandum, & potius cedendum naturali vitæ quam naturæ vitiosæ? *Rom. 7.*

Hoc est, peccator, hoc est superbe quod Sancti omnes suis testantur & præ se ferunt palmis: Non habent palmas in manibus nisi quia vicerunt, non vicerunt nisi quia decertarunt, non decertarunt, nisi quia sibi æmulum & aduersarium haberent contra quem dimicarent, non habebant aduersarium secum pugnantem nisi seipsos, nec seipsos habebant aduersarios nisi quia carnem gestabant corruptam, infirmam & spiritui repugnantem sicut tuam sentis. Non alij fuerunt à te quantum ad naturam & naturæ corruptelam, nec tu ab Illis alius: vnde clamat Apostolus: *estote sicut ego, quia & ego sicut vos.* Quod prætendis in te obstaculum, illi habebant: quod allegas in illis adiumentum, tu hoc ipsum habes, si vti velis. Idem omnium Dominus, eadem omnium Sacramenta, Leges, Libri, Doctores: Auxilia verò & Gratiæ forte plures, forte vberiores. *Non dixeris per Deum abest.* En omnes tui similes apud inferos confitentur *in malignitate sua consumptos esse.* *Gal. 4.* *Eccles. 15.* *Sap. 5.*

Nec dicas te non esse Sanctum sicut qui palmas habent, nec te propterea posse ita dimicare & vincere; Nam illi non dimicarunt quia palmas habebant, sed potius quia dimicarunt idcirco palmas habent & Sancti facti sunt. *Sic dimicarunt*, inquit Sanctus Chrysostomus *Serm. 1. de Marty.*

Chrysostomus, *aduersus peccatum Sancti, sic & laborando fortiores, & moriendo victores effecti sunt. Nullus athletes sine certamine fortior dici, nullus sine victoria poterit coronari. Nemo miles sine prælio hostem subiecit, nemo sine bello Imperatorem promeruit. Habes Christiane competentia arma quibus hostem expugnes, habes fortissima tela quibus inimicum debelles.* Et alibi. *Si propterea Iustos fideleſque diligimus, quod in ipsis iustitiam fidemque suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt si faciamus quod Ipsi faciunt. Neque enim difficile nobis est quod ab ipsis geritur, imitari.* Et quæ plura pergit, ex quibus patet quam falso excusemur quasi non possimus; & quàm merito arguamur quod nolimus. *Serm. quod sunt imitandi, aut non laudandi.*

Par vtrobique potestas cum gratia, sed dispar vtrorumque voluntas. Poterant illi nolle sicut nos pro sua libertate voluntatis: sic & nos possumus velle sicut illi, cum æquè simus liberi. Libertas inter nos eadem, sed non idem libertatis vsus. Libertatem illi suam adjungebant gratiæ, vt contra seipsos pugnarent: nos vero nostram nobis ipsis, id est, cupiditatibus, adjungimus libertatem vt contra gratiam decertemus. Quod præclarè Diuus Augustinus, vel vt alij volunt, Sanctus Fulgentius insigniter declarauit exemplo Regum Pharaonis & Nabuchodonozoris, quorum vitæ ac morum paritatis longe dispar fuit exitus: *Quantum ad naturam*, inquit, *ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo Reges: quantum ad culpam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis Dei clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ infirmitatis ingemuit; alter libero contra misericordissimam Dei Veritatem pugnauit arbitrio?* *De prædest. & gratia.*

Quamobrem hoc vnum restat ne sic deinceps repugnes gratiæ quasi non possis tecum pugnare, & quasi tu inde excuseris: Nam testimonio Sanctorum omnium apertæ conuinceris falsitatis, iamque tot annorum reo decretoria lata esset sententia nisi te singularis clementia Iudicis in hunc vsque diem reseruasset quo tantis conuictus testibus resipiscas, & ad seriam tecum ineundam pugnam vehementius accendaris.

Sic nobilis ille Athleta Iobus hunc inde stimulum ad suas generosius ferendas pœnas sentiebat tam vehementem vt Domino diceret: *Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram aduersum me, & pœnæ militant in me:* Vbi Sanctus Gregorius, *testes*, inquit, *suos* *Iob. 10.*

L. 9 mor. c. 37. *contra nos Dominus instaurat cùm Electorum vitam prauitati nostræ contrariam ad arguendos nos multiplicat.* Tum post multa: *Et pœnæ militant in me*, Id est, *metus futuri Iudicij*, quasi diceret, conflictus quidam in me est præsentis pœnæ quam patior, & futuræ quam metuo. Præsens pœna sic corpus atterit vt ea vellem liberari, sed nisi libenter patiar exemplo confirmatus eorum qui totos vitæ annos in tolerandis difficultatibus posuerunt, pœna me futuri terret iudicij, sicque hæc futura pœna cum præsenti militat vt dum nolo pœnam quam sentio, velim tamen quod nolo, dum futuram metuo grauiorem. Sicut autem Iobo veteres illi Patriarchæ Abrahamus, Isaacus, Iacob & pauci alij proponebantur in exemplum fortitudinis & in testimonium oppositæ laxitatis, sic ipse Iob & consequentes Viri patientiæ, nobis in eundem exhibentur finem. *Ecce*,

Iacobi 5. inquit Sanctus Iacobus, *Ecce Iudex ante ianuam assistit: Exemplum accipite fratres exitus mali, laboris, & patientiæ Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis*, Et nonnullis interjectis: *Elias homo erat similis nobis passibilis*, quasi diceretur, En suos Iudex contra nos producit testes omni exceptione maiores: Nam erant nobis similes, Id est, ita infirmi & passibiles, vt nihil habeamus excusandum quod illi non haberent & quod tamen non opposuerunt ne paterentur; vnde

Hebr. 12. tandem concludens Apostolus, *Ideoque*, inquit, *& nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Id est, libenter suscipiamus tale certamen quod est propositum seu quod est necessarium ad expugnandas concupiscentias quæ sunt causa peccati, vel ad eas ita continendas ne peccetur. Currendum etiam dicit Apostolus quasi qui sequuntur currentes alios, quasi quibus est in mora periculum, quasi iam omnia sint deliberata, præuisa, constituta: neque aliud quid supersit quam certare. Qui sic enim non currit, vel sedet otiosus, & nihil agit; vel si lentius & mollius pugnet tum repugnantem audit naturam & illi cedit quam currendo facilius repulisset, aut ne quidem audiuisset. *Num-*

Num. 32. *quid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?* Aptè illud Mosis in ignauos detorqueatur; Aut ne ignaui sint, aptissima ma-

2. Mach. 7. tris Machabæorum ad Filium natu minimum adhortatio: *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui: & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto nate vt aspicias in cœlum:*

ita fiet vt non timeas Carnificem istum , sed dignus fratribus tuis effectus particeps , suscipe mortem vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

Sic suos hodie teneriores filios Ecclesia cohortatur proposito Cœlo & Sanctorum exemplo; Quæ duo certe sunt acerrimi ad certandum aculei. Nam si non aliter cœlum obtinetur quàm pugnâ, quis audeat cœlum sperare nisi pugnet? Quis audeat non pugnare, ne sperare cœlum non possit?

Cum talis itaque pugnandi secum necessitas tam manifestè probetur, vt vel desperandum sit cœlum vel pugnandum, cauenda hic diligenter fallax naturæ nostræ indoles quæ si non potest vniuersim negare quod sit cœlo acquirendo laborandum, negat tamen, particulatim & recusat in quouis occurrenti casu; quasi hoc in casu non sit ita necesse; sicque in singulis pene difficultatibus pugnam detrectat. Non omnem quidem generatim, sed istam particularem, vel quia videtur difficilior, vel non necessaria; vel quia quouis modo non placet.

In quo certe triplex & damnosa est Illusio. Prima quidem quòd sic numquam pugnetur, cum semper pugna differtur. Secunda, quod qui differt non aduertit periculum & damnosum statum in quo viuit; nam cum velit aliquando sibi vim facere, sibi facile persuasum habet hanc voluntatem sufficere, nec sibi cautius prospicit. Tertia denique, quod & differendo existimat se minus difficultatis experturum in se vincendo, cùm ordinariè secus eueniat vt quo quis differt longiùs difficultatem tollere, tollat difficilius, vt fuse declaratur in 1. parte, Fer. 2. Hebdom. 4. post Epiphaniam.

Quod quidem accidit naturaliter & supernaturaliter; nempe ex ipsa repugnante concupiscentia quæ totius difficultatis est radix, & quæ in dies magis ac magis crescit: Tùm vero etiam ex Permissione diuina qua fit vt crescente concupiscentia decrescat Gratia, minusque detur auxilij, cum majus esset magis opportunum, quo statu quid deploratius? Cùm è contra quid fœlicius cuiquam possit accidere, quàm si decrescente concupiscentia crescat major ac major diuina Gratia, quod fœliciter euenturum his qui se quamprimum expugnant & vincunt, hæc Christi verba satis denuntiant: *Qui vicerit, faciam illum Columnam in templo Dei mei*: Id est, ita firmum & robustum illum reddam vt si quibus tangatur cōcupiscentiæ motibus, nullis tamē moueatur aut quatiatur. *Apoc. 3.*

De his diceres comparatis ad alios, quod Scriptura refert
1. Reg. 3. de Dauide & Saule: *David proficiens & semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.* Quò referri etiam posset quod de se Dauid Sauli quondam narrabat cum peteret facultatem congrediendi cum Gygante Goliatho: Nempe quod leonem & vrsum interfecisset, Vnde & concludebat; *Dominus qui eripuit me*
1. Reg. 17. *de manu Leonis, & de manu Vrsi, Ipse me liberabit de manu Philisthæi huius:* Quasi diceret, sic eos Deus facit fortes ac robustos qui se prius fideliter exercuerunt in quibusuis oppositis expugnandis:
Luc. 26. *Sic omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.*

Hinc apte Hugo Victorinus: *Alij stantes, alij nutantes, alij vagantes: Stantes confirmati, nutantes nondum radicati, vagantes dissipati: Stantes vicerunt, nutantes pugnant, vagantes victi sunt: Stantes in pace, nutantes in luctamine, vagantes in abalienatione.* Nempe illi vagantes sunt qui vt dicebatur, de labore vagantur in laborem, de præsenti ac certa certandi occasione vagantur in futuram & incertam, sicque vix vmquam certant, vix vmquam figunt pedem vt certent, vnde & dicuntur in Euangelio, *radicem non habere,* nec audito bene vti verbo; audiunt quidem satis libenter, & quo id
Matth. 13. tempore audiunt, credunt, *Credunt ad tempus,* inquit Dominus,
Luc. 8. *sed in tempore tentationis recedunt*; Id est, dum audiunt esse certandum & laborandum, id ita vident æquum esse, vt minime dubitent esse necessarium, sed cùm actu & reipsa est laborandum, sic deficiunt animis & laborem fugiunt quasi non crederent esse certandum. Vagè credunt, nec determinatè nec fixe aliquid certi. Credunt extra certamen, esse certandum, sed non ipso credunt
Ps. 77. certamine, quod est recedere, quod est non credere, *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Quamobrem qua fide vniuersim creditur esse certandum: eadem prorsus particulatim credendum est, de vnoquoque certandi tempore; Quod ita verum est, & ita necessarium credere, vt quidquid Sancti decertarint, eorum fidei detur, quod ita certarint & vice-
Hebr. 11. rint, *Qui per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones:* Et quæ multa prosequitur Apostolus, Vnde & apte Sanctus Augu-
In Ps. 32. stinus; *Si credis caues: si autem caues conaris: & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat: & hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certantem inspe-*

Hat, & deficientem subleuat, & vincentem coronat.

Hoc est bonum certamen fidei quod suo Timotheo consulebat 1. Tim. 6.
certandum Apostolus, & quod ipse certans sibi certam inde speraret coronam gloriæ. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui,* quasi diceret, in hoc esse bonum certamen 2. Tim. 4.
certauisse, si cursum consummaueris: & tunc cursum consummasse si fidem in vnoquoque certandi & currendi casu seruaueris sicut dictum est; si nempe sic fideliter tum credas esse certandum & certes, quàm vniuersim credis esse aliquod certandi tempus. Vnde & securus pergit. *In reliquo, reposita est mihi corona Iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, Iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.* Quasi diceret, tam secure id affirmo quam certus sum Christum Dominum esse iustum & fidelem, qui quod promisit dabit; promisit autem coronam certantibus; ergo illam profecto dabit; Ergo etiam propterea fideliter omnibus est certandum. *Esto*, inquit, *fidelis vsque ad mortem, &* Apoc. 2.
dabo tibi coronam vitæ. Iam enim eam paratam habet, iam contextam & apud se repositam tuam coronam, quasi iam esset tua, quasi non esset iustus aut fidelis qui quod tuum est & quod promisit redditurum, nollet reddere; Ne dubites quin omnino velit, nam id iam actum est, iam corona tibi reposita, tibi seorsum asseruata, tibi prorsus secura.

Quo in sensu vocis huius, *Reposita*, non tantum inest accipiendæ certitudo coronæ, quæ multum certe potest ad certamen fideliter consummandum, sed & particularis certandi modus quem quisque certando tenere debet. Hoc est enim aliquid vni esse repositum quasi sepositum, quasi ab aliis segregatum, quasi aliis non dandum, nisi consentiat & velit ille cuius id esse dicitur quod est repositum. Sic Samuel reponendam iussit partem illam ciborum 1. Reg. 9.
quam Sauli reseruabat. Sic Raphaël reponendum piscis iecur Tob. 6.
quod sibi seruaret Tobias. Sic apte reposita dicitur esse à Christo nostra Corona, quod sit ita nostra vt non sit alterius, nisi quod nostrum est repudiemus, nec nisi nobis scientibus volentibus transferatur ad alios, vnde illud Domini: *Tene quod habes vt nemo acci-* Apoc. 3.
piat coronam tuam; Non enim aliter acciperet nisi velis & nisi tu ipse deponas quod habes, Id est, præsentem occasionem patiendi ac certam gratiam qua certes cum aduersis siue cum illis cupiditatibus quæ aduersis repugnant. Ex quibus ita declaratis tam pro-

prius certandi modus vnicuique nostrum indicatur quam propriè & vere à Christo reponitur vnicuique nostrum sua certa corona.

Quod & illustrius ab Ecclesia nobis proponitur cum Iesus esse dicitur CORONA SANCTORVM OMNIVM, Vnde hæc formari potest Veritas Practica:

Quo singulariter modo Iesus esse dicitur Corona Sanctorum omnium, hic singularis modus est quo Sanctis omnibus certandum fuit.

RATIO iam indicata est, & patebit euidentius ex ipso singulari modo quo inter alios qui offeruntur, magis propriè dicitur Iesus esse Corona Sanctorum omnium. Quod cum ad Christi Domini Sanctorumque gloriam & nostros inde acuendos ad certandum animos maxime faciat non fuit omittendū; Nec leuiter certe perpendendum esset, tametsi breuius de vnoquoque modo disseritur, sed facile cuique est quod velit fusius explanare.

Cum sint autem varij modi quibus id dici possit, tum tres præcipui producuntur qui spectant tres differentias temporis, *Præteritum, Præsens ac Futurum:* Præteritum scilicet quo in terris vixerunt Sancti: Præsens quo in cœlis viuunt: Et Futurum quo simul anima & corpore post resurrectionem & generale Iudicium viuēt.

Primò quoad præteritum: Sicut Corona significat gloriosum rei complementum, quod & Coronis dicitur, id est, suprema & extrema pars operis fœliciter adhibita: sic quando dicitur Iesus corona Sanctorum omnium, perinde est ac si diceretur, Sanctæ omnium vitæ quam egerunt in terris esse Author, Perfector &
Hebr. 12. Consummator, qualem Eum expresse vocat Apostolus: *Aspicientes in Authorem fidei & Consummatorem Iesum*, Id est, vsque ad extremum vitæ finem fideles suos protegentem & perducentem.
Ps. 5. Quò & illa Scripturæ referas: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti*
Ps. 102. *nos. Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Dicitur enim coronare & esse simul Corona quia dum suos coronat, dum illis benefacit vsque ad mortem, sic eos quodammodo cingit & circumdat, velut corona Caput, sic eos protegit, sic seipsum illis
Thren 5. communicat, sic se ipsis vnit vt coronam capiti; *Cecidit corona capitis nostri, Væ nobis:* sic Ieremias de mortuo Rege Iosia qui corona suorum dicebatur, quia sanctè, constanter, gloriose ac fideliter

tos regebat; At quanto magis Christus, dum sancto fine Sanctos suos consummat?

SED quia dum sic Sancti consummantur in hac vita, corpus suum deponunt, nec nisi animâ in cœlo, non corpore, beati sunt, Videtur certe nondum esse completa consummatio seu Beatitudo, donec Corpus illam participet, donec suo modo Corpus Deum videat & Beatum sit, sicut anima Deum videns Beata est. Quamobrem & hoc secundo sensu qui futurum respicit, Iesus est Corona Sanctorum omnium, id est, complementum æternæ ac Beatæ vitæ, quatenus se post resurrectionem Corporum corporeis Sanctorum oculis videndum dabit. Cum enim diuina Essentia videri non possit oculo corporeo, mansisset in omnem æternitatem priuatum corpus hac sublimiori parte Beatitudinis quæ videndo Deo possidetur, nisi prouisum esset à Christo, qui cum Ipse sit Deus & Corpus habeat gloriosum, ac visibile, sic proinde Corpus Sanctorum suis oculis videndo Christum, videbit Deum, & intrabit in partem gaudij Domini sui: Vnde & Christus Corona fiet, Coronis erit & complementum totius Beatitudinis, atque illud adimplebitur quod ipse Dominus Patrem orans, optabat, *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant Claritatem meam.* Ioan. 17. Quod sic præclare sanctus explanat Augustinus: *Vt totus sensus hominis in illo beatificaretur & reficeretur, oculus cordis in eius Diuinitate, oculus corporis in eius humanitate, factus est Deus homo.* Id est, hic finis & extremum quod assumpta confert à Verbo Humanitas, vt in ea nempe videnda conquiescant Sanctorum corpora sicut in videnda Diuinitate reficiuntur illorum animæ. Nonne sic tandem Iesus vere est verè est Corona Sanctorum omnium?

AT vero cum nec præteritum nec futurum reuera sint, sed præsens tantum quod durat tempus, dicaturque de hoc præsenti tempore quod Iesus sit Corona Sanctorum omnium, quocumque id sensu ac modo dicatur, verior hic videtur modus & magis considerandus qui ad præsens refertur. Sic autem facile declaratur, vt quemadmodum Corona quæ in præmium, in gloriam & honorem bene merito datur, tam conuenientur ipsius aptatur Capiti vt neq; sit laxior nec strictior: sic plane cœlestis Beatitudo, sic tamquam Corona gloriæ totum Beati animum circumquaq; replet & possidet vt sit ipsi commensurata & eius meritis omnino adæqua-

ta, neque major neque minor quam eius merita ferant: Vnde fit vt quàm sint omnium Sanctorum diuersa merita, tam sint diuersæ Coronæ quæ singulorum ex æquo respondeant meritis, velut Co-
1. Cor. 15. rona capiti: *Sicut stella differt à stella, & sicut alia claritas Lunæ & alia claritas Solis. Vnusquisque autem in suo ordine*, inquit Apostolus.

Ephes. 4. Hic autem ordo totus à Christo est, *Secundum mensuram donationis Christi*, ait Idem Apostolus; mensura primò est gratiarum & meriti, tum gloriæ ac Beatitudinis, de qua Christus tam vere ordinat & disponit quàm verè dixit: *Pater diligit Filium, & omnia*
Ioan. 3. *dedit in manu eius. PATER omne Iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent filium. PATER clarifica filium tuum vt filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, suo scilicet diuerso modo possidendam. In quo quidem modo licet inferiores alij sint aliis, ita tamen omnes acquiescunt vt nollent alium beatitudinis gradum, quia magis in Christo ac Deo gaudent quàm in se, videntque omnia tam sapienter tam iuste tam sanctè, tam vere, *in mensura & numero & pondere disposita*,
Sap. 11. vt in hac vna dispositione laudanda & amanda toti sint vnanimes & vno incessanter ore glorificantes Christum Dominum à quo habent quidquid habent. Vnde quid euidentius & quid aptius quàm quod sit Corona Sanctorum omnium, sicut expresse Propheta de-
Is. 28. nuntians: *In die illa*, inquit, *erit Dominus exercituum Corona Gloriæ & Sertum exultationis residuo populi sui*. Quatenus scilicet de singulari omnium Gloria, & singulorum exultatione disponet.

Hoc nempe Regnum eius est & Imperium sic de cunctis dispo-
Luc. 22. nere, prout suis dicebat Apostolis: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Nec obstat quod eorum duobus respon-
Matth 20. deat, *Non est meum dare vobis:* Nam vt apte Sanctus Hieronymus, *Non est tantum dantis hoc regnum sed accipientis, non personæ sed vitæ paratum.* Petebant duo illi Discipuli rationem suæ duntaxat haberi personæ, non meriti; At Christus, non est meum, inquit, sic dare vobis. Contendite intrare per angustam portam, certate,
Apoc. 72. vincite, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Qui vicerit, dabo ei sedere*
3. *mecum in Throno meo, sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in Throno*
Cant. 4. *eius. VENI, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum*, Id est, ex variis mundi difficultatibus quæ vnicuique occurrunt, merita disponente, in quibus

bus expugnandis & superandis proprius & singularis certandi modus consistit.

Non enim minus disponit & ordinat Christus de his quæ vel casu occurrunt aduersa, vel statui nostro sunt annexa, vel temperamento naturali coniuncta, quam de ipsa corona gloriæ, quæ vt diuersa sit in singulis, singulorum etiam debent esse diuersa merita, vt dictum est, ac proinde etiam diuersa Christus procurat omnibus agenda & patienda, vt sementi messis respondeat, labori præmium, & Corona Capiti. Sic vnusquisque suam iubetur ferre Crucem, & non aliam; *quā merito ferri, vnicuique suadetur,* inquit Sanctus Leo, *quia propriis modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur.* Vnde & apte Sanctus Chrysostomus, *Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spopondisti; conditionem qua accessisti; militiam cui nomen dedisti*; Quæ non tantum Religioni Christianæ, sed vniuscuiusque vocationi & statui singulariter applicanda sunt, vt tantum quisque norit & intelligat sibi certandum, quanti occurrent in illo suo statu certandi casus.

Serm. 9. in quadr.

Serm. de martyribus imitandis.

Vide in 2. parte, Fer. 5. Hebd. 2. in Quadrag. Feria item 2. & 5. Hebd. Passionis, vbi hæ Veritates proponuntur:

Quo in cœlis Corona gloriæ sumetur vultu, hoc in terris Calix sumendus est.

Non quæsitæ Cruces, sunt magis exquisitæ.

Qui à Cruce suas tollit dimensiones, tollit à se suam Crucem, & suam gloriam.

Qua facilitate vincimur, eadem vincere possumus.

In 3. p. Fer. 5. Hebd. 7.

Qui melius de pœnis sentiunt, hi minus pœnas sentiunt.

In 4. p. Fer. 3. Hebd. 15.



Die 2. Nouembris.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Iob 19.

VERITAS PRACTICA.

Miseriùs est animæ neganti misericordiam quàm poscenti.

RATIO EST, *Quia miseriùs est illi animæ quæ se in periculum miseriæ sempiternæ præcipitat, quàm temporali miseria laboranti.*

Sed Anima quæ hîc viuens negat defunctis misericordiam se in periculum sempiternæ miseriæ præcipitat, cùm defunctus temporali tantum laboret miseria.

Ergo miserius est animæ negantis misericordiam quam poscentis, vnde nisi te flectat aliena miseria, sine te tangi tuâ.

CVM autem vna in toto hoc discursu possit esse difficultas de sempiterna miseria in quam se præcipitat anima quæ misericordiam negat, Vide in 3. p. Fer.6. Hebdom.3. vbi de 4. Beatitudine: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*; vnde concluditur miseros fore immisericordes quoniam misericordiam non consequentur, vt expressè Sanctus Iacobus, *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Iac. 2.

ALIA VERITAS.

Sicut à pœnis quas Boni patiuntur, cognoscuntur Beatorum gaudia: Sic à Beatorum gaudiis cognosci possent pœnæ quas Boni patiantur.

RATIO præsupponit vnum, vt alterum inferat: Nam idcirco à pœnis quas Boni patiuntur, cognoscuntur Beatorum gaudia, quod cùm sint pœnæ grauissimæ, consequens est vt eorum etiam futura sint magna omnino gaudia; Neque enim diuina Bonitas tam dura illos sineret pati: Aut si diuina id exigit Iustitia, non erit minor Bonitas in eis compensandis quàm puniendis. Vbi vides præsupponi, vel certè declaretur, quam sint illæ graues pœnæ quas in vita & post mortem in Purgatorio Boni patiuntur, quod erat argumentum hesternum.

Sed pari modo ex Beatorum gaudiis quæ supponenda vel exponenda sunt, cognoscuntur pœnæ quas patiantur Boni: Nam ante disponendi sunt, purgandi sunt, parandi sunt tantis bonis perfruendis. Quo est autem nobilior forma in subjectum introducenda, eò & subiectum debet aptius reddi & disponi. Videsne quantam oportuerit esse Virginis puritatem, ad diuinam Maternitatem? Videsne quantam Humanitatis à Verbo assumptæ sanctitatem, vt sic vnita hæreret Verbo? Sic cogita, sic conclude de beatifica Visione, & vnione animæ cum Diuina essentia. Nam hæc tria *Maternitatem Dei, Vnionem Hypostaticam, & Visionem Beatificam* pari quodam modo prope infinita esse docet Diuus Thomas. Vnde ad parandam tali bono animam tot terrenis inquinamentis infectam, quantis putas purgationum generibus Deum velle vt emundetur? Audi quid vel vnus Scripturæ locus referat; vbi de Ipso in terras venturo Deo loquitur, *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba* Mal. 3. *fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* In quibus verbis tria sunt ad indicandam puritatem quam Deus optat maximam, valde consideranda. Primum est quòd multa simul conglobantur verba quæ vnum & idem significant, vt tanto id scilicet apertiùs intelligatur. Secundum est quòd res per verba significatæ multum momenti addunt ad hoc ipsum exprimendum; quid enim purius

quam quod igne conflatur, quam quod conflatorio purgatur, aut alio quouis modo colatur aurum & argentum? Tertium denique, quòd verbis & rebus additur modus conflandi & purgandi suos, non leuis, non subitaneus, non præceps, non expeditus: sed lentus, grauis, cogitatus, *Sedebit*, inquit, *conflans*, quasi qui meditatò rem agat, quasi qui tantum spatij sumat, tantumque ponat operæ, quantum res purganda exigit. Quod particulatim ad Purgatorium applicans Sanctus Augustinus, *Quantum*, inquit, *exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam rationabilis flamma disciplina: & quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens flamma deseuiat*, Quæ cuncta facilius ex sequentibus intelligentur.

l. 50. Hom. Hom. 10.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Incredulitatis est vel Crudulitatis nimiæ, non misereri petentium misericordiam animarum.

RATIO EST, *Quia non credere quæ sunt digna fide de graui aliquorum miseria, vel nolle illis succurrere cum facile possis, Incredulitatis est vel nimiæ Crudelitatis.*

Sed non misereri petentium misericordiam animarum hoc ipsum est non credere quæ sunt digna fide de graui & extrema ipsarum miseria: Vel nolle illis quod facile possis, succurrere.

Ergo & Incredulitatis est vel Crudelitatis nimiæ non illarum misereri. Quod certe si diligenter expandatur; & annuerit diuina Bonitas, erit operæ pretium.

I. PVNCTVM.

QVOD vniuersim de Fidei nostræ Mysteriis deplorabat Ieremias, hoc particulatim de Animabus in purgatorio detentis dici debet, *Nullus est qui recogitet corde.* Non est qui cogitet esse aliam vitam, esse cœlum, esse infernum, esse alterutrius æternitatem aliquando nobis adeundam. Non est qui recogitet esse purgatorium, ibi esse animas in extremis suis pœnis inclamantes quod olim Iobus in suis: *Miseremini mei, miseremini mei vos*

Ier. 12.

saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me. Nam si hoc vere cogitaretur vt vere est, quis amico, quis fratri, quis parentibus suam non ferret operam?

Videtis hodie quanti motus animorum omnium in hoc exhibendæ pietatis opus! quia videlicet eius excitatur cogitatio, memoria reuocatur, statim Intellectus apprehendit quid sit rei, & quid facto sit opus, tum pari gressu Voluntas mouetur, & in omnes se inflectit partes vt cum Gratia, tam iustum tam iuste debitum exoluat Religionis Officium.

O si diutius hæc duraret cogitatio! Si quod optabat Dauid, nobis eueniret *vt reliquiæ cogitationis diem festum agerent*, hoc vnum sufficeret ad conferendam quam poscunt à nobis Animæ misericordiam; hoc vnum Scriptura exigit: *Sancta & salubris cogitatio pro defunctis exorare*, non dicit institutio festi, vel officij, vel alterius ordinandæ deuotionis, sed sola Cogitatio cum diuina gratia subeat animum, satis erit ad flectendos animos nostros in id quod poscunt à nobis Animæ laborantes, omni loco & tempore fideliter impertiendum. *Ps. 75.* *2. Mac. 12.*

Ad hanc autem firmiùs animis infigendam cogitationem, & crebrius frequentandam memoriam, crediderim id in primis opportunum, vt Mens graui aliqua & vehementi percellatur ac imbuatur Veritate qua non modo quid sit boni cognoscat in hoc pietatis officio, sed quid mali esse possit iam ex hac vita, si suo desit muneri.

Vide num talis futura sit illa Veritas quæ idcirco præ cæteris paulo latius expendenda nobis modò proponitur. Experire num ita sit, vel quàm sit intolerandum si sentis ita esse, quod vel nimis incredulum vel crudelem esse oportet si quam postulant Animæ purgatorij misericordiam deneges. Quod vt clarius liqueat, Perpende minutatim quid sit esse in præsenti negotio vel Incredulum vel Crudelem. Nonne is tibi videatur nimis incredulus qui digna fide, qui audita ex pluribus omni fide dignis supplicia quæ vel affinis vel amicus inter hostes patiatur, & nolit credere? Vel si credat & rogetur opem ferre quam facile posset si vellet, nolit tamen, & in suis eum iacere pœnis malit quam vllo se mouere loco; Nonne is tibi Crudelis, Nonne ferus ac barbarus censeatur?

Nonne propterea Simon Ionathæ frater voluit potius argenti talenta centum dare quæ Fratri redimendo Thryphon petebat *1. Mach. 13.*

quàm fratrem in vinculis relinquere, ne aut incredulus haberetur si non crederet licet homini vafro & fallaci, fratrem hac pecunia redimendum; vel si nollet redimere, crudelis & inhumanus audiret apud populum, indeque inuidiam contraheret numquam eluendam?

Nonne secus factum ab Imperatore Mauritio deplorant omnes Historici? Nonne id in illo arguunt quod cum audisset Milites Christianos bello ab hostibus captos & male habitos, posse si vellet nonnulla data pecunia redimi: vel auditis non credidit, vel audita contempsit, & miseris misericordiam abnuit, vnde ipse paulo post à Phoca simul cum liberis est interfectus?

Ex quibus, atque ex ipso communi sensu satis patet quid sit incredulum aut crudelem esse: Faceret Deus ne id etiam tam multis liqueret exemplis.

II. PVNCTVM.

SED non misereri petentium misericordiam animarum, hoc ipsum est, vel non credere quæ fide digna dicuntur de extrema ipsarum miseria; vel nolle illis quod facile possis, succurrere.

Pedetentim hîc incedendum; & primo non misereri censendus est qui nihil de suo confert ad subleuandam animarum miseriam. Non quæ possunt conferri omnia, de quibus infrà dicetur, non inquam requiruntur ab vnoquoque conferenda; Satis est si quod horum commodius possit, ita velit & agat: Sed nisi etiam aliquid suum agat aut patiatur, quantumcumque pium sentiat erga illas affectum, non potest dici misericors: Vnde illud Sapientis præclare dictum, *Multi homines vocantur misericordes, virum autem fidelem quis inueniat?* Id est, solo nomine sunt misericordes non reipsa, paucique tales sunt qui vim nominis impleant, quia pauci hoc agunt quod possint, in quo vno consistit fidelitas.

Pr. 20.

Deinde verò, quænam sit animarum in purgatorio detentarum miseria, quámque sit omni fide dignum quod de illa refertur, paulo attentius inuestigandum; atque ex his quatuor circunstantiis breuiter indicatis, fusius explanandum. Prima est, Grauitas pœnæ, quæ grauitate superat quidquid in hac vita pati possimus, vt expresse & luculenter ait Sanctus Augustinus: *Non solùm*, inquit, *de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios: sed etiam de illo qui emen-*

In Ps. 37.

dabit eos, qui per ignem salui erunt. Dicitur enim, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamuis salui per ignem: grauior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati, tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi? Ista ergo quæ hic sunt mala, multo faciliora sunt: & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quidquid iusseris faciunt. Quanto melius faciunt quod iubet Deus, ne illa grauiora patiantur! 1. Cor. 3.

Secunda circunstantia est, pœnæ diuturnitas, quæ definiri quidem præcisè non potest, sed vniuersim asseritur ad multos produci annos, nisi viuorum suffragiis contrahatur; Vnde apte Origenes, *pro defunctis semper orandum, quia nescimus quamdiu cruciatus perduret.* Et sanctus Bernardus, *In purgabilibus*, inquit, *locis centupliciter quæ fuerint neglecta redduntur, vsque ad nouissimum quadrantem.* Quibus si placet addere Cardinalem Bellarminum, hæc sunt eius verba: *Purgatorij pœnas vltra decem aut viginti annos extendi, & fortasse vltra centum propagari posse, non dubium est.* In Ep. ad Rom. In obitu Humberti Monachi. L. 2. de gemitu columbæ c. 9.

Tertia circumstantia est, Impotentia sui iuuandi; quidquid enim orent, quidquid agant aut patiantur, nihil ipsis confert ad pœnarum leuamen aut subsidium, sunt enim extra viam meriti; possunt quidem suis pœnis contracta soluere debita, sed non possunt se per seipsas à pœnis eximere. *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud Inferos quò tu properas*, inquit Sapiens, Inferorum nomen vsurpans pro quocumque loco ex infernis extra viam & patriam. Eccl. 9.

Quarta est, quo vno se solari posse videntur, hoc ipso magis affliguntur, spe scilicet futuræ beatitudinis; Nam spes illa est *quæ cum differtur affligit animam*, animam carne exutam, animam quæ valde apprehendit Bonum quo priuatur, animam quæ nouit se sua culpa tanto priuari bono, animam quæ Deum diligit & quæ à dilecto separata non potest viuere nisi cum ingenti dolore; animam quæ videt in se reatum pœnæ quò à videndo Deo & possidendo impeditur, animam quæ multos in viuis nouit à quibus si vellent iuuaretur, & quantocyus in diuinos introduceretur amplexus: & tamen ab illis non auditur, negligitur, obliuioni datur! Prou. 13.

Satisne putas hoc esse miserum & miseratione dignum?

Nonne vero hæc sæpius audiuisti? A quibus autem audiuisti, nisi ab his ipsis à quibus accepisti quam profiteris Christianam & Catholicam fidem? Dic vnde habes quod sit vnus & trinus Deus, quod sit Christus Deus simul & homo: quod sit paradysus Beatorum & Infernus damnatorum? Nonne ab Ecclesia? Nonne ab Ecclesiastis? Nonne ab Ecclesiæ Pastoribus aut approbatis Doctoribus, qui quod Ecclesia definiuit, annuntiant? Et nonne id definitum, nonne id denuntiatum est quod circa hunc articulum audiuisti? Nam etsi quædam particularia de pœnarum genere, de qualitate ignis, de diuturnitate mansionis non sint determinata, quod tamen spectat ipsam rei quam vocant substantiam, non minus Ecclesia definiuit, nec minus de Fide diuina est esse Purgatorium vbi animæ defunctorum per aliquod tempus cruciantur quam quod sit Christus, quam quod sit cœlestis beatitudo vel æterna damnatio. Vnde expresse Tridentinum Concilium quando agit de hoc articulo quantis fulciatur testimoniis, & quanta sit fidelitate docendus, ac audiendus his memorandis declarat verbis: *Cùm Catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta ex sacris libris, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Conciliis, & nouissime in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimùm vero acceptabili Altaris sacrificio iuuari, præcipit sancta Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam à Sanctis Patribus & Sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri & vbique prædicari, diligenter studeant.* Et distinctiùs contra eos qui secus docerent aut crederent: *Si quis*, inquit, *post acceptam Iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regnum cœlorum aditus patere possit: anathema sit.* Id est, maledictionem, condemnationem & damnationem æternam incurrant hi qui hoc non crediderint. Quare porro sic condemnati qui non crediderint, nisi quia quæ audiunt, fidem merentur? Nisi quia sic Ecclesia statuit, & quod statuit sic credendum est, sic Christus imperauit, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus?* Et nos tales Incredulos habemus pro hæreticis, aut non sumus vere Catholici.

Sess. 25. c. 1.

Sess. 4. Can. 30.

Matth. 18.

Quod erat itaque declarandum, vides quàm sint hæc fide digna

gna quæ de pœnis animarum audiuisti, cùm sint ipsius obiecta diuinæ fidei quibus nihil certius, nihil firmius esse potest. Pergamus in aliis propositionum partibus enucleandis: Dictum est quod Animæ sua in illa miseria misericordiam poscant; Quis porro dubitet ita esse cum videant se à nobis iuuari posse, cùm certò sciant id esse gratum Deo vt à nobis iuuentur & liberentur, cùm & intelligant id esse nobis facile, & adeo non damnosum quin potius valde vtile & fructuosum? Hoc sequitur explicandum, & res ita est in aperto ac confesso apud omnes cuiuscumque sint status vt qui diceret se non posse, hunc ego dicerem magis posse. Hoc ipsum nempe quod agimus, hoc ipsum quod nil aliud possumus, offeramus Deo pro ipsis, id acceptabit Deus, & tantum illis pœnæ relaxabit, quantum erit oblationis nostræ meritum.

Sunt alia quidem aliis valore ac merito præstantiora: Sacrosanctum Missæ sacrificium pro defunctis oblatum primas meriti tenet partes, vt iam audiuimus ex Tridentino. Deinde indulgentiarum lucra, & preces Ecclesiæ quas fundunt Sacerdotes, vel quas priuatim quisque recitet. Tum Eleemosynæ, ieiunia, macerationes corporis, & quidquid satisfaciendi pro peccatis vim habet, vim illam potes quibus volueris applicare. Quod si nil horum habes nec potes, quod si tuo sis ita intentus operi vt præter illud tuum opus tuamue paupertatem, tota die nil cogites; hûc te appello, hic te expecto, quantumcumque sis pauper nil vt habeas quod in Eleemosynam largiaris, quantumcumque sis infirmus nihil vt possis de corporis detrahere necessitatibus, quantiscumque sis implicatus negotiis vel tuo affixus operi, nil vt possis orare longius; bene habet, sola restet bona voluntas quam nullus à te auferre potest, & satis diues es satisque potens ad eruendam à suis pœnis vnoquoque die animam vel etiam plures. Offer vt dicebam, illud opus tuum, illum laborem hodiernum, illam tuam paupertatem, infirmitatem, iniuriam & quidquid patiaris, aut quidquid agas per singulas quantum distingui possunt diei partes; Offer inquam Deo semel ea mente vt prosit animabus illis; & proderit suo modo ne dubites, perinde ac si orasses aut ieiunasses in hunc ipsum finem.

Sicut enim pecuniam ex diurno tuo collectam penso si dares in solutionem alieni debiti, solueretur certe hoc debitum; sic plane tuus labor siue laboris tui meritum si velis ad soluendas ex vinculis

ſuis animas deriuare, ſaluaſti animam vel ex toto vel ex parte, pro adæquata meriti ratione cum debito. Neque vero hinc tibi aliquid deperibit vel ex temporali mercede, vt patet, vel ex ſpirituali lucro, vt conſtat ex ipſo Charitatis quæ tum exercetur valore ac pretio quod tanti apud Deum eſt meriti, vt tanto majus in te lucrum refundatur, quanto minus tibi de tuo reſeruaris.

Adde, quanto affectu illa per te donata cœlo Anima, quantum tibi neceſſe eſt apud Deum impetrabit & obtinebit gratiæ, virtutum, & Beatitudinis? Certe hoc non minus certum quam Beatorum animas eſſe gratas & memores bonorum quæ acceperunt, ipſumq; Deum eſſe bonum cum bonis & cum ſanctis ſanctũ, vt ait Dauid qui & facto ſuo rem valde illuſtrat & confirmat. Nam cum viri Iabes Galaad Saulis occiſi caput religioſe ſepeliſſent, ita gratum hoc habuit vt præter illam quam à Deo Charitatis mercedem acciperent, ſe ipſis etiam regia munificentia gratiam redditurum promiſerit: *Benedicti vos*, inquit, *à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepiliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam eò quod feciſtis verbum iſtud.*

Pſ. 17. 2. Reg. 2.

Quibus ita declaratis, quid reſtat niſi vt euidenter intelligas quod habet Propoſitio, Non miſereri ſcilicet petentium miſericordiam animarum, hoc eſt vel non credere quæ fide digna dicuntur de extrema ipſarum miſeria, vel nolle illis quòd facile poſſis, ſuccurrere? Quid ſit autem hoc ita non credere, vel hoc nolle, iam diſce ex propoſita Veritate, cuius certa & euidens inde Concluſio ducitur.

III. PVNCTVM.

HOC *nempe eſt nimiæ vel Incredulitatis vel Crudelitatis Ingenium.* Hoc eſt eſſe prorſus incredulum, non credere quæ audiuntur tali fide digna, quà ipſe Deus creditur. Vel hoc planè eſt ſupra modum eſſe crudelem, non ſubuenire quibus poſſis dum te rogant, dum te ſolicitant, dum te adjurant extrema ſua in miſeria, mediis in ignibus vnde ſe non poſſunt eripere: Poſſunt vero per te tam facile eripi quam tibi facile eſt id velle, volendo laboris tui partem aliquam ſine vllo tuo detrimento impertiri. Et tu nolis! tu diſſimules! tu negligas! tu alia omnia cogites! Dic quæſo quid

sit esse inhumanum, immanem & feris ipsis ferociorem, nisi hoc sit?

Cum de fundendis ad conuertendos peccatores precibus ageretur, in tertia parte, id tam pium esse dictum est, vt impium esset non id præstare Officij propter miserandum nempe statum in quo iacet peccator, & quo potest oratione liberari. Miserandum certè peccati lethalis statum, & omni modo liberandum! Sed tamen attentè consideranti nonnulla occurrunt quæ diriorem quandam impietatem arguant si neges Animæ quod à te petit quàm si peccatori non redderes. *Fer. 2. Hebd. 10.*

Primum est quod peccator seipsum per Dei gratiam iuuare potest, non autem anima vt dictum est. Quid autem miserius & quid ad flectendos in misericordiam animos potentius quàm impotentia miseri? Quid contrà dirius & crudelius quàm illa visa vel audita non omnino flecti?

Secundum est quod non ita possis quæ velis in peccatoris gratiam, sicut potes subsidium afferre animæ suis in pœnis destitutæ; Nam Ipse sæpius tuis peccator obsistit monitis & precibus, & quam à Deo peteres gratiam, ipse suis auertit flagitiis. Non sic autem anima, non sic vnquam sibi aut tibi obstet, nec vllum ex se ponit obicem tuis participandis benefactis.

Tertium est quod ipse Deus non ita plerumque velit se orari pro peccatoribus sicut pro animabus; *Vsquequò tu luges Saul cum ego projecerim eum ne regnet super Israël?* Sic Samueli dictum à Domino; Et Prophetæ Ieremiæ, *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* At non ita de quacumque anima, quæcumque tandem illa sit, nulla vna est pro qua non libenter orari velit Deus, nihilque habeat optabilius, quam vt quoquo modo Iustitiæ suæ satisfiat, & bonitatis thesauros aperiat, vnde nihil dubites in defunctorum gratiam quidquid velis profundere. Nam si opus aliquod misericordiæ sic Deus diligit vt in extremo Iudicio de solis his operibus videatur esse quæstio, nec saluandum vllum aut damnandum nisi qui misericors aut immisericors fuerit: qualem putas futurum in eos Deum qui patientes animas libenter subleuarint, cùm in vno hoc opere cætera pene omnia quæ dicuntur opera misericordiæ contineantur? Hoc est enim esurientes pascere seu sitientes potare, nam nullus mortalium tanta vnquam siti premitur, quanta illæ animæ vt Deo perfruantur. Hoc est in carcere positos visitare; *1. Reg 16. Ier. 7.*

Hoc est solari afflictos; Et longe est hoc amplius quàm corpus mandare sepulturæ, vel peregrinum hospitio suscipere, cùm in æterna illa tabernacula quæ tantis petũt laboribus, promoueãtur.

Adde quòd sæpe naturalis est compassio quæ nos ad subleuandam miserorum miseriam trahit, quæ licet bona sit, tanto tamen minus est bona, quanto magis est naturalis. At vero in mortuos misericordia tota est ex auditu, tota ex fide, tota supernaturalis, & proinde majoris profecto meriti.

Denique, licet hæ ipse pro quibus oras animæ iam fruerentur gloria, tamen illud ita gratum habet Deus vt numquam irritum esse sinat, sed vel in alios vel in teipsum multiplici refundat fœnore. Cum è contra si te ita sæuum & crudelem viuens præstiteris in mortuos nulla vt in illos flectaris misericordia, sic permittet Deus vt tibi mortuo par referatur sæuitia: & cogaris aliquando sentire quod Rex ille crudelissimus Adonibézec agnoscebat, dum cæsis summitatibus manuum ac pedum suorum dicebat: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. SICVT FECI, ITA REDDIDIT MIHI DEVS.* Iud. 1.

Vide in 3. p. Dominica 10. vbi de homine qui in latrones inciderat quem Samaritanus curandum suscepit, *Si vis curari, cura. Qua mensura mensus fueris, eadem & remetietur tibi.* Et Dom. 11. *Qui non audit, non audietur.*

IN FESTO S. MARTINI CONFESSORIS PONTIFICIS.

Die 11. Nouembris.

Expoliauit se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid. 4. Reg. 18.

VERITAS PRACTICA.

Momentum illud ex quo pendet æternitas, ſæpe momentum tale eſt quo ſe ſua Martinus expoliauit tunica.

Sæpe momentum illud eſt in quo petitur Eleemoſyna.

Sæpe momentum illud eſt in quo de vno Virtutis actu ſtatim agendo agitur.

SENSVS & RATIO EST, Quòd momentum illud ex quo pendet æternitas, ſæpe momentum illud eſt quo ſuos probare ſolet Deus.

Sed momentum quo ſic homines probare ſolet Deus, ſæpe momentum illud eſt in quo petitur Eleemoſyna, vel de vno quopiam Virtutis actu ſtatim agendo agitur.

Ergo & momentum illud eſt ex quo pendet æternitas. Quod ſane eſt diligenter expendendum; & in omnem bene agendi occaſionem intendendum, exemplo ſancti Martini.

I. PVNCTVM.

Beatum Pontificem qui totis viſceribus diligebat Chriſtum Regem, & non formidabat imperij principatum!

Sic Eccleſia de Sancto Martino compendioſè Virtutes eius quæ multæ ſunt & inſignes referens ad ſingularem qua in Chriſtum ferebatur dilectionem, cuius euidentiſſimum dedit teſtimonium cum adhuc eſſet Catechumenus. Nam ſicut Ionathas Saulis filius amore Dauid raptus, qua induebatur tunica Dauidem induit, ſic Martinus militem agens in Gallia cùm eſſet Ambiani, ac nihil præter arma & veſtimentum quo erat indutus haberet, pauperi nudo tum ab eo petenti vt Chriſti nomine ſibi Eleemoſynam tribueret, partem clamydis dedit: Quod factum Chriſtus ſic gratum habuit vt ſequenti nocte, dimidiata illa veſte indutus ei apparens dixerit: *Martinus Catechumenus hac me veſte conte-*

xit. Tum vero statim Miles relicta militia Christo se totum dedit, & factus Sacerdos, Episcopus, & Religiosus simul Cœnobitarum pater, tam multa, tam mira, & prope singularia cuiuscumque Virtutis exempla dedit, vt Sacerdotum, & Præsulum & Religiosorum omnium perfectæ fuerit Exemplar vitæ.

Sic enim in omnibus temperate agebat, vt Virtutes ipsas mirum in modum temperaret, & quæ magis à se videntur dissitæ simul in vnum magis conjungeret. Quid nempe magis disiunctum videtur quam solitudo monastica, & solicitudo Pastoralis? Vtrumque tamen simul junxit Martinus. Quid magis Humilitati videtur oppositum quàm vel insignes honorum Tituli, vel insignium Virorum frequentia, vel morum tanta grauitas ac Majestas vt ipsis Imperatoribus imperare videretur? Et tamen ita humilis simul & excelsus semper vixit. Nihil illo pauperius, nihil illo tamen magnificentius. Orabat ita frequenter vt nihil agere præterea videretur: Tam multa vero agebat vt orationi locus & tempus non apparerent. Numquam otiosus, sed numquam etiam negotiosus. Sic omnibus mitis & facilis, vt nulli tamen indulgentior, & cunctis semper esset colendus. Sic amabat suos vt paratus esset ab eis numquam digredi: Sic paratus erat ab eis digredi quasi qui suos non amaret. Non de suis benefactis præsumebat, & tamen viso humani generis hosti jamiam moriturus audacter dicebat, *Quid astas cruenta bestia, nil in me funeste reperies. O VIRVM ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit.* Plura hoc vno certe verbo dicuntur cum *virum ineffabilem* tota Eum prædicat & demiratur Ecclesia, quàm si longo illum sermone celebrandum susciperemus.

O quanti refert se semel totum Christo dare! O quanti res est momenti præcedentem sine mora sequi gratiam, & singula vitæ momenta sic diligenter cauere ac religiose reuereri, nullum vt sit quo rei bene gerendæ se dedat occasio quo ei statim non acquiescas. Ecce qualis quantusque fuerit Sanctus Martinus dici non potest, quia supra nostram omnem dicendi facultatem Virtus eius euecta est; Sed vnde talis tantusque fuerit, dici potest, & dici debet, multumque ponderari, quia multum profecto facit ad salutem & perfectionem omnium.

Audisti pauperem à Martino petentem aliquid; Audisti quid Martinus dederit, Audisti quid Christus idcirco dixerit. En prima

quam ſciamus tãtæ ſanctitatis origo. Præceſſit quidem Gratia, *Ipſe prior Deus dilexit nos*, prius Ipſe nobis donat quod poſſimus ei dare; ſed prima illa præſuppoſita Gratia, quod prius conſequenter à Martino Deus expetiuit, fuit illa pars chlamydis quam dedit pauperi, fuit ille Charitatis actus quem in Chriſtum exercuit, fuit ille promptus animus quo ſe impellentem Gratiam ſequutus eſt. Hinc inde ſeries illa Gratiarum quibus tota eius vita contexta eſt. Ab illo ſic incæpit momento ſaluus & Sanctus eſſe vt ſi ab illo non ita incæpiſſet momento, numquam forte incæpiſſet, nec ita ſaluus ac Sanctus vmquam fuiſſet. Quod vulgo dicitur, *EX MOMENTO AETERNITAS,* Momentum illud Martino fuit quo pauper eleemoſynam ab eo petiit, quo dandi talem eleemoſynam iniecta cœlitus Mens illi eſt, & mentem ſequuta eſt actio ſiue actus Charitatis. En momentum ex quo Martini pendebat æternitas. *1. Ioan. 4.*

Et quod de illo dicimus, de vnoquoque noſtrum debet intelligi. Quod de illo Charitatis in pauperem opere pronuntiamus; hoc ipſum de quouis alio, vel agendo vel non agendo, prout aliquando nobis occurrit, dici fas eſt; Et in multis quæ hîc poſſent expendi, primum & præcipuum eſt quod attente conſideretur. Quid enim momentoſius & pretioſius quàm quod ſummam illam æternitatem ſic attingit vt eam plantet & ædificet, aut euertat & deſtruat?

Ac primo vulgare dictum illud, *Ex momento æternitas*, paulo fuſius declarandum. Tres ſunt enim modi quibus ita dici poteſt. Primus eſt de tota hominis vita quæ quam ſit breuis & momento ſimilis, explicatum habes in 2. p. Dominica 3. poſt Paſcha; ſatis autem patet quam vere pendeat ex tali momento æternitas.

Secundus eſt, cùm multi ac varij ſint vitæ caſus & tam repentini vt aliud prorſus cogitantes homines quàm citiſſime abripiant, & abrepti transferantur illico in *domum æternitatis*, vt loquitur Sapiens, nonne tum etiam liquet quam verè ſit ex momento æternitas? Nempe in quali animæ ſtatu mortem illam improuiſam homo morietur, in eo permanebit ad omnem æternitatem. *Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quod figurate dictum eſt à Sapiente de ſtatu morientis; Nam vt paulo ante dixerat: *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerit.* *Eccl. 12.* *Eccl. 11.* *Ibid. 9.*

Tertius denique modus is est quem indicauimus, quando scilicet suos Deus tentat & probat, propositis aut permissis quibusdam rerum euentis quæ ad instar momenti pertranseunt, & de quibus in sequenti puncto commodius, cum hîc sufficiat intelligere tales rerum casus licet fortuitos aut naturales, aut etiamsi ex malitia Dæmonum vel hominum componantur, esse tentationes & probationes ex parte Dei ad faciendum nostri experimentum, quasi vt homo nobiscum ageret, quasi cum Herus data occasione seruum experitur an sit fidelis, Sic Deus tentasse Abraham dicitur: sic probasse populum suum ad aquas contradictionis: sic Tobiæ dictum, *necesse fuit vt tentatio probaret te.* Sic sæpe Sapiens, *tamquam aurum in fornace probauit illos.* Sic Iudith paulo fusius, *Memores sint quia tentati sunt Patres nostri, vt probarentur si verè colerent Deum suum. Memores esse debent quomodo Pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses,* Et quæ plura prosequitur, quam & imitatus Apostolus longum eorum texit catalogum quos variis tentatos modis Scripturæ referunt.

Gen. 22. Ps. 80. Tob. 12. Sap. 3. Ecclesi. 2. Iudith 8. Hebr. 11.

Tunc verò quod est præcipuum Propositionis Caput, tanti cujusquam nostrum interest fidelem esse, vt ex illo momento seu momentaneo tempore quo illius nostræ fidelitatis experimentum capitur, ex illo inquam momento, prout fideles aut infideles tum fuerimus, nostra pendeat æternitas siue Cœli siue inferni: Totus salutis nostræ cardo tùm plerumque vertitur, de rei summa tum sæpius agitur. *Argentum reprobum vocate eos*, Nempe post factam probationem. Tremenda certe probatio, seu potius tremenda nostra dum sic probatur, infidelitas.

Ier. 6.

II. PVNCTVM.

SED momentum illud quo sic homines probare solet Deus sæpe momentum illud est in quo petitur Eleemosyna, vel de alio quouis virtutis actu statim agendo agitur.

Videtur eadem Propositio cum præcedenti, sed tamen diuersa est, & magis determinate designat quinam sint illi occurrentes casus & euentus quibus vtitur Deus ad probationem hominum; Nempe illi vel quotidiani qui sat frequenter incurrunt in communem vitæ vsum, vel infrequentes alij qui virtutis illius exercendæ quam

quam vocant Heroicæ præbent anſam de quibus nil planè certum dici poteſt, ſiue quoad objecti ſpeciem, ſiue quoad modum, ſiue quoad tempus exercendæ virtutis quia *momenta ſunt quæ Pater poſuit in ſua poteſtate:* Quod vnum dici debet hoc eſt, fieri poſſe, Imo & ſæpius fieri, quod tale probationis tempus ſit valde ſubitaneum ſiue in occurſu, ſiue in duratione, atque in illis interdum verſetur occaſionibus quæ nos ſingulis pene momentis circumſtant, vt ſicut de mortis hora dicitur, tantò cautiores ſimus, ne vt ait Sapiens *defraudemur à die bona, & particula boni doni non nos prætereat,* quanto magis ſumus incerti de tempore; vel quantò magis ſumus certi quod tempus illud poteſt eſſe quodlibet tempus & quodlibet momentum temporis. *Videte, vigilate, & orate, neſcitis enim quando tempus ſit,* dicebat Dominus. *Act, 1.* *Eccleſ.14.* *Marci 13.*

Vis autem noſſe quàm parùm duret illud tempus, & quàm rectè momentum appelletur, aut quàm frequenter vnicuique poſſit ad probationem ſui ſic ſemel euenire vt vix aliud detur? Reuolue præteritorum ſeriem ſæculorum: Et ne multitudo te obruat, primos cuiuſque gentis repræſenta tibi Duces in quibus Deus conſtituit quid de cæteris inferioribus iudicari poſſet. Conſidera primum illum Angelum qui de Lucifero factus eſt tenebrarum Princeps & Rector, quantum putas moræ ac durationis habuit quo probaretur ad Cœlum vel ad infernum? Mirum certe dictu, ſed tamen verum; Vix inſtans & momentum fluxit inter illum & illum, inter illum qui erat & inter illum qui modò eſt.

Creatus pòſt Adamus, ſuum etiam probationis tempus habuit, paulò quidem longius quam inſtans Angeli, ſed quantam putas illam fuiſſe longitudinem? Quantum videlicet ſpátij poſitum eſt in vno aut altero verbo quod Eua protulit cum Adamo cùm illi pomum obtulit comedendum. Nonne hoc tibi ſatis breue videtur vt momentum dici poſſit? Et nonne hoc momentum fuit, in quo Adami virtus probata fuit, & nulla inuenta eſt?

Sic Moyſes celeberrimus ille populi Dux Iſraelitici tot inter proſperos & aduerſos caſus, vnum præcipue habuit quo probaretur, in aqua ſcilicet ex petra populo danda; Tantiſper hæſit, non ſatis Deo fidit, vix ſcitur quid peccarit; peccauit tamen quia punitus eſt, ſed peccati ac probationis mora tam momentanea fuit vt niſi Deus reuelaſſet, nemo illum peccaſſe diceret. *Num 20.*

Primus Regum Saul quo nemo melior in toto populo, proban-

dust amen fuit, an talis permaneret; Datur ei tempus, datur ei
1. Reg. 13. virtutis exercendæ occasio: Samuelem expectet ad aliquot dies. Expectat ad extremum vsque diem, sed non extremam diei horam. Ecce in extrema hac hora tentatus probatur, & deficit. At verò quantum hoc dices funestum horæ tempus nisi momentum? Et licet non ad extremam omnes perniciem deciderint quos in exemplum adductos vides; valent tamen ad exemplum rei propositæ: & euidenti sunt documento quàm sit momentaneum illud quod probandis suis tempus definit Deus: Vnde & Illi à Iobo dici-
Iob 7. tur, *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.*

III. PVNCTVM.

PATET hoc igitur quod ore omnium vsurpatur, EX MOMENTO AETERNITAS, non de momento tantùm vitæ naturalis intelligi, sed de momento præsertim illo quo in vita sæpius accidit vt subitaneis & improuisis à Deo probentur homines casibus, vtrum fideles, vtrum humiles, vtrum casti, vtrum patientes, & subditi; Quo in occursu virtutis exercitæ vel omissæ præiudicata quodammodo salus & æternitas dicitur, prout cuiusque Virtus probata vel improbata
Apoc. 22. fuerit. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Hæc ad vnumquemque generatim; sed vni cuidam particulatim dictum à Domino perinde quasi ac Martino quod certe satis frequenter aut ponderose numquam satis expendi
Apoc. 3. potest: *Quoniam*, inquit, *tu seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito, tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam.* Hæc hora tentationis, vt alias forte dictum est, dira fuit persecutio quam Trajanus mouit contra Fidem. In hac persecutione defecerunt multi metu tormentorum quos inter Iste de quo est sermo miserandum in modum periisset, nisi singulariter à Domino seruatus esset; Quod autē sic seruatus fuerit, datur fidelitati eius in seruando verbo patientiæ, Id est, in continendo verbo quod ex impatientia protulisset nisi per Dei gratiam verbum illud continuisset. Ecce igitur in vno verbo continendo continebatur hominis probatio, & in tali probatione vertebatur eius æternitas! Ecce igitur in tam exiguo tempore quo proferri ver-

bum vel ſileri poteſt, agebatur illud diſcrimen quo vel homo Martyr Chriſti eſſet & Beatus: vel deſertor fidei & in ſempiternos amandandus ignes. Quis non ſibi cauiſſet in illo proferendo verbo! in illo tam pretioſo vitæ aut mortis æternæ dato momento?

At cùm Lector, tale hoc momentum poſſit hoc ipſum eſſe quo hæc legis, nonne tibi timendum eſt ne nimis tranſcurſim legas, nec ſatis apprehendas quanto in pretio ſit vnaquæque pars habenda Temporis? Vix fortè aliàs tale occurret argumentum quod legas; vix vmquam forte talem hanc ſingulis tuis actionibus adhibendam cautionem & vigilantiam diſces niſi modo melius intelligas quid ſit & quanti referat eam adhibere.

Hinc aptè Sapiens: *Fili, conſerua tempus, & deuita à malo:* Tempus quodcumque ſit, obſeruandum eſt, ne forte quod non ſeruaris, tempus ſit quod maxime ſeruandum erat ad exhibendam fidelitatem. Sic oportet habere ſemper cinctos lumbos, & lucernas ardentes in manibus, & ſimiles eſſe hominibus expectantibus Dominum ſuum, vt videre eſt in hac parte, Hebdomada vltima. Vnde in Euangelio hodierno de lucerna corporis agitur quæ dicitur eſſe oculus, Id eſt, attenta ſui conſideratio ne quid verbo vel opere perperàm fiat. *Eccleſ. 4.* *Luc. 12.* *Ibid. 11.*

Cauenda præſertim eſt aſtuta quædam naturæ corruptæ fallacia quæ in occurſu Virtutis exercendæ Virtutem quidẽ non abnegat ſed non talem quæ ſe offert, aut non talem eius virtutis actum, quaſi vel eundem vel alium aliàs poſſit exercere quando volet. At fallitur, nam etſi virtutem non videtur abnuiſſe, tempus eius tamen quod ſe offerebat abnuit, & cùm huic forte tempori connexa eſſet Gratia quæ non alteri connectetur, quid ages illa deſtitutus gratia ſine qua non potes agere quod agendum erat illa præſente?

Fallitur verò etiam quod difficultatem prætendat ad excuſandam inertiam vel dilationem operis: Nam in illa difficultate vertebatur probatio: difficultas illa probationem declarabat prout ſuperata vel non ſuperata eſſet: Actus virtutis heroïcus qui occurrit vt dictum eſt, is inter alios merito cenſeri debet probationis index & teſtis: talis autem difficultatem inuoluit, vt inimicis parcere, contemptum pati, non referre iniuriam, ſilere verbum quod libenter effunderes, naturam denique magis effrænem refrænare & diuinæ ſubjicere Gratiæ.

Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me, Id eſt, eorum qui quo *Pſ. 86.*

tempore magis in vitium mouerentur se continent, & oppositam exercent virtutem. Vnde in quibus magis vincimur magis vincere deberemus, nempe in istis difficilioribus in quibus certamen datur vt vincas, iuxta illud Sapientiæ de Patriarcha Iacob, certamen forte dedit illi vt vinceret: atque illud etiam Apostoli, *gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Rom. 5.

Vide in 2. p. Fer. 2. Hebdom. 2. in Quadragesima.

Si dum adest occasio virtus abest, vix vmquam virtus aderit.

Sic est omni negotio tempus & opportunitas, vt nisi adsit tempus & opportunitas, vix fiat vllum negotium.

In 4. p. Fer. 4. Hebd. 18.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Die 21. Nouembris.

Adducentur Regi Virgines post Eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione. Ps. 44.

Ego autem sicut Oliua fructifera in Domo Dei. Ps. 51.

DVO illi diuersorum Versus Psalmorum, duo quædam nobis repræsentant ad praxim & imitationem Beatæ Mariæ Virginis in Templo præsentatæ, præsertim consideranda. Primum est, ipsa multarum Virginum, & quarumlibet sponsarum Christi præsentatio seu oblatio, qualis fit vel per vota, votorumque renouationem: vel ex propria cuiusque Deuotione.

Secundum est, Earum Constantia, & firmitas in oblatione seruanda, necnon progressus in virtutem & perfectionem, sicut Beata Virgo proficiebat & fructificabat tamquam oliua fructifera

in domo Dei. Sic de illa expresſè ſanctus Ioannes Damaſcenus: *In lucem*, inquit, *editur, in domo probatica Ioachim; atque ad Templum adducitur: ac deinde in domo Dei plantata, atque per Spiritum ſaginata, inſtar oliuæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficitur, vt quæ videlicet ab omni huiuſce vitæ & carnis concupiſcentia mentem abſtraxiſſet, atque ita Virginem vnà cum corpore animam conſeruaſſet, vt Eam decebat quæ Deum ſinu ſuo exceptura erat.*

Circa hæc autem duo Capita tam multæ ſe offerunt quæ perpendi poſſint Veritates, vt eas indicaſſe ſufficiat.

Ad primum de oblatione ſui ex propoſito Pſalmi verſiculo, *Adducentur Regi Virgines poſt Eam.*

Nemo eſt qui poſſit omni modo quod fecit Beata Virgo, facere: Sed nemo eſt qui non poſſit ſuo modo quod Illa fecit.

Nemo eſt ſcilicet qui cum diuina Gratia non poſſit ſe Deo præſentare & offerre quidquid habet, quidquid poteſt, & quidquid eſt. Nec quemquam retardare debet quod iam ſæpius id fecerit ſine fructu:

Licet enim non ſemper facias quod proponis, ſemper eſt tamen proponendum quod facias.

Vide in hac 4. parte, Fer.3. Hebd.27.

Proximæ eius afferentur tibi:

Hoc ipſo quo afferuntur & offeruntur Deo, proximæ fiunt Beatæ Virginis.

Nam ſic Illi fiunt ſingulari puritate & Sanctitate ſimiles.

Affinitas verò Sanctitatis cum B. Virgine magis æſtimanda quàm ſanguinis.

In 2. p. Die 20. Martij, In Feſto ſancti Ioachimi.

Afferentur in lætitia & exultatione. Hilarem enim datorem diligit Deus.

Sic ſeruiendum Domino in lætitia, vt niſi lætetur in Domino ſeruus, non lætetur in ſeruo Dominus.

In 4. p. Fer.4. Hebd.22.

QVIA vero quod præcipuum, quod magis adipale ac Deo carum est in hac oblatione sui, plures omittunt qui sibi aliquid retinent, nec se totos tradunt sicut se Beata Virgo tradidit, idcirco præcipue hoc vrgendum, vt sequitur:

Non se præsentat cum præsentata Virgine qui se magis in præsens offert quàm in futurum tempus.

Non se præsentat nempe cum Illa qui se sicut Illa non præsentat: Illa autem non ad præsens aut aliquod duntaxat tempus, sed in perpetuum, immobiliter, integre, se totâ penitus totam, sicut Deus nos sibi totos optat, vnde & de nostris ait oblationibus, *Holocausta tua in conspectu meo sunt semper.* Semper te talem effectu volo, qualem te affectu vidi cum te offerres. Te obseruo an sis semper idem, an verbis facta respondeant: Rata enim & certa Veritas:

Ps. 49.

Professus idem ac profitens.

In 3. p. In fine vbi de Votis.

Aut nullam vitæ partem aut totam Deo debes.

In 1. p. Die 4. Ianuarij.

Numquam melius sibi prouidet Dei seruus quàm si nihil sibi retinens se suo Domino suaque omnia consecrat.

In 1. p. Die 6. Decembris.

Magis tenemur omnes affectu nostra relinquere, quàm effectu Apostoli, vel quiuis alij.

In 1. p. Fer. 3. Hebd. 2. post Epiphaniam.

Non tam spectatur quid Deo dones, cum te illi præsentas, quam quid non dones.

Quod præsertim spectat Deus, non est quid ad se afferas, sed quid à te auferas.

In 3. p. Fer. 5. Hebd. 8. Et Fer. 3. Hebd. 13.

Non quantum, sed ex quanto.

Cupiditas non refrænata, rapina quædam est in holocausto, ac sacrilegium.

In leui quidem cupiditate pars tantum cordis detrahitur : In graui autem totum Cor Deo perit.

In 4. p. Dominica 17.

Plura dat Christò qui dat omnia licet pauca & vilia quàm qui multa & pretiosa non datis omnibus.

In 4. p. Fer. 6. Hebd. 17.

Nec timenda donatio, seu priuatio libertatis post integram sui donationem :

Nam nemo liberior quàm qui minus est liber.

In 2. p. Sabbato Sancto.

Hoc est esse Christi, solius esse Christi.

Numquam magis eris tuus, quàm cùm minus eris tuus, vt sis totus Christi.

In 4. p. Fer. 3. & 5. Hebd. 24.

Vota non rectè renouas, nisi te Vota renouent.

In 3. p. In fine vbi de renouatione Votorum.

QVÆ verò spectant ad alterum Caput de Constantia & firmitate in promissis Deo factis, hæ sunt ex multis aliquæ Veritates :

Quam in se attrahit Gratiam qui se Deo libens offert, hanc sibi detrahit qui quod offert non reddi.

In 1. p. Fer. 3. Hebd. 1. in Aduentu.

Dum lucet, ambulandum : ne tenebræ fiant.

In 1. p. Die 5. Ianuarij.

Quo minùs potes reddere quæcumque debes, eò magis debes reddere quæcumque potes.

In 3. p. Fer. 2. Hebdom. 1.

Qui non seruat consilia quia non sunt præcepta, nec ipsa etiam præcepta seruat.

In 3. p. Fer. 2. Hebd. 5.

Qua ratione fit vt plures dici possint malæ quam bo-

næ arbores, eadem prorsus fiet, ni caueas, vt mala potius quam bona sis arbor.

In 3. p. Dominica 7.

Quod te imparatum magis reddit ad ferendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere.

Quanto minus puniri timet Infructuosus, tantò iam magis punitus est.

In 3. p. vbi de Votorum renouatione, in fine.

Cæteræ pugnant virtutes, sed vincit Perseuerantia.

In 2. parte, Fer. 5. Hebd. 3. in Quadragesima.

Quàm pudendum tibi esset si quod promittis homini non solueres, tam impudenter agis si quod promittis Deo non exoluis.

In 4. p. Fer. 3. Hebd. 27. Non in postremis hæc habenda Veritas.

Vide in Festis B. Mariæ Virginis, Et vbi de statibus ac de votis agitur, In fine secundæ ac tertiæ partis, nec non Fer. 6. Hebd. 25. huius 4. partis.

Die 25. Nouembris.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Corona aurea expressa signo Sanctitatis: & gloria honoris: & opus virtutis, seu fortitudinis. Ecclesi. 45.

VERITATES Practicæ commodius infrà proponentur post explicatum hunc Scripturæ locum qui triplex Coronæ genus continet, quo cùm insigniter decorata fuerit Sancta Virgo Catharina, triplex Ei etiam Veritatum genus in totidem punctis aptabitur.

I. PVN-

I. PVNCTVM.

PRÆTER Coronam gloriæ quæ est conjuncta ipsi quam vocant essentiali Beatitudini & qua proinde omnes Beati coronantur in cœlo, vt suprà in Festo Sanctorum omnium sat fuse dictum est, triplex aliud Coronæ genus his Sanctis dari dicitur qui nobilius certamen certarunt dum viuerent, cuius certaminis præmium & quoddam accidentale decus ac gaudium Corona illa est quæ Aureola dicitur, qualem in arca testamenti fuisse appositam Scriptura refert. *Exodi 25.*

Quodnam vero sit nobilius istud certamen, seu quinam præ cæteris illud certasse dicantur, hi sunt scilicet qui notos illos æternæ salutis hostes, Carnem, Mundum & Dæmonem expugnarunt insignius, Nempe Virgines, Martyres & Doctores. Carnem Virgines domuerunt: Martyres mundum,& Doctores Dæmonem qui cum sit falsitatis author non debellatur aptiùs quam ab his qui errores contra fidem & bonos mores confutant, & Veritatem docent ac persuadent. Triplex istud porrò Coronæ genus videtur paucis illis Scripturæ verbis comprehendi quæ supra ex Ecclesiastico retulimus & quæ huc remisimus explicanda, Nempe *Corona Sanctitatis*, aureola est Virginitatis quæ Sanctimonia dicitur. *Corona gloriæ & honoris*, aureolam exhibet Doctoratus qui singularem apud omnes meretur gloriam. Ac denique *Corona virtutis*, siue vt habet alia versio, *Fortitudinis*, manifesta est aureola Martyrij quod totum ad Fortitudinem referri certum est. *Hebr. 13.*

Quibus ita breuiter explicatis, quanta sint Sanctæ Catharinæ Merita, quàm insignia, quàm illustria licet inde colligere cùm Illa simul triplex hoc certaminis & Coronæ genus promeruerit, triplici simul hoste debellato. Primo quidem Virgo fuit Alexandrina, tam insignis & omni laudum genere commendata, siue quæ à natalibus, siue quæ ab ingenio, siue quæ à forma petuntur corporis, vt omnibus admirationi esset; atque ipsi etiam Imperatori Maximino qui blanditiis, qui muneribus, qui minis & quacumque posset illecebra nihil non tentauit vt illam ad se pelliceret. Sed frustrà omnia; Perstat Virgo immobilis, immobilis inquam in seruando Virginitatis proposito, sed tam multa & varia locorum mutans & peragrans spatia, donec illic tuta posset consistere vbi

& nullum præter Sponsum suum Christum nosset & à nullo nosceretur. Sic Baronius ex Eusebio, ad annum Christi trecentesimum septimum.

Quò aptè spectat Illa Veritas quæ habetur in 1. p. Sabbato Hebdomadæ sextæ post Epiphaniam:

Hæc Sponsæ fides est, vt sicut neminem præter Sponsum velit diligere: sic velit à nullo diligi.

Videri hæc etiam posset in eadem 1. p. Fer. 6. Hebd. 4. in Aduentu:

Securior est Castitatis victoria fugiendo, quàm pugnando.

Et in hac 4. p. Fer. 5. Hebdom. 28.

Perpetuata quædam est mentis Virginitas, perpetua Vigilantia.

II. PVNCTVM.

QVOCVMQVE pergeret Sacra Virgo vt Sacram Deo Virginitatem tutius conseruaret, eò Maximinus suos illico iubebat Emissarios currere, nec à cursu cessare donec eam ad se adducerent cuius amoribus magis erat subiectus quàm subiectum sibi teneret imperium. Reuocatur tandem & Imperatori sistitur qui cum blandè Virginem emollire tentaret, Illa virilem & Christianum gerens animum, de Fide, de Salute, de Christo Sermonem habet, Christianam se profitetur, paratam se potius quamuis subire necem quàm suæ fidei vel integritatis minimam pati labeculam; Vesanum illum esse & profanum qui victimas Dæmonibus immolaret; Crudelem vero & impium qui tot suppliciis veri Dei mactaret Seruos; cessaret aliquando insanire & inciperet sapere: se fore magistram eius, se satis in Christo doctam & idoneam quantum satis esset vt erudiretur. Sensit verbi aculeum Imperator, sed secum dissimulans & miratus Ingenium Virginis ac generosos animos, iubet vndequaque quæri & quamprimum congregari quoscumque Scientia celebres & nominatos faceret, qui cum Catharina de religione dissererent, & ad idola traducerent.

Dicta certamini dies & palæstra fuit. Stant ex vna parte, bene

multi Philosophi, doctrina, ætate, moribus graues; ex alia vero, sola Virgo sola illis opponitur: Quos inter, prima mouetur quæstio de vnitate Dei, tum de Christi Diuinitate ac sensim de inanium falsitate Deorum. Decertatur vtrimque acriter, pugnant, repugnant quantum illi omnes dicendo possunt, siue vnus omnium ore loquatur, siue suam quisque sententiam dixerit. Sic omnes tandem conuincuntur, sic omnes silent & cedunt, vt hoc vnum illis restet loqui, se hoc ipsum iam credere ac profiteri quod Virgo; suam ipsorum omnes magistram agnoscere, se Ipsius fore discipulos, se Christianis imbui velle præceptis & Sacramentis: se velle viuere, se velle mori Christianos. Quis tum animorum motus, quis Maximini, quis Procerum, quis vniuersæ clamor & plausus fuerit plebis, facilius est cogitando assequi quam dicendo. Tantam certe nouitatem vix credebant qui aderant, adeo stupefacti omnes, vt ne quid grauius contra falsos Deos accideret, iusserit illico Maximinus subduci Virginem, & vinculis mancipari, atque ad vnum omnes illos Philosophos extemplo flammis addici. Factum est quod imperauit, & facti sunt Christianæ fidei Testes qui facti fuerant accusatores.

Interea verò Carcerem Augusta Maximini Conjunx, cum Porphyrio belli Duce adeunt, inclusam inuisunt Virginem, alloquuntur, interrogant de Christo, de Fide, de Salute, de quibus ita dilucide instruuntur, vt abdicato mox profano cultu, se vero Deo ac Christo Iesu dediderint, ac deditionem suam fuso propterea Sanguine confirmarint. Nonne hoc est Doctoris siue Doctricis palmam præferre & coronam demereri? Sic Sapiens Sapientiam vocat *Doctricem disciplinæ Dei*, quo certe nomine Catharina digna esset si nomen in terris quæreret. Tota vero Ecclesia sic eius Nominis & Memoriæ celebritatem commendat, vt inter Sanctas Virgines sola vna diem festum obtineat; quia nempe singularem inter omnes Ecclesiæ ac Religioni nauauit operam cuius doctrina tam multi ac insignes Christianam fidem essent amplexi. Sap. 8.

Quò referri possint hæ Veritates:

Sic cauendum ne Scientia præferatur Virtuti, vt tamen Scientia non negligatur.

In 1. parte, De sanctis Doctoribus, in fine.

Nemo magis sibi Christum seruat, quàm qui minus

sibi soli seruat.

In eadem 1. p. Die 18. Ianuarij.

Scientia sine Zelo, arma sine milite: Zelus sine scientia, miles sine armis.

In 2. parte, Fer. 2. Quinquagesimæ.

Nec lucere tantum nec ardere: sed vtrumque simul.

In 3. p. Die 4. Augusti.

Rape ad Eum quos potes, Nam si potes, & non rapis, tot cœlo perdis quot Christo lucrari poteras.

In 3. p. Sabbato Hebd. 11.

Cos bonæ libertatis, mala libertas.

Id est, Tanto magis acui & excitari debemus ad verum liberè prædicandum, & bonum bene agendum, quantò alij liberiores sunt ad illud impugnandum.

Aut sis æquus dispensator, aut iniquus dissipator.

Quod de Gratiis quæ dicuntur gratis datæ, & quæ in alios dispensari debent, intelligitur.

In hac 4. p. Fer. 5. & 6. Hebdom. 20.

III. PVNCTVM.

QVO molliores alij reddebantur, eò ferocius sæuiebat Maximinus, & conuerso in odium ac rabiem quo ferebatur amore in Virginem, iam non Pellaces aduocat qui Catharinæ pectus molliant, non Doctores qui animum mutent, sed Tyrannos qui corpus crucient & noua suppliciorum architectentur instrumenta; Nulla quibus hactenus in Christianos sæuitum est satis sunt acerba & acuta, non nisi nouis & insolitis concitati furor Imperatoris sedari posse videtur.

Ergo expeditur rota crebris & acutis præfixa gladiis vt Virginis corpus tot diuersis partibus & vicibus dilaniari possit quot essent gladij, & quoties illis affixa per rotam deuolueretur: Quod erat prorsus inauditum tormenti genus; sed Virgo accedit intrepida, plus gerens animi ad ferendam quàm essent acuti gladij ad infe-

rendam laniena̅m. Se suumque certamen Christo suo commendat, & dum fatalem illam attingit rotam, ecce in partes dissoluitur, quasi ferrum illud Insensatum plus haberet sensus & humanitatis in Virginem quàm ipsi homines. Non declinandis tormentis tormenta mitigabat, sed magnificando Christo cuius esset tanta virtus vt si vellet suos protegere nullus eis nocere posset. Atque vt videant quid in Christo suo possit & velit; pergant in se ferocius desæuire, supplicia geminent, flagella exacuant, venas incidant, neruos atterant, totum effundant sanguinem, totum corpus dilanient, tot lucra reputabit quot detrimenta sentiet: tot animi sui sentiet gaudia, quot feret tormenta corporis. Quamobrem non defuit Illa tormentis sed illi tormenta defuerunt. Non est deterrita suppliciis, sed supplicia sic deterruerunt Tyranni animum vt ne Virgo viueret diutius, magis cogitarit, quã vt moreretur crudelius.

Sic itaque gloriosa Martyr ad tertiam sibi Coronam debitam euolauit, & quàm in cœlis illustris est hoc triplici diademate coronata, tàm in terris insignis est ad exemplar Fortitudinis & cuiuscumque virtutis exhibendæ potius quam infringendæ, vel quoquo modo remittendæ fidelitatis in Christum Iesum. Quem in finem hæ possunt referri Veritates:

Quot peccauit in Virginem Martyrem Tyrannus vitiis, tot illam pluribus adauxit Martyriis & coronis.

Ratio est, quia Martyrem non pœna sed causa facit: & quàm multæ possunt dici causæ propter quas Martyr Martyrium sustinet, tam multiplex potest eius dici martyrium.

Sed quot vitiis peccat Tyrannus in Martyrem, tam multæ possunt dici causæ propter quas Martyr Martyrium sustinet. Nempe in Exemplo nostro, peccabat Maximinus in sanctam Catharinam Libidine, Impietate, & Iniustitia: Et his tribus ex vitiis tres causæ factæ sunt eius Martyrij. Prima ex libidine qua deperibat Virginem & quam cum Virgo contemneret, hæc fuit causa quamobrem Imperator Martyrium Virgini decreuerit.

Secunda ex Impietate contra Christianam Religionem quam Catharina profitebatur & quam Maximinus persequebatur, quæ ratio cum à præcedente sit diuersa, diuersam etiam constituit Martyrij causam.

Tertia ex Iniustitia & ferocitate, quod nempe Virgo conuertis-

ſet Philoſophos, Imperatricem & Ducem belli, tum furens Maximinus iniuſte Virginem velut ream & noxiam condemnauit: quæ cauſa cum ſit etiam ab aliis diſtincta & diuerſa propter quam ſeparatim quando illa ſola fuiſſet, mortem libens Catharina paſſa eſſet, profecto non deſinit habere ſuum effectum & meritum licet juncta ſit aliis. Sicut enim Tyrannus Martyrium imperans ex triplici vitio ter Tyrannus dici poteſt, ſic profecto ter Martyr Catharina, propter triplicem eius Virtutem oppoſitam tribus illis vitiis, nempe Virginitatem, Fidem, & Fidei Zelum, quæ ſunt tria motiua quorum ex vno ſeparato parata Virgo erat mortem ſubire, ſicut reuera ſubiit conjunctim cum aliis duobus motiuis.

O quàm proinde vera eſt illa Veritas qua dicitur:

Inimici noſtri magis prodeſſe poſſunt odio quàm profuiſſent obſequio.

In 1. p. Die 28. Decembris.

Ne quemquam pudeat recedere ab errore, & cedere Veritati: non enim minus eſt ſæpe glorioſum in hoc certamine vinci quàm vincere.

Ratio eſt, quia vinci hoc in certamine nihil aliud eſt quàm errorem ſuum agnoſcere, ac oppoſitam Veritatem profiteri.

Sed non minus ſæpe eſt hoc glorioſum coram Deo quàm vincere ſeu docere ac reuocare ad Veritatem errantes: Vbi aduerte parem in imparitate Victoriam. Nam victrix Catharina fuit non ſolum quia Philoſophos vicit ſed quod à Tyranno victa non fuit. Sic Ipſi Philoſophi victores fuerunt non tantum quia fuerunt Martyres, ſicque vicerunt Tyrannum: ſed quia etiam à Catharina victi ſunt, cùm ſic vinci ſit vincere.

Vide in 3. p. Fer. 2. Hebd. 7. vbi hæc Veritas exhibetur:

Majoris eſt animi ſe diuinæ Fidei ſupponere quàm ſe illi opponere.

Videri & poſſent quæ ſequuntur:

Sicut martyrio vita naturalis, ſic mortificatione vita ſenſualis.

Id eſt,

Sicut ne pereat fides, perdenda eſt martyrio vita na-

turalis, sic ne pereat fidelitas, perdenda est mortificatione vita sensualis.

In 1. p. De sanctis Martyribus.

Nemo cum Christo cădidus, nisi sit simul rubicundus.

Id est, nisi sic amet candorem & puritatem Conscientiæ, vt pro ea tuenda sit paratus mori.

In 2. p. Dominica Passionis.

In Infirmitate virtus; In Impotentia Potentia.

In 2. p. Fer. 4. Paschæ.

Quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere, tanta modò est ignominia vinci à mundo.

In 2. p. Dom. 1. post Pascha, Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

Satius esset nullo die velle viuere, quam non omni die velle cum Christo mori.

In 3. p. Fer. 5. Hebdom. 2.

Plus est quod Christus monet ne terreamur, quàm quod mouent Inimici vt nos terreant.

In 3. p. Fer. 6. Hebdom. 10.

Mortificatione potius tibi sunt omnia subtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

In 3. p. Die 24. Augusti.

Nisi diligenter aduertas, ore facta Confessio, factis à te negatur.

In 4. parte, Fer. 2. Hebd. 15.

Quàm gloriosa est victoria finiti certaminis, tam metuendum est ne certamen non sit finitum.

Victori sæpe grauius à victoria certamen nascitur, quàm dum certaret vt vinceret.

Ratio est, quia Victori à victoria sæpe certamen nascitur contra vanam gloriam & complacentiam.

Sed certamen istud sæpe est grauius alio quia minus hostis percipitur, minus expugnatur, & maior inde pernicies. Quin quod victus hic hostis à se ipso victo & expugnato nouas in vincentem ac-

cipit & majores ad repugnandum vires. Superata vanitas vanitatem generat, & dum repellitur gloria, repulsa redit quia repulsa fuit. *Omnia vitia superata marcescunt,* inquit Cassianus, *& deuicta per singulos dies infirmiora redduntur: hoc verò deiectum acrius resurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, sua morte viuacius conualescit. Cætera genera vitiorum eos tantùm impugnare solent, quos in certamine impugnarint, hoc verò suos Victores acrius insectatur, quantóque fuerit validiùs elisum, tanto vehementius Victoria ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia vt militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis superare non potuit.* Et paulo post: *Postremò,* inquit, *cæteræ perturbationes à contrariis sibi virtutibus dissidentes, & ex aperto, tamquam die claro bellantes & superantur facilius & cauentur: Hæc autem Virtutibus inserta & aciei permixta velut in nocte cæca dimicans, atrocius inopinatos decipit & incautos.*

L. 11. c. 7.

c. 9.

Quamobrem sicut Virginibus & Martyribus in primis commendatissimum erat, sancta Virgo & Martyr Catharina sui laudem certaminis & totius gloriam Victoriæ Deo referens, sic tota Deo plena erat, vt oblita sui, Deum vnum & Christum suum cogitaret, extolleret, glorificaret & magnifaceret quasi hoc ipsum esset quod Deus suis promiserat: *Laude mea infrænabo te, ne intereas.*

Is. 48.

Hinc apte Diuus Augustinus ad illud sancti Apostoli: *Bonum certamen certaui. QVAERO qua virtute certauerit, vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit vt tantus Doctor ignorauerit legem Dei cuius vox est in Deuteronio: Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui quia Ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam nisi Ille de quo dicit Ipse: Gratias Deo qui dat nobis victoriam per D. N. Iesum Christum.*

L. de gr. & lib. arb. c. 6.

Sic itaque finiendum quoduis opus vt numquam sit finis dicendi Deo cum Propheta Daniele: *Tibi Domine Iustitia: nobis autem confusio faciei. Domine nobis confusio faciei: Tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio.*

Dan. 9.

De sancto Andrea, Vide in 1. p. in quam frequentiùs Dies eius Festus incurrit.

FINIS QVARTÆ PARTIS.

INDEX

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM QVARTÆ PARTIS.

sibi soli seruat.

In eadem 1. p. Die 18. Ianuarij.

Scientia sine Zelo, arma sine milite: Zelus sine scientia, miles sine armis.

In 2. parte, Fer. 2. Quinquagesima.

Nec lucere tantum nec ardere: sed vtrumque simul.

In 3. p. Die 4. Augusti.

Rape ad Eum quos potes, Nam si potes, & non rapis, tot cœlo perdis quot Christo lucrari poteras.

In 3. p. Sabbato Hebd. 11.

Cos bonæ libertatis, mala libertas.

Id est, Tanto magis acui & excitari debemus ad verum liberè prædicandum, & bonum bene agendum, quantò alij liberiores sunt ad illud impugnandum.

Aut sis æquus dispensator, aut iniquus dissipator.

Quod de Gratiis quæ dicuntur gratis datæ, & quæ in alios dispensari debent, intelligitur.

In hac 4. p. Fer. 5. & 6. Hebdom. 20.

III. PVNCTVM.

QVO molliores alij reddebantur, eò ferocius sæuiebat Maximinus, & conuerso in odium ac rabiem quo ferebatur amore in Virginem, iam non Pellaces aduocat qui Catharinæ pectus molliant, non Doctores qui animum mutent, sed Tyrannos qui corpus crucient & noua suppliciorum architectentur instrumenta; Nulla quibus hactenus in Christianos sæuitum est satis sunt acerba & acuta, non nisi nouis & insolitis concitati furor Imperatoris sedari posse videtur.

Ergo expeditur rota crebris & acutis præfixa gladiis vt Virginis corpus tot diuersis partibus & vicibus dilaniari possit quot essent gladij, & quoties illis affixa per rotam deuolueretur: Quod erat prorsus inauditum tormenti genus; sed Virgo accedit intrepida, plus gerens animi ad ferendam quàm essent acuti gladij ad infe-

rendam lanienam. Se ſuumque certamen Chriſto ſuo commendat, & dum fatalem illam attingit rotam, ecce in partes diſſoluitur, quaſi ferrum illud inſenſatum plus haberet ſenſus & humanitatis in Virginem quàm ipſi homines. Non declinandis tormentis tormenta mitigabat, ſed magnificando Chriſto cuius eſſet tanta virtus vt ſi vellet ſuos protegere nullus eis nocere poſſet. Atque vt videant quid in Chriſto ſuo poſſit & velit; pergant in ſe ferocius deſæuire, ſupplicia geminent, flagella exacuant, venas incidant, neruos atterant, totum effundant ſanguinem, totum corpus dilanient, tot lucra reputabit quot detrimenta ſentiet: tot animi ſui ſentiet gaudia, quot feret tormenta corporis. Quamobrem non defuit Illa tormentis ſed illi tormenta defuerunt. Non eſt deterrita ſuppliciis, ſed ſupplicia ſic deterruerunt Tyranni animum vt ne Virgo viueret diutius, magis cogitarit, quã vt moreretur crudelius.

Sic itaque glorioſa Martyr ad tertiam ſibi Coronam debitam euolauit, & quam in cœlis illuſtris eſt hoc triplici diademate coronata, tàm in terris inſignis eſt ad exemplar Fortitudinis & cuiuſcumque virtutis exhibendæ potius quam infringendæ, vel quoquo modo remittendæ fidelitatis in Chriſtum Ieſum. Quem in finem hæ poſſunt referri Veritates:

Quot peccauit in Virginem Martyrem Tyrannus vitiis, tot illam pluribus adauxit Martyriis & coronis.

Ratio eſt, quia Martyrem non pœna ſed cauſa facit: & quàm multæ poſſunt dici cauſæ propter quas Martyr Martyrium ſuſtinet, tam multiplex poteſt eius dici martyrium.

Sed quot vitiis peccat Tyrannus in Martyrem, tam multæ poſſunt dici cauſæ propter quas Martyr Martyrium ſuſtinet. Nempe in Exemplo noſtro, peccabat Maximinus in ſanctam Catharinam Libidine, Impietate, & Iniuſtitia: Et his tribus ex vitiis tres cauſæ factæ ſunt eius Martyrij. Prima ex libidine qua deperibat Virginem & quam cum Virgo contemneret, hæc fuit cauſa quamobrem Imperator Martyrium Virgini decreuerit.

Secunda ex Impietate contra Chriſtianam Religionem quam Catharina profitebatur & quam Maximinus perſequebatur, quæ ratio cum à præcedente ſit diuerſa, diuerſam etiam conſtituit Martyrij cauſam.

Tertia ex Iniuſtitia & ferocitate, quod nempe Virgo conuertiſ-

ſet Philoſophos, Imperatricem & Ducem belli, tum furens Maximinus iniuſte Virginem velut ream & noxiam condemnauit: quæ cauſa cum ſit etiam ab aliis diſtincta & diuerſa propter quam ſeparatim quando illa ſola fuiſſet, mortem libens Catharina paſſa eſſet, profecto non deſinit habere ſuum effectum & meritum licet juncta ſit aliis. Sicut enim Tyrannus Martyrium imperans ex triplici vitio ter Tyrannus dici poteſt, ſic profecto ter Martyr Catharina, propter triplicem eius Virtutem oppoſitam tribus illis vitiis, nempe Virginitatem, Fidem, & Fidei Zelum, quæ ſunt tria motiua quorum ex vno ſeparato parata Virgo erat mortem ſubire, ſicut reuera ſubiit conjunctim cum aliis duobus motiuis.

O quàm proinde vera eſt illa Veritas qua dicitur:

Inimici noſtri magis prodeſſe poſſunt odio quàm profuiſſent obſequio.

In 1. p. Die 28. Decembris.

Ne quemquam pudeat recedere ab errore, & cedere Veritati: non enim minus eſt ſæpe glorioſum in hoc certamine vinci quàm vincere.

Ratio eſt, quia vinci hoc in certamine nihil aliud eſt quàm errorem ſuum agnoſcere, ac oppoſitam Veritatem profiteri.

Sed non minus ſæpe eſt hoc glorioſum coram Deo quàm vincere ſeu docere ac reuocare ad Veritatem errantes: Vbi aduerte parem in imparitate Victoriam. Nam victrix Catharina fuit non ſolum quia Philoſophos vicit ſed quod à Tyranno victa non fuit. Sic Ipſi Philoſophi victores fuerunt non tantum quia fuerunt Martyres, ſicque vicerunt Tyrannum: ſed quia etiam à Catharina victi ſunt, cùm ſic vinci ſit vincere.

Vide in 3. p. Fer. 2. Hebd. 7. vbi hæc Veritas exhibetur:

Majoris eſt animi ſe diuinæ Fidei ſupponere quàm ſe illi opponere.

Videri & poſſent quæ ſequuntur:

Sicut martyrio vita naturalis, ſic mortificatione vita ſenſualis.

Id eſt,

Sicut ne pereat fides, perdenda eſt martyrio vita na-

turalis, sic ne pereat fidelitas, perdenda est mortificatione vita sensualis.

In 1. p. De sanctis Martyribus.

Nemo cum Christo cādidus, nisi sit simul rubicundus.

Id est, nisi sic amet candorem & puritatem Conscientiæ, vt pro ea tuenda sit paratus mori.

In 2. p. Dominica Passionis.

In Infirmitate virtus; In Impotentia Potentia.

In 2. p. Fer. 4. Paschæ.

Quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere, tanta modò est ignominia vinci à mundo.

In 2. p. Dom. 1. post Pascha, Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

Satius esset nullo die velle viuere, quam non omni die velle cum Christo mori.

In 3. p. Fer. 5. Hebdom. 2.

Plus est quod Christus monet ne terreamur, quàm quod mouent Inimici vt nos terreant.

In 3. p. Fer. 6. Hebdom. 10.

Mortificatione potius tibi sunt omnia subtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

In 3. p. Die 24. Augusti.

Nisi diligenter aduertas, ore facta Confessio, factis à te negatur.

In 4. parte, Fer. 2. Hebd. 15.

Quàm gloriosa est victoria finiti certaminis, tam metuendum est ne certamen non sit finitum.

Victori sæpe grauius à victoria certamen nascitur, quàm dum certaret vt vinceret.

Ratio est, quia Victori à victoria sæpe certamen nascitur contra vanam gloriam & complacentiam.

Sed certamen istud sæpe est grauius alio quia minus hostis percipitur, minus expugnatur, & maior inde pernicies. Quin quod victus hic hostis à se ipso victo & expugnato nouas in vincentem ac-

cipit & majores ad repugnandum vires. Superata vanitas vanitatem generat, & dum repellitur gloria, repulsa redit quia repulsa
L. 11. c. 7. fuit. *Omnia vitia superata marcescunt,* inquit Cassianus, *& deuicta per singulos dies infirmiora redduntur: hoc verò deiectum acrius resurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, sua morte viuacius conualescit. Cætera genera vitiorum eos tantùm impugnare solent, quos in certamine impugnarint, hoc verò suos Victores acrius insectatur, quantóque fuerit validiùs elisum, tanto vehementius Victoria ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia vt militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis superare non potuit.* Et paulo post:
c. 9. *Postremò,* inquit, *cæteræ perturbationes à contrariis sibi virtutibus dissidentes, & ex aperto, tamquam die claro bellantes & superantur faciliùs & cauentur: Hæc autem Virtutibus inserta & aciei permixta velut in nocte cæca dimicans, atrocius inopinatos decipit & incautos.*

Quamobrem sicut Virginibus & Martyribus in primis commendatissimum erat, sancta Virgo & Martyr Catharina sui laudem certaminis & totius gloriam Victoriæ Deo referens, sic tota Deo plena erat, vt oblita sui, Deum vnum & Christum suum cogitaret, extolleret, glorificaret & magnifaceret quasi hoc ipsum esset
Is. 48. quod Deus suis promiserat: *Laude mea infrænabo te, ne intereas.*

Hinc apte Diuus Augustinus ad illud sancti Apostoli: *Bonum*
L. de gr. & lib. arb. c. 6. *certamen certaui. QVAERO qua virtute certauerit, vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit vt tantus Doctor ignorauerit legem Dei cuius vox est in Deuteronio: Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui quia Ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam nisi Ille de quo dicit Ipse: Gratias Deo qui dat nobis victoriam per D. N. Iesum Christum.*

Sic itaque finiendum quoduis opus vt numquam sit finis dicendi Deo cum Propheta Daniele: *Tibi Domine Iustitia: nobis autem con-*
Dan. 9. *fusio faciei. Domine nobis confusio faciei: Tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio.*

De sancto Andrea, Vide in 1. p. in quam frequentiùs Dies eius Festus incurrit.

FINIS QVARTÆ PARTIS.

INDEX

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM QVARTÆ PARTIS.

rum omnium 918.

Ignorantia. Quæ non excusat 177. 717. Ignorant Deum impij & mundani 221. in ea moriuntur ignorantia & pereunt 229.

Imitatio. Christi D. portando imaginem cœlestis sicut portauimus imaginem terreni 403. Sanctorum Imitatio in reprimenda concupiscentia 910.

Immortificatio. Valde perturbat animum 117. valde nocet orationi 556.

Inconstantia. Quanta sit omnium statuum 859.

Indifferentia. Quæ sunt illi opposita declarantur, & quàm peruersa sint 612.

Infantia, *Innocentia*. Baptismalis quodammodò reuocanda 64. Non est ætas maturior infantia Christiana 68.

Infernus. De hoc fusè 548.

Ingratitudo. Arguitur 292. 346. aggrauat peccatum 709.

Inimici. Patienter tolerandi 51.

Iniuria. Sunt omnes omninò condonandæ 82. quidquid profers ne parcas aliis contra te profers ne parcat tibi Deus 312.

Inordinatio. Quæcumque est animi, cauenda est 91. semper inquieta 117.

Intellectus. Qualis est intellectus, talis & tota intellectualis creatura 274. qui legit intelligat 715.

Intentio. Quàm sit pura habenda in vsu rerum temporalium 125. In obedientia quæ superioribus redditur 422.

Inuidia. Quàm cauenda inter probos 45. quàm patienter ferenda 51.

S. Iudas Apostolus. In eius die Festo 892.

Iudicium. Iudicia humana contemnenda 12. 51. varia hominum de Christo iudicia 13. cùm ex Iudicio quod fit de rebus res æstimentur, magis æstimandæ sunt ex diuino quàm ex humano iudicio 73. 334. Nolite iudicare secundum faciem, & cet. quam sit tibi frequens tale iudicium 183. de particulari Iudicio post mortem 567. de generali 722. quàm sit tremendum vtrumque iudicium 729.

LABOR. Necessarius est in hac vita 161. præstat nobis laborare quàm à labore eximi 447. Cæli præmium, Sanctorum exempla, & virtutis necessitas ad laborem impellunt 912.

Lazarus. Infirmus, mortuus, suscitatus, Fer. 2. 3. 4. Hebdom. 25. de paupere Lazaro, Fer. 6. Hebdom. 24.

Laxitas. Cauenda 41. quomodo sibi eam procurent mundani 224.

Lectio. Qui quod legit, intelligere negligit, negligentiæ suæ pœnas legit 715.

Libertas. Subjicienda Christo 41. vera libertas relinquentis omnia 142. magis accusat peccantem quàm excuset 242. Cos bonæ libertatis mala libertas, Id est, tanto liberius arguendum est malum, quantò liberiùs perpetratur 300. Numquam magis eris tuus quàm cùm minùs eris tuus, vt sis totus Christi 525

S. Lucas. In eius die Festo 875.

MANSVETVDO. Multum commendatur 92.

Maria Virgo. De eius Natiuitate, & de aliis ad Eius cultum spectantibus, videndus Index Veritatum, die 8. Sept. & pro eius Præsentatione, die 21. Nou.

S. Martinus. In eius die Festo 932.

Martyres. Datur illis aureola 945. multiplicatâ causâ martyrij multiplicatur martyrij meritum 949.

S. Matthæus. In eius die Festo 815.

Meritum. Magnum est à feruore 165. ex momento sæpe maximum 936.

S. Michael. In eius die Festo 822.

Miseria. Nulla major quàm ex peccato 239. eius miseria est miserio ipso prodigo 529. nil vilius & miserius anima quæ à Sanctitate deficit 705.

Moderatio. Seruanda religiosè in suo statu 341. in suo têperamento regendo 765.

Momentum. Ex quo pendet æternitas, quomodo intelligendum 935.

Mors. Quàm frequenter cogitanda 3. In

Digitized by Google

FINIS.

INDEX TERTIVS

INDEX TERTIVS QVI SELECTARVM EST TOTIVS QVADRIPARTITI OPERIS VERITATVM; SECVNDVM TRIPLICEM PERFECTIONIS VIAM.

PRIOR NVMERVS, PARTEM: POSTERIOR PAGINAM DESIGNAT.

CAPVT PRIMVM.

DE FINE SEV TERMINO QVEM SPECTARE DEBET QVI SALVTIS ET PERFECTIONIS VIAM INGREDITVR.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quòd ante omnia, Finis hic omnibus sit præfigendus.

Rectene viam instituat an peruersè, cum nemo scire possit qui nesciat & qui non cogitet quò velit tendere, propterea Primum illud est quod Christus Dominus nobis proponit: *Quærite primùm regnum Dei, & Iustitiam eius*: Atque illa prima est Veritatum Praxis quam vnusquisque statuat, vt quò sensu, quo animo Regnum illud sit quærendum, intelligat, & reipsa quærat sicut hæ docent Veritates: Math. 6.

Qua ratione terrena tantum, & non cœlestia desideras, eadem necesse est vt cœlestia tantum & non terrena desideres. 2. 672.

Hoc est *Vnum* quod Christus dixit *esse necessarium* : Et hæc est Veritas Veritatum, quæ illis contenta est Christi verbis. 4. 474.

ARTICVLVS 2.

Siue hic finis dicatur Dei gloria, Dei regnum, Dei cultus, siue regnum cælorum, siue nostra salus & perfectio, perinde modo est dum id serio apprehendatur quod quanti quanti sumus, toti simus oportet ad illum finem consequendum. Quod demonstrant hæ Veritates:

Sicut à Deo, sic ad Deum. 2. 612.

Id est, qua fide Deum confitemur esse Principium à quo & in quo viuimus, mouemur & sumus, sic plane profiteamur oportet Eum esse Finem & Terminum ad quem viuamus, moueamur & simus.

Satis id ore confiteris, sed ore facta confessio factis negatur, dum multa facis in alium finem. 4. 15.

Non quid Deo reddas vitæ & operum, sed quid tibi reserues Deus spectat, cùm totum Ipsi debeas. 3. 594.

Aut nullam vitæ partem aut totam Deo debes. 1. 194.

Nihil in vsu vitæ nostræ minùs est nostrum quam ipse vitæ vsus. 2. 382.

Nisi te totum Deo dedas & subdas, Deum tibi subdis; *quo quid peruersius?* 1. 235.

Mendaces filij hominum in stateris, si res creatas alio quàm Cœli pendunt pretio. 3. 705.

Non redderes quidem Deo quæ Dei sunt nisi redderes Cæsari vel cuipiam hominum, quæ sunt eius. 4. 413.

Sed si quid etiam Cæsari vel cuiquam reddas non propter Deum, non reddes Deo quæ Dei sunt. 4. 419.

ARTICVLVS 3.

Quod putant omnes se satis velle saluari, reuera tamen nolunt.

Speculatiua quidem æstimatione nihil nobis pretiosius Animâ nostrâ; sed practicâ, nihil vilius. 2. 522.

Quod videris tibi velle, velles quidem, sed reuera non vis. 3. 593.

Vult & non vult piger. 3. 299.

Affectum probat effectus. 3. 418.

Si non facis quod vult Deus ad salutem, hoc vnum infame habes quod respondeas, *Nolo, Non placet*. 4. 174.

ARTICVLVS 4.

Hinc illud Psalmi luctuosum, Omnes declinauerunt, *nempe à fine vel à mediis*. Ps. 13.

A fine quidem qui dicuntur filij huius sæculi, qui vix alium finem sibi præscribunt quàm vt mundo fruantur : à mediis autem filij lucis, qui cum videant & velle videantur illud Vnum quod est necessarium, media tamen respuunt quæ rectius eò ducunt, vnde in Euangelio Dominus, *filij huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis*. Luc. 16.

Quæ omnia paucis his comprehenduntur Veritatibus :

Indigni sunt sua luce Filij qui minus clare vident in suis quàm filij huius sæculi. 3. 345.

Hoc nempe filiis lucis paupertas, ignominia, luctus & dolor esse deberent, quod filiis sæculi diuitiæ, gloria, prosperitas & valetudo.

Væ filio lucis mundanas sectanti tenebras ; Væ Religioso non relinquenti omnia. 4. 139.

Filij autem sæculi quò prudentiores in generatione

ſua ſunt, eò ſibi majorem ingenerant imprudentiam. 3.350.

Quò nempe prudentiores ſunt, tantò magis vacant ſuis ſæcularibus negotiis, & tantò minus ſuæ ſaluti: Quæ verò major imprudentia quàm quod eſt omni ex parte majus negotium ſic poſthabere minimis?

Hæc humana ſapientia ſic Diuinæ opponitur ſicut humanæ ſtultitia. 2.745.

Hæc ſunt humana conſilia tanto pejora, quantò meliora. 3.687.

Hic eſt homo exterior in quo colendo qui ſapientior eſt, ſtultior eſt qui non magis interioré colat. 4.480.

ARTICVLVS 5.

Illud ipſum quod omnes declinent vel à fine, vel à mediis ſic temperauit Dominus, vt dixerit multos perire, paucos ſaluari.

Quia lata porta, inquit, *& ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Matth.7.

Ex quibus verbis hæ depromptæ duæ Veritates te tibi manifeſtant:

Quæ cauſa eſt cur pauci ſalui ſint, hæc in te cauſa eſt cur ex illis fortè non ſis.

Vel te oportet in lata eſſe via, vel in arcta: Sed ſi te probè noris, non es in arcta: Ergo in lata, & in manifeſto ſalutis periculo.

ARTICVLVS 6.

Quid faciat latam aut arctam viam: vnde ſe quis noſſe poſſit.

Quà latè patet Mundus, nihil est vspiam ita damnosum ac nociuum quàm quod intus in te vno latet, *Nempe* Illa triplex Concupiscentia de qua sanctus Ioannes. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* 2. 153. 1. Ioan. 2.

Hæc est triplex Concupiscentia quæ facit latam portam & spatiosam viam, sicut facit peruersum mundum, aut sicut à mundo peruersa fit. Primùm enim fit à mundo peruersa Concupiscentia quando illa peruersè vtuntur homines ad appetenda & prosequenda ea quæ sibi videntur vtilia, delectabilia & honorifica. Tum vero peruersum facit mundum quando sic homines assuefacit & inducit ad illa perpetuò prosequanda bona sensibilia, & fugienda mala opposita, vt toti viuant, toti moueantur & toti sint in illis suis adimplendis concupiscentiis. Ac demùm illa est assuetudo, illa est perpetuitas vitæ sensualis ac mundanæ, siue vt vocant habitualis ad res terrenas affectio quæ facit latam & spatiosam viam quæ ducit ad perditionem, ducendo ad finalem impœnitentiam vt infra memorabitur. Quamobrem hæ, similesue voces, *Mundus, mundani, lata Via & Concupiscentia*, pro eodem in Scripturis atque hîc deinceps vsurpantur: quo in sensu dicebat Dominus, *Non pro mundo rogo*, Id est, inquit S. Augustinus, *non pro iis qui viuunt secundum mundi concupiscentiam.* Nunc autem ex opposito facile est intelligere quid sit angusta & arcta via, nempe illa eorum vita continua, qui se suasque naturales concupiscentias ita semper arctant & constringunt intra Rationis & diuinæ Legis terminos vt quod aliis vitium est, istis sit virtus; Quæ certe vita paucorum est; Et an sit tua, Lector, tuum erit iudicare. Ioan. 17.

ARTICVLVS 7.

Quàm sit opposita Deo generatim triplex illa Concupiscentia.

Hæc est peruersa in mundo Trinitas quæ nisi caueatur Diuinam in nobis peruertit Trinitatem. 3. 1.

Hæc est aliena dominatio quæ se ita Diuinæ opponit, vt quia nemo potest duobus seruire Dominis, Vel re-

ARTICVLVS 8.

Quàm sit iniuriosa Christo Domino Concupiscentia. Quæ mundi *vel* mundani *nomine designatur, vt suprà dictum est.*

ARTICVLVS 9.

Quàm sit aduersa B. Mariæ Virgini, nec non Custodi Angelo, ac Sanctis omnibus Concupiscentia.

ARTICVLVS 10.

Quàm sit nobis nociua & damnosa Concupiscentia.

ARTICVLVS II.

De singulis in particulari concupiscentiis, ad hunc scilicet finem vt agnoscas periculum tuum.

Et primum de illa quæ dicitur oculorum, Id est, concupiscentia diuitiarum, de qua sic Dominus:

Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt! Et rursus, *Filioli, quam difficile est*

confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acus intrare in regnum Dei. Marci 10.

Quantò id minùs verum aut minus sibi dictum Mundani putant quod Christus dixit de pecuniis, tantò id magis verum esse putandum est. *Quia nempe minus sibi cauent.* 4. 121.

Non fit à Christo Diuitibus difficultas regni cœlorum, sed illam sibi faciunt contra Christum qui volunt esse diuites. 4. 122.

Quantà est facilitas diuitiarum vt amentur, tanta est eorum difficultas vt saluentur qui diuitias amant. *Ibid.*

Nisi Diues diuitias faciat bonas, diuitiæ malum facient diuitem. Aut cœlũ perit diuitiis, aut emitur. 4. 123.

Sicut accusandi non sunt diuitiarum cupidi quod sint malæ diuitiæ, sic neque sunt excusandi quod non sint malæ; Nam totum ipsa Cupiditas malum facit, & cæterorum radix malorum est. 4. 127.

Quantumcumque sint necessariæ ac licitæ diuitiæ, numquam est tamen necessarium aut licitum, velle esse diuitem sicut omnes volunt; sic enim velle est in interitum mergi ac perditionem, vt expresse ait Apostolus. 4. 128. 1. Tim. 6.

Cum vix vllus denique se talem putet circa pecunias qualis in Scriptura improbatur, vix tamen vllus est qui non sit talis; *Quia vix vllus est qui non amet pecunias, & hoc est maxime quod à Scripturis improbatur.* 4. 133.

ARTICVLVS 12.

De Concupiscentia Carnis seu voluptatis.

Quàm ſit plena periculi ac damnoſa hæc concupiſcentia, ſatis patet; Sed in quo conſiſtat damnum ac periculum, non ita forte liquet & tanto inde eſt periculoſior: Non enim tantum ipſa quæ horrorem incutit, rei fœditas, damnum affert, ſed quæ leuiora putantur & nihili fiunt, vt oculorum aſpectus, animorum affectus, colloquiorum libertas, veſtium luxus, frequentia & familiaribus diuerſi ſexus, ac ſimilia quæ vel honeſtatis vel vrbanitatis vel amicitiæ nomine colorantur: hæc ſunt videlicet quæ damnum faciunt dum periculum damni quod inde ſequitur tegunt; quamobrem Chriſtus, *ſi oculus tuus dexter*, inquit, *ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Et ſi dextra manus tua: Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum.* Id eſt, perinde horum vſu membrorum abſtine, ac ſi reipſa priuatus his eſſes; perinde oculos ab aſpectu, manum à tactu, & pedem à congreſſu contine ac ſi cæcus, aut aliis eſſes mutilatus membris; quæ licet videantur eſſe conſilia non præcepta, quid ſit tamen damni à non ſeruatis illis conſiliis, hac Veritas fuſius explanata declarat:

Matth 5. Marci 9.

Qui non ſeruat conſilia quia non ſunt præcepta, nec ipſa etiam præcepta ſeruabit. 3. 221.

Propter mutuam ſcilicet quam inter ſe habent connexionem vbi de hac præſertim agitur concupiſcentia.

Quò ſpectat Illa quæ ad ſextam orationis Dominicæ petitionem, *Ne nos in ducas in tentationem*, ſic profertur:

Hanc ad cæteras impudentiam Impudicus adjicit, vt Deum orando irrideat. 3. 294.

Nam dum Ipſe ſeipſum per oculos, manus, & pedes in tentationem inducit, nonne Deum irridet dum id Ipſe facit quod ne fiat à Deo, Deum orat? quibus & affines hæ ſunt:

Sæpe putatur Charitas, & eſt magis carnalitas. 2. 505.

Nemo cum Chriſto candidus niſi ſit ſimul rubicũdus.

Nemo effectu candidus niſi ſit affectu rubicundus.

Nemo actu ſatis purus niſi actum puritatis ſuo ſit paratus tueri ſanguine *contra præſertim impuritatis peccatum.* 2. 312.

Niſi quod monet Sapiens: *Omni cuſtodia ſerues cor tuum*, non omnino ſeruas. 1. 354.

ARTICVLVS 13.

De tertia concupiscentia quæ dicitur superbia vitæ.

Quod ab illa impendet salutis periculum, inde est quod sit majus in se malum quàm putes, & major in te superbia quàm sentias. Quod vtrumque quam sit periculosum & damnosum, hæ patefaciunt Veritates:

Ille est videlicet prudens Negotiator qui inuentam pretiosam margaritam, id est, humiliationem, suis omnibus idcirco datis, sibi eam comparauit; Nos contrà cum sese nobis offert, nihil illa vilius æstimamus, & nihil nostrum est quod non demus ne nostra sit. 3.400.

Omnes insipientes & infœlices supra modum superbi.

Superbo maxime formidandum diuini Tribunal Iudicij. 3. 607.

Nemo magis confundetur quam qui peccat ne confundatur. 4. 726.

Plura inferius c.2. art.15.

In quibus dictis hoc obserua quod quidquid proponitur tam graue est & ita tibi proprium, vt si vel vnum esset ex illis pluribus, satis esset ad significandum tibi periculum quod ex superbia vitæ tuæ certo sequetur nisi prouideas. Cui periculo si iungas alia quæ suprà ex aliis audiuisti articulis, potesne dubitare quàm sit periculosa Concupiscentia, quam sit opposita Fini tuo, quam sit lata illa via quæ perditionis est via, & quàm late incedas per hanc viam? Aut certe si dubitas, lege hanc Veritatem quæ tota tibi scripta est:

Licet in quibusdam Cupiditas tam leuis sit, vt peccatum eorum etiam minuat, in te tamen tam grauis est, vt peccatum tuum augeat. 3. 692.

In illa leui cupiditate pars aliqua cordis eorum detrahitur: in tua vero graui, totum Cor Deo perit. 4.103.

ARTICVLVS 14.

Quod restaret remedij est Pœnitentia, sed quod restat in concupiscentia, nullam sinit esse veram pœnitentiam.

Ipsis Scripturæ verbis proposita constat Veritas:

Nullus est qui agat pœnitentiã super peccato suo. 1.105.

Quia nullus scilicet est qui deponat Concupiscentiam sicut deponi debet ad Pœnitentiam.

Nec auertes periculum nisi aduertas diligentius. 4.501.

ARTICVLVS 15.

Qualis inde Conuersio concludenda.

Trium tibi datur optio; Vel negligenda salus animæ: vel neganda Veritas manifesta: vel conuertendus animus. Nolles duo priora, Tertium posterius itaque concludendum, conformiter his Veritatibus:

Nisi ab omni cupiditate Voluntas sicut ab omni errore Intellectus vere conuertatur, vix vlla est vera Conuersio, & vix vlla est salus. 4. 65.

Sicut à peccato, sic à peccati reliquiis resurgẽdum. 4. 6.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homine penitus abstinendum. 1. 404.

Non minus expedit ad salutem vt vetus homo moriatur in nobis, quam vt nouus Homo moreretur pro nobis. 4. 593.

Vides mulierem peccatricem & pœnitentem? Tantum à perfecta pœnitentia deficies, quantum à pœnitente Magdalena discedes. 3. 745.

ARTICVLVS 16.

Non differenda Conuersio, sed quæ forte his legendis vel aliis mediis Gratia Conuersionis offeretur, quamprimum acceptanda.

Qui legit intelligat; Nam qui legit, & intelligere negligit, negligentiæ suæ pœnas legit. 4. 715.

Qui negligit negligetur. 3. 480.

Qui non audit, non audietur. 3. 542.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, Tale hoc tempus Crisis est æternitatis.

Tales hi dies non minus diligenter sunt obseruandi pro

ARTICVLVS 17.

Quid retardet à vera Conuersione.

ARTICVLVS 18.

Quid iuuet & promoueat efficacius cum Gratia, Conuersionem!

VNIVS scilicet Christi Consideratio tam multis ac variis modis hoc à te postulantis, atque in hoc vno totam Vitam suam & Euangelicam ponentis doctrinam, vt veterem hominem in nouum conuertamus, Id est, concupiscentiam Rationi subjiciamus & rationem Gratiæ. Vide Christi Factum, & audi Veritatis conforme Dictum.

VIDE vt nascitur in stabulo & reclinatur in præsepi; Quamobrem vero?

VIDE vt circumcisus nominatur Iesus, & audi:

VIDE vt à magis Rex agnoscitur, & audi:

VIDE vt in templo præsentatur, & audi ex sene Simeone quomodo sit positus in signum cui contradicetur, quando sit positus in ruinam & in resurrectionem multorum, quia scilicet

VIDE vt totos triginta latet annos: Audi vero

occultiùs, refrænando concupiſcentias quæ ſe nimis produnt. 3. 41.

VIDE vocantem Apoſtolos, vide vocatos ſtatim ſequentes. At audi quod mireris,

Magis tenemur omnes affectu noſtra relinquere, quàm effectu Apoſtoli, vel quiuis alij religioſi. 1. 280.

VIDE vt Diſcipulos, ex multis aliquos colligit: & audi ex ipſomet,

Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus. 1. 422.

VIDE vt Paſtori ſimilis tantâ curâ te quærat ouem errantem, quanta poteſt haberi maxima: Quid inde vero diſcas, audi

Quanta eſt Chriſti modò quærentis animam tuam cura & bonitas, tanta eſt animæ tuæ, niſi ſe dedat, incuria & prauitas. 3. 148.

Quod ſi tibi palpes quaſi non longe erres, periculoſius erras quàm qui aberrat longius. 3. 138.

Minus enim agnoſcis periculum, & minùs reditum cogitabis.

VIDE vt fatigatus & ſitiens ex itinere petit à Samaritana potum aquæ, Id eſt, eius conuerſionem quam ita ſitit, & qua ſic recreatur ſicut ſiti ardens reficeretur aquæ potu: vnde id euenit quod ſi recuſas modò conuerti, perinde ſit ac ſi Chriſto ſitienti & petenti bibere recuſares; Quo quid indignius?

Quod vel inimico numquam negares, hoc recuſas Chriſto!

Sic Veritas horrorem facti repræſentat. 3. 550.

ET ne longius te remorer, Vide Ieſum patientem: Vide flagellis ſubditum: Vide Cruci affixum, vide languentem, vide morientem; Vide ſi non meretur omnia quæ à te poſcat; Vide ſi tum adfuiſſes, ſi tum petiiſſet aliquid quod facile poſſes dare, an recuſaſſes? At ecce

Quod è Cruce petiuiſſet & quod petenti non recuſaſſes, ecce iam à te petit, nec minùs Illi debes quàm ſi peteret moriens.

Hoc euidentiſſima Veritate demonſtratur. 2. 338.

Digitized by Google

NEC speres te vmquam aliter cum Illo resurrecturum:

Nam sicut nemo cum Christo moritur qui cum Illo non resurgat:

Sic nemo cum Christo resurgit nisi qui cum Ipso sit mortuus. 2. 436.

Qua morte scilicet mori possumus nostris concupiscentiis.

NEQVE verò minùs è cœlo nunc loquitur quàm dum in terris loquebatur, nec minùs punietur qui loquẽtem modò non audierit, quam qui olim docentem; Imo aliquid grauius ex Apostolo discimus: *Videte, inquit, ne recusetis loquentem, si enim non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis auertimus?* Vnde hæc conformis Veritas: Hebr. 12.

Sedentem in cœlo Christum, & inde nobis loquentem non audire, periculosius est, quàm dum in terris loqueretur. 2. 691.

SATINNE verò hæc à Christo Domino vt videas quòd est volendum, atque vt velis quod videas? Quid contrà nisi Mundus, & Caro? Sed hoc ipsum cogitare quòd nil contra se opponat nisi Mundus & Caro, nonne hoc satis ad cedendum Christo?

Quid nequius quàm quod excogitauit Caro & Sãguis? Eccles. 17.

Nempe cum Iuda prodere ac perdere Christum Iesum? 2. 19.

Quid nequius quàm humanus respectus, qui qualis in Pilato fuit, inhumanus Christi despectus est? 2. 306.

Quid denique nequius & Iudaicæ in Christum ferocitati propius, quàm Quod nouo negatur Homini contra veterem, hoc indulgeatur veteri contra nouum? 2. 343.

HIS Veritatibus diuina fultis gratia sic excolatur Animus vt cum Dauide dicat & sentiat: *Dixi nunc cæpi*, nunc statui velle incipere. Ps. 76.

CAPVT SECVNDVM.

DE VIA PVRGATIVA, QVI STATVS EST INCIPIENTIVM.

PRO TRIPLICI DIFFERENTIA TEMPORIS, PRAETERITI, PRAESENTIS, ET FVTVRI.

ARTICVLVS 1.

Cauenda duo extrema, & idoneus Director eligendus.

ARTICVLVS 2.

Dirigendus Directori sit valde docilis, siue ad malum euitandum siue ad bonum faciendum.

Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus vijs. 1. 324.

Frustra tibi Cultor, si culturam non pateris. 3. 913.

Grande malum voluntas propria, quæ se in malo vitando vel bono bene faciendo non sinit dirigi. 1. 319.

Suam ille vestem nuptialem recusat induere qui recusat instrui de debito Sacramenti vsu. 1. 329.

Qui sibi suas solus aptat Cruces, vix vnquam aptas efficiet. 2. 322.

Quantæcumque sis ætatis, quasi modo genitus Infans Patri tuo te subjice: Non est ætas maturior hac infantia Christiana. 4. 68.

Nec timeas libertati tuæ: Nemo liberior quam qui minus est liber. 2. 431.

Numquam magis eris tuus, quàm cum minùs eris tuus, vt sis totus Christi. 4. 525.

ARTICVLVS 3.

Incipiat serio velle, & quos gratiæ motus sentiet ad se totum Deo dandum: sequatur, ac se Illi dedat, dedicet, consecret.

Quàm frequenter cum Dauide dices, *Dixi nunc cœpi*, tam sincere simul dicas cum Apostolo: *Domine quid me vis facere?* Hæc est perfectæ Conuersionis forma. 1. 495.

Continuò non acquieui carni & sanguini, Hæc est vere conuersi, & verè seruorum Christi vera nota. 4. 854.

Non quod iam perfectus sit qui hæc dicat, sequatur autem quos sentiet conuersionis & perfectionis motus, *Nam & Pater tales quærit qui adorent eum*, In Spiritu scilicet & Veritate, Id est, omnino, ex totis nobis: Vnde hæc Veritas: Ioan. 4.

Sicut Spiritus & Veritas sunt indiuisibiles & totis se si-

mul communicant non ex parte, sic planè nos indiuisim, quanti quanti sumus, toti velimus eius esse qui se totum nobis dedit. 3.564.

Hoc est enim esse Dei, solius Dei esse. Hoc est esse Christi discipulum, solius Christi esse. 4.519.

Satis est autem primis his animi se conuertentis initiis talem esse in voto, vt vocant, & desiderio, tum pergat cum Dei Gratia & Directoris opera: neque sibi suisque vereatur si se totum dedat.

Nam numquam melius sibi quis prouidet, quam si nil sibi retinens, se Domino Deo suaque omnia consecret. 1.462.

Et licet nondum aut non semper faciat quod proponit, incipiat tamen velle, ac proponat semper quod faciat. 4.666.

SI de petendo secessu aliquo sibi sentiat mentem injici, mentem sequatur, ac secedat: aut si potius solitudinem abhorreret, nec crederet sibi necessarium esse secessum, diffidat sibi & hanc audiat Veritatem:

Nulli magis necessariò secedendum quàm qui minùs necessarium sibi putas secessum. 2.716.

Quidquid sit de loco ac de negotiis, cum quidquid deinceps agat, totum id ad supremum Finem vt dictum est & dicetur amplius, dirigere debeat; nihil habeat commendatius, nil crebrius ac vehementius quam renuntiare carni & sanguini, hoc est tribus illis concupiscentiis quæ rectum finem ita detorquent & deprauant, vt quidquid mane statuas, quidquid puræ intentionis in totum infundas diem: si tamen interdiu diligentius non aduigiles, si qualis hactenus in sequendo corruptæ naturæ ductu fuisti, sic esse pergas, difficile admodum fuerit definire an quidquid feceris, satis ex recto fine puraque intentione feceris: Vnde attentiùs hæc reuoluenda Veritas:

Totius difficultatis de pura intentione solutio, studium est continuum reprimendæ Concupiscentiæ. 1.189.

ARTICVLVS 4.

Quæ circa præteritum tempus agenda sint.

VT euidenter videas te infructuosam illam fuisse arborem quæ nullum fructum attulit, & quæ succidenda erat nisi hoc pœnitentiæ concessum esset tempus; expende has Veritates:

QVANDO sola esset boni faciendi omissio, sat tibi multa esset dolendi & reparandi temporis necessitas: sed cogitanti tot admissa mala, tot peccata perpetrata quorum forte nunquam pœnituit, & quibus plene numquam est satisfactum; Tùm certè

Quàm verò prudenter timere debeat ne sibi non sit remissum qui de concupiscentiis reprimendis vix cogitauit, satis illæ demonstrant Veritates quæ de rata pœnitentia proponuntur, quibus hæ debent addi pro illis qui sibiinmus id timendum putarent :

Deniqué

ARTICVLVS 5.

De præsenti tempore, circa peccatum in genere: quàm sit semper flendum, execrandum, cauendum.

D

ARTICVLVS 6.

Nec dignitas quemquam, aut difficultas, aut tempus, aut quid huiusmodi quod peccatores causari solent, excusat à peccato.

ARTICVLVS 7.

Certandum acriter contra ſeptem illa quæ dicuntur Capitalia, exemplo Chriſti D. patientis, cuius aſpectu etiam ſuperantur.

ARTICVLVS 8.

Qui ab his vitijs alienum non habet animum, non poteſt vere dominicam proferre orationem, nec ipſum Ieſu nomen.

ARTICVLVS 9.

De peccatis in particulari, quantum spectat ad eorum detestationem & fugam. Ac primo de superbia.

De Inobedientia, Discordia & Contentione.

De Inuidia, malo zelo, & Odio.

De Ira, Impatientia, Vindicta & Seueritate.

De Intemperantia quæ Luxuriam & Gulam comprehendit.

De Auaritia & terrenis solicitudinibus.

De Acedia, Negligentia, Tepiditate, similibusq; vitiis.

Melius

De vitiis linguæ.

ARTICVLVS III.

Ad cauenda in futurum peccata & animum plane vitiis perpurgandum valde confert consideratio Nouissimorum, & periculosi vitæ præsentis status.

De Morte.

Qui sibi non cauent etiam in prosperis, sunt illi stulti de quibus Sapiens: *Prosperitas stultorũ perdet illos.* 4.425. *Prou* 1.

ARTICVLVS II.

Vnde desumi possint indicia præsentis animæ status, & futuri.

Primò quidem à Verbis Domini, quibus quantò magis aut minùs animum conformaueris, tantò magis aut minus animæ consultum erit.

Quàm sunt nempe incerta humana Verba, tam certa sunt & timenda Diuina. 4.732.

Deinde ab exemplis aliorum, siue in alienis personis quarum exempla proponuntur, vnde dicuntur Pharizæi ex auditis Christi parabolis cognouisse quod de Ipsis diceret; Sic vniuersim dicitur, quod

Tam facile est malis hominibus in aliena se nosse persona, quàm in sua difficile. 4.689.

Denique à nobis ipsis, si non ita peruersi sumus vt quod monebat Dominus aduertamus, *quid à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* *Luc.* 12.

Sicut enim prima & puerilis ætas, index est secuturæ vitæ præsentis: ita hæc cuiusque vita præsens, indicium quoddam est futuræ pòst æternitatis. 3.709.

Indicium autem fœlicius seu fœlicitatis æternæ certius est, si quis sibi vim faciat in omnibus; Hinc arctitudo viæ quæ ducit ad vitam, cum è contrà laxitas quæ huic opponitur, oppositam etiam faciat perditionis viam, vt suprà dictum est, & confirmatur hac memoranda Veritate:

Quantam in te vim habet studium & desiderium Regni cœlestis, tantam tibi vim facies,

Vel sic è conuerso

Quantam tibi vim facies, tantam habere vim puta quod habere putas desiderium regni cœlestis. 2.666.

Regnum hoc nempe vim patitur, & violenti rapiunt illud, Hanc *Matth.* 11. verò vim & violentiam non aliter tibi fœlicius inferes quàm si de

rebus humanis non iudices secundum exteriorem & apparentem speciem quæ tota penè fallax est, deceptrix & illusoria: sed iustum iudicium iudices, prout scilicet de rebus ipsis iudicat Dominus, & prout Ipse nos admonebat, *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicare,* Vnde hæc sanè tremenda Veritas:

Ioan. 7.

Apparet quàm sis ipse iudicandus, qui de rebus iudicas vt apparent. 4. 181.

ARTICVLVS 12.

Postrema hæc tandem sit huius purgantis viæ Veritas quæ te ad sequentem introducat:

Tantum proficies, quantùm à te deficies. 1. 359.

Siue quoad appetitiuas facultates, resistendo inferioribus, vt Superiori quæ est Ratio, à Gratia subjiciantur: siue quoad apprehensiuas, captiuantes Intellectum & iudicium in obsequium Fidei.

CAPVT TERTIVM.

DE VIA QVÆ DICITVR ILLVMINATIVA ET STATVS PROFICIENTIVM.

PER TRES SOLITOS VIRTVTVM ACTVS, Abstinendi, Sustinendi & Agendi.

ARTICVLVS 1.

De Christo Viæ Duce, ac Lumine.

Sic certum est Viæ Ducem esse Christum: & sic certa est Via Christo Duce, vt melius sit in illa via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare. 2. 78.

Quod olim Christus dans lumen Cæco secus viam, hoc ipsum modò facit illuminans in Virtutum vsu & praxi, si qui forte essent cæcutientes. 2. 95.

Sacra Christi Schola, Sacro-sanctum Sacramentum.

ARTICVLVS 2.

Quòd semper magis ac magis sit desiderãdus & quærendus Christus.

ARTICVLVS 3.

Quod præsertim imitandus nobis proponatur Christus.

ARTICVLVS 4.

Quidquid de cura salutis, de cultu animæ, ac de studio spiritualis profectus dicitur, ad hanc spectat viam, & plurimum promouetur à Christo D.

ARTI-

ARTICVLVS 5.

Quòd gradatim, & quietè simul ac solicitè sit proficiendum, quodue sit certius proficientis signum.

ARTICVLVS 6.

Dum appetitus regitur, Rationi simul & Christo subjicitur, atque inde multum accedit ponderis ad hanc subiectionem inducendam.

ARTICVLVS 7.

De Virtute generatim in cuius exercitio consistit profectus Spiritualis.

ARTICVLVS 8.

De Virtutibus singulatim prout ordinatè solent exerceri vel acquiri. Ac primum de Humilitate & Modestia.

De Manſuetudine & Pace.

De Mortificatione interna & externa.

De Religione, Deuotione, Oratione, & aliis Cultum Diuinum spectantibus.

De Fide ac Fidelitate.

De Spe ac Fiducia.

ARTICVLVS 9.

De Primo Virtutum omnium actu qui est abstinere à vetitis, ab imperfectis, & quibusuis defectibus.

ARTICVLVS 10.

Ad hunc abstinendi actum spectat Abnegatio interior, & moderatio passionum, præsertim amoris & timoris humani, necnon tristitiæ & gaudij, de quibus hæ sunt Practicæ Veritates.

Veri

ARTICVLVS II.

De secundo Virtutum actu qui est Bonum agere conformiter suo statui, suæque vocationi.

Ac primum de statu eligendo & exploranda Vocatione.

Est Vocatio ad statum: Est in statu Vocatio ad certum perfectionis gradum: Et est in hac Vocatione Illuminatio seu illuminatiua Via qua quis videt particulariùs quid sit sibi agendum & quomodo; Quod partim spectat ad Prudentiam quæ est Directrix Virtutum omnium, & partim ad vnamquamque Virtutem circa suum obiectum. Primò itaque statuendum de vitæ statu eligendo, vel si electus est, examinando an rectè ac prudenter in Domino sit electus. Qua de re fusè differitur vbi hæ proponuntur Veritates:

lit, Deus donet: sed quem Deus donet siue designet, quisque velit. 4.602.
Quod si homo errauerit in eligendo vitæ statu, sentiatque se diuinitùs inde retrahi, tunc reuocanti hominem Deo ab errore viæ suæ non obsequi, peius est quàm primò vocantem ne erraret non sequi. 2.888.

ARTICVLVS 12.

De Vocatione ad statum perfectionis, vel ad perfectionem in quouis statu.

Si quis se Vocatum sentiat ad relinquenda omnia, ne timeat, nam nulli melius sunt omnia quàm omnia relinquenti. 4.137.
Nec terreatur difficultate præsenti vel futura in relinquendis omnibus: Minor est enim difficultas omnia relinquenti quàm partem aliquam. 4. 141.
Quàm sunt hi miseri quibus dicitur, *Væ vobis Diuitibus*, tam beati sunt Pauperes, *quorum est*, inquit Dominus, *regnum cœlorum.* 3. 159.
Non est tam certum ad salutem seruare sibi aliquid quod des pauperibus, quàm talem esse pauperem qui nec sibi nec aliis quidquam seruet. 4.131.
Quò quis pauperior, eò ditior. 3. 884.
Plura dat Christo qui dat omnia, licet pauca & vilia quàm qui multa & pretiosa non datis omnibus. 4.138.
Et verò sua omnia meliùs relinquit qui se relinquit non relictis bonis, quàm qui bona sua relinqueret se non relicto. 4. 140.
Qui dicit se reliquisse omnia & non viuit contentus, mentitur aut mendacem facit Christum. 4. 144.
Non est autem in nouo habitu quem Nouitius vel Pro-

ARTICVLVS 13.

Quod sit vnicuique viuendum conformiter suæ Vocationi.

ARTICVLVS 14.

De quibuſdam vniuerſim ſpectantibus ad bene agendum in omni ſtatu & opere.

ARTICVLVS 15.

Ratio & vsura temporis, plurimi facienda.

Nempe diuturnitatem. Neque enim diu durant ſaltem quoad ſenſum, quæ multum feruent, ſicque tempus à feruore aufert longitudinem & diuturnitatem: ſed hanc ipſam tamen alio ſenſu diuturnitatem feruor affert tempori, quatenus id ſuo merito efficit vt tempus alioquin breue ſi feruenter in Domino collocetur, æquiualeat longi temporis diuturnitati, iuxta illud Sapientis: *Conſummatus in breui expleuit tempora multa*: & conformiter dictis Domini, *Erunt nouiſſimi primi*, qui ſcilicet vna tantum hora vel paucis aliquot vitæ diebus feruenter laborauerint, æquabunt merito vel etiam ſuperabunt alios qui plus temporis ſed minus feruoris adhibuerint in agendo, quidquid varium & multiplex egerint.

Sap. 4. *Matth. 20.*

ARTICVLVS 16.

De tertio Virtutum actu qui eſt Suſtinere ſeu pati libenter, in Domino.

Iam multa quæ hûc ſpectant, producta ſunt in articulis de Mortificatione & Fortitudino, quarum eſt aduerſa generatim tolerare. Sed quia ſingulæ proprium aliquid quod ſuſtineant Virtutes habent, & in quo ſuſtinendo Profectus ſpiritualis multum procedit & roboratur, idcirco hîc diſtinctæ adunguntur Veritates quæ hoc præſertim demonſtrent quàm ſit voluntariè ac libenter ſuſtinendum quidquid occurrerit in cuiuſque Virtutis particulari obiecto.

Si quæ ſunt aſpera Chriſtianæ Virtutis, ſic facta ſunt

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

DE VIA VNITIVA PER DIVINVM AMOREM QVI PERFECTORVM EST STATVS.

TAMETSI quæ hactenus dicta sunt, gradus & progressus quidam sunt ad hanc perfectionis viam quæ Charitate completur, tamen in ipsa Charitate nonnulli gradus reperiuntur qui à Sponso Sponsæ demonstrantur, his Canticorum verbis: *Pone me vt signaculum super Cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Fortis est vt mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multa non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent eam. Si dederit homo omnem substantiam suam, quasi pro dilectione despiciet illam.* Cant. 8. Hanc autem habent significationem, & mutuam inter se connexionem hi gradus, vt Primus per signaculum significet omnimodam cum Christo similitudinem quæ haberi possit, siue interius, siue exterius. Secundus separationem ab omnibus aliis creaturis, & à nobis ipsis, sicut mors separat corpus ab anima, & mortuum à viuentibus. Tertius, Ipsius mortui mortem quandam secundam quæ Inferni nomine designatur, siue per Infernum intelligatur sepulchrum quo corpus totum dissoluitur, siue locus tormentorum quo anima cruciatur. Nam perfecta Dei dilectio sic piè sæuit in Amantis corpus & quaslibet animæ passiones, vt quidquid naturaliter delectare possit & placere, non tantum non placeat: sed horrorem, sed pœnam sed cruciatum inducat qui morte ipsa sit dirior.

Quartus, quò Amans ire possit vlterius cùm in se non videat, nec videat tamen satis Illum diligi qui summè amabilis est, alios quosque prouocat ad Illum diligendum, cùm velut ignis ignem accendit sine sui detrimento.

Quintus, cùm Illos ipsos quos ad amorem excitat, sibi sentit resistentes, non desistit propterea, quin potius quasi maior ille ignis esset quo incenditur quàm vt vlla possint esse aquarum flumina quibus obruatur, sic constans perseuerat vt numquam non aliquid propter Dilectum agat & patiatur.

Sextus denique, postquam fidelis Amans omnia fecerit, se seruum inutilem dicit, & datis omnibus, quasi nihil dedisset, sic se humi-

liat, vt quantum excelſa eſt Charitas, tam ſit ipſa humilis & demiſſa: quantumque eſt humilis, tantò excelſius in dies creſcat. De quibus ſingulis gradibus hæ poſſunt enuntiari Veritates.

De primo Gradu.

Sic Deus dilexit mundum, vt ſic Mundus diligeret Deum ſicut dilectus eſt. 1. 17.
Amor nonniſi amore compenſatur. 1. 97.
Eſt quidem certum, in Charitate Vnionem eſſe Perfectionis; ſed non eſt certò dicenda hæc Charitas neque hæc vnio, niſi in Obedientia quæ dicitur Charitatis. 1. 364.
Hæc eſt autem Obedientia tum glorioſa quàm Ipſa Chriſti ſimilitudo, quæ in ea luculenter exhibetur. 3. 893.
1. Cor. 15. Sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem Cœleſtis. 4. 401.
Non aliter autem in nobis formatur imago Chriſti quàm ſi nos in eandem imaginem transformemur. 4. 407.

De ſecundo Gradu.

Amor Dei, mors eſt ſui. 3. 330.
Hæc Sponſæ Fides eſt, vt ſicut neminem præter Sponſum velit diligere, ita velit à nullo diligi. 1. 440.
Sicut Martyrio vita naturalis, ſic mortificatione perfecta & integra, perit vita ſenſualis. 1. 513.
Qui ſupra mortem eſt, infra ſe videt omnia. 2. 226.
In obliuione Memoria. In morte Immortalitas. 2. 474. 451.
Charitas non quærendo ſua, melius inuenit quàm ſi

De tertio Gradu.

De quarto Gradu.

lit, Deus donet: sed quem Deus donet siue designet, quisque velit. 4.602.
Quod si homo errauerit in eligendo vitæ statu, sentiatque se diuinitùs inde retrahi, tunc reuocanti hominem Deo ab errore viæ suæ non obsequi, peius est quàm primò vocantem ne erraret non sequi. 2.888.

ARTICVLVS 12.

De Vocatione ad statum perfectionis, vel ad perfectionem in quouis statu.

Si quis se Vocatum sentiat ad relinquenda omnia, ne timeat, nam nulli melius sunt omnia quàm omnia relinquenti. 4.137.
Nec terreatur difficultate præsenti vel futura in relinquendis omnibus: Minor est enim difficultas omnia relinquenti quàm partem aliquam. 4.141.
Quàm sunt hi miseri quibus dicitur, *Væ vobis Diuitibus*, tam beati sunt Pauperes, *quorum est*, inquit Dominus, *regnum cœlorum*. 3.159.
Non est tam certum ad salutem seruare sibi aliquid quod des pauperibus, quàm talem esse pauperem qui nec sibi nec aliis quidquam seruet. 4.131.
Quò quis pauperior, eò ditior. 3.884.
Plura dat Christo qui dat omnia, licet pauca & vilia quàm qui multa & pretiosa non datis omnibus. 4.138.
Et verò sua omnia meliùs relinquit qui se relinquit non relictis bonis, quàm qui bona sua relinqueret se non relicto. 4.140.
Qui dicit se reliquisse omnia & non viuit contentus, mentitur aut mendacem facit Christum. 4.144.
Non est autem in nouo habitu quem Nouitius vel Pro-

. ARTICVLVS 13.

Quod sit vnicuique viuendum conformiter suæ Vocationi.

ARTICVLVS 14.

De quibuſdam vniuerſim ſpectantibus ad bene agendum in omni ſtatu & opere.

ARTICVLVS 15.

Ratio & vsura temporis, plurimi facienda.

Nempe diuturnitatem. Neque enim diu durant saltem quoad sensum, quæ multum feruent, sicque tempus à feruore aufert longitudinem & diuturnitatem: sed hanc ipsam tamen alio sensu diuturnitatem feruor affert tempori, quatenus id suo merito efficit vt tempus alioquin breue si feruenter in Domino collocetur, æquiualeat longi temporis diuturnitati, juxta illud Sapientis: *Consummatus in breui expleuit tempora multa*: & conformiter dictis Domini, *Erunt nouissimi primi*, qui scilicet vna tantum hora vel paucis aliquot vitæ diebus feruenter laborauerint, æquabunt merito vel etiam superabunt alios qui plus temporis sed minus feruoris adhibuerint in agendo, quidquid varium & multiplex egerint.

Sap. 4.

Matth. 20.

ARTICVLVS 16.

De tertio Virtutum actu qui est Sustinere seu pati libenter, in Domino.

Iam multa quæ hûc spectant, producta sunt in articulis de Mortificatione & Fortitudine, quarum est aduersa generatim tolerare. Sed quia singulæ proprium aliquid quod sustineant Virtutes habent, & in quo sustinendo Profectus spiritualis multum procedit & roboratur, idcirco hîc distinctæ adunguntur Veritates quæ hoc præsertim demonstrent quàm sit voluntariè ac libenter sustinendum quidquid occurrerit in cuiusque Virtutis particulari obiecto.

Si quæ sunt aspera Christianæ Virtutis, sic facta sunt

CAPVT QVARTVM.

DE VIA VNITIVA PER DIVINVM AMOREM QVI PERFECTORVM EST STATVS.

TAMETSI quæ hactenus dicta sunt, gradus & progressus quidam sunt ad hanc perfectionis viam quæ Charitate completur, tamen in ipsa Charitate nonnulli gradus reperiuntur qui à Sponso Sponsæ demonstrantur, his Canticorum verbis : *Pone me vt signaculum super Cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Fortis est vt mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent eam. Si dederit homo omnem substantiam suam, quasi pro dilectione despiciet illam.* Hanc autem habent significationem, & mutuam inter se connexionem hi gradus, vt Primus per signaculum significet omnimodam cum Christo similitudinem quæ haberi possit, siue interius, siue exterius. Secundus separationem ab omnibus aliis creaturis, & à nobis ipsis, sicut mors separat corpus ab anima, & mortuum à viuentibus. Tertius, Ipsius mortui mortem quandam secundam quæ Inferni nomine designatur, siue per Infernum intelligatur sepulchrum quo corpus totum dissoluitur, siue locus tormentorum quo anima cruciatur. Nam perfecta Dei dilectio sic piè sæuit in Amantis corpus & quaslibet animæ passiones, vt quidquid naturaliter delectare possit & placere, non tantum non placeat : sed horrorem, sed pœnam sed cruciatum inducat qui morte ipsa sit dirior. Cant. 8.

Quartus, quò Amans ire possit vlterius cùm in se non videat, nec videat tamen satis Illum diligi qui summè amabilis est, alios quosque prouocat ad Illum diligendum, cùm velut ignis ignem accendit sine sui detrimento.

Quintus, cùm Illos ipsos quos ad amorem excitat, sibi sentit resistentes, non desistit propterea, quin potius quasi maior ille ignis esset quo incenditur quàm vt vlla possint esse aquarum flumina quibus obruatur, sic constans perseuerat vt numquam non aliquid propter Dilectum agat & patiatur.

Sextus denique, postquam fidelis Amans omnia fecerit, se seruum inutilem dicit, & datis omnibus, quasi nihil dedisset, sic se humi-

liat, vt quantum excelſa eſt Charitas, tam ſit ipſa humilis & demiſſa: quantumque eſt humilis, tantò excelſius in dies creſcat. De quibus ſingulis gradibus hæ poſſunt enuntiari Veritates.

De primo Gradu.

Sic Deus dilexit mundum, vt ſic Mundus diligeret Deum ſicut dilectus eſt. 1. 17.
Amor nonniſi amore compenſatur. 1. 97.
Eſt quidem certum, in Charitate Vnionem eſſe Perfectionis; ſed non eſt certò dicenda hæc Charitas neque hæc vnio, niſi in Obedientia quæ dicitur Charitatis. 1. 364.
Hæc eſt autem Obedientia tum glorioſa quàm Ipſa Chriſti ſimilitudo, quæ in ea luculenter exhibetur. 3. 893.
1. Cor. 15. Sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem Cœleſtis. 4. 401.
Non aliter autem in nobis formatur imago Chriſti quàm ſi nos in eandem imaginem transformemur. 4. 407.

De ſecundo Gradu.

Amor Dei, mors eſt ſui. 3. 330.
Hæc Sponſæ Fides eſt, vt ſicut neminem præter Sponſum velit diligere, ita velit à nullo diligi. 1. 440.
Sicut Martyrio vita naturalis, ſic mortificatione perfecta & integra, perit vita ſenſualis. 1. 513.
Qui ſupra mortem eſt, infra ſe videt omnia. 2. 226.
In obliuione Memoria. In morte Immortalitas. 2. 474. 451.
Charitas non quærendo ſua, melius inuenit quàm ſi

quæreret: Tanto ditior, quanto pauperior. 2. 580.
Aut nulla aut tota eſt Charitas in agendis quæ Agentem perfectè Deo iungat; ſicut tota eſt Fides in credendis. 2. 632.
Nemo paratior ad omnia Dei dona recipienda quàm qui ad nulla ſibi danda, ex æquo paratus eſt. 2. 740.
Sicut negando potius quam affirmando Deus cognoſcitur, ita & diligitur. 3. 10.
Sagittæ diuini amoris quantò magis lethiferæ, tantò magis viuificæ. 3. 862.

De tertio Gradu.

Non viuitur in amore Chriſti, ſine dolore. 1. 90.
Aut non amatur Chriſtus, aut amatur aſperitas. 1. 112.
Hæc ſunt Apoſtolatus & perfectioris viæ duo ſigna certiſſima; Velle abſtinere libenter ab omnibus bonis: Et omnia mala ſuſtinere propter Dilectũ. 1. 452.
Aut amandus tui contemptus & Contemnenti congaudendum: aut non amanda Charitas quæ congaudet Veritati. 2. 602.
Aut pati aut mori, vel confundi, quod eſt tali vita & morte durius. 4. 864.
Amori nihil eſt amarius quàm quod ſentitur ſuauius. 3. 328.
Sicut Amor de Chriſto triumphat in Cruce, ſic Chriſtus de amore in Anima ſecum crucifixa, ſecum mortua, ſecum exinanita. 3. 752.

De quarto Gradu.

Aurum ignitum eſt Amor Chriſti, in quo præcipue

Digitized by Google

De quinto Gradu.

De sexto Gradu.

Hæc sunt ipsa Christi Domini Verba quæ Humilitatem simul & Charitatem comprehendunt, hoc sensu, vt qui se minorem inter omnes vera humilitate sentiat, mox euadat Major vera Charitate. Ac vicissim qui vera Charitate major est, tùm vera humilitate fit Minor, aut non est vera & perfecta Charitas, cuius superior gradus est, supremum simul ac postremum fieri. Hoc est Christi Iudicium ac decretum de vera magnitudine ac perfectione hominis, quod quidem Iudicium quàm sit certum supra quæuis alia Iudicia quæ ab Illo dissentiunt, humanâ simul & diuinâ fide patet euidenter. Humanâ quidem qua constat tanto illud esse certius iudicium quod qui pronuntiat certior est in iudicando, vt nec falli possit nec fallere. Diuina verò qua creditur Christus Dominus hanc Vnum inter homines habere certitudinem. *Matth. 20. Marci 10. Lucæ 22.*

Quamobrem hæc sit postrema simul & suprema Veritas quæ

FINIS.

ROTHOMAGI,
Ex Typographia LAVRENTII MAVRRY iunioris prope Collegium Societatis IESV.

M. DC. LIV.

Digitized by Google